



Digitized by Google

R. P. LUDOVICI
DU MESNIL
DOCTRINA ET DISCIPLINA
ECCLESIÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA ET DISCIPLINA
ECCLESIÆ
IPSIS VERBIS
SACRORUM CODICUM,
CONCILIORUM, PATRUM,
ET VETERUM GENUINORUM
MONUMENTORUM
secundum seriem temporum
DIGESTA ET EXPOSITA,
Studio ac Opera

R. P. LUDOVICI DU MESNIL S. J.
Presbyteri, SS. Theologiæ Doctoris, & Almæ
Catholicæ Universitatis Argentoratensis Cancellarii.

OPUS EXIMIÆ ERUDITIONIS

in quatuor Tomos, & in quamplures libros distributum, Theologis omnibus, & Historiæ Ecclesiasticæ Studiosis apprime utile, ac necessarium.

Cuique tum Libro in fine Græci textus insigniores, tum Tomo Indices rerum ac verborum locupletissimi adduntur; ac demum in calce Operis Index materiarum generalis.

TOMUS PRIMUS.

EDITIO PRIMA ITALICA, COLONIENSI EMENDATIOR AC NITIDIOR.



VENETIIS, MDCCLII.
EX TYPOGRAPHIA ANDREÆ POLETTI.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS S. J.

Go Præpositus Provincialis Provinciæ Campaniæ Societatis JESU, potestate ad id mihi ab Admodum Reverendo Patre Præposito Generali Ejusdem Societatis tradita, facultatem concedo, ut Patris LUDOVICI DU MESNIL ex eadem Societate Liber, cui Titulus est: *Doctrina & Disciplina Ecclesiæ, per Temporum seriem digesta, ex veris Antiquitatis monumentis*, trium ejusdem Societatis Theologorum judicio approbatis, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu mea subscriptas & Sigillo meo munitas dedi Mussiponti, Die 19. Decembris, Anno 1729.

LS

LUDOV. JACQUESSON S. J.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. *Fr. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore Generale del Sant'Uffizio di Venezia*, nel Libro intitolato: *Doctrina, & Disciplina Ecclesiæ ipsis verbis sacrorum codicum, conciliorum &c.* Studio, ac opera R. P. LUDOVICI du MESNIL S. J. Tomi quattro, non vi esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, Niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza ad *Andrea Poletti Stampatore di Venezia*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Ottobre 1751.

{ Daniel Bragadin Kav. Procurator, Reformator.
{ Barbon Morosini Kav. Procurator, Reformator.

Registrato in Libro a carte 14. al Num. 164.

Michiel Angelo Marino Segretario.

Adì 3. Settembre 1751.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degl' Esecutori contro la Bestemmia:

Alvise Legrenzi Segretario.

PRÆ-

PRÆFATIO.



Ecclesiæ doctrinam & disciplinam multi varie tradidere; nos ex solis Antiquitatis monumentis exponimus. Scripturam sacram, Pontifices, Synodos, Patres, veteres historicos suis verbis loquentes inducimus. Majorum vestigia sic relegantes certo sequimur signa Antiquitatis. Hanc investigandæ veritatis regulam proponit divinus Spiritus: *Interroga Patres tuos, & dicent tibi; & seniores tuos, & annuntiabunt tibi*. Re quidem ipsa textuum originalium verba dum retinentur, conjecturis, præsumptis opinionibus, falsis expositionibus nullus relinquitur locus: absque fuco se manifestat simplex veritas; legitimi testes authenticum pro ea ferunt testimonium. Injucunda quædam styli plerumque humilis ex his varietas oriatur necesse est. Incommodum leve abunde compensat authenticitas textuum, qui suam secum ferunt probationem. Econtra historiam qui tractu leni & æquabili poliunt, authorum sensum raro purum, sed suis depravatum opinionibus exhibere compertum est. Eruditorum annales, dissertationes, notas criticas, commentarios, quandoquidem sunt juris publici, sic nobis propria fecimus, ut quæ humanitus eis excidere, & merito reprehensa sunt, hic emendata sint, vel suppressa silentio; accurate vero scripta, communique doctorum suffragio recepta, hic ut plurimum collecta habeat lector studiosus. Neque tamen nos semper verum assecutos confidimus. Quapropter si quid improbandum nobis exciderit, illud revocamus & retractamus, superiorumque Ecclesiasticorum judicio acquiescimus. Nihil enim a nobis magis alienum, quam vel levem erroris occasionem relinquere posteris.

Deuter. cap. 32.

Ecclesiæ fides omnibus sæculis eadem est, nulli subjacens mutationi; immutabile quippe fundamentum habet Dei verbum. Christus per se & per Spiritum Sanctum veritatem omnem edocuit Apostolos: doctrinam divinitus acceptam illi tradiderunt Ecclesiis, a quibus per continuam Episcoporum successionem illam accepimus. Hoc depositum purum & inviolatum custodit Ecclesia, columna veritatis. Constantem Fidei unius perpetuitatem ut demonstremus, illius originem cum Ecclesiæ retegimus. Doctrinam Christi, leges, vitam publicam, mortem & resurrectionem continent quatuor Evangelia, eorum textus secundum temporum seriem dispositi hic digeruntur, adunatique quasi unius authoris continuam efficiunt narrationem: non paucis brevitatis & claritatis causa compendiose contractis. Adjecimus aliquas Patrum expositiones & observationes, ut dogma Catholicum certius innotesceret. Christianæ religionis incrementa per prædicationem Apostolorum, eorum labores, miracula & passiones exhibent Acta Apostolorum aliique libri Canonici. Hinc singulorum author, quo tempore locove scripserit, & argumentum diligenter annotantur, excerptis etiam locis insignioribus, iis potissimum quibus astruuntur veritates, quas hisce duobus ultimis sæculis impugnavere novatores. Nemini tamen bellum indicimus, vel leviter verbo lædimus aliter sentientes: sufficiens erroris confutatio est manifestatio veritatis, quæ citra cujusquam offensam animos sibi conciliat. Cætera deinceps non minus circumspecte dicuntur. Nihil tamen placendi studio, vel amore novitatis; vel odia maledica timentes, scripsimus, vel omisimus. Absit enim ut vel levi veritatis dissimulatione, ejus adversariorum laudes vel silentium redimamus. Qui hominibus placent, confusi sunt, & Deus sprevit illos. Psal. 52.

Quo-

P R Æ F A T I O.

Quomodo debellatis innumeris adversariis, per totum Orbem in uno spiritu propagata sit Ecclesia, totque sæculis invicta steterit adversus tot hostes præpotentes subsistens, illud divinæ Omnipotentiæ miraculum aperient libri sequentes. Hanc methodum in iis conscribendis secuti sumus. Historicus illius ætatis diligens instar staminis se habet, cui cætera intexta sunt, Romanorum Pontificum literæ, decreta Conciliorum, scripta Patrum, Martyrum acta, consultationes Magistratuum, Imperatorum rescripta de Religione Christiana: omissis quidem minus necessariis ad nostrum institutum, cujusque etiam ætatis hæreses exposuimus: improbatio enim hæreticorum, inquit D. Augustinus, facit eminere quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina. Ante-Nicænorum Patrum opera cum pauciora sint & breviora, doctrinamque ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris immediate acceptam contineant, fusius exposuimus. Posteriorum scripta Patrum, quorum volumina replent Bibliothecas atque ditant, si pari modo excerperem, ridiculum putaretur. Abunde est eorum texere analysim, repudiatisque apocryphis, huic operi inserere quædam insigniora, ex quibus eorum temporum doctrina & disciplina satis innotescant. Hæc tametsi illam excellentissimam authoritatis arcem non obtineant, qua donatæ sunt Scripturæ, quas Propheticas seu Apostolicas nuncupamus; hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt temporibus a priscis, habuerint. Ut manifestior fiat hæc fidei consensio, conclusiones, quæ ex dictis consequuntur, annotamus, indicatis, ubi res postulat, præcipuis probationibus; obscura notis criticis breviter illustrantur. Catholici dogmatis antiquitas & perpetuitas observationibus declaratur. Polemicorum tractatuum propriæ sunt dissertationes; narrationi dogmaticæ qualem instituimus, minus conveniunt. Antiquitatis notitia sub simplici historiæ stylo prodit amœnior, & delectando facilius persuadet.

Aug l. 8. Confes. cap. 19.

Ecclesiæ vero disciplina quamvis temporibus suis conveniens, est mutabilis; varii nationum mores, novaque obrepentia vitia novam reposcunt medicinam. Illius igitur leges, quæ diversis in locis vel ætatibus, authoritatis, utilitatis & necessitatis plus habent, vel minus, sunt temporariæ, utiliterque mutantur, quoties id exigit facilior primæ legis observatio, nempe charitas proximi, & major utilitas Ecclesiæ. Illarum ergo legum & consuetudinum temporalium mutationes duxi esse reverenter explorandas, veteremque disciplinam sic esse prædicandam, ut ne quid de hodiernæ laude detraherem. Qui secus fecerit, ipsam incusat Ecclesiam. Scelus est equidem privata authoritate legum vigorem inflectere: sed ubi Ecclesiæ authoritas utilitati, vel necessitati fidelium aliquid indulget; hæc remissio, quantumvis cum veterum Canonum litera pugnare videatur, mirifice tamen cum eorum qui eos condidere mente consentit. Eorum observantiam revocare, privatis temerarium est; alioquin fidelibus etiamnum esset abstinendum a sanguine & suffocato. Quinam autem Canones vim suam retineant, certo innotescit ex praxi Ecclesiæ. Ea mente præcipuos Synodorum Canones referemus. Si quid sit in his dubium, ex receptis authoritatibus explicabimus; minus præcipuos tantum indicabimus.

Romanos Pontifices in rebus Ecclesiasticis semper obtinuisse primatum honoris & jurisdictionis, nemo negat Catholicus. Illorum frequens mentio recurret & honorifica, sed semper intra fidei limites, quos sic præscribit Concilium Florentinum: definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem retinere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur. Quæstiones aliæ de nonnullis eorum juribus & prærogativis ad fidem non pertinent, & controvertuntur etiam inter Catholicos. Quorumnam opinio sit probabilior, non nostrum tantas componere lites. Omissis itaque consequentiis, candide narramus facta memorabilia, quæ ab utraque parte laudantur. Id unum observamus, si pauca sint, vel sibi invicem contraria, jus aliquod legitimum nec præsupponunt, nec astruunt, superest enim inquirendum, an jure factum sit. Si quid autem humanitus peccarunt aliqui Pontifices, quod inficiari veritas vetat, satis erit indicasse; austerior censura, vel amara reprehensio, irriverentis animi est indicium, alienumque prorsus a pietate filii erga Patrem, quem satis revereri non possumus.

Concil. Flor. in lit. uni.

Exacta temporum consignatio veritatis inquisitionem multum juvat. Ubi enim ratio temporum non cohæret, ibi ne historia quidem vera esse potest. Chronologiam illustrarunt viri peritissimi; non pauca tamen ad liquidum necdum ratione perduxere, ut con-

ut constat ex multis eorum dissidiis. Præsentem annum esse *1726.* a Nativitate Christi fatentur omnes, quamvis de anno, quo Christus natus est, magna sit dissensio. Tres sunt potissimum anni completi, quos varie ordinant, ut perveniant ad celebriores epochas, quæ Constantini Magni tempora præcedunt. Communem apud veteres sequemur Chronologiam. Hæc autem erit nobis immobilis epocha, cui cæteræ coaptentur necesse est; quandoquidem eam tradit sacra Scriptura, Patres suffragantur: Anno quinto decimo Tiberii Cæsaris factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. [Luc. 3.] Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, & ipse Jesus erat, incipiens, quasi annorum triginta. [Matth. 3.] Hic duo dicit textus sacer: primo: Christum fuisse baptizatum anno decimo quinto Imperii Tiberii, qui Augusto mense cœpit imperare: Secundo: Christum tunc fuisse incipientem quasi annorum triginta. [Luc. 3. Act. 10. Svet. in Tib.] Jam vero cum natus sit die vigesima quinta Decembris, sive eum mense Novembri præcedente baptizatum dicamus cum Epiphanio; sive cum aliis die sexta Januarii subsequentis: vere tunc erat incipiens quasi annorum triginta. [Epiph. hær. 55.] In prima quippe hypothesi post mensem erat annum trigesimum inchoaturus: in secunda jam quatuordecim diebus eum inchoarat: quo tempore etiam decurrebat annus Tiberii decimus quintus, quatuor, vel sex mensibus inchoatus pro diversa baptismatis hypothesi. Hanc temporum rationem tradit D. Irenæus. [Iren. l. 2. cap. 22. ed. nov. & vet. cap. 38.] Natus est, inquit, Dominus noster circa primum & quadragesimum annum Augusti Imperii, venit ad baptismum nondum qui triginta annos suppleverat, sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum. Idem docet Clemens Alexandrinus: [Clem. Alexand. lib. 1. Strom.] Erat autem, inquit, Jesus cum ad baptismum venit, quasi annorum triginta. Consentiunt Augustinus, Epiphanius, Chrysostomus, & apertius Eusebius: Dominus noster Jesus Christus, inquit, anno ætatis circiter tricesimo ad Joannis lavacrum accessit. [Euf. hist. l. 1. c. 10. Chrysf. hom. in hæc Luc. verba: exiit edictum.] A Christi baptismo ad ejus passionem trium Paschatum meminere Scriptores sacri, quemadmodum observat D. Irenæus adversus Valentinianos, qui Christum uno anno post baptismum prædicasse dicebant. [Iren. ib] Et primum quidem, inquit, ut fecit vinum ex aqua in Cana Galilææ, ascendit in diem festum Paschæ... Et post hæc iterum secunda vice ascendit in diem festum Paschæ, quando paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat 38. annos, curavit... Deinde cum Lazarum suscitasset ex mortuis, de Bethania ascendens in Jerosolymam & manducans Pascha, & sequenti die passus. Quoniam autem tria hæc Paschæ tempora non sunt unus annus, omnis quilibet confitebitur, Quæ ibidem subsequuntur, vel interpolata sunt, vel aliorum referebat opiniones; alioquin aperte sibi contrarius inveniretur. Idem affirmat Prosper in Chronico: secundum Joannis Evangelium, inquit, festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus: ut appareat tertium fuisse illud Pascha, quod verus Agnus suo Sanguine consecravit: ac proinde cum Christus circa finem Martii passus sit, prædicationis ejus tempus ab ejus jejunio fuit duorum annorum & trium mensium; ut refert Eutropius, anno Tiberii septimo decimo Dominus Jesus Christus voluntarie se tradidit passioni, cum ipse ageret annum vitæ suæ secundum & tricesimum tribus mensibus inchoatum. [Eutrop. lib. 7. in Tib.]

Temporum doctrinam magnis difficultatibus obscurant ordo, tempusque sessionis Romanorum Pontificum; nec enim quot quisque annis, & quando Pontificatum gesserit, exploratum habetur, imprimis tribus prioribus sæculis. Quapropter illud non pigebit fateri, historicorum Romanorum, qui Imperatorum annos accurate designant, Chronologiam me subsecutum, ut tempora distinguerem, seriemque continuarem. Uniuscujusque Imperatoris initia, mores & mortem breviter attingemus; hæc pauca delibantes ex prophana historia, nisi forte quædam eorum præclare gesta cum rebus religionis conjuncta sint. Hæc temporum ratio facile conciliatur cum annis, quos Romanis Pontificibus tribuit Eusebius in historia, quam post Chronicon scripsit exercitatior, & laudarunt plures veteres cum Hieronymo; cum enim diligens scriptor esset, Hegesippi historici antiquissimi commentarios legerat, Irenæique libros, qui natus in Oriente, educatus a D. Polycarpo, postea Lugdunensis Episcopus, etiam Romæ versatus est, & plura antiquitatis monumenta, quæ nunc desiderantur, & maximæ sunt authoritatis: Equidem Xisti menses undecim Pontificatus fecit annuos; sed librariorum error est, vel incogitanter erratum. Præterea annos semper numerat integros, Sed ideo minime respuenda ejus Chronologia, dum alia non habetur, quæ menses & dies sessionis & mortis designet exactius. Annum a nostro Octobri inchoat, & menses, quos unius Pontificatui addit, detrahit alteri; sessionis diem incipit a mense Octobri illius anni quo creatus est Pontifex, perducitque ad Octobrem anni illius emortualis, eaque cautione certam annorum assignat periodum, quæ omnia comprehendit.

Anti-

PRÆFATIO.

Antiquos R. Pontificum catalogos extare scimus: sed illi in singulis ferme Pontificibus pugnantes temporum notas exhibent, suaque temporum varietate sibi fidem abrogant. Diversum etiam ab his supputum sequitur liber Pontificalis, quem alii Damaso Papæ, alii Anastasio Bibliothecario male tribuunt, scriptum Gregorii tertii ætate probat doctissimus Schelstratius, notatque omissos in eo aliquot Pontifices. Chronicon sub nomine ejusdem Damasi nunc multi laudant, & tamen multipliciter emendant. Alterius authoris esse recte pervidit, & propter errores reprobavit doctissimus & E. Cardinalis Baronius; eorumque omnium non satis comperta est antiquitas. Consulares fasti non minus inter se dissident, & consulatus ordinarii a suffectis sæpe non distinguuntur: hinc perpetuæ lites inter peritos, qui conjecturis sese mutuo refellunt. Nummi veteres non plus lucis afferunt Chronologiæ; ut multa taceam, in quibus vacillat eorum fides. Consulatuum, collatæquæ Tribunitiæ potestatis numerus, qui certo legitur inscriptus, diligentes etiam criticos induxit in errorem. Sæpius incertum est, an consulatus sint integri, an inchoati, an continui? Quandoque non extant nummi ultimi consulatus, hos suppressit successoris ambitio, suosque substituit, ut Heliogabalus. Quot adoptionis jure facti sunt Tribunitiæ potestatis & consulatuum participes priusquam imperarent? quorum Principatus anni proinde ex his notis mendose definiuntur. Nonnunquam idem Imperator in nummis notatur quartum Tribunus, & duos tantum annos cum aliquot mensibus gessit Imperium, initio scilicet & in fine Principatus per aliquot dies Consul & Tribunus renuntiatus est. Hinc interminabiles quæstiones. Historicorum Romanorum cum Eusebio consonantia, eorum quæ annotavimus, si ratio habeatur, nobis temporum rationem suggerit faciliorem.

Criticæ labor longe fuit maximus; adeo circa veterum opera variant sententiæ: Nonnulli plus æquo creduli; plures aliqua opinione vel ambitione præoccupati, multa respuenda, quia favent, recipiunt. Econtra alii novitatis laude dum nomen sibi quærunt, legitima proscribunt. Nos ab omni studio partium, & præjudicatis opinionibus prorsus liberi, & sine spe in hoc sæculo, cum diligenti consideratione comperissemus, criticorum plerasque regulas esse arbitrarias, incertas, & falsas, a quibus ipsi sæpius recederent, ut demonstravit novus author doctissimus; & non minus certo constaret, veritatem Catholicam inniti tot certis testimoniis, ut dubiis non indigeret, imo potius infirmaretur, siquidem inde eam calumniandi occasionem arripiunt ejus adversarii. Itaque prudentiorum judicium sequemur in operibus, de quibus est controversia. Quæ viri docti gravibus ex causis abjudicant authoribus, hæc saltem, ut levis authoritatis, neglex imus. Quæ vero pariter probant, quamvis difficiles habeant explicatus, antiquam apud nos conservant possessionem. Quis enim diffiteatur plurimas eorum, quæ prioribus sæculis gesta sunt, nos latere circumstantias? ex quarum ignoratione multa dubia nascantur necesse est? Quis autem prudens idcirco ea falsitatis insimulet? Legitimum igitur opus vel rem gestam pronuntio, cujus authoritas vel veritas vacillat tantum in circumstantia non necessaria. Aliorum conjecturas vel hypotheses, licet probabiles, pariter non admittendas putamus: evincunt quidem rem esse possibilem, sed ita contigisse minus prudenter colligitur. Et quoniam conjecturis abundat ætas nostra, rem ponamus in exemplo, quo magis infirmum appareat illud criticæ genus. Romanos Simoni Mago statuam posuisse Justinus Martyr affirmat; illius meminit Irenæus. Eruditi quidam Justinum hominem Græcum errore lapsum putant, statuamque dicatam Semoni Sango Deo, Fidio Etruscorum: equidem simulacrum non ita pridem e terra erutum est cum hac Epigraphe. Conjectura est probabilis, error Justini possibilis: ergo realis, falsumque narrat: minime: quis enim prudens sibi persuadeat plures e Patribus in ea re cæcutiisse, quæ omnium oculis pateret; Justinumque virum doctissimum tam imprudentem fuisse, ut in ipsa urbe Roma scribens ad Imperatores, bis ea asseverare ausus fuerit, quorum falsitatem vel ipsi pueri deprehendere potuissent; nec a Romanis fidelibus fuisse de tanto errore admonitum priusquam opus suum publicaret? Utriusque igitur simulacri veritas agnoscenda, simul & diversitas. Contempsimus etiam novum & absurdum criticæ genus; nempe, si quid falsum, vel minus accuratum dixerit author Ecclesiasticus, nonnulli etiam in aliis ejus testimonium rejiciunt, erratumque etiam dubium opponunt tanquam suspectæ fidei præjudicium. Ea vero præscriptione semel recepta, inducetur Pyrrhonismus, totiusque historiæ Civilis & Ecclesiasticæ fides nutabit; vix enim scriptorem invenire est, cui mendum aliquod non irrepserit. Econtra, si recte ratiocinamur, ex pauculis erratis astruitur authoris fides, consequens enim est, eum in plurimis fuisse diligentem & accuratum.

Fatendum quoque nunc multa juvare veritatis inquisitionem, Patrum editiones prioribus castigatiores & notis elucidatæ in lucem prodiere; non pauca Antiquitatis monumenta e tenebris eruta sunt; aliorum intelligentiam faciliorem aperiunt novi com-

commentarii: his accessere puriores Patrum Græcorum editiones. Non parum lucis ex his affulsisse scientiæ Ecclesiasticæ nemo non intelligit. Hæc cognoscendæ Antiquitatis adjumenta, quantum licuit, non neglecimus. Sed novos editores ex antiquis emendare non semel necesse fuit. Scripturæ sacræ excerpta, nec non & Conciliorum & Patrum, quoties totius operis argumentum explicamus, inversis obelis annotavimus; in reliquis nomen authoris & locum indicat nota marginalis. Consuetudini quidem servit Ortographia. Incertam authorum varietas fecit hanc regulam, præsertim circa accentus & literas majusculas, quæ plerique nunc multiplicant, alii vero profundioris eruditionis viri, & linguæ latinæ peritissimi parcius adhibent, quos secuti sumus.

Illius operis utilitas, Catholicæ religionis veritatem demonstrare quærere volentibus. Illius certum indicium, dogmatum antiquitas & perpetuitas; econtra hæresis nunquam sibi consentiens se sua novitate & varietate prodit. Hunc autem erroris characterem quilibet sincerus facile agnoscit, quotiescumque in monumentis Antiquitatis tanquam in speculo veritatem conspicit & antiquitatem dogmatum suorum novitati repugnantem, atque in prioribus hæresiarchis sui erroris jam dudum omnium voce condemnati Principes & authores deprehendit. Privatis autem offerimus Synopsim Bibliothecæ Ecclesiasticæ, quæ librorum defectum suppleat, exhibeatque, consulto indice amplissimo, textus authorum ecclesiasticorum selectiores, eorumque usum reddat faciliorem. Si forte contigerit, ut aliquem beatum vel sanctum nominaverim, cui hunc honorem non deferat Ecclesia; me Romani Pontificis judicio nullo modo præire, ac multo minus contraire voluisse profiteor, sed errore lapsum.





LIBER PRIMUS.

Christi Baptismus, Manifestatio, Vita publica, Doctrina, Passio, Resurrectio, Ascensio, Apostolorum electio, Missio, Petri Primatus, aliaque nascentis Ecclesiæ primordia.

CHRISTI AN. 30.

I. Matt. 11. *Christi baptismus.*



MNES *propheta & lex usque ad Joannem prophetaverunt de Christo, ejusque regno*, quod est Ecclesia: ubi primum Christum palam ostendit Joannes Baptista, jam impleri divina promissa cœperunt, mosaycæque legi successit lex nova gratiæ. Surgentis Ecclesiæ primordia sic narrant Evangelistæ: *Joannes Baptista prædicabat in deserto Judææ dicens: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judæa regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua. Quorum remissionem plerique consequebantur per pœnitentiam, cujus signaculum fuit baptismus Joannis: baptizabat autem, dicens: in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum*: & cujusque statui congrua monita tradens, hortabatur omnes, *ut dignos facerent fructus pœnitentiæ*. Iis piis operibus parabat Domino plebem perfectam, quemadmodum de eo prædixerat Malachias post Isaiam: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Tunc Jesus a Galilæa venit in Jordanem ut baptizaretur ab eo. Joannes prohibebat eum, dicens: ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit Jesus: sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua; eoque orante, cœlum apertum est, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cœlo facta est: tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Mysterium Trinitatis sic in baptismate demonstratur: Dominus baptizatur; Spiritus descendit in habitu columbæ; Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur. Jesus erat quasi annorum triginta incipiens ministerium suum. Eventus adeo memorabilis contigit mense Novembri, anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris, tribus fere mensibus inchoato, procurante Pontio Pilato Judæam: tetrarcha autem Galilææ Herode Antipa magni Herodis filio: Philippo fratre ejus tetrarcha Iturææ circa Jordanem, & Trachonitidis ultra Jordanem sub principibus sacerdotum Anna & Caipha ejus genero, eique in pontificatum subrogato; Anna vero tunc magni synedrii præses pontificis nomen retinebat. Dominum igitur, ut docet Augustinus, annorum triginta fere baptizatum esse retinemus authoritate Evangelica. Idem tradunt Irenæus, Clemens Alexandrinus, Ambrosius, aliique Patres, quorum testimonia in præfatione protulimus.

Matt. 3. Marc. 1. Act. 19. Luc. 3. Malach. 3. Matt. & Luc. 3. Hier. in c. 3. Matth. Aug. l. 2. de doctr. Christ. c. 28.

Christi tentatio. Luc. 4. Matt. 4. Hier. in Joan. c. 3. Ambr. c. 2. in Luc. Basil.

II. Jesus plenus Spiritu Sancto ductus est ab eo in desertum inter Bethel & Jericho, ut tentaretur a diabolo. *Et cum jejunasset* nihil manducans *quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Hæreditatem jejunii, inquit D. Hieronymus, nobis relinquens, ad esum sui corporis sub hoc numero animas nostras præparat. Unde si quis, addit D. Ambrosius, Evangelii gloriam, fructumque resurrectionis optat adipisci, mystici jejunii prævaricator esse non debet, quod in Lege Moyses & in Evangelio suo Christus utriusque testamenti authoritate præscripsit fidele virtutis esse certamen. En fundamentum jejunii quadragesimalis, quod servandum fidelibus præceperunt Apostoli. Dominus noster cum per jejunium carnem, quam pro nobis assumpsit, munivisset, diaboli insultus sustinuit. Triplex fuit foris non intus tentationis genus, gulæ, & superbiæ, & avaritiæ; tres sunt fontes vitiorum omnium. Cum igitur tentatus sit Christus, ne vinceretur a tentatore Christianus, victoria sua tentationes nostras superavit. Christum esse Dei Filium audierat diabolus, explorans an naturalis, an adoptivus, sic eum aggreditur: si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Jesus sic responsionem temperat, ut eum relinquat ambiguum: opponens ejus dolis, non omnipotentiam, sed divina oracula. Victori Christo ministrarunt Angeli: statim regressus in virtute spiritus in Galilæam, potestatem suam manifestam fecit verbis, virtutibus, signis & prodigiis, quæ compendiose narrabimus ex quatuor Evangeliis.

CHRISTI AN. 30. orat. de jejun. Aug. in Ps. 96.

III. Joannes Baptista a pueris in deserto vixerat, ne summam morum ejus innocentiam & sanctitatem levis quidem culpa macularet, quam prærogativam in ejus hymno laudat Ecclesia. Vestis ejus erat instar cilicii consuti ex pilis camelorum asperioribus, lumbos cingebat zona pelliceа: esca autem ejus erat locustæ, volucres mundæ frequentes in Palæstina, & mel sylvestre, seu quarumdam arborum rotunda folia, lactei coloris, & mellei saporis, quæ confricta manibus eduntur. Illius virtutis tanta fuit apud omnes opinio, ut putaretur Messias. *Itaque judæi legatos miserunt Sacerdotes & levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? & confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: quid ergo? Elias es tu? dixit, non sum. Propheta es tu? & respondit, non. Dixerunt ergo ei: quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos. Ait: ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et dixerunt ei: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? respondit eis Joannes: ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne charitatis*. Hunc igitur affectum non habuit baptismus Joannis, remissio etenim peccatorum in solo Christi baptismo tribuitur. Ejus præcursorem se profitetur: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, verèque dixit, non sum propheta. Prophetarum officium fuit, ut Ruperti verbis utar, verbum Domini antequam caro fieret, carnem assumpturum esse, verbis præsignare, factis præfigurare: hunc præsentem Joannes plusquam propheta demonstrabat. *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*.

Matt. 3. *Joan. Bapt. vita.* Beda in loc. S. c. 14. Joan. 1. Greg. Homil. 24. in Evang. Matt. 3. Joan. 1.

IV. *Al-*

CHRISTI An. 30.

Joan. Bapt. testimonium de Christo.

IV. *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, hic est de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est: quia dignitate prior me erat, & ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans: vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum... hic est qui baptizat in Spiritu Sancto; & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Christus Filius Dei.* En christianæ fidei fundamentum, Christus Filius Dei naturalis & unigenitus: Quem proinde omnes audire debent. Ideoque Christus, ut constabit ex subsequentibus, hanc veritatem frequenter inculcas, judæosque ad Joannis testimonium remittit. *His auditis duo Joannis discipuli Jesum secuti sunt, manseruntque apud eum die illo.* Quid audierint, & viderint, non refert textus sacer. Sed ea fuisse maxima declarat eventus. Sequenti die Andreas, unus e duobus, videns fratrem suum Simonem natu minorem, *invenimus*, inquit, *Messiam, & adduxit eum ad Jesum; qui eum intuitus, ait: tu es filius Jona, tu vocaberis Cephas.* Vox est hebraica, idem significans, ac petra. Ea mutatione nominis præsignabat jam ei destinatum summi pastoris officium, ratione cujus eum constitueret ut petram solidissimam, *supra quam ædificaret Ecclesiam suam.*

Apostol. vocatio. Epiph. hær. 51.

Joan. 1. *Sequenti die invenit Philippum a Betsaida civitate Andreæ & Petri, & dicit ei Jesus: sequere me. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.* Nathanael ex prophetis sciebat Messiam Bethleemi nasciturum, quapropter respondet: *A Nazareth potest aliquid boni esse? dixit ei Philippus, veni & vide. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo; ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Secreta cordium sibi nota significans. *Dicit ei Nathanael: unde me nosti? respondit Jesus: priusquam Philippus te vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Secretas cogitationes Christo patere ex rei absentis notitia intelligens Nathanael, ait: *Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel? quia dixi tibi, inquit Jesus, vidi te sub ficu, credis: majus his videbis, scilicet, cælum apertum & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Nathanael tamen vir tantæ fidei atque virtutis non electus est Apostolus, fortassis quia legis doctor, &

1. ad Cor. 10. constitutum erat Christo, *infirma mundi eligere, ut fortia confunderet. Die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, quæ tribus horis distat ab urbe Nazareth;*

Joan. 2. Jesus ad eas vocatus venit cum Discipulis, ut con-

August. tract. 9. in Joan. jugalis castitas, inquit Augustinus, firmaretur, & ostenderet Sacramentum nuptiarum. *Vino sponsis pauperibus deficiente, mater Jesu dicit ad eum; vinum non habent. Ille quasi negans, quid hoc ad nos pertinet, nondum venit hora mea*, qua miraculis palam innotescam, ut Messias; necdum enim publice prædicarat. Maria filii charitate confidens dixit ministris:

1. Christi miraculum. *quodcumque dixerit vobis, facite.* Certum indicium eam prius non fuisse reprehensam, ut quidam male opinantur. *Erant autem lapideæ hydriæ sex positæ capientes singulæ metretas binas vel ternas, quas Christi jussu impleverunt ministri: tum dicit eis Jesus: haurite nunc & ferte architriclino, qui ut gustavit aquam vinum factum*, laudavit ut vinum optimum. Jesus hoc primo miraculo *manifestavit gloriam suam*, & magis *crediderunt in eum discipuli ejus.*

Christus publice prædicat. Joan. 1.

V. Jesus inde Capharnaum pertransiens, diebus paucis hic cum matre & discipulis moratus, Jerosolymam ascendit ad paschalem solemnitatem, ut evangelii prædicandi munus inciperet, anno vitæ suæ 30. tribus mensibus inchoato. Ingressus in templum, in ejus atrio vidit publicas nundinas, quas sub specie pietatis introduxerant sacerdotes, reipsa ut prædam de populo facerent: vendebant enim oves & boves, & quæcumque necessaria sunt ad usum sacrificiorum,

Hier. in Matth. 21. & ipsi rursus empta suscipiebant. Zelatus gloriam domus Dei, nec ferens eam turpi nundinatione pollui, facto e funiculis flagello, mercatores omnes ejicit. Mirum profecto, quomodo unus homo, nullius tunc nominis, scribis & pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, quæ vix fecisset exercitus. Igneum haud dubie quiddam & sidereum ex ejus oculis radiabat, & divinitatis

ad Coll. 2. majestas in facie lucebat. *Judæis quærentibus, qua in potestate hoc faceret, respondit: solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Templum vocabat corpus suum; in eo enim plenitudo divinitatis corporaliter habitabat.* Sic obscure indicans suam a mortuis resurrectionem, post tertium diem, *ut certissimum suæ supremæ potestatis argumentum. Multi crediderunt in nomine ejus videntes signa quæ faciebat.*

CHRISTI An. 30.

Joan. 3. Quam illustria fuerint, aperte testatus est Nicodemus secta pharisæus, supremi synedrii senator. *Hic ad Jesum nocte veniens ei dixit: scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo.* Hæc igitur miracula fuere veluti sigilla divini testimonii, doctrinæ Christi veritatem confirmantis, qualia fieri non possunt præstigiis dæmonum ad erroris confirmationem. Christus prima christianæ religionis elementa ei proposuit, quæ licet in lege peritus non intellexit. Sic carnalibus assueti non capiunt spiritualia... Secunda nativitas spiritualis, qua in filios Dei & hæredes adoptamur per baptismum, humanique generis redemptio per Christi crucem, intellectu majora ei visa sunt. Quid tamen ad declarandam baptismi ne-

Baptismi necessitas. cessitatem pro omnibus apertius hisce verbis? *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei:* ac proinde nec parvuli, subsumit Augustinus, de quibuslibet sanctis justisque

Aug. l. 3. de pec. merit. c. 12. procreati. Hac usus occasione Christus declarat cœlestem doctrinæ suæ originem, quam nemo nisi interius illuminante & adjuvante Spiritu sancto assequitur. *Quod scimus*, inquit, *loquimur, & quod vidimus, testamur: & nemo ascendit in cælum, ut tam sublimia doceret, nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo*, scilicet ratione divinitatis suæ. *Deum enim nemo vidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Sic suam insinuans a Deo Patre nativitatem per generationem simul & incarnationem, qua factus homo venit in mundum, ut quæcumque a Patre audierat, homines edoceret.

Joan. 3. Subjungit: *sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam; qui non credit in nomine unigeniti, jam judicatus est, & certa ejus damnatio.* Quapropter parvulis in baptismo fidem suam adhibet Ecclesia.

Jesus relicta Jerosolyma, in vicina Judææ regione per discipulos suos baptizabat. Joannes vero citra Jordanem in Ænnon. Ejus discipulos inter & judæos versatum est in quæstione, utrius baptismus, Christi, an Joannis, esset præstantior? Joannes hanc

3. Joan. Bapt. testimonium de Christo. controversiam, & plures ad Christi baptisma confluere cum audisset, suorum æmulationem, nimiumque erga se studium sic repressit: *ipsi vos testimonium mihi perhibetis quod dixerim: non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum, ut illius, qui vere sponsus est Ecclesiæ, amicus: quapropter hunc ab omnibus agnosci & coli gaudeo: illum oportet crescere*, in nominis sui gloria; *me autem minui*, in hominum æstimatione; jam enim non ego, sed ille ut verus Messias ubique prædicabitur. *Ille cum de cælo venerit, est super omnes; & quod vidit & audivit a Deo Patre suo*, hoc testatur; *nec ei ad mensuram*, sicut aliis, *dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* Ut tantus sit filius, in-

Aug. tr. 14. in Joan. quit Augustinus, quantus est Pater. *Qui credit in filium, habet vitam æternam*; quatenus spe salvus factus est; *qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Samaritanæ conversio. Joan. 4.

VI. Pharisæorum invidiam declinans Jesus abiit in Galilæam, Samariæ fines pertransiens, juxta puteum Jacob sedit ex itinere defatigatus. Appetebat meridies, ejusque discipuli abierant in civitatem ut cibos emerent. Accessit mulier samaritana ferens hydriam, qua hauriret aquam. Eam promissione salutaris aquæ sapientiæ pertraxit ad colloquium; interrogantemque de cultu divino docet, apud Judæos esse veram religionem: sed instare tempus, quo cultus purior & sanctior ubique gentium succederet antiquis cæremoniis. *Vos*, inquit, *adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus; & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Cæremoniarum usum non rejicit Dominus, sed spiritualem cultum commendat ut potiorem, & sine quo cultus exterior est inutilis; imprimis superstitiones erroresque Samaritanorum, & Judæorum figuras ac cæremonias pure legales, quæ erant umbræ

futu-

CHRISTI AN. 30. futurorum, reprobat, veritatemque, ſeu verum cultum & ſpiritualem, cujus erant figuræ, eis ſubſtituit. Reſpondit mulier: *ſcio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus: cum ergo venerit, nobis annuntiabit omnia. Dixit ei Jeſus: ego ſum, qui loquor*. Affirmanti fidem adhibuit, & quidem prudenter: nam ſecretiora ejus vitæ ſcelera jam retexerat. Hinc ajebat popularibus ſuis: *venite, videte hominem, qui mihi dixit omnia quæcumque feci: nunquid ipſe eſt Chriſtus? Samaritanis poſtulantibus, duos dies manſit in urbe Sichar, ſeu Sichem, & multo plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus; & mulieri dicebant. Jam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt vere Salvator mundi.*

Ibid. *Poſt biduum iter pergit verſus Galilæam, & circuibat totam docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Abiit opinio ejus in totam Syriam; & obtulerunt ei omnes male habentes, & variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Dum eſſet in oppido Cana, venit ad eum regius miniſter deprecans pro ſanitate filii ſui morientis. Dixit illi Jeſus: *vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni: & redux comperit, quod eadem hora reliquiſſet eum febris. Credidit ipſe, & domus ejus tota. Cum audiſſet Jeſus quod Joannes traditus eſt in carcerem, habitare ſtatuit in civitate Capharnaum, extra ditionem Herodis:* exinde ſæpe percurrens Galilæam, annuntians regnum Dei prædicabat Evangelium.

VII. Hæc faciens juxta mare Tiberiadis, ſeu ſtagnum Geneſareth, vidit Petrum & Andream, quos jam in familiaritatem receperat: piſcantibuſque dixit: *venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum*.
Matth. 4. Specialis eſt illa ſecunda vocatio, qua priori mutata
Apoſt. 2. vocatio. conditione deſtinantur ad ſublime miniſterium. *Vocavit pariter Jacobum & Joannem retia reficientes*. Illi ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum, nec amplius ab eo diſceſſere: quorum promptam obedientiam multis beneficiis remuneratus eſt, eoſque præ cæteris habuit familiares. Undequaque confluebat ad eum ingens hominum multitudo, ut audirent verbum Dei. Turba premente, aſcendit na-
Luc. 5. viculam Simonis, ex ea ſtantes in littore docebat. Ut docendi finem fecit, diſcipulorum animos confirmare voluit miraculis, quæ plurimum ad perſuadendum valent; ſimulque monere, non humanis viribus æſtimanda eſſe quæ ipſo authore facerent. Itaque dixit Simoni: *duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam piſcium. Cui Petrus: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; ſed juſſui tuo confidens laxabo rete. Nec vana ſpes fuit: concluſerunt piſcium multitudinem copioſam; rumpebatur autem rete eorum, impleveruntque ambas naviculas*. Obſtupefactus tanto prodigio Petrus cum ſociis procidit ad genua Jeſu, profeſſus ſe hominem eſſe peccatorem, ac proinde indignum ejus conſpectu perfrui. Cui Jeſus: *noli timere, ex hoc jam eris homines capient, ſed ad vitam; qua in re divina virtus mirabilius elucet*.

Marci 1. *Chriſti miracula.* VIII. Capharnaum ingreſſus cum ſuis diſcipulis docebat in ſynagoga. Mirabantur omnes doctrinam ejus miraculis & authoritate conjunctam: ſolo imperio ejiciebat immundos ſpiritus, imponenſque eis ſilentium nolebat ſe approbari eorum teſtimonio. E ſynagoga ſe recepit in domum Simonis, cujus ſocrum febricitantem repente ſanavit. Commoti tot factis celebratiſſimis cives univerſi poſt occaſum ſolis congregati ſunt ad oſtium domus; curavit quotquot vexabantur languoribus, vel a dæmoniis: ſed fugiens plau-
Ambr. in c. 5. Lucæ. ſum multitudinis primo mane ſeceſſit in deſertum, ibique orabat, non propter ſuffragium, ſed propter exemplum. Digreſſus in proximos vicos & civitates
Matth. 4. prædicabat Evangelium, verbis fidem faciens, editis multis virtutibus. *Et turba detinebant eum, ne diſcederet ab eis. Quibus ait: & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ad hoc miſſus ſum.*

IX. Declinans turbam rurſus transfretavit: eo dormiente tam violenta eſt exorta tempeſtas, ut navicula fluctibus operiretur. Diſcipuli clamoribus eum
Matth & Luc. 8. excitant, deprecantes: *Domine ſalva nos, perimus. Increpat modicam eorum fidem, & imperavit mari & ventis, & facta eſt tranquillitas magna*. Timore converſo in admirationem dicebant omnes ad invicem: *quis putas hic eſt? quia ventis & mari imperat, & obediunt ei*. Applicat ad Geraſenorum littus, occurrunt ei duo energumeni, *de monumentis exeuntes ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam, & clamaverunt dicentes: quid nobis & tibi Jeſu fili Dei? veniſti ante tempus torquere nos*; ſuppliceſque deprecantur, ne eos dejiciat in abyſſum, ſed mittat in porcos, qui non procul paſcebantur. Permiſit Jeſus: quo illuſtrius fieret miraculum, intelligerentque homines quantum ſævirent mali ſpiritus, ſi ſineret Deus: relictis hominibus in porcos emigrant, totumque gregem in mare præcipitem agentes, aquis ſuffocant. His auditis accurrunt incolæ, metuque turbati rogant, diſcedat a finibus ſuis: videbant tamen paulo ante vexatos a legione dæmonum, ad Chriſti pedes ſedere jam ſui compotes. Sic carnales homines metu temporalium a ſe repellunt bona ſpiritualia. Dæmoniacus vero mali hoſpitis regreſſum timens voluit ſequi Jeſum; qui eum remiſit in domum, præcipiens ut divinum beneficium popularibus annuntiaret. Ille juſſa perfecit.

X. Jeſus renavigat Capharnaum, & ſtatim ad ejus domum tanta hominum turba confluxit, ut ex omni parte interclusus eſſet aditus ad oſtium. Itaque per
Matth. 9. Marci 2. *Chriſtus ſe probat Deum.* nudatum tectum ſubmittunt paralyticum. *Jeſus videns eorum fidem dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Scribæ, ſeu legis interpretes, intra ſe cogitabant; hic blaſphemat: quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo*, non alieno, quod certum eſt divinitatis indicium: volens ergo vel eorum confeſſione ſe probare Deum, interrogat: *quid eſt facilius, dicere paralytico; dimittuntur tibi peccata; an dicere: ſurge & ambula? ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*; eoque mira-
Iren. l. 5. c. 17. culo ſe hominem Deum, qui vere dimitteret peccata, comprobavit. Si enim, inquit Irenæus, nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus, remittebat autem hæc Dominus & curabat homines; manifeſtum quoniam ipſe erat verbum Dei, filius hominis factus, a Patre poteſtatem remiſſionis peccatorum accipiens, quoniam homo, & quoniam Deus. Ille ocyus ſublato lectulo ambulavit coram omnibus. *Admirantes turbæ glorificant Deum, qui dedit talem poteſtatem hominibus.*

XI. Egreſſus ad mare vidit Levi ſeu Matthæum
Matth. 9. collectorem vectigalium ſedentem in telonio, cui dixit: *ſequere me; & ſurgens ſecutus eſt eum*. Miraculorum fama potuit allici, ſed plus valuit fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in
Hier. in c. 9. Matth. humana facie relucebat. Matthæus convocatis amicis Chriſtum excepit convivio. Pharisæi duplex ei crimen intendunt, & familiaritatis cum peccatoribus, & vitæ delicatioris; quaſi ejus diſcipuli minus frequenter jejunarent: nec enim eos accuſant legis violatæ, quaſi præſcripta jejunia non ſervarent. Chriſtus utrumque diluit, profeſſus ſe veniſſe propter peccatores vocandos ad pœnitentiam, diſcipuloſque ſuos
Luc. 8. Matth. 9. poſt ſuum diſceſſum fore homines multi jejunii. Ideo nunc dies eſuriales ſunt frequentes in Eccleſia catholica. Hæc eo loquente, Jairus ſynagogæ princeps cecidit ad ejus pedes, rogans pro vita unicæ filiæ ſuæ, quæ annos nata duodecim extremum agebat ſpiritum. Dum iret ad eam, mulier, quæ fluxum ſanguinis patiebatur ab annis 12. exhauſtis fruſtra opibus in medicos, nullum morbi remedium invenerat, ejus veſtis fimbriam tetigit, eo tactu ſe ſanari poſſe
Euſebius l. 7. c. 18. Sozom. l. 5. c. 21. confidens; & ſana repente facta eſt. Euſebius teſtatur Cæſareæ Philippi ſe vidiſſe ſtatuam æneam, quam hæc mulier Chriſto poſuerat, accepti beneficii monumentum, ad cujus pedes naſcebatur quædam herba, quæ ad fimbriam veſtis aſſurgens, depellendis omnis generis morbis præſentiſſimum erat remedium. Archi-ſynagogi ſervus interim nuntiat, filiam ejus eſſe mortuam. *Noli timere inquit Jeſus, crede tantum, & ſalva erit. Et cum veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum & Joannem & Jacobum & patrem & matrem puellæ, & tenens manum ejus clamavit; puella, ſurge; & reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuo, & juſſit illi dare manducare*; certum perfectæ ſanitatis argumentum. Stupentibus præ admiratione parentibus præcepit ne cuiquam dicerent: ſic ſuos docens ex animo fugere gloriam jactantiæ. Illi vero memores gratiæ non tacuere beneficium: tanti miraculi fama divulgata eſt per totam regionem.

Vix dum egreſſo ſiſtunt ſe plures cæci; oculorum uſum vel ſolo tactu eis reſtituit; & muti linguam ſolvit, ejecto dæmonio, quo tenebatur. *Admirantes*

Christi An. 30.

turbæ exclamarunt: nunquam sic apparuit in Israel. Hæc diligenter expendenti manifestum est, quam prudenter Christo crediderunt Apostoli, cujus divinam filiationem & doctrinam tot prodigiis divinitus attestatam intuebantur. Argumento tam invicto sæpius usus est ipse Jesus, ut se verum esse Messiam & filium Dei demonstraret. Joannes Baptista, qui ex divina revelatione Christi divinitatem noverat, duos e suis discipulis misit ad eum quasi sciscitaturus, sed reipsa ut per occasionem viderent signa atque virtutes, & crederent in eum: & brevi moriturus doceret Jesum esse sectandum. Missi igitur interrogant eum: *tu es qui venturus es, an aliam expectamus? in ipsa autem hora multos curavit a languoribus & plagis & spiritibus immundis, & cæcis multis donavit visum. Tum dixit eis: renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis; quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Impletum sic videbant oraculum Isaiæ de Messia: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet & salvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hæc Joanni carcere incluso renuntiant: hanc ejus vinculorum causam refert textus sacer.

Christo prudenter credunt Apostoli. Matth. 11. Lucæ 7. *Christus se probat Messiam.* Isaiæ 35.

XII. Herodes Antipas Herodiadem fratris sui Philippi conjugem duxerat. Incestuosas nuptias improbavit Joannes Baptista, non veritus palam regem monere: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Pio consilio supra modum exacerbata mulier adultera, illius authorem interficere parabat: sed metu populi ab eo facinore deterritus Herodes, pellici suæ tamen aliquo modo satisfacere volens, vinctum servari jussit in arce Macheronta. Hæc sibi metuens, dum propheta viveret, ejus semper vitæ insidiabatur; post aliquot menses opportunum sceleri perficiendo destinavit natalem Herodis diem. Agebat convivium cum principibus exercitus & Galilææ; immisit Salomen, filiam suam, quæ saltaret coram recumbentibus; temulento regi placuit puella saltatrix; eique jurejurando interposito stulte promisit, se ei daturum quidquid postularet. Suadente matre, petit caput Joannis, quod misso speculatore rex jussit afferri. Herodiades acu discriminali confodit linguam ejus veriloquam. Hic fuit exitus sanctissimi Prophetæ martyris, qui verbis & exemplo, scilicet austerioris vitæ genere prædicaverat pœnitentiam, ut plebem perfectam Domino pararet. Quantus autem esset vir Joannes Baptista, Christus æquus meritorum judex declaravit hoc elogio: *quid existis videre? prophetam? etiam dico vobis & plusquam prophetam; hic est enim de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista .... ipse est Elias*, nimirum vestitu, vita, spiritu, & præcursoris officio: sicut enim Elias secundum, sic Joannes Christi primum prævertit adventum, suaque manu baptizatum aliis præsentem indicavit ut Dei Filium; tam sublimi officio, & vitæ sanctitate cæteris prophetis superior.

Joannis Baptistæ mors. Matth. 14. Marci 6. Joseph. l. 18. c. 7. Matth. 3. Matth. 11.

Jesus hinc in judæos invehitur, exprobratque, quod nec ipsum, visis tot prodigiis, ob communis vitæ institutum, nec Joannem austerioris vitæ rationem audire voluerint, similes morosis pueris, quibus nulla placet cantilena sive læta sive tristis; protestaturque quia terræ sodomorum remissius erit in die judicii quam ipsis: sic divinis abutentes beneficiis judicium sibi majus acquirunt. Indurationis causam incium sibi majus acquirunt. Indurationis causam indicans eorum superbiam, sic orat: *confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc sapientibus, & revelasti ea parvulis*, seu humilibus. Joannis discipuli Christo nuntiarunt mortem magistri sui, quem sepelierant: secessit in desertum locum, ultra lacum Genezaret, devitans insidias pharisæorum, quos cædis Joannis fuisse participes insinuat. Inde se recepit Capharnaum urbem maritimam, quæ erat in ditione Philippi tetrarchæ; hunc laudat Josephus ut principem justum, modestum, & mitissimi ingenii. Sic adimpleta est prophetia Isaiæ: *terra Zabulon, & terra Nephtali ... populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis lux est orta eis.* Hæc enim regio dicebatur Galilæa gentium, Christus diutius in ea commoratus, ubique spargens lucem Evangelii, docet in synagogis agendam pœnitentiam, qua viam sibi aperirent ad regnum cœlorum, & magnificabatur ab omnibus, qui tamen pravos mores non exuebant. Quapropter sic ei exprobrat neglecta tot divinæ misericordiæ beneficia: *væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis.*

Matth. 11. Matth. 4. Isaiæ 9. Matth. 11.

XIII. *Oblatus est ei dæmonium habens cæcus, & mutus, & cum ejecisset dæmonium, curavit eum, ut ita loqueretur, & videret. Admirantes turbæ dicebant: numquid hic est Filius David, seu Messias? pharisæi autem & scribæ dixerunt: In beelzebut principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Quorum calumniam hac triplici ratione convellit; prima, si satan expellit satanam, ejus regnum divisum corrueret, cui tamen propagando incumbunt superbissimi spiritus. Secunda, nemo fortem e sua ditione dejectum spoliare potest, nisi viribus prævaleat; igitur sum fortior diabolo, quem e sua possessione disjicio. Tertia, discipuli mei, vestri contribules, mei nominis invocatione fugant dæmones, ut notum est omnibus; jam vero si filii vestri id mea virtute præstare possunt, quanto magis ego, cujus est virtus: ac proinde vestri judices erunt, condemnabuntque vos infidelitatis ac blasphemiæ, qui repellitis regnum Dei, quod iis divinæ virtutis operibus ad vos pervenisse constat. Tanti sceleris atrocitatem aperiens, *omne peccatum*, inquit, *hominibus remittetur; spiritus autem blasphemia*, qua divinæ veritati ultro se manifestanti repugnamus contumeliose, *non remittetur in æternum; sed quicunque blasphemaverit in Spiritum Sanctum, qui est spiritus veritatis*, reus erit æterni delicti. Etenim hoc peccati genus extinguit spiritum humillimæ pœnitentiæ, inducitque mentis obcæcationem & cordis obdurationem.

Matth. 12. Marci 3. *Pharisæorum calumnias confutat Christus.* *Blasphemia non remittitur quare.*

XIV. Solemnes aderant encæniorum dies, Jesus ascendit Jerosolymam tunc variis motibus agitatam. Pilatus Judææ præses romanos milites introduxerat cum signis militaribus: exhorruere judæi visis Cæsaris imaginibus; præsidem celeriter adeunt, exorantque ut more prædecessorum vexilla amoveri jubeat. Victus eorum constantia pro patriis legibus, post graves minas, eorum postulatis acquievit. Non multo post ærarium templi deprædari tentavit; pecunias sacras destinans in fabricam aquæ ductus, quem procul ab urbe moliebatur; obsistentibus operi judæis, immisit armatos milites, qui multitudinem magna cum cæde prostrarunt. Die Sabbati deambulabat Jesus juxta portam gregis orientalem; hic erat piscina, hebraice dicebatur Bethsaida, latine locus misericordiæ. *Angelus enim Domini statis temporibus movebat aquam, & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. Vidit hominem a 38. annis paralyticum, interrogat: vis sanus fieri? ad hæc ille: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum ego venio, alius ante me descendit. Cui Jesus; surge, tolle grabatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est*, ferensque lectulum ambulabat. Judæi ut facti tam mirabilis gloriam elevarent, ejus authorem sub specie religionis criminabantur, accusabantque violatæ sanctitatis Sabbati, quasi ferre grabatum tanquam publicum testimonium accepti a Deo beneficii, non potius fuerit consecratio Sabbati, quam ejus violatio.

Joan. 5. Joseph. l. 18. antiq. c. 5. Joan. 5.

Injustam igitur querelam sic paucis confutat: *Pater meus usque modo operatur*, cuncta conservans & regens etiam die Sabbati; *& ego operor*, quæ ad hominum salutem conferunt. Hæc divinæ virtutis opera mecum operatur Pater; bis ergo nihil contra legem committitur. His auditis, Judæi volebant eum interficere, *non solum quia solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Justa quidem necis causa, si honorem sibi non debitum usurpasset; sed verum se esse Filium Dei æqualem Patri comprobat triplici testimonio, scilicet Joannis Baptistæ, miraculorum, & Patris æterni, cujus hæc vox audita est dum baptizaretur; *Hic est meus Filius dilectus. Pater, inquit, diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit; & majora his demonstrabit opera, ut vos miremini: sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat: sic & filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio: ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Si utriusque æqualis est honor, par profecto & dignitas, ut inferunt Patres... *amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Fi-*

Joan. 5. *Christus vere Deus.*

CHRISTI AN. 30. *& Filio habere vitam in semetipso*, scilicet per incarnationem verbi divini, quod est fons vitæ, juxta illud, *in ipso vita erat. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.., vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati*, eum se negavit Messiam, & me confessus est Dei Filium. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne; opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*. Denique monet, consulant scripturas, quibus aperte declaratur ejus divinitas; hinc necessario consequens esse colligit, hanc esse unicam consequendæ salutis viam, si omnes in eum crederent, & honorificarent Filium, sicut honorificant Patrem. Has probationes omnibus manifestas cum judæi mente non cernerent; econtra visis tot prodigiis fierent pertinaciores, quid reliquum erat nisi ut se obcæcatos faterentur.

Epiph. hær. 51. Peracta solemnitate dedicationis reversus est Jesus in Galilæam; apostolorumque missione clausit primum prædicationis annum, quem patres vocant placabilem, quippe nec judæi, nec gentiles in Christum aperte sævierunt. Non multo post exiit in montem

Luc. 6. Matth. 10. *Apostolorum electio.* Act. 1. orare, *& erat pernoctans in oratione Dei*. Convocatis mane discipulis, elegit duodecim, quos apostolos designavit; ea ratione declarans missionem esse necessariam, ut authoritas legitima constitueretur in Ecclesia; eamque solam esse legitimam quæ inest successoribus apostolorum. Eorum nomina sic recenset D. Matthæus; primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi & Joannes frater ejus, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi & Thadæus, Simon Cananæus & Judas Iscariotes: omnes galilæi,

Ambr. in c. 6. Lucæ. quo nomine designantur in actibus. Huic electioni convenienter observat Ambrosius non sapientes aliquos, non divites, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret in alios, elegit; ne traxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentia, nobilitatisve authoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis causa prævaleret, elegit & Judam proditorem non per imprudentiam, sed per providentiam. Illud etiam observatione dignissimum, Petrum primo loco nominatum ab omnibus evangelistis; quin & Matthæus sic scribit: *primus, Simon Petrus*: quod nomen numerale dici non potest, alioquin cætera quoque numeralia nomina posuisset. Non ergo Petrum dixit primum, eo quod primo loco numerandus occurreret, sed quia

Lucæ 10. revera dignitate & authoritate primus erat. *Designavit Dominus & alios septuaginta duos* inferioris ordinis *discipulos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*. Priusquam eos dimitteret ad prædicandum, edocuit summam legis evangelicæ, & christianæ perfectionis:

Christi sermo in monte. 1.°, eos esse declarat beatos, quos mundus miseros reputat: beati, inquit, ex animo pauperes, mites, pacifici, misericordes, mundi corde, quique gravissima constanter ferunt propter justitiam; *quoniam eorum est merces copiosa in cælis*. Econtra maledictos a Deo pronuntiat, qui vitam agunt in deliciis atque in abundantia eorum omnium, quorum amore mortales maxime capiuntur. Iisque decretis temporalia contemnere, & adversa non formidare persuasit.

Matth. 5. XVI. Hortatur 2°, Dei cultum verbis & exemplis persuadeant, *nam, & ego, inquit, non veni solvere legem, sed adimplere*. Re quidem ipsa nobis exhibuit a Deo promissa per prophetas, quando Verbum caro factum est: Cæremoniis legis substituit res per eas adumbratas, & veritatem figuræ; judicialia, quibus præmia & supplicia temporanea decernebantur, commutavit in spiritualia & æterna: demum confirmavit præcepta decalogi, quæ explicavit, docens præceptis negativis non tantum prohiberi opus externum, sed & omnem affectum vitiorum, quoties impedimento sunt nobis ad salutem. 3.°, Commendat fraternam charitatem, quæ vel ipsos iracundiæ motus refrænat, nec sinit erumpere, complectiturque tum amicos,

Luc. 6. tum inimicos, quibus nos statim reconciliari jubet: *si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te*, nempe si eum in aliquo læseris: *relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Vetat etiam ulcisci injurias: *vobis dico*, inquit, *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos, & prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*. Hæc est æquitatis norma, quæ si bona fide consuleretur, quot conscientiæ casus vel sola dissolveret?

Usuram vetat Christus *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super omnes, ingratos & malos*. His verbis, ut observat D. Thomas, consilium & præceptum dedit: nam dare mutuum non semper tenetur homo; & quantum ad hoc, ponitur inter consilia. Sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, cadit sub ratione præcepti. Idem definitum habemus in Concilio Lateranensi quinto, sessione decima, Leo Papa decimus sic loquitur: sacro approbante Concilio, Dominus noster, Luca evangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus. Et quoniam plures inani subtilitate Christi verba corrumpebant, Innocentius Papa undecimus damnavit hanc propositionem: usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum: sed tantum si exigatur tanquam ex justitia debitum. Alteram damnavit Alexander septimus: licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Ex his patet, quis sit doctrinæ Christi sensus legitimus.

4.° Tradit methodum virtutis exercendæ, si velint æterno remunerari præmio. Lucere quidem exterius bona opera debent ad exemplum, sic tamen ut honorem aversantes optemus secretum, & soli Deo placere studeamus. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est*. Matth. 6. Sic oculus nostræ mentis erit simplex atque purus; sin minus, actiones etiam optimas maculat prava intentio. 5.° Reprobat immoderatam sollicitudinem rerum temporalium, etiamsi vitæ conservandæ necessariæ videantur; etenim si Deus animam & corpus liberaliter donavit, quanto magis hæc minora providebit. Condemnat etiam humanam prudentiam, quæ Deo & mundo simul placere se posse confidit; frustra quidem, nemo enim potest Deo servire & pecuniæ... Denique sermonem suum concludit variis monitis salutaribus; prohibet ne temere de aliorum factis judicemus, ea in malam partem interpretando, quæ bono animo fieri possunt. Juramentum interdicit, *ego autem dico vobis, non jurare omnino*, nequidem per creaturas, quoniam tunc per Deum, qui fecit omnia, juratur. Commendat observationem mandatorum, bonorum operum exercitium, frequentem orationis usum, ejusque formam præscribit in oratione dominica. Monet cavendum a falsis prophetis, eo nomine designans eos, qui fallendi causa duces in via salutis sese offerunt,.. *& veniunt ad vos in vestimentis ovium*, nimirum sub ementita specie virtutis, *intus autem sunt lupi rapaces*. Neminem tamen fallunt nisi volentem, siquidem facile dignosci possunt ex fructibus: superbi nolunt subjici decisionibus Ecclesiæ, cujus disciplinam vel mores vel doctrinam reprehendunt.

Privatim quædam monita dedit discipulis, præcipua sunt, 1.° meminerint sibi commissi officii: *vos estis sal terræ*, adversus morum pravitatem. *Vos estis lux mundi*, ad tenebras ignorantiæ removendas. *Luceat igitur*, verbis & exemplis, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Quandoquidem amore temporalium infatuati jam aliis prodesse non possunt... 2.° monet quibus evangelii lucem inferre debeant: *in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel*. Hinc Matth. 10. patet ante passionem Christum nec per se, nec per apostolos prædicasse gentibus: venientes tamen ad se benigne excepit; nec eis pauca beneficia contulit. Judæos primum docere fidem oportuit, quorum, inquit Apostolus, *adoptio filiorum & gloria & testamentum... & promissa: ex quibus est Christus secundum carnem. Sed illorum delicto, dum tantum lucem repellunt, salus est gentibus, ut illos æmulentur*. ad Rom. 9. & 11. Præceptis informatos donavit potestate miraculorum: *euntes, prædicate quia appropinquavit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date*; divinum opus ostendit gratuita bene-

CHRISTI AN. 30. Luc. 10.

beneficentia, hominumque animis sese insinuans, eos conciliat. Quantum autem honorem eis haberi velit, quamque religiose debeant omnes subjici eorum legibus, sic aperte declarat. *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Pastoribus ergo docentibus acquiescere & parere, quicumque detrectant, eorum contemptus redundat in ipsum Deum, in quo pastoralis authoritatis sicut & veritatis fons & origo; quam filio ut homini communicat per incarnationem; qui dedit eam apostolis per missionem, episcopis vero per successionem non interruptam.

Math. 8. Luc. 8.

XVII. Hæc copiosius elocutus de monte descendit, *omnisque turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Redeunti Capharnaum occurrit leprosus; hic procidens in faciem suam sic orabat: *Domine, si vis, potes me mundare; & extendens Jesus manum tetigit eum dicens: volo, mundus esto, & confestim mundata est lepra ejus.* Huic successit centurio per amicos rogans pro sanitate servi sui. Jesus ad eum ire non dedignabatur; ille confidens ejus jussu sanari posse vel absentem, sic eum deprecatus est: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Jesus miratus humilem & plenam fide responsionem, quam propriam sibi fecit Ecclesia, dixit astantibus: *non inveni tantam fidem in Israel; & centurioni, vade, & sicut credidisti, fiat tibi:* eodemque instanti sanatus est ejus servus; simulque prædicit vocationem gentium, Judæorum reprobationem ob incredulitatem. Profectus inde cum discipulis in urbem Naim, unicum viduæ filium dum efferretur in sepulcrum, a mortuis suscitavit: *adolescens*, inquit, *tibi dico surge*; sic palam faciens omnibus, se illum esse, cujus solius vocem audire possunt mortui: tanta vis fuit imperii, ut mortuus cœperit loqui, *& dedit illum matri suæ.* Judæam, vicinasque regiones implevit fama tanti miraculi.

Peccatricis conversio. Gregor. hom. 3. in evang.

Mulier peccatrix tanta potentia & bonitate illecta, quæsivit ab eo sanitatem animæ suæ: itaque cum Jesus accumberet mensæ Simonis pharisæi, attulit alabastrum unguenti pretiosi, unxit ejus pedes, lacrymis rigavit, capillis abstersit, & deosculata est. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta, ut totum Deo serviret in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. Offensus hanc non repelli pharisæus, dubitavit num Christus esset propheta; sed ejus superbiam fregit proposita parabola de duobus debitoribus, quibus debitum dimittitur, sermonemque transferens ad mulierem, laudavit ejus fidem, zelum, & officia charitatis, quæ remuneratus est magno beneficio: *dimittuntur ei*, inquit, *peccata multa, quoniam dilexit multum; tum conversus ad eam dixit: remittuntur tibi peccata tua, fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Fidei & charitati tribuit concessam gratiam, quia fides salutem inchoavit, consummavit charitas. Hæc mulier sola legitur ad Christum venisse propter animæ sanctitatem, & postea eum secuta est cum aliis piis mulieribus, *quæ erant curatæ a spiritibus immundis, & infirmitatibus, scilicet Joanna uxor Cusai procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

Christi parabolæ. Math. 13. Lucæ 8.

XVIII. Exinde Jesus judæis loquebatur in parabolis, hanc justam eorum incredulitatis pœnam exigens, quæ si non abuterentur, fieret in remedium, dum excitat eorum studium, & inquirendi diligentiam. 1.ª Parabola fuit de semine, quod pro varia terræ qualitate, nullum aut parvum aut multum affert. Sic cordis durities, curæ temporales, salutis incuria suffocant divinum semen, quod perfecto corde susceptum insitas virtutes perducit ad multam frugem: ferenti vero fructum majora conferuntur beneficia; anima autem infructuosa etiam concessis bonis spoliatur... 2ª est de zizaniis, quæ inimicus homo superseminavit in medio tritici, & servis præcepit pater-familias, sinerent ea crescere usque ad messem, ne, si antea colligerent, eradicarent simul & triticum. Zizania Christo interprete sunt mali, qui una cum justis crescunt in agro Ecclesiæ, nec ante diem judicii separabuntur. Ecclesiam sinu suo complecti bonos & malos, declaravit alia parabola, quæ est de sagena congregante quodlibet genus piscium.

August. collat. 1. & 3.

Quemadmodum probavit Augustinus in collatione Carthaginensi... 3.ª de grano synapi, quod licet minimum sit ex oleribus, crescit in arborem... 4ª de fermento. Ecclesiæ progressum a tenuibus initiis utraque demonstrat. Duabus aliis parabolis docuit, quanti facere debeamus fidem & bona spiritualia, quorum conservatio, si res ita ferat, redimenda est jactura omnium bonorum temporalium. Ultima est de viatore, quem spoliatum plagis impositis semivivum reliquerunt latrones, & negligunt Levita & Sacerdos, Samaritanus vero quamvis alienigena misericordia motus curam ejus egit. Itaque nos docet cuilibet fieri charitate proximos; opere enim proximum diligere tenemur. Judæis non loquebatur sine parabola, discipulis autem seorsim explicabat singula. D. Marcus insinuat Christum proposuisse multas parabolas imbecillitati judæorum accommodatas, ut homines divinis rebus comprehendendis non satis idonei, facilius quæ dicebantur, intelligerent. *Et talibus*, inquit, *multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.* Qui adæquatam in his figuris similitudinem quærunt, graviter hallucinantur.

Marci 4.

Matt. 13. Lucæ 4. *Christus a suis non recipitur.*

XIX. Peragratis variis regionibus pervenit Nazareth, ubi per annos fere triginta vixerat, ingressusque synagogam surrexit more judæorum, ut legeret scripturas, & interpretaretur. Legit hæc verba Isaiæ: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis redemptionem; & sedens dixit: hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Re quidem ipsa verum Messiam audiebant; omnes illi testimonium dabant sapientiæ & doctrinæ: offensi sunt tamen, quod nullum coram eis ederet miraculum; hinc per contemptum dicebant ad invicem: *nonne hic est filius fabri? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres & sorores ejus apud nos sunt? unde huic sapientia hæc & virtutes?* Christus coarguens eorum incredulitatem, verum impedimentum ne virtutes operaretur: *amen dico vobis*, inquit, *non est propheta sine honore nisi in patria & in domo sua.* Sic Elisæus solum Naaman Syrum mundavit a lepra, quamvis tunc multi essent leprosi in Israel. Ad hanc vocem furore inflammati eum ejiciunt extra civitatem, egissentque præcipitem e supercilio montis, in cujus declivi est posita, nisi ipse non sine miraculo transiens per medium eorum abiisset.

Discipulorum missio. Math. 9. & 10. Marc. 6.

XX. Secutæ sunt eum turbæ in desertum Bethsaidæ, quas ut vidit, commiseratione motus, novam destinat omnium discipulorum missionem. Sed prius eos informat præceptis & consiliis ad tantum negotium idoneis: *ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ... tradent vos in conciliis & synagogis flagellabunt vos. Et ad præsides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Et ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Denotiat etiam, quot quantaque pro ejus nominis confessione passuri essent, vel a propinquis: *eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.... ne ergo timueritis eos... Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta; & nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*: ac proinde timor Dei ut vindicis bonus est & salutaris, & viris apostolicis convenit. Cum enim Dominus, inquit Augustinus, timorem incusserit, & repetendo verbum comminationem ingeminaverit, dicturus sum ego, male times ista? non dicam; plane time; nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Eo quippe timore mundi terrores superamus, atque ita, ut scriptura docet, *in timore Domini declinatur a malo.*

Timor gehennæ bonus.

Aug. ser. 161. alias 18. de verb. Apost. Proverb. cap. 16. Math. 10.

Exemplo etiam suo & spe æternæ mercedis excitat ad hæc toleranda constanter, *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Econtra affirmat se non habiturum pro discipulo, quicumque spretis omnibus crucem suam bajulans eum non sequeretur. Religionem christianam, in Christi cruce fundatam per discipulorum passiones propagari decebat. Sic vicerunt gloriosius, & sibi, dum passionum Christi socii facti sunt, & participes gloriæ: & Ecclesiæ, quæ per patientiam prævaluit adversus hostes potentissimos; & Deo pro cujus gloria ultro se immolarunt tot innocentes victimæ. Enituit etiam magis virtus Dei & sapientia, dum per infirma mundi, fortia quæque confundit. Denique commendat simplicitatem conjunctam cum prudentia, ne temere adeant vitæ pericula, ne zelo imprudenti accendant furo-

CHRISTI AN. 30.

furorem persequentium, quibus cedendum ad tempus fugiendo in aliam civitatem, nec idcirco descrends missio.

Non tamen inermes tot periculis objicit; sed ut profundiore quadam providentia, quæ electorum salutem Deique gloriam sibi unice proponit, fieri intelligerent, dat illis potestatem in immundos spiritus, ut eos ejiciant, & curent omnem languorem & infirmitatem: quæ potestas fuit propriua character divinæ missionis, sic ab ementita facile discernitur; & ipse sanavit quotquot aderant languidi.

Matth. 14. Joan. 6. *Panum multiplicatio.*

. Discipuli sub vesperam monent, dimittat turbas, ut in proximia villis emant sibi cibos. *Vos date illis*, respondit Jesus. Excusant paupertatem. *Andreas ait; est hic puer unus, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces; sed quid hæc sunt inter tantos?* hos afferri, turbasque discumbere super fœnum jubet; elevatis in cœlum oculis, quinque panes, & duos pisciculos sua benedictione sic multiplicavit, ut omnibus satiatis, fragmentorum reliquiæ duodecim cophinos implevarint. *Manducantium numerus fuit quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis. Stupentes omnes in eo prodigio dicebant ad invicem; hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*, seu Messias; cumque regem constituere cogitarunt. Eorum consilio cognito, Jesus fugit in montem ipse solus: apostoli ejus jussu navigarunt versus Capharnaum: sed ventus contrarius cursum morabatur. *Quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, quem ut viderunt appropinquantem, existimantes esse phantasma, præ timore clamarunt. Ille autem, ego sum, nolite timere. Tum Petrus, Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Annuit Christus; & Petrus, descendens de navicula ambulabat super aquam; sed vento validius perflante territus, dum sibi timet, demergi cœpit: exclamat, Domine, salvum me fac. Manu sublevatum Jesus sic increpat: modicæ fidei, quare dubitasti? secumque deducit in navigium; & statim cessavit ventus, & navis fuit ad terram ad quam ibant* ... Visis uno momento

Matth. 14.

quatuor miraculis, omnes adoraverunt eum dicentes: *vere filius Dei es. Et venerunt in terram Genesar, quæ vicino lacui nomen dedit. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem, & obtulerunt illi omnes male habentes. Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* Quis eos superstitionis arguat in tactu Christi vestium, quorum fidem Deus miraculis approbans, commendat usum sacrarum reliquiarum?

XXI. Non multo post discipuli expleta missione nar-

Luc. 10. Joan. 6.

rabant cum gaudio: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus Christus: *ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Ecclesia etiamnum, in aquæ & salis benedictione, atque in exorcismis utitur hac potestate, quæ his Christi verbis tanquam titulo innititur. *Nolite in hoc gaudere, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis: & cum feceritis quæcumque mandavero vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Altera die plebs,

Eucharistia promissio.

quam quinque panibus sustentarat in deserto, hunc diligenter conquisitum cum non invenisset, plurimi, conscensis scaphis, veniunt Capharnaum: in eo miseri, quod Christum sectarentur propter temporale commodum, quemadmodum ipsis exprobravit, docens simul animæ saluti potius inserviendum. Occasione tamen accepta, ut ex miraculo ipsis noto deduceret ad notitiam sublimioris, sermonem inivit de Incarnatione sua, qua panis vitæ factus est omnibus, qui credunt in eum fide viva. Quam docet etiam esse donum patris sui: *nemo potest venire ad me per fidem, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Scriptum est enim, erunt omnes docibiles Dei: omnis qui audivit a Patre meo, & didicit, venit ad me.* Nequaquam, ut observat Theophylactus, quod in nobis est liberum arbitrium, hic sermo tollit, sed nos auxilio magno indigere demonstrat. Quos enim Pater attrahit ad filium, in libero dimittit arbitrio.

Aug. l. 2. adv. Petil. c. 84. Ambr. l. 4. de Sacr. c. 5. Aug. l. 5. de pecc. merit. c. 20.

His præmissis de fide Incarnationis, quam exigit, ut ejus caro digne manducetur; aperte de sacramentali sui corporis manducatione loquitur, ut communiter docent sancti Patres, & intellexit Tridentinum. Promittitque suam carnem se daturum in cibum, & sanguinem suum in potum, quibus fidelium animæ spiritualiter alantur, & vivant in æternum. *Ego*, inquit, *sum panis vivus qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Promissum suum

CHRISTI AN. 30.

implevisse Christum, cum dixit in ultima Cœna; *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, accipite, & comedite*; manifesta res est. Idem est prorsus phrasis utriusque sensus. Promissa confirmat, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Caro Christi, ut docet Cyrillus, propter unionem hypostaticam cum Verbo, vivificandi vim habet. Intellexere Capharnaitæ, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, nempe carnem in frusta conscissam, qua corpus aleretur. Hinc scandalizati murmurarunt. Quin & plerique ejus discipuli ab eo discessere. Si solam fidem commendasset Christus, quid facilius, quam ad officium revocare discipulos; sed quia veram & realem corporis sui manducationem præcipit, licet sacramentalem, priora verba adeo non temperat, quin potius inculcat necessitatem illius cœlestis cibi: *amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Compellatque duodecim: *numquid & vos vultis abire? Petrus respondit: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi.* Totius fidei summam sic paucis complexus est. Quisquis enim Christum Dei filium esse credit, ejus verbis fidem denegare non potest, obscura quantumvis & dura nobis videantur.

Trid. sess. 21. c. 1. Joan. 6. Cyril. Alexandr. epist. 3. ad Nestor. August. tract. 27. in Joan.

Hilar. l. 8. de Trinit.

Hinc D. Hilarius Joannis caput sextum sic explicat: de naturali in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab ipso discimus, stulte atque impie dicimus; ipse enim ait, caro mea vera est esca, & sanguis meus vere est potus, qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est: & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant. Eadem Christi verba in eodem

Cypr. l. de orat. Domin.

sensu interpretatur D. Cyprianus. Maldonatus viginti Patres recenset, qui hunc locum intellexere de Eucharistia.

XXII. Erat autem proximum pascha, secundum a prædicatione Christi: Jerosolymam eum ascendisse ad diem festum, suadet ejus summa legis observatio. Quid egerit, non narrant Evangelistæ. Postridie festi dum rediret in Galilæam, spicas urgente fame vellentes ejus discipuli comedebant. Pharisæis convicianti-

Matth. 12.

bus, factum justa reprehensione carere probat Christus exemplo Davidis, qui fame compulsus cum suis manducavit panes propositionis, quibus vesci licitum erat solis sacerdotibus. Urget, nonne in templo multa sacerdotes agunt, quæ non liecrent, nisi ad Dei cultum pertinerent? Inde concludit: *ecce templo major est hic, & dominus est filius hominis etiam sabbati.* Quæ fiunt igitur eo die in ejus obsequium, culpa vacant, præsertim in legalibus, cum dispensare possit. Si sciretis vim divini illius effati, misericordiam, seu charitatem erga proximum, volo, & non sacrificium; nunquam condemnassetis innocentiam.

Luc. 10.

Iis relictis, divertit Bethaniam: Martha excepit illum in domum suam. Maria soror ejus sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, qui prior spirituali doctrinæ suæ cibo pascebat hospites suos. *Martha satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet. Respondit Jesus: Martha, sollicita es & turbaris circa plurima; porro unum est necessarium, scilicet quærere regnum Dei & justitiam ejus. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Nec Martha

Ambr. c. 2. in Luc.

tam reprehenditur in bono ministerio, sed Maria, quæ meliorem partem sibi elegit, antefertur. Sequenti sabbato ingressum observabant Judæi, *si curaret, ut accusarent illum; & ecce homo habens manum aridam aderat præsens.* Quærunt, si liceat curare sabbatis? Jesus respondit: quis ex vobis si habeat ovem, & sabbatis ceciderit in foveam, non levabit eam? quanto magis homini misero subvenire licet, & benefacere sabbatis. *Tunc ait homini: extende manum tuam: & extendit, & restituta est sicut altera.* Quo facto demonstrat opera charitatis, sabbati religione non prohiberi. Pharisæi pudorem non ferentes, mortis ejus consilia consociant.

XXIII. Je-

CHRISTI AN. 30.

Matth. 15. *Christus cur solis Judæis prædicaverit.* Orig. l. 6. adv. Cels.

XXIII. Jesus secessit in tribum Azer, versus fines Tyri, & Sidonis, quo nondum venerat. Gentilis mulier constanti humilitate & fide impetravit sanitatem filiæ suæ, quæ a dæmonio vexabatur, præludioque vocationi gentium. Christus hanc licet perseverantem primum contemnere visus est, ut fidei ejus constantia Judæos confunderet. Discipulis etiam pro ea deprecantibus dixit: *non sum missus nisi ad oves, quæ perierant domus Israel.* Venerat tamen pro salvandis omnibus peccatoribus: verumtamen solis Judæis per se prædicare voluit. Quoniam oportebat, ut ad eos, qui unum Deum didicerant, ejusque prophetas legebant, & de Christo præconia, veniret is, qui per prophetas prænuntiatus fuerat, eo præsertim tempore, quo ex uno angulo divulgandus erat toto orbe terrarum.

Marci 7. *Quas traditiones improbet Christus.*

Pharisæi & scribæ aderant captantes occasionem criminationis: advertunt ejus discipulos cibum sumere non lotis manibus, eosque durius increpant ut reos violatæ seniorum traditionis. Jesus severe castigans ejusmodi hypocritas, criminationem falsam vera reprehensione confutat. Vos, inquit, propter hominum traditiones præcepta Dei negligitis: quid ergo discipulos meos arguitis, quod quædam nullius momenti jussa seniorum parvi pendant. Dominus enim præceperat, ut filii parentes suos honorarent, non tantum quadam exteriori observantia, sed etiam eorum egestatem pro suis opibus sublevarent. Scribæ lucris suis inhiantes populo persuaserant, gratius fore Deo, si ei offerrent pecuniam parentum sustentationi necessariam; atque ita fiebat, ut oblatio liberorum, sub occasione templi & Dei, in sacerdotum quæstus cederet. Jesus reclamans adversus impiam interpretationem: *hypocritæ*, inquit, *bene prophetavit de vobis Isaias, dicens. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me... Incassum & sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*; quæ pietati nihil conferunt, vel etiam adversantur legi divinæ. Hæc quippe hominum & præcepta & traditiones improbat. Conversus autem ad circumstantes, dixit eis; *non quod intrat in os, coinquinat hominem*: nullus enim cibus ex natura sua malus est: nullus igitur usus peccatum est, nisi conjunctus sit cum intemperantia, vel cum inobedientia. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.* Iisque relictis, abiit in domum. Pharisæos ejus responsione offensos indicant discipuli. Quibus respondit: *omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Ibid. *Panes multiplicat.*

XXIV. Digressus inde venit per Sidonem mare Galilææ, ibique surdi & muti aures aperuit, & solvit linguæ vinculum, & recte loquebatur: admirantes turbæ exclamarunt: *omnia bene fecit: Jesus ascendens in montem sedebat ibi*: adducunt ad eum varios infirmos, quos curavit omnes. Hominum plausus declinans secessit in desertum Bethsaidæ. Turbæ magnificantes Deum eum secutæ sunt per tres dies. Tantus erat omnium ardor, ut ne de cibis quidem cogitaverint. Noluit bonus pastor eos dimittere jejunos, ne forte plerique deficerent in via. Discipulis rem proponit: negant in deserto suppetere alimenta tantæ multitudini. Interrogat eos: *quot panes habetis? qui dixerunt septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ ut discumberet: & accipiens septem panes gratias agens fregit, & dabat discipulis ... & apposuerunt turbæ, & manducaverunt omnes, & saturati sunt: & sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres: & dimisit eos. Ipse vero ascendit in naviculam cum discipulis suis, & venit in fines Magedan.*

Matth. 16.

Accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi, licet ad invicem inimici, concordes autem ut Jesum perderent, signumque de cœlo postulant. Jesus Pharisæos remisit ad oracula prophetarum, quæ in se compleri facile cognoscere poterant. Sadducæis vero negantibus resurrectionem, Jonæ figuram in suæ resurrectionis typum dedit; illisque relictis, iterum transfretans monuit discipulos, ut caverent a pravis eorum dogmatibus & hypocrisi.

Judæorum sectæ.

Pharisæi quasi a vulgo separati dicebantur, sanctissimam vitæ rationem professi, probitate cæteris antecellere videbantur. Mortuorum apud illos resurrectio, ut & apud Scribas, defendebatur. Iidem angelos & spiritum esse credebant. Continentiam certum ad tempus ac virginitatem suscipiebant. Bis hebdomada quaque jejunare, urceos ac discos & pocula sæpius eluere soliti. Ad hæc decimas & primitias offerre, assidueque precari. Sed temporis successu a prima pietate degeneres, induxere vanas & superstitiosas observationes, ac superstitiosa vestimentorum genera curiosius affectabant, cujusmodi sunt dalmaticæ & colobia, & latiora quædam philacteria, hoc est segmenta, fimbriæque purpureæ, ac malogranata ad vestium oras appensa, quæ temporariæ illius continentiæ signa præferebant. Postremo geneses ac fatum introduxerant. Inanem gloriam, avaritiam, & hypocrisim, qua se plebi insinuabant, Christus eis sæpius reprobrat. Sadducæis ab exactissima justitia nomen est. Qui a Samaritanorum genere a sacerdote quodam Sadoc ortum habuerunt. Mortuorum resurrectionem, animarum immortalitatem & angelos negabant. Hinc unicum apud eos erat virtutis præmium, bona temporalia; quorum spe exteriorem legis observationem retinebant. Pentateuchum solum recipiebant, repudiatis aliis scripturis ac traditionibus. Judæorum opulentissimi & potentissimi sectabantur hos errores, qui frænum laxant humanis cupiditatibus. Homines enim sic a natura sunt comparati, ut facile induceant animum credere quod optant, & quæ sensibus magis accommoda videntur. Hac licentia grassantur hæreses. Scribæ seu legis interpretes, cæteris in rebus Judæorum institutis sic inhærebant, ut superstitiosis & cavillatoriis inventis ea depravarint. Quatuor apud eos traditionum fuere genera. Primum Mosis prophetæ nomine erat inscriptum. Secundum Alcibæ. Tertium Anani, qui & Judas dicitur. Quartum Assamonæi filios authores jactitabant. Quatuor ex hisce fontibus manarunt ea, quæ apud illos inani quadam sapientiæ opinione constituta, cum sint inepta pleraque, prædicabantur nihilominus, ac tanquam ab excellenti disciplina profecta summa ostentatione celebrabantur.

CHRISTI AN. 30.

Epiph. resp. ad epist. u cac.

Epiph. hær. 15.

Matth. 16. Luc. 9.

XXV. *Jesus venit in partes Cæsareæ Philippi, & cum solus esset orans, & discipuli ejus cum eo in via, interrogabat eos, dicens: quem dicunt homines esse filium hominis? responderunt illi: alii Joannem Baptistam*, ut Herodes cum suis; *alii Eliam, alii Jeremiam; alii vero quasi unum de prophetis. Tunc dixit illis Jesus: vos autem quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.* Dominus hanc Petri confessionem insigni prærogativa remuneravit. *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Syriace, quo Christus idiomate loquebatur, Cephas, id est, petra; *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Promissionis adeo magnificæ partes singulas attentius considerare juvat. Christus mutato nomine Simonis eum vocat Cephas, id est, petram, affirmatque super eam petram se ædificaturum Ecclesiam suam. Ipse quidem manet lapis angularis, & principale fundamentum, præter quod aliud nemo ponere potest. Petrum tamen constituit caput visibile & ministeriale, eique potestatis suæ ministerium tradit, quod etiam ad ejus successores transiret: siquidem forma regiminis Ecclesiæ stabilis est, nec potest deficere, quin adversus eam prævaleant portæ inferi. Stabit autem semper petræ soliditate fundata, quemadmodum testatur Christus summa veritas. Denique promittit Petro claves regni cœlorum, seu supremum ligandi & solvendi peccatores pontificium, & quidem sine ulla exceptione. Omnes, igitur subjicit ejus directioni. Ut post antiquiores Patres docet Leo magnus: de toto mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponitur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit Christus.

D. Petri primatus.

1. Cor. 3.

Leo ser. de sua in pontif. assumpt.

Confirmatis ea revelatione divinæ Christi filiationis animis discipulorum, quam divulgari ante resurrectionem suam prohibuit, aperte mortem suam & passionis genus prænuntiat. Cui Petrus: *absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Id quidem dixit amore Christi, cujus gloriam zelare sibi videbatur. Verum ejus zelus non erat secundum scientiam; quapropter sic eum Jesus objurgat: *vade retro post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ homi-*

Matth. 16.

CHRISTI AN. 30.

hominum. Voluotas quippe Dei erat, ut per crucis opprobrium fieret generis humani redemptio, Christique exaltatio. Et quoniam discipuli adhue humana sapientes, opprobria & passiones aversari videbantur, affirmat fieri non posse, ut quia cum sequatur in via salutis, nisi *abneget semetipsum*, seu voluntatem suam, quatenus divinæ voluotati repugnat; *& tollat crucem suam*, istius vitæ iocommoda patienter ferens. Imo ni vitam suam, cum opus fuerit, contemnat pro divino obsequio: quisquis enim peccato hujus vitæ usuram, vel bona redimit, fit reus mortis æternæ. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere*, io præsenti sæculo, *perdet eam*, in futuro. *Qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium*, inquit Christus, *salvam faciet eum*, æternam quippe vitam in cœlo recipiet. Quam stultum sit amore, vel timore præseotium fieri æternæ damnationis reum, declaravit hae divina sententia: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. Unusquisque igitur prout bene vel male gesserit, recipiet judicium vitæ vel mortis æternæ, quod nulla ratione revocari potest.

Matt. 17. Luc. 9. *Christi transfiguratio.* Leo ser. de transfigur.

XXVI. *Post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum. Et transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes de ejus morte.* Hoc specimen gloriæ suæ dare voluit, ut de cordibus discipulorum, crucis scandalum tolleretur. Sed non minori providentia spes Ecclesiæ sanctæ fundaretur, ut totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatiooe donandum, & ejus honoris sibi consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset. Petrus præ gaudio & admiratione vix sui compos exlamat: *Domine, bonum est nos hic esse* ... adhuc eo loqoente, *cum a Christo discederent Moyses & Elias, nubes lucida obumbravit eos*, scilicet discipulos. *Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis, surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos neminem viderunt nisi solum Jesum, qui præcepit eis: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat, & ipsi tacuerunt.*

Ibid.

XXVII. *Sequenti die veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos.* Non potuerant ejicere dæmonium, quod certis lunæ temporibus puerum misere vexabat ab infantia. Ejus pater genibus provolutus ante Jesum, orabat, *si quid potes, adjuva nos misertus nostri. Jesus ait illi: si potes credere, omnia*

Marc. 9.

possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri cum lacrymis ajebat: credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus. Jesus autem elevavit eum, & sanum reddidit patri ejus. Cum introisset domum, interrogant discipuli, quare non potuimus ejicere eum? propter incredulitatem vestram, inquit Jesus;

Luc. 17.

mox addens solatium. *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium. Dixerunt Apostoli: adauge nobis fidem.* Ejus necessitatem & vim sic commendat Christus, ut per modum dispositionis eis præcipiat humilitatem.

CHRISTI AN. 31. Matt. 17.

XXVIII. Capharnaum ingredientibus occurrunt exactores, & dicunt Petro: *Magister vester non solvit didrachma*, seu duas drachmas viritim templo debitas? *ait etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens: quid tibi videtur Simon? reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? ille dixit, ab alienis. Dixit Jesus: ergo liberi sunt filii.* Unde consequens erat Dei filium ejusque familiam ab eo esse liberos. *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens da eis pro me & te.* Jure suo uti cum offensione proximi noluit. Stater quatuor dragmas, dragma vero decem asses valet. Ejusmodi vectigal imperasse Romanos aliqui falso putant. Capharnaum Galilææ urbs erat in ditione Philippi tetrarchæ.

Matt. 18. Marc. 9.

XXIX. Apostoli in via disputaverant, quis eorum major esset? Scribarum enim falsa traditione decepti, Christi regnum fore terrenum putabant. Jesus eos convocans alias esse regni sui leges docet. *Si quis*, inquit, *primus vult esse in regno meo, hic erit omnium novissimus, & minister: & nisi conversi fueritis*, scilicet ab his ambitiosis contentionibus, *& efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum* ... *nam qui minor est inter vos omnes, hic major est*.

CHRISTI AN. 31. *Regula charitatis in proximum.*

Sermonem a superbia traducit in scandalum, quo præsertim parvulos malis exemplis vel doctrinis vulneramus, dum eis præbemus peccandi occasionem, ostenditque quam grave sit peccatum: *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris;* Angeli enim eorum graviter ulcisceotur exitium illatum animabus, pro quarum salute ipse factus esset homo. Tum descendit ad eas injurias, quæ honori vel bonis sive corporis sive fortunæ, detrimentum afferunt, pro quibus satisfactionem in eo qui læsit, & paratum semper in eo, qui læsus est, animum ad ignoscendum exigit. Si septies in die peccaverit in te frater tuus, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi. Vetatque ullum præfigi veniæ terminum, protestaturque se eadem in condonandis peccatis nostris usurum misericordia, quam in remitteodis ex animo injuriis exhibuerimus, oullamque veniam ei esse sperandam, qui offensas sincere non dimiserit. Postremo præscribit leges fraternæ correctionis; jubet secreto primum, postea per unum vel alterum amicum moneatur proximus, qui nos læserit: si meliora sequi negligat, *dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus;* quibuscum nullum erat Judæis commercium. Ne forte peccatores pastorum sententiam flocci faciant, declarat eorum judicium in cœlo ratum fore: *amen dico vobis; quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Hac potestate semper usi sunt legitimi pastores, ut rebelles ad obedientiam compellerent. Imo contemptores illius hæretici omnes hanc exercent in suos, quos decretis suis inobsequentes a sua communione removent, seque facto suo condemnant.

Matt. 19. *Matrimonii vinculum indissolubile.*

XXX. Profectus inde pertransiens Galilæam de sua morte & resurrectione discipulos suos præmonuit. A Galilæa venit in fines Judææ trans Jordanem: & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos: ibique usque ad festum tabernaculorum prædicans commoratus est. Pharisæi rursus insidiose eum interrogant: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* Hanc facultatem dabant, concessis etiam novis nuptiis. Jesus ad scripturas provocans matrimonii legem revocat ad primam institutionem, cum Deus uni viro unam dedit uxorem, cui patre & matre relictis adhæreret. Unde concludit: *itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Hisque verbis indissolubile inter conjuges vinculum constituit. *Dicunt illi: quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Jesus negat primis patriarchis id fuisse permissum; sed *Moyses*, inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Tum duo distinguens quæ confundebant Pharisæi, concessit viro dimittere conjugem adulteram, sed prohibuit ne ea superstite aliam duceret, vel dimissa virum alium acciperet. Adulterium igitur divortium excusare potest, sed secundas nuptias non efficit legitimas: ut aperte docet apostolus: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hinc Augustinus: si par est forma in utroque, uterque mœchatur; si se alteri conjunxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit. Apostolis ea conjugum conditio cum videretur durior, *dicunt ei: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Accepta occasione Dominus sic commendat virginitatem, ut continentiam esse peculiare Dei donum non omnibus datum insinuet. *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret.* Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: *sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim Regnum Cœlorum.* Ac proinde capaces sunt baptismi, sine quo non possunt introire in Regnum Cœlorum. *Et cum imposuisset eis manus*, qui benedictionis ritus apud Judæos erat in usu, *abiit inde.*

1. ad Cor. 7. Aug. l. 1. de adult. conjug. c. 8.

Ibid.

XXXI. Vir opibus potens accessit ad eum postulans, qua ratione vitam æternam consequeretur. *Si vis ad vitam ingredi*, respondit Christus, *serva mandata... Et si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo;*

& ve-

Christi An. 31. *& veni, sequere me*. His auditis, ille dives abiit tristis. Jesus autem dixit discipulis suis: quam difficile dives intrabit in regnum cœlorum! re quidem ipsa divitiis uti juste & moderate, nec eis cor apponere, solius omnipotentis gratiæ opus est, humanæque cupiditati repugnat: hinc rara virtus, saluti tamen necessaria. Deinde commendans paupertatem Evangelicam, fidelibus, qui relictis omnibus eum sequerentur, centuplum in bonis spiritualibus promisit pro præsenti sæculo, cælestemque in futuro gloriam; cum unicuique secundum ejus opera reddet.
Matt. 20. Tunc temporis diuturnitas, molestiæ & laboris magnitudo non valebunt ad mercedem ampliorem, nisi major adsit charitas & purior intentio; quemadmodum declaravit proposita parabola de operariis, quos diversis diei horis in vineam mittit pater-familias: qui tamen omnibus parem mercedem tribuit, etiam novissimis, qui tantum una hora laboraverant. Atque ita retunditur superbia, ne quis alteri se præferat, speque præmii omnium studium excitatur; qui enim divino famulatui se manciparunt ultimi, antiquiores si virtutis exercitatione prævertant, haud dubie primi erunt in cælesti gloria. Hæc gesta sunt in Peræa, quæ Judææ finitima est.

XXXII. Proximus aderat scenopegiæ, seu taber-
Joan. 7. naculorum festus dies, quo Judæi quotannis post Idus Septembris per septem dies commorantur in umbraculis, quæ ex arborum ramis contexunt in
Levit. 23. modum teotorii. Celebrabatur in memoriam illius peregrinationis, cum patres eorum quadraginta annis in deserto habitarunt in tabernaculis. Propinqui Jesu eum rogant, an secum ascendat Jerosolymam, quo Judæi omnes tunc ex legis præscripto conveniebant: oblatam causant opportunitatem clarescendi miraculis; necdum enim credebant eum esse Messiam. Ambitiosæ postulationi non acquiescens respondit, non ascendam. Ut autem profecti sunt fratres ejus, ascendit tamen ad diem festum, sed quasi in occulto. Non volebat in Judæam ambulare, scilicet manifeste, quia quærebant Judæi eum interficere. Quarto die solemnitatis venit in templum & docebat. Mirabantur Judæi dicentes: quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Inde Jesus sumit argumentum probandæ divinæ suæ missionis, ostenditque doctrinam suam divinitus acceptam esse, qualem facile cognoscerent ex tot prodigiis, si Dei voluntati in omnibus obsequi sibi proponerent, pravosque deponerent affectus, quibus excœcati volebant eum interficere quasi legis violatorem, quia hominem fecerat sanum die sabbati, quamvis divinæ virtutis sit opus, ad animarum salutem pertinens conducensque ad sui Patris gloriam, quam in omnibus unice sibi proponebat; factique criminationem multis elevabat exemplis: si, inquit, circumcisionem accipit homo in sabbato, cujus vulnus adhibito medicamine curatur, ut non solvatur lex Moysis, quid mihi indignamini, quia totum hominem feci sanum in sabbato? si vultis rectum de me facere judicium, nolite ex specie externa de me judicare, sed ex operibus.

Discordes erant de eo plebis sententiæ: pauci, qui perversa sacerdotum noverant consilia, dicebant:
Joan. 7. *Nonne hic est quem quærunt interficere? ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vero cognoverunt principes quia hic est Christus*. Sacerdotes veriti ne invalesceret hæc opinio, miserunt ministros ut apprehenderent eum. Inveniunt concionantem, ejus orationis suavitate efficaciaque mitigati, mutatis animis super eum non miserunt manus. Pontificibus quærentibus quare non adduxissent eum, responderunt ministri; *nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Qua in re divinum judicium satis mirari non possumus: sacerdotes, legis doctores, Pharisæi visis tot Christi miraculis, quem docentem sæpius audierant, invidia depravati eum de medio tollere cogitabant. Idiotæ vero missi ad eum comprehendendum, exigua parte concionis ejus audita, credunt in eum, aliique de turba plurimi, dominorumque offensionem posthabent conscientiæ.

Christi An. 30. XXXIII. Octavo die solemnitatis, quo major erat populi concursus ad gratias pro collectis frugibus Deo referendas, Scribæ & Pharisæi Christo docenti sistunt
Joan. 8. *Adulteram absolvis & se probat Deum.* mulierem in adulterio deprehensam: *Magister*, inquiunt, *hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In Lege Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* subdola interrogatio: nam si absolvit, violatæ legis accusatur. Si damnat, arguitur ut sibi contrarius; quippe negaverat dimitti posse adulteram, quam interfici jubebat, licet utrumque mandasset Moyses. Jesus eorum nequitia cognita, dignitati tamen consulens tacet, sed digito scribebat in terra. Christi An. 30.
Instant. *Tunc dixit eis: qui sine peccato adulterii est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Vox quidem justitiæ & misericordiæ, sic enim adulteræ salutem in accusatorum criminibus collocavit, ut licet rea mortis, eorum manibus non occideretur, qui eodem crimine tenebantur. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Vim responsi sensere seniores, qui teste Josepho perditissimis erant moribus: abierunt ergo primi, quos cæteri secuti sunt. *Erigens se Jesus, dixit mulieri: ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? quæ dixit: nemo, Domine. Dixit Jesus: nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.*

Interruptum sermonem post hæc prosequitur, multa dicens de Patre suo, quæ non intellexerunt. Quare subjecit: *cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor*. Prædictionis veritatem postea comprobavit eventus. Sed eo ipso die multi crediderunt in eum, quos adhortatus est, ut constantes in fide permanerent, promittens pleniorem mysteriorum cognitionem, & libertatem a servitute legis atque peccati. Aliis autem malevolum in se animum, paratumque ad necem ei inferendam exprobrat, quo scelere se probarent filios non Abrahæ, uti gloriabantur, sed diaboli, cujus prava desideria perficerent. Ad hanc vocem excandescentes interpellant conviciis, vociferanturque se natos ex Abrahamo Deum habere patrem. *Si Deus est pater vester, reponit Jesus, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni, neque enim a me ipso veni, sed ille misit me .... Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Judæi hæc verba intellexerunt de morte temporali & corporis, quapropter objurgant eum quasi absurde & impie locutum. *Nunc cognovimus*, inquiunt, *quia dæmonium habes. Abraham mortuus est & prophetæ, & tu dicis: si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham qui mortuus est? quem te ipsum facis? respondit Jesus: si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me*, scilicet tot prodigiis ac miraculis, *quem vos dicitis, quia Deus vester est ... amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*, scilicet vere existens, & non tantum in decreto Dei vel ideis, id enim commune est rebus omnibus creatis. Hæc verba sic intellexere Patres antiquiores: exclusa est, inquit Irenæus, omnis contradictio dicentium, si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Dei filius, existens semper apud Patrem ... cum sit unus & idem Deus, Pater & Verbum ejus. Ipsimet intellexere Judæi, quod se Dei filium Patri coæternum & coæqualem esse diceret, itaque lapides tulerunt, ut tanquam blasphemum interficerent. Ille divina potestate factus invisibilis e templo exiit. *Dei filius Patri coæternus.* Iren. l. 3. c. 18. & l. 4. c. 28. novæ edit.

XXXIV. Majestatem divinam, quam sibi verbis Jesus asseruerat, esse sibi propriam & connaturalem, factis comprobavit. *Vidit hominem cæcum a nativitate*, eoque naturæ remediis insanabilem. *Me oportet*, inquit, *operari opera ejus, qui misit me ... Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*. Ut autem ostenderet sequens miraculum totum esse divinæ omnipotentiæ, seque veram esse lucem, quæ illuminat omnem hominem in mundum venientem, *exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo*, quod oculis maxime contrarium est, *& linivit lutum super oculos ejus. Et dixit ei: vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo, & lavit, & venit videns*. Admirantibus propinquis & vicinis narrat quomodo Jesus ei oculos aperuisset. Ducunt eum ad Pharisæos, qui de facto mirabili varie judicarunt. Jesus lutum fecerat die sabbati: hinc plures eum violatæ religionis accusant. Prudentiores negabant eum esse peccatorem, qui cæci nati oculos aperuisset. Sed ne lateret dolus, vocant parentes, & de tribus interrogant. *Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? responderunt parentes ejus: scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est*: periculosum erat coram Pharisæis laudare Christum, ne fierent extra synagogam; quapropter tacent de modo curationis, remittuntque ad filium suum jam ætate maturum. Pharisæi quasi comperta falsitate indicii, vocant rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei. *Da gloriam Deo; nos scimus quia* Joan. 9. *Cæci a nativitate illuminatio.*

hic

Christi An. 30. *hic homo peccator est. Si peccator est, respondit ille, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, nunc video.* Instant: quomodo te sanum fecit? *jam*, inquit, *dixi vobis, quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri? maledicentes ei dixerunt Pharisæi: nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.* Quo argumento etiamnum Judæi in sua induratione confirmantur. Respondit ille: *mirabile est quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos: scimus autem quia peccatores Deus non audit:* scilicet ut falsæ doctrinæ, vel sanctitati suffragetur miraculis. *Sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Responsionis ejus vim cum infringere non possent, eludunt conviciis, eumque foras ejiciunt. Jesus cum invenisset eum, dixit ei: *tu credis in filium Dei? dixit ille: quis est, Domine, ut credam in eum? Vidisti eum*, inquit Jesus, *& qui loquitur tecum, ipse est. Ille ait: credo, Domine, & procidens adoravit eum.*

Ibid. Humanam reprobans sapientiam adstantes sic alloquitur Jesus: *in judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Mirabilis prorsus erca homines Dei providentia, ut qui se non videre confitentur, medicumque quærunt, videant illustrati dono intelligentiæ, vel fidei humillimæ; superbi vero, suæque confidentes scientiæ cæcitate mulctentur. Aug. in Joan. Horrendum illud Dei judicium se manifestat maxime in hæresiarchis, ducibusque sectarum & schismatum. Exinde proposita parabola, probat se verum esse pastorem, promissum per prophetas; quippe qui volens, & cum plena eam resumendi potestate suam animam pro ovibus poneret, ut gratiæ & gloriæ vitam haberent, & quidem abundantius, uti a Patre mandatum acceperat. Hæc parabolice dicta non intellexere Judæi, & facta est inter eos dissensio. Sacerdotes quærebant eum per ministros apprehendere; eorum furori se subtrahens abiit trans Jordanem. Hic multi, qui Joannis Baptistæ testimonium de eo audierant, visis ejus miraculis, crediderunt eum esse filium Dei.

Luc. 11. *Oratio Dominica.* Cypr. de orat. Dominic. XXXV. Orandi modum in monte jam tradiderat, eundem explicatius proponit in oratione Dominica; complectitur septem petitiones, tres priores ad Dei gloriam pertinent, quatuor aliis docet a Deo postulare quæ nobis necessaria sunt, præsertim ad vitæ spiritalis sustentationem. Ut dum prece & oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur: & de traditione ejus vere & spiritaliter adoremus... & agnoscat Pater Filii sui verba. Adjecit solemnem postulata impetrandi promissionem, sed alligatam certis conditionibus: Orationis conditiones. 1.º est, si petamus quæ vere bona sunt, imprimis spiritum pietatis justitiæ & charitatis, qui solus dignus est Deo. *Si enim*, inquit, *vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* 2.º Si petamus ut oportet, scilicet ut Aug. l. 1. retract. cap. 19. Luc. 18. observat Augustinus, in petendo adhibenda est pauperis humilitas, in quærendo servi boni diligentia, *in pulsando* amici fiducia. Sic publicanus humiliter orans descendit in domum suam, præ superbo Pharisæo justificatus. 3.º Si perseveranter petamus: perseverantiam in orando multis in locis scriptura commendat, præsertim in parabola viduæ, quæ apud iniquum judicem causam obtinuit perseveranter orans. 4.am Sic exprimit Joan. 15. Christus, *si manseritis in me*, nempe per fidem & charitatem, *& verba mea in vobis manserint*, per observationem mandatorum, *quodcunque postulaveritis, fiet vobis.* Neque tamen inde sequitur peccatorum orationem esse peccatum; eis quippe multa misericorditer largitur Deus, si morum emendationem & spiritum pœnitentiæ postulent.

Luc. 12. XXXVI. Alia multa vitæ præcepta tradidit turbis adstantibus, imprimis fugere avaritiam, inordinatamque eorum sollicitudinem, quæ vitæ temporali tuendæ necessaria videntur. Multus in eo fuit, quia difficilius; argumentis suadens efficacissimis, quorum summa est: natura paucis contenta est; divitiæ vitam non efficiunt longiorem vel beatiorem; ipsius vitæ usura brevis est, & mors improvisa dissipat stulta consilia. Idque confirmat parabola divitis, qui congestis multis divitiis sibi dicebat: *anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt? sic est qui thesaurizat, & non est in Deum dives*: denique Deus est Pater noster, qui nobis necessaria novit, cujus providentiæ sollicitudo nostra Christi An. 30. facit injuriam. Nam si Deus oblivionem passerum non habet, hominum habere qui potest? *Considerate corvos, qui non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos; quanto magis vos pluris estis illis?* unde concludit Christus: *verumtamen quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* His tamen laborem & curam moderatam non improbat. Ambr. in c. 12. Luc.

Sermonem absolvit commendatione eleemosynæ, Ibid. qua peccata redimimus, atque in thesauris cœlestibus recondimus divitias non perituras; *ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Discipulis suis inde proponit conditiones necessarias, ut suo ministerio rite defungantur. 1.º Continentiam, quæ affectus omnes pravos coerceat. 2.º Ut bonorum operum exemplis fulgeant. 3.º Ut sibi & suis actionibus invigilent, a falsa & infida securitate sibi caveant, in legem Dei semper intenti. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Et dixit Petro: *quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, ut eos Bernard. l. 4. de consid. Dei verbo pascat? qui enim aliorum curam gerit, si non est fidelis, fraudabit, si non prudens, fraudabitur. Interea nuntiatum est ei de quibusdam Galilæis, quorum octodecim oppresserat ruina turris in Siloe, alios sacrificantes quasi seditiosos occidi jusserat Pilatus: tum dixit circumstantibus, *si pœnitentiam non* Luc. 13. *egeritis, similiter peribitis.* Urbis ipsius ruinam, cujus imago illa est Siloes turris, indicans. Sic etiam inopinantes nos opprimet divina ultio, si vacui bonis operibus contemnamus ejus patientiam, quod ibidem declarat proposita parabola ficus infructuosæ, quam Dominus jussit exscindi.

XXXVII. Jerosolymam inde venit per Galilæam: die sabbati docens in quadam synagoga Galilææ vidit mulierem jam ab annis decem & octo sic incurvatam, ut omnino non posset sursum aspicere: hanc infirmitatem immiserat malus dæmon. Imponit ei manus, statim erecta est glorificans Deum. Archisynagogus factum improbans populum monet, nefas esse curari die sabbati. Ejus hypocrisin Christus revicit exemplo domestico: *unusquisque vestrum, sabbato nonne solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas ecce octodecim annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati.* Aperte convicti propria conscientia *erubescebant ejus adversarii: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.*

Dum iret per civitates & castella Galilææ docens, Ibid. invitatus ad cœnam a principe Pharisæorum venit die sabbati, & sanavit hydropicum. Ejusmodi opera non esse lege prohibita demonstrat exemplo domestico, *cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?* Et non poterant ad hæc respondere. Intendens quomodo primos accubitus eligerent, commendat humilitatem, sine qua nemo magnus coram Deo, qui humiles exaltat, & humiliat superbos. Liberalitatem & beneficentiam docet imprimis exercendas erga pauperes, qui mercedem rependere non possunt; *retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Quibus verbis aperte confirmat, opera bona esse meritoria vitæ æternæ, laudabiliterque fieri spe retributionis, quæ Deus ipse est. Vita enim æterna & gratia ast, Trid. sess. 6. c. 16. filiis Dei per Christum Jesum promissa: & merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddenda. Unus ex invitatis quæsivit, quantus sit futurus salvandorum numerus? Jesus autem ingemiscens, *contendite*, inquit, *intrare per angustam portam, quia arcta via est, quæ ducit ad vitam, &* Matth. 7. *pauci sunt qui inveniunt eam*, & sequantur viam salutis. Econtra *via, quæ ducit ad perditionem, spatiosa est, & multi intrant per eam*, descenduntque ad locum æterni supplicii. Multitudinis ergo exemplum, mundanorumque leges, usus & consuetudines adeo non excusant, ut potius teste Christo certum sint errantium in via salutis indicium. Subjecta deinde parabola de vocatis ad cœnam regiam, qui venire neglexerant, excusantes se detineri variis occupationibus, coarguit socordiam Judæorum, qui rerum temporalium amore excæcati regnum Dei sibi oblatum repellebant. Post quorum resupina fastidia Aug. lib. quæst 83. q. 68. se contulit ad gentes, & multos ad Agni nuptias intrare compulit. Itaque, inquit Augustinus, neque

illi

Digitized by Google

[CHRISTI AN. 30.] illi sibi debent tribuere, qui venerunt; neque illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Sed, ut observat D. Prosper, [Prosper l. 1. de vocat. gent. c. 9.] magna pars hominum salvantis gratiam aut repellit, aut negligit.

[Luc. 14.] Egressus inde, *ibant turbæ multæ cum eo, & conversus dixit ad illos: si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres*, nempe quatenus saluti contrarii sunt, *adhuc autem & animam suam*, ita ut vitam & omnia quæ possidet, parata sit potius amittere, quam me offendere, *non potest meus esse discipulus; & qui non bajulat crucem suam*, adversa quælibet patienter ferendo, *& venit post me, non potest meus esse discipulus*. Urbis Jerosolymæ eversionem ibidem prædicit, & [Luc. 13.] vocationem gentium. Pharisæis monentibus; *exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere*. Respondit: *ite, & dicite huic vulpi, ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras*, id est, per breve tempus, & postea volens consummabor per passionem in urbe Jerusalem, extra quam non decet perire Prophetam.

XXXVIII. Peccatores Christum docentem [Luc. 15. *Parabolæ.*] frequentes audiebant, invitatusque cum eis ad cœnam venire non dedignatus est. Id ipsum Pharisæi detorquebant in crimen; quod ut diluat, propositis tribus parabolis ostendit quantum Deus amet peccatores, pro quorum salute missus ipse venerat: in 1.ª se ipsum depingit sub idea boni pastoris, qui perditam ovem diligenter inquirit, inventamque in ovile suis humeris reducit. 2.ª Est typus Ecclesiæ, quæ perditam dragmam quærit sollicite, repertamque sibi congratulari desiderat. 3.ª Deum nobis exhibet tanquam omnium parentem, qui filium minorem diu prodigum, sed pœnitentem benigne amplectitur, atque in pristinum statum restituit. Ne tamen homines plus æquo divina bonitate confisi sibi indulgerent, vel longioris vitæ spe differrent pœnitentiam, duabus aliis parabolis monet, divinam misericordiam ocius esse demerendam bonis operibus, imprimis eleemosynis, quibus pauperes nobis paramus deprecatores apud Deum. Quæ Christus hic refert de divite epulone & de La- [Luc. 16.] zaro, an historia sit, vel parabola, non constat. Plerique putant historiam, cui adjuncta sit parabola. Id autem certum est Dominum hic tria maximi momenti decreta proposuisse: 1.ᵐ miserandam esse eorum conditionem qui divitiis abundant, & immisericorditer egenis parce subveniunt. Alterum, hunc ordinem a Deo constitutum esse inter præsentem vitam & futuram, ut hujus vitæ tribulationes felicitas alterius, & hujus sæculi voluptates æterni cruciatus excipiant. Denique reprobat stultam quorumdam incredulitatem, qui vellent hominem redivivum narrare quæ in altera vita viderit, affirmatque scripturæ & Ecclesiæ auctoritatem quovis oculato teste esse certiorem, resurgentique mortuo non crediturum, quisquis divinitus revelatis firmam non habet fidem.

XXXIX. *Progrediens versus Jerosolymam cum ingrederetur quoddam castellum, occurrunt ei decem viri leprosi. Hi procul stantes sic deprecabantur: Jesu præceptor miserere nostri; quibus dixit: ite, ostendite vos sacerdotibus: dum irent, mundati sunt. Unus ex illis Samaritanus, agnito miraculo regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Jesus dixit: nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.* Hinc patet quantum offensæ apud Deum habeat ingratus [Luc. 18. Marc. 10.] animus. Discipulis tot signis divinæ virtutis confirmatis clare prædicit circumstantias suæ passionis: *ecce*, inquit, *ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur principibus sacerdotum & scribis, & senioribus, & condemnabunt eum morte, & tradent gentibus, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, seu crucifigent*, ut ait Matthæus, *& tertia die resurget*. Quid apertius dici potuit? nihil eorum tamen intellexerunt: necdum [*Christi regnum quale & ejus leges.*] enim anteceptas animo falsas opiniones terreni principatus deposuerant, ut mox innotuit. Salome Joannis & Jacobi mater filiis suis postulat duas primas ejus regni dignitates, terrenum fore ex falsa Pharisæorum traditione putans. Mulieris ambitum benigne repressit, docens longe alias esse leges regni sui, cujus nemo particeps erit, nisi sit consors passionum: primarias illius sedes se dare non posse, nisi secundum placitum Patris sui, & quibus eas paraffet. [CHRISTI AN. 30.] Dein discipulos omnes secreto monet, ne more principum hujus sæculi ament aliis dominari, vel quærant quæ sibi utilia sunt vel honorifica, sed potius unice spectent salutem subditorum, eorumque utilitati serviant. Oportet igitur imperium sacerdotum benignum esse & modestum, ita ut quisquis aliis præeminet, fiat tanquam servus omnium: *quicunque*, inquit, *voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus*: hanc administrationis rationem confirmat exemplo suo: etenim cum esset Dominus omnium, non venerat *ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro nobis*.

XL. Jordane transmisso appropinquabat Jericho, [Luc. 18.] cœcus quidam sedebat juxta viam mendicans, audiens transire Jesum Nazarenum. Spe plenus clamat: *Jesu fili David miserere mei. Stans Jesus jussit illum adduci, & quærit, quid tibi vis faciam? Domine, respondit, ut videam. Respice*, inquit Jesus, *fides tua te salvum fecit, & confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum; & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo*. Ingressum suum in urbem nobili- [*Zachei conversi.*] tavit novo genere miraculi, publicanorum præfectus nomine Zachæus, opibus potens, statura pusillus, cum propius ad Jesum præ turba accedere non posset, subvectus sycomoro considerabat transeuntem: Zachæe, inquit Jesus, *festinans descende, hodie in domo tua oportet me manere*. Accurrens lætus Jesum excepit. Judæi indigne ferebant peccatorem electum in hospitem. Zachæus autem quanta in se divinitus facta esset morum conversio, palam fecit, hæc publice professus: *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Utrumque necessarium aliena rapientibus per injustitiam, ut injuste ablata restituant, & damna compensent, & peccata redimant eleemosynis. Alterum enim non sat est, nec habet gratiam [Ambr. in c. 19. Luc.] liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quæruntur. Sinceræ conversionis fructum rependens ait Jesus: *hodie salus huic domui facta est, eo quod* non tantum genere, sed fidei & charitatis imitatione *filius sit Abrahæ*. Subjectaque parabola docuit, nos vigilantes & bonis operibus intentos expectare illius adventum, quo tempore rationem omnium a servis suis exiget, fideles operarios pro reportato lucro remunerabit, servum vero torpentem ab opere bono addicet æternis suppliciis. Egrediens ex eadem urbe Bartimæo cæco visum restituit, ubique relinquens signa divinæ potentiæ & beneficentiæ.

XLI. Jerosolymam pervenit circa festum dedica- [Joan. 10.] tionis templi, ineunte Decembri MXL. erat annus [Lib. 1.] a prima ejus dedicatione sub rege Salomone; dirutum [Esdræ cap. 6.] a rege Nabuchodonosore restituerunt Zorobabel & summus sacerdos Jesus filius Josedech. Hæc secunda [Lib. 4.] dedicatio ante annos 541. facta fuerat, post 344. annos [Machab. cap. 4.] profanatum est ab Antiocho Epiphane. Judas Machabæus deleto ejus exercitu & everso altari, quod Jovi olympio erexerat Antiochus, expurgavit templum, & novam ejus dedicationem aggressus est per dies octo, a 25. die mensis Casleu, hic nonus erat mensis ab æquinoctio verno. Illius tertiæ dedicationis ante annos 197. instauratæ memoria tunc celebrababatur.

Ambulabat Jesus in porticu Salomonis, sic dicta, [Ibid.] quod in eodem loco & eadem forma esset cum porticu, quam ad orientem erexerat Salomon; circumstant eum Judæi & interpellant; *quo usque nos suspensos tenes? si tu es Christus, dic nobis palam. Res-* [*Christus se probat Deum.*] *pondit Jesus, loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia* propter pertinacem malitiam *non estis ex ovibus meis; oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet quisquam eas de manu mea: nam Pater meus, qui mihi dedit oves servandas, major est omnibus, & nemo potest rapere de manu Patris mei: ac proinde nec de manu mea, siquidem ego & Pater unum sumus. Sustulerunt ergo Judæi lapides, ut lapidarent eum.* Intellexerunt ergo, *inquit Augustinus*, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam [Aug. in 48. in Joan.] senserunt non posse dici, Ego & Pater unum sumus, nisi ubi est æqualitas Patris & Filii. *Multa bona opera, ait illis Jesus, ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? De bono opere, exclamant Judæi, non lapidamus te, sed de blasphemia;*

CHRISTI AN. 32.

mia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Profecto si Christus non fuisset vere Deus, non poterat non refellere crimen objectum, profitendo se non natura esse Deum, sed officio. Adeo tamen fidem suæ divinitatis non elevat, ut potius hoc argumento probet, convenienter se dixisse Filium Dei. *Si scriptura illos dixit Deos, ad quos Dei sermo factus est. Quem Pater sanctificavit*, ipsius humanitatis unione cum verbo Dei, *& misit in mundum, quomodo vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?* his quidem verbis veritatem temperat, ne putarent quod se prorsus eximeret hominibus, humanam suam naturam æquando divinitati. Sed aliquid sibi inesse præter hominem, ratione cujus vere sit naturalis Dei filius, aperte declarat subjiciens: *ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre; & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Recte igitur observat Origenes, Christum quandoque de se ipso veluti homine loqui, & aliquando ut de diviniori natura, eaque unita ingenitæ Patris naturæ; ratione cujus est in Patre & Pater in ipso. Hæc ejus miracula evidens erant argumentum eum vera loqui, eosque nullam habere excusationem infidelitatis, qui, visis tot prodigiis, accusarent eum blasphemiæ, quoties se diceret filium Dei. Pervicaces in pravitate sua Judæi, ei manus injicere parabant. Ipse vero abiit iterum trans Jordanem, & per duos menses commoratus est in Bethabaris.

Orig. in Joan.

XLII. Christi divinitas fundamentum religionis christianæ, licet in veteri testamento clare reveletur, debuit iis confirmari prodigiis, quæ manifesta forent signa divinæ omnipotentiæ ei suffragantis. Multa hujus generis hactenus retulimus, sed istud est omnium celebratissimum: rei totius seriem cum sacris scriptoribus fuse prosequemur. Lazarus Mariæ & Marthæ frater ægrotabat Bethaniæ; (oppidum est decem stadiis distans ab urbe Jerosolyma) ejus sorores ad Jesum mittunt, qui hæc pauca, sed fidei plena nuntient: *Domine, ecce quem amas, infirmatur. Jesus dixit: infirmitas hæc non est ad mortem*, scilicet ut maneat mortuus; quia & ipsa mors erat ad excitationis miraculum: *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Dispensationis fuit ergo divinæ per hanc mortem manifestare gloriam Christi filii sui: hinc eodem in loco mansit duobus diebus; tunc dixit discipulis suis: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, eamus ad eum*; & profectus est cum iis Bethaniam.

Lazari resurrectio. Joan. 11.

Lazarum invenit a quatuor diebus mortuum & humatum; aderant Judæi frequentes, ut sorores de fratris morte consolarentur. Martha ut audivit venisse Jesum, occurrens ei dixit: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, sed nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Sic viva fide temperabat amicam querelam. Jesus respondit: *resurget frater tuus: scio*, inquit *Martha, quia resurget in resurrectione generali.* Cui Jesus: *ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si* corpore *mortuus fuerit*, vita *vivet* æterna, *& omnis qui vivit & credit in me*, non incurret æternam damnationem, quæ vera mors est. *Credis hoc? utique Domine, ait illa, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* His dictis abiit, & sororem secreto monet adesse Jesum; hæc cito venit ad eum: abeuntem sequuntur Judæi suspicati, quod ploratura pergeret ad sepulchrum. Ut vidit Jesum, procidit ad ejus pedes, sic amare flens, ut omnium lacrymas eliceret; quin & ipse Christus, volens, intimis animi sensibus infremuit, & collacrymatus, interrogat, ubinam posuissent eum. Dum irent Judæi, dicebant ad invicem: *non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur.* Ut ventum est ad monumentum, quod erat instar speluncæ, lapidem ab ejus ostio amoveri jubet. Martha eventus incerta, adeo gravis erat odor corrupti cadaveris, ingemit: *Domine, jam fœtet, quatriduanus est.* Jesus timidam fidem increpans: *nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei.* Tum ut palam fieret omnibus, Dei nomine ejusque virtute se operari, sublevatis in cœlum oculis, audientibus omnibus sic oravit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me, sciebam quia semper me audis, hæc autem dixi propter adstantes, ut* intelligant me cuncta facere tua voluntate & auspicio; *& sic credant, quia tu me misisti. Continuo voce magna clamavit. Lazare veni foras.* Deo dignum, inquit Cyrillus, & regium imperium, quo declarabat mortuos sibi tanquam Deo vivere. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus fasciis, & facies illius sudario erat ligata;* foras erumpere non poterat tot vinculis impeditus, nisi divinitus concessis viribus. Miraculum, quo vel maxime se manifestabat divina omnipotentia; præsentium manibus quasi palpari voluit Jesus; itaque præcepit: *solvite eum, & sinite abire:* atque ita factum est, ut nemo præsentium de mortis & resurrectionis veritate dubitare posset. Hoc divino testimonio convicti plures in Christum crediderunt. Inter traditiones, inquit Epiphanius, reperimus 30. annos natum fuisse Lazarum, cum a mortuis excitatus est; atque idem ille postea 30. aliis annis vixit.

Epiph. hæs. 66.

XLIII. Aliqui rem gestam nuntiant Pharisæis, qui statim inito consilio cum Pontificibus deliberant, quid facto opus sit. Gloriosam Christo confessionem ab invitis extorsit veritas; hæc enim fuit summa deliberationis: hic homo multa signa facit; si non resistimus ei, omnes credent eum esse Messiam, cujus regnum esse temporale falso existimabant; si vero pro Messia habetur, Romani in ultionem defectionis, urbe & templo dirutis, nos adducent in captivitatem: adeo sibi male provida est humana sapientia. Imo quia in eum credere noluerunt, his graviora passi sunt sub Vespasiano. Caiphas, hujus anni pontifex, vir impius, secta Sadducæus, sic universos objurgat: *vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Volebat quidem Jesum de medio tolli, ne populus ei tanquam regi adhæreret; ejus tamen verba sensum alium & divinum continent; quare scriptura dicit; *cum esset pontifex illius anni prophetavit*, scilicet, quod Jesus moriturus esset pro gente Judaica, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Itaque communi decreto sanciunt, Christi morte consulendum publicæ saluti. Sic boni publici specie obvelant suam impietatem. Jesus vero clam secessit in urbem Ephrem, quæ sita est in deserto Judææ; hic multos ad se venientes docebat viam salutis, assiduaque oratione se comparabat ad vitæ exitum.

Judæorum consilium adversus Christum. Joan. 11.

XLIV. Proximum erat Pascha Judæorum, tertium a prædicatione Christi: dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam; cœnavitque in domo Simonis leprosi, conviva Lazaro. Maria Magdalena inter cœnam unguento nardi spicati sinceri unxit pedes ejus & caput. Judas Iscariotes administrator eleemosynarum, sed fraudulentus, quippe fur erat, cœpit obloqui: *cur hoc unguentum non venit trecentis denariis, & pretium datum est egenis:* avaritiam hac specie pietatis obtegens, in eumdem errorem pertraxit alios discipulos. Jesus haud inscius dissimulatæ improbitatis laudavit pium opus, quo Maria, licet ignara mysterii, impellente tamen sancto Spiritu, exhiberet morituro ultimum officium, quod postea facere non potuit; promisitque fore ut celebraretur in toto orbe terrarum; divinum oraculum comprobavit eventus.

Joan. 12. Joan. 12. Marc. 14.

Controversum est inter peritos, an Maria soror Lazari, dicenda sit quoque Maria Magdalene & mulier peccatrix? affirmant communiter Patres latini, plerique græci negant: latinis favet textus sacer: D. Marcus scribit primo Christum apparuisse Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia; quæ proinde fuit mulier peccatrix. Præterea narrat hanc apparitionem factam prima sabbati, dum pergeret ad sepulchrum cum aromatibus, quibus Christi corpus ungeret. Mariam autem sororem Lazari de Christo mortuo ungendo fuisse sollicitam indicat idem Evangelista, nec potuisse cogitata perficere. Consequens est ut dicamus Mariam Magdalenam, cui Christus resurgens primo se videndum præbuit, fuisse sororem Lazari. Id confirmant hæc Joannis verba: *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.* Igitur, Maria Lazari soror, jam Christi pedes unxerat, & quidem in domo Simonis Pharisæi, dum commoraretur in Galilæa. Hæc paulo post sequens Christum migravit Bethaniam cum reliqua familia. Distinguantur ergo loca & tempora, tunc fiet manifestum, quam vere dixerit D. Gregorius Papa: hanc vero quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominavit, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus ejecta septem dæmo-

Una est Magdalena. Marc. c. 16. Joan. 11. Aug. l. 2. de consensu Evang. Gregor. hom. 33. in Ev.

Christi An. 32.

nia testatur. Judæi plurimi venerunt Bethaniam, ut viderent Christum & Lazarum, quem suscitarat a mortuis, præsenteque tanti miraculi memoria persuasi crediderunt in eum. Quapropter Lazarum interficere deliberarunt principes sacerdotum. Stultum consilium, quo suam prodebant impietatem, & Christo nec potentiam auferebant, nec gloriam.

Joan. 12. Marc. 11. *Christi solemnis ingressus.*

XLV. Postridie quam inanes forent eorum conatus, invitumque se teneri non posse, palam fecit, asello insidens, juxta prophetarum vaticinium, ingressus Jerosolymam: alii ramos palmarum, quæ erant in valle Bethphages, alii suas vestes sternebant in via, & loquebantur omnibus de Lazaro, quem mortuum vitæ reddiderat. Acclamant universi, *hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel: benedictum quod venit regnum patris nostri David: hosanna in excelsis*. His vocibus more patrio omnem a Deo felicitatem ei apprecabantur, profitentes eum esse Messiam, cujus regnum temporale mox inchoandum ex falsis præjudiciis putabant. Commota est variis affectibus tota civitas. Ipse vero deplorans cæcitatem civium, qui tot bonis a Deo sibi oblatis non uterentur ad pœnitentiam, prædicit integram ejus ruinam; (Matt. 21.) rectaque pergens ad templum, vendentes ex ejus atrio ejicit, infirmos vero, nempe claudos & cæcos perfectæ sanitati restituit. Acclamant rursus pueri: *hosanna filio David*. Pharisæi frementes invidia, vim tamen inferre non ausi, interrogant: *audis quid isti dicunt?* ejusmodi (Psal. 8.) plausus habebant pro respuendis adulationibus. Utique, respondit Jesus; *nunquam ne legistis hæc verba psalmi: ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* & *relictis illis abiit in Bethaniam*, ibique pernoctavit. Pharisæi inter se conquerebantur; *nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit*.

Matt. 21.

XLVI. Jerosolymam mane primo repetens maledixit sterili ficulneæ, quæ statim decisis foliis arefacta est; sic populi Judaici reprobationem, in quo fructus fidei & bonorum operum non invenit, præfigurabat. (Joan. 12.) Ingredienti templum nuntiant Andreas & Philippus, adesse gentiles, qui vellent eum videre. Jesus respondit: *venit hora ut clarificetur filius hominis*: his verbis prænuntians vocationem gentium, quæ est gloria Dei, & fructus suæ passionis; quam proinde necessariam esse declarat exemplo grani tritici, quod prius in terra moritur, quam fructum afferat. Patrem postea precatur, ut quidquid de ipso statuisset, quantumvis durum foret & carni repugnans, hoc totum cederet in ejus gloriam, quam sua passione procurandam sibi proposuerat: *Pater, clarifica nomen tuum*: audita est *vox de cœlo, & clarificavi, & iterum clarificabo*. Re ipsa Christi morte, resurrectione, ascensione, gentiumque conversione glorificatus est ejus Pater. Astantes plerique putarunt *tonitruum esse factum; alii dicebant, angelus ei locutus est*. *Non propter me*, ait Jesus, *hæc vox venit, sed propter vos: nunc diabolus ex hominum cordibus ejicitur; & ego si exaltatus fuero a terra*, omnes homines *traham ad me ipsum*; sic declarans se in cruce moriturum.

Isaiæ c. 53.

Hæc locutus reliquit indociles; eventuque comprobata est hæc Isaiæ prophetia, *Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* excæcati quippe suis cupiditatibus ac præjudiciis, quibus divinum lumen repellebant, credere non poterant. Plerique tamen e primoribus omnium ordinum in eum crediderе, sed occulte, nec audebant ejus discipulos se palam profiteri, ne excluderentur e synagoga; malebant enim ab hominibus potius, quam a Deo, habere gloriam: multorum Christianorum perpetuum malum, quorum sancta desideria humanis rationibus sæpius evertuntur. Ejusmodi meticulosos reprehendens, Christus contestatur, eamdem esse fidem, qua in ipsum & Patrem creditur, seque audivisse a Patre quæcunque dicebat: ac proinde qui pro suis discipulis se gerere non audent, & sibi & Patri injuriosos esse.

Matt. 21. Luc. 20. & 21. Ambr. L. 5. in Lucam.

XLVII. Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero erat in monte oliveti pernoctans in oratione Dei, non ut pro se obsecraret, sed ut pro nobis omnia impetraret; nam etsi omnia posuerit Pater in potestate Filii, Filius tamen, ut hominis formam impleret, pro nobis Patrem deprecatur, quia advocatus est noster. Omnis populus diluculo aderat in templo ut ipsum audiret. Sæpius invehebatur in Pharisæos & Sacerdotes, qui legis studium præ se ferentes, eam non observabant: eorumque superbiam redarguit duplici parabola: 1.° Est de duobus filiis, quorum primus perfecit imperium Patris, cui verbis repugnarat; alius dans bona verba neglexit illud. Interrogat eos, *quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Respondent, primus*. Jesus urget: *venit ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei, nec pœnitentiam habuistis: publicani autem & meretrices crediderunt ei: ac proinde præcedent vos in regnum Dei*. 2.° Est de agricolis, qui cæsis Domini sui servis, ne fructus debitos reddere cogerentur, ejectum etiam ejus filium interfecerunt, tentaruntque usurpare hæreditatem; *cum ergo*, inquit, *venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* ajunt illi: *malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*. Jesus hoc scelus ad eos pertinere subobscure insinuat, propriaque confessione convictos sic damnat: *ideo dico vobis, quia a vobis auferetur regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Hæc gravissime tulere Pharisæi & Sacerdotes, nec tamen ausi sunt ei palam injicere manus; timebant enim turbas, *quoniam sicut prophetam eum habebant*.

Matt. 22. Luc. 20. *Judæos confundit Christus.*

XLVIII. Itaque conversi ad fallaces quæstiones verbis insidiantur: interrogant ergo; *licet censum dare cæsari, an non?* si negat, læsæ majestatis accusant apud præsidem; si affirmat esse solvendum, apud populares criminantur ut fautorem externæ tyrannidis; unde consequens putabant, eum non esse Messiam, qui gentem suam in libertatem vindicaturus esset. Jesus eorum nequitia cognita, numisma census sibi exhiberi postulat. Offerunt denarium: quærit: *cujus est imago hæc, & superscriptio? respondent, cæsaris*. *Reddite ergo*, inquit, *quæ sunt cæsaris, cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*. Responsi sapientiam admirantes abierunt. Succedunt Sadducæi, & quærunt, cujus futura sit uxor post resurrectionem mulier, quæ septem fratribus successive nupserat? ridicula prorsus quæstio, cui tamen solvendæ impares erant Pharisæi, quod vitam animalem fingerent post resurrectionem. Errorem tollit Christus fundamento illius everso. *In resurrectione*, inquit, *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo*. Apertis scripturæ testimoniis id confirmare potuit; sed Sadducæi solum pentateuchum recipiebant. Hæc ergo (Exodi c. 3.) Exodi verba laudavit; *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: non est Deus eorum*, qui omnino perierunt, & nullibi existunt, *sed viventium*: vivunt ergo Abraham, Isaac & Jacob, non quidem corpore, sed anima, subduntur que Deo omnipotenti, qui partem hominis utramque pro sua potestate conjungat; sic animarum immortalitas, quam negabant Sadducæi, corporum resurrectionem astruit.

Christi responsum laudans scriba percontatur, *quod est mandatum magnum in lege?* Jesus ait illi: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua; hoc est maximum & primum mandatum: secundum autem simile huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum*: ad hæc duo referuntur *lex & prophetæ*. Responsum pietatis plenum approbavit legis doctor. Jesus vicissim eos interrogat: *quid vobis videtur de Christo? cujus est filius? dicunt ei, David. Quomodo ergo David*, inquit, afflatus (Psal. 109.) divino spiritu, *vocat eum Dominum, dicens: dixit Dominus Domino meo, sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? & nemo poterat ei respondere verbum*. Hunc igitur psalmum de Messia divinitus scriptum esse tunc pro certo habebant legis doctores; ignorantes autem Christi divinitatem & spiritale regnum, propositæ quæstionis solutionem non invenerunt. Christus quidem erat filius David, sed ipso major, licet patre, rege, & propheta, quia filius Dei naturalis, æqualis cum Patre dignitatis & potentiæ, ex cujus utero genitus ante luciferum, ut ibidem dicitur, sedebat ad ejus dexteram; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. (Matt. 23.) Sermonem ad populum inde convertens, insectatur mores Scribarum atque Pharisæorum perditos, imprimis redarguit eorum hypocrisin, dum aliis imponunt onera gravissima, quæ vel digito sustinere nollent, vel exornant sepulcbra prophetarum, quasi ab eorum cæde abhorrerent, detestarenturque impiam majorum suorum crudelitatem, dum ipsis longe nequiores, in ipsum sævirent tam impie; præmonuit autem non idcirco negandam eis obedientiam, quæ non vitæ sanctimoniæ debetur, sed dignitati. Pastoribus ergo legitimis quantumvis impiis obediendum est, quoties

contra

CHRISTI An. 32.

contra regulam ecclesiasticam nihil præcipiunt. *Super cathedram Moysis*, inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.*

Marc. 12. Luc. 21.

Interea *sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo æra minuta, quod est quadrans*, seu quarta pars assis. *Et dixit discipulis suis: vere dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit. Omnes enim ex eo quod abundat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum.* Hinc major illius devotio & bona voluntas.

Matt. 24. *Templi excidium & finis sæculi.*

XLIX. Exeunti e templo mirabilem ejus structuram ostentant discipuli: ædificatum erat ex lapidibus duris & candidis, ferro plumboque connexis, duraturumque in omne ævum videbatur; illud multis ædificiis amplificatum magnifice exornarat Herodes senior. Verisimile est Apostolos tanti ædificii contemplatione voluisse ejus animum flectere ad misericordiam, ne opus tam egregium perire pateretur: modo enim eis dixerat: *ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta.* Jesus priorem confirmans sententiam respondit illis: *videtis hæc omnia? amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Hyperbolice dictum videri potest; sed divina providentia non est passa, ut Christus vel in uno

Hier. in Zach. 2. Amm. mar. l. 28.

lapide quidquam exaggerando locutus putaretur. Aratum templum in ignominiam gentis Judaicæ testatur Hieronymus, ipsamet fundamenta templi eruta fuat.

Inde secessit in montem olivarum, qui mille passibus ab urbe distabat, jucundus ex eo despectus erat

Ibid.

in templum. Sedentem interrogat Petrus: quandonam futurum sit illius excidium, & quæ sint signa illius adventus & consummationis sæculi? Christus finem mundi nobis ignotum volebat, permixtim de

2. ad Thessal. 2.

utroque respondens, a falsis prophetis cavendum præmonet: *multi*, inquit, *venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent*, editis etiam prodigiis, quæ licet mendacia sint, multos inducent in errorem. Judæis persuasum erat adesse tempus adventus Messiæ. Hac opportunitate usi seductores, se pro Messia venditarunt, populumque seduxerunt. Hos inter fuere Judas, Theudas, Simon Magus, Adrianique temporibus Barcochebas. Divino plane judicio factum est, ut Judæi, qui Christo vero Dei filio non crediderunt, visis tot ejus miraculis, adhærerent pseudo-prophetis, sua credulitate sibi maximas calamitates accerserent, quemadmodum Christus prædixerat:

Joan. 5. Matt. 24.

ego veni in nomine Patris, & non accepistis me: si alius venerit in nomine meo, licet non missus a Deo, *illum accipietis*. Postea denuntiat bella, famem, pestem, tanquam initia tot malorum, & supremi urbis & templi excidii, descendens ad ea, quæ propius ad discipulos pertinebant, prædicit eis futuras persecutiones, in quibus vel ipsos propinquos paterentur adversarios, eorumque insidiis, vel etiam violentia pereat. His adjecit: *& quoniam abundavit iniquitas, re-*

Marc. 13.

frigescet charitas multorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Demum eos consolatus, divinum pollicitus auxilium, cujus ope cursum evangelicæ prædicationis in orbe tunc noto consumment incolumes. Cum igitur *trahent vos ad reges & præsides propter nomen meum, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. In patientia vestra possidebitis*, seu salvabitis, *animas vestras.*

Matt. 24.

Signa vero sui adventus & finis sæculi hæc eis tradit: *prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*, seu finis sæculi; *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo*, nempe subtractione luminis, *& virtutes cælorum commovebuntur. Tunc parebit signum Filii hominis*, sive crux, *in cælo; & plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa & majestate, & mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cæ-*

Marc. 13.

lorum usque ad terminos eorum ... de die autem illa, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque

Hier. in c. 24. Matth.

Filius, nisi Pater. Christum ut Deum scire supremum judicii diem, fide certum est, & docent Patres. In quibusdam latinis codicibus additum, *neque Filius*, inquit D. Hieronymus: quum in græcis, & maxime Adamantii, seu Origenis, & Pierii

R. P. Du Mesnil Doctr. Tom. I.

exemplaribus, hoc non habeatur descriptum; sed quia in nonnullis legitur, gaudet Arius ... & dicit: non potest æqualis esse qui novit, & qui ignorat. Contra quem breviter ista dicenda sunt: quum omnia tempora fecerit Jesus, hoc est, Verbum Dei; *omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; in omnibus autem temporibus etiam dies judicii sit; qua consequentia potest ejus ignorare partem, cujus totum noverit? Hoc quoque dicendum est: quid majus est? notitia Patris, an judicii? si majus novit, quomodo ignorat quod minus est? scriptum legimus: *omnia quæ Patris sunt, mihi tradita sunt.* Si omnia Patris Filii sunt, qua ratione unius sibi diei notitiam reservavit, & noluit eam communicare cum Filio? ... igitur quia probavimus non ignorare Filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur. Apostolus super Salvatore scripsit: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Quare absconditi sunt? post resurrectionem interrogatus ab Apostolis, de die manifestius respondit: *non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, non est vestrum scire, ostendit quod ipse sciat; sed non expediat nosse apostolis: ut semper incerti de adventu Judicis, sic quotidie vivant, quasi die alia judicandi sint. D. Hilarius eamdem quæstionem sic resolvit: Filius diem idcirco, quia tacet, nescit: & Patrem solum idcirco scire ait, quia solus uni sibi non tacet ... non itaque ignorat Filius quod non ignorat Pater; neque quia solus Pater scit, idcirco nescit & Filius; cum in unitate naturæ Pater & Filius maneant: quod autem Filius nesciat, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, tacendi dispensatio sit. Itaque Christus ut verbum Dei, per quod omnia facta sunt, ac proinde & dies judicii factus est, illum noverat: sciebat quoque ut hominum Judex, cujus officii partes non implebat in primo adventu, sed nesciebat ut mediator internuntii, qui discipulis suis nota fecit quæcumque audierat a Patre suo: hanc quippe cognitionem hominibus communicandam a Patre non acceperat. DD. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, aliique Patres, Christum ut hominem judicii diem nescisse fatentur. Nec tamen idcirco tribuunt ignorantiam, sed nescientiam, quæ est carentia cognitionis non debitæ; certum est autem humanam Christi scientiam longe minus patere quam divinam, quæ simpliciter infinita est. Præterea multum ab Agnoitis differunt: Agnoitæ enim unicam in Christo admisere naturam: itaque cum dicunt Christum nescire judicii diem, vel negant eum esse Deum, vel divinam naturam in humanam esse conversam somniant: quorum utrumque impium est, & prorsus a doctrina Patrum alienum.

CHRISTI An. 32.

Judicii diem non ignorat filius Dei.

Luc. 10.

Coloss. 2.

Act. 1.

Hilar. l. 9. de Trin. circa fin.

Athan. orat. 4. adv. Arian. Gregor. Nazianz. orat. 36. Cyril. l. thes. p. 225.

Mortis & privati judicii dies cum pariter incertus sit, Christus imitandum nobis proponit servum fidelem & prudentem, qui semper intentus operi perficiendo, Domini sui adventum securus expectat, ut ab eo laboris & rei familiaris bene gestæ mercedem recipiat. Quisquis enim longioris vitæ prætextu frænum solverit suis cupiditatibus, hunc imparatum & nihil tale cogitantem Judex interficiet atque disperdet: *ideo & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.* Propositis postea decem virginum & talentorum parabolis, eorum socordiam redarguit, qui fidem habentes, opera bona negligunt, securosque se putant, quia a quibusdam prohibitis abstinent, quos monet ab ingressu cœlorum rejiciendos propter peccata omissionis, quæ licet gravia sint, plures habent in levi. Unde concludit: vigilate, semper estote parati, intentique bonis operibus, eoque diligentius, quo majora fuerint in vos divina beneficia; nam *cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem, vere dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*

Matt. 25.

Matt. 24.

Ut nos in bonis operibus præsertim misericordiæ diligentiores redderet, prædixit eas ultimi judicii circumstantias, quæ ad solos fideles pertinerent. *Quum venerit filius hominis in majestate sua*, quam coram omnibus manifestabit, *& omnes angeli cum eo; tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes; & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem*, seu justos, *a dextris suis; hædos autem*, seu reprobos, *a sinistris. Tunc dicet* vo-

Aug. l. de fid. & oper. c. 15. Matt. 25.

Digitized by Google

Christi An. 32.

his, qui a dextris ejus erant: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Eorum opera misericordiæ quasi sibi in membris suis exhibita recenset, quia, ut ibidem dicit, *quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et docet æternam gloriam eis retribui ut præmium. Cœlorum regnum igitur & hæreditas est, quia filiis datur; & merces est, quia non tantum post laborem, sed propter laborem meritis redditur. *Unusquisque enim*, inquit B. Paulus, *proprium mercedem accipiet secundum laborem suum.*

1. Cor. 3.

Verus ignis in inferis. Hier. in cap. 25. Matth. Iren. l. 2. c. 28. Cypr. ad Demetr. Greg. l. 4. dialog. c. 29. Aug. l. 21. de civ. Dei c. 10. Theod. in 2. ep. ad Thess.

Et dicet his, qui a sinistris erant, & neglexerunt opera misericordiæ: *discedite a me maledicti in ignem æternum ... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare ... Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Prudens lector attende, quod & supplicia æterna sint: & verus ignis reprobos comburendo torqueat. Idem docent Patres: D. Irenæus, ignis æternus transgressoribus præparatus est. D. Cyprianus: cremabit addictos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis pœna vorax: D. Gregorius Papa: colligere ex Evangelistis possumus quia incendium anima, non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. D. Augustinus: cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi ... Adhærebunt ergo spiritus licet incorporei corporeis ignibus cruciandi. Theodoretus: tradentur igni inextinguibili, qui fuerint impietatis tenebris circumdati. Theologi consentiunt: aliqui tamen volunt inferorum ignem esse speciei nobilioris: fatentur autem esse corporeum agens ignis nomine ritce designatum, quod modo sensibili reprobos torquet acrius & adurit: quis ergo Christi verba de igne æterno metaphorice explicet catholicus? imprimis dum scripturam juxta unanimem Patrum consensum interpretandam statuat Tridentinum.

L. Christus a prima die conceptionis suæ Salvator & hominum redemptor, Doctoris officium hactenus explevit. Videamus nunc exequentem quæ magis propria sunt redemptoris. Traditis supremis documentis, quibus nihil potentius ad ingenerandam omnium animis eam fidem, quæ per charitatem operatur, proximam denuntiat passionem suam: *scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur.* Sacerdotum principes & magistratus eum dolo comprehendere eodem die statuerunt, sed peractis festis paschalibus, non quidem religione tantæ solemnitatis, sed metu populi Christo faventis; verum aliter visum est divinæ providentiæ, quæ festum paschæ Christi immolationi destinarat, qui vere est agnus Dei, effusoque sanguine tollit peccata mundi, & nos a diaboli servitute liberat. *Judas Iscariotes unus e duodecim abiit ad summos sacerdotes, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Nec certam postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio: sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare. *At illi constituerunt ei triginta argenteos*, siclos, id est, quadraginta seu libras nostræ monetæ, seu viginti tres florenos. *Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.* Hæc contigere feria quarta, quo die Christi passio inchoatur. Ea de causa jejunium singulis feriis quartis per annum servarunt Ecclesiæ orientales.

Matt. 26.

Marc. 14. Hier. in c. 26. Matth.

Aug. epist. 36. Matth.

Aug. epist. 36. ad Casul.

Agni paschal. comestio. Chrysost.

LI. Unanimis est Patrum sententia Christum una cum discipulis manducasse paschalem agnum, priusquam institueret Eucharistiam, quæ est verum Pascha Christianorum. Suffragium pro græcis Patribus feret Chrysostomus: quomodo si Pascha comedebant, adversus legem recumbentes manducabant? sed dicere possumus, quia postquam comederunt, ad cœnandum recubuerunt. Pro latinis vero Ambrosius: ipse ergo qui legem locutus est, postea veniens per virginem novissimis temporibus, plenitudinem legis consummavit, quia venit non legem solvere, sed adimplere, & celebravit Pascha hebdomade, in qua fuit quarta decima luna, quinta feria; denique ipsa die ... Pascha cum discipulis manducavit. Sequenti autem die, hic est sexta feria, crucifixus est. Idem docet Irenæus: Dominus de Bethania ascendens in Jerosolymam, & manducans Pascha, & sequenti die passus est. Recte igitur dixit Photius, hanc esse communem Ecclesiæ traditionem. Patres Tridentini id pro certo ponunt. Evangelistarum narratio idem evidenter evincit: *prima die azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, seu quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abjicitur; *dicunt ei discipuli, ubi vis paremus tibi comedere Pascha? & misit Petrum & Joannem dicens: euntes parate nobis Pascha, ut manducemus: introeuntibus vobis civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat; & dicetis patri familias: ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum; & ibi parate. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto venit cum duodecim. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo: & ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Hic evanescunt conjecturæ recentiorum: ipso die quo Judæi immolabant & comedebant pascha, seu agnum paschalem, Petrus & Joannes Christi jussu pascha præparant, vespere Jerosolymam venit Christus, discumbit cum duodecim discipulis, desiderium vehemens cum eis comedendi illud pascha testatur. Quomodo igitur non comedit? si Judæ proditione prohibitus est, quomodo postea Eucharistiam instituit? Judæi inter duas vesperas paschalem agnum immolabant, continuoque comedebant cum panibus azymis, quorum usus perseverabat per septem dies.

Ambr. epist. 23. alias 83.

Christi An. 32.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Hier. in cap. 26. Matth.

Levit. 23.

Jesus accepto calice, quem finita cœna legali porrectum a patre-familias degustabant cæteri convivæ, *gratias egit*, & dixit discipulis: *accipite & dividite inter vos: dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Tum surgit a cœna, & ponit vestimenta sua exteriora; & cum accepisset linteum, præcinxit se: deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere lintea, quo erat præcinctus.* Petrus mysterii ignarus non admisit tam abjectum officium. Comminatur Christus: *nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Volenti enim Domino semper obtemperandum est, præsertim cum in ea lotione lateret hoc mysterium, quod nemo possit cum Christo habere partem, nisi quem laverit a peccatis. *Dicit ei Petrus: Domine, non tantum pedes, sed & manus & caput.* Eaque obedientia, sine qua nulla est vera virtus, meruit audira ex ore Christi: *& vos mundi estis, sed non omnes;* Judæ enim proditionem noverat. *Postquam lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me, Magister, & Domine; & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, & Dominus, & Magister; & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis;* scilicet invicem humilitatis officiis vos præveniatis. Inde manavit ille mos, quem Mediolanensis postea tenuit Ecclesia, ut Episcopus baptizaturum pedes ablueret; invaluit etiam in Hispanus; sed eum abrogarunt Patres Illiberitani. D. Joannes dicit Christum lavasse pedes discipulorum ante diem festum Paschæ, scilicet die 14.ª lunæ vernalis æquinoctii, paulo ante solis occasum.

Luc. 22.

Joan. 13.

LII. Posteriore cœna peracta, quam Judæi puram vocant, Jesus ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. Assumit igitur panem, & quidem azymum, divinamque in eo instituit Eucharistiam, uti temporis ratio postulabat. Christus ejusque discipuli prima die azymorum, ut observant Evangelistæ, vespere jam facto paschalem agnum manducaverant, & quidem cum panibus azymis uti lex præcipiebat. Judæi tunc etiam omne fermentatum abjiciebant, eoque vesci erat illicitum a vespera diei 14.ª mensis primi, seu Martii, usque ad diem 21.um ejusdem mensis; verba legis expressa sunt: *primo mense, die 14.ª mensis ad vesperum comedetis azyma, usque ad diem 21.m ejusdem mensis ad vesperam: septem diebus non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel.* Profecto Jesus, qui non venerat solvere legem, sed adimplere, juxta ipsius legis præceptum, azymis & vino vetus Pascha implevit, & protinus ex azymis & vino novum, sicut aperte Lucas narrat, tradidit discipulis. Præterea Judæi paschalem agnum immolabant ad vesperam 14.ª diei, illumque vespere jam facto comedebant, nempe non ante undecimam diei horam; cœna vero legalis, sequens pedum lotio, posterior

Hier in c. 26. Matth.

Matt. 28.

Num. 9.

Exod. 12.

Leo 9. epist. adv. Cærul.

Ibid.

Christi An. 32.

rior cœna pura, & Christi sermo satis prolixus ad discipulos unam saltem horam tenuere. His igitur peractis cum Christus instituerit Eucharistiam, jam dies 15[us]. legalis & festus erat inchoatus, scilicet a solis occasu; quo tempore fermentatum in domibus habere vel manducare Judæis prorsus erat illicitum. D. Joannes id satis aperte innuit. *Jesus cum intinxisset panem, dedit Judæ.... Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo: erat autem nox.* Proinde prima vespera diei decimæ quintæ jam inchoatæ.

Joan. 13.

Accepit itaque *panem* azymum, *& gratias agens fregit, & dixit: accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Accepit & *calicem* plenum vino, sed aqua temperato, ut docet Justinus aliique Patres. *Et ait: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Deditque discipulis, *& biberunt ex illo omnes.* Hortatusque est idem facerent in sui memoriam. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hic igitur sacer ritus usque in finem duraturus est in Ecclesia. Christus tunc Sacramentum instituit, testamentum suum condidit, & præceptum tulit. Verbis igitur maxime propriis uti debuit, præsertim cum soli adessent Apostoli, agereturque de rebus maximi momenti ad salutem pertinentibus. Hæc autem Christi verba: *hoc est corpus meum*, fatentibus adversariis, in sensu obvio & naturali significant realem & substantialem ejus præsentiam in Eucharistia. Apostolis suis eamdem concedens potestatem dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* Sicque sacramentalem sui corporis commendavit manducationem, atque, ut observat Irenæus, novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, de qua præsignavit Malachias... Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum.... Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori. Judæi autem non offerunt.... non enim receperunt Verbum quod offertur Deo... sed neque omnes hæreticorum synagogæ.... quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, Verbum ejus?

1. Cor. 11.
Just. apolog. 2.
Marc. 14.

Eucharistia est sacramentum & sacrificium.
Iren. l. 4. c. 17. & 17. nov. edit.

Hæc ergo fuit fidelium primi & secundi sæculi fides, Eucharistiam esse Sacramentum corpus & sanguinem Christi continens, & sacrificium, quo Deo Patri ejus Filius offertur, & incruente immolatur, dum ejus corpus & sanguis mystice separantur. In eoque statu Christus se Patri pro nobis offert, suamque passionem, cujus fructus nobis applicat, dum ipsum & cum eo nostra omnia offerimus in commemorationem ejus passionis. Ideoque Christus illud sub duplici panis & vini specie instituit ac distribuit Apostolis, iisque præcepit ut idem facerent, scilicet eum Patri sic offerrent, ejusque sacrificii participes fierent per communionem.

Eamdem fidem clare tradunt Patrum græcorum & latinorum catecheses, quæ sunt familiares institutiones, in quibus catechumenis post paucos dies baptizandis exponebant sacra mysteria, quæ non nisi subobscure tractabant in homiliis, atque in iis operibus, quæ in omnium manibus versantur. Scripturæ sacræ textus de mysteriis tunc trahebant ad sensus morales vel allegoricos, proprium autem & litteralem seorsum tacebant, sed non negabant. Sic Patrum textus de Eucharistia facile conciliantur. Hujusce disciplinæ de non evulgandis mysteriis meminere, D. Cyrillus, qui Juliano respondens se ad prophanorum aures mysteriorum arcana deferre nolle: ne, inquit, offendam Christum dicentem: *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos:* D. Basilius, qui in primordiis Ecclesiæ sacros ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentio mysteriis suis servavere dignitatem. D. Chrysostomus, Eucharistiæ mysterium initiati solummodo noverunt. D. Augustinus, nesciunt catechumeni, quod accipiunt christiani. Disciplina secreti ad sextum sæculum usque perseveravit. Hinc peracta prima parte liturgiæ, clamabat diaconus, si quis non communicet, det locum. Sicque dimittebat catechumenos, publice pœnitentes, & excommunicatos. Peractis vero sacris mysteriis, populum fidelem missum faciebat. Ex hac duplici dimis-

Cyril. Alex. l. 6. adv. Jul.

Chrysost. homil. 57. in Matt.
August. tract. 11. in Joan.
Avit. Vienn. epist. ad Gond.

sione, cæremoniis, in qua peragitur memoria Dominicæ institutionis, dicta est Missa.

Christi An. 32.

LIII. *Discumbentibus discipulis & manducantibus ait Jesus: unus ex vobis tradet me... illi cœperunt contristari & dicere ei singulatim: numquid ego?* Joanni interroganti indicavit Judam Iscariotem, cui panem intinctum dedit... *cum accepisset ille buccellam, exivit continuo.* Quo vero consilio exiret, nesciebant discipuli. Jesus eis dixit: *nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Scilicet per ejus passionem, quæ incipiebat. Deinde subjungit: *filioli adhuc modicum vobiscum sum... Quo ego vado, vos non potestis venire. Mandatum novum do vobis*, quod priori perfectius est, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos... In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Eos etiam admonet propriæ infirmitatis dicens illis: *omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte: scriptum est enim; percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Petrus de suis viribus præsumens, aliisque se præferens, ait: *etsi omnes scandalizati fuerint, ego numquam scandalizabor: animam meam pro te ponam.* Imprudentem confidentiam Jesus castigat hac prædictione: *tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Ait illi Petrus. Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerant.* Christus, qui Petrum emendare, non perdere volebat, denuntiato periculo, monet quid sperare debeat. Ait igitur: *Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* terrore nimio perculsos. Reipsa Petri fides non defecit interius, & brevi resipuit, coapostolosque confirmavit. Sed observanda specialis Christi cura pro Petro: commune erat periculum, & pariter omnes divinæ protectionis auxilio indigebant... Et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.

Joan. 13.
Marc. 14.

Postremus Christi sermo.

Matt. 26.

Marc. 14.

Leo ser. 2. de nativ. apost.

Tristitia & mœrore perculsos discipulos Christus consolatur, magna promittens; docet ut magister, alta de virtutibus præcipiens; demum pro iis Patrem interpellat ut advocatus. Et primo quidem spe regni cœlestis eorum animos erigit. *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.* Quod non esset consequens, nisi Christus esset Deus. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, servis meis destinatæ... *quia vado parare vobis locum. Et iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego & vos sitis. Et quo ego vado, scitis, & viam scitis*, sed imperfecte, & se scire nesciebant. *Quapropter dicit ei Thomas: nescimus quo vadis; & quomodo possumus viam scire?* accepta occasione, Jesus eos docet, unicam esse consequendæ salutis viam, sinceram in Deum unum & trinum fidem, & constantem mandatorum observationem. Jesus igitur Thomæ dicit: *Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Ipse enim unus est Dei & hominum mediator, & fides in eum est saluti necessaria. Itaque subjungit: *si cognovissetis me*, non tantum ut hominem, sed etiam ut Dei Verbum & Filium, *& Patrem meum utique cognovissetis:* siquidem utriusque eadem est essentia, ut mox insinuat, Philippo quippe dicente: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis;* Jesus respondit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.. non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa* mirabilia *credite.* His enim se manifestat Patris in me manentis omnipotentia, meorumque verborum veritas. Hæc est etiam circuminsessio personarum, qua Pater est in Filio, & Filius in Patre citra mixtionem ullam, aut confusionem.

Joan. 14.

Aug. tr. 70. in Joan.

Illius fidei fructus uberrimos eisdem aperit: *amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.* Quodcumque vero petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. Hæc etiam promissio fundamentum est tot miraculorum, quæ semper fiunt in Ecclesia catholica,

Joan. 14.

Aug. tr. 71. in Joan.

CHRISTI AN. 32.

ejusque fidei veritatem astruunt. Hanc fidem illis promittit. *Amodo cognoscetis Patrem . . . paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ut maneat vobiscum in æternum, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Hortatur hanc cum ipso unionem conservent constanti mandatorum observatione, qua non est aliud certius nostri in Deum amoris argumentum. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum ..... Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Est ergo quædam Dei manifestatio interior, quam prorsus impii non noverunt.

Ibid.

Gratiæ necessitas. Joan. 15.

Gratiæ prævenientis & adjuvantis influxum, unionemque cum ipso per charitatem habitualem necessariam declarat, ut faciamus opera bona, quæ in cælis præmio remunerentur æterno. *Manete*, inquit, *in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Sicut ergo palmites possunt a vite præscindi: ita & homines Christo insiti per gratiam possunt ab ea excidere, & propter peccata mitti in ignem æternum.

Aug. tr. 81. in Joan.

Joan. 15. *Justorum persecutiones.*

Postea denuntiat futuras persecutiones, quæ passuri essent ejus discipuli, & docet esse signa divinæ electionis & prædestinationis. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, ... non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur ..... Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Hæc dixi vobis, ut non scandalizemini,* sed eorum reminiscamini.

Joan. 16.

Consolatorem eis promittit Spiritum sanctum, quem docet esse Deum, siquidem ex Patre Filioque procedit. *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Illius enim effusio est fructus meæ mortis & resurrectionis... *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet, loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt,* ac proinde & ipsi divinitas. *Propterea dixi, quia de meo accipiet.* Non ergo, inquit Dydimus, loquetur a semetipso, id est, non sine meo & Patris arbitrio: quia inseparabilis est a mea & Patris voluntate: quia non ex se, sed ex Patre & me est; hoc enim ipsum quod subsistit, & a Patre & a me illi est. Quandoquidem, inquit Augustinus, audire illi est scire, scire vero esse. Ac proinde habet esse a quo audit; audit autem a Patre & Filio, ut scriptura testatur.

Spiritus S. processio.

Dydim. l. 2. apud Hier.

Aug. tr. 99. in Joan.

LIV. *Hæc locutus est Jesus, & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.... & omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam;* cujus consequendæ hæc est vera ratio! *ut cognoscant te, solam Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Hic non Patris & Filii veritas & divinitas sub aliqua aut significationis, aut dilationis diversitate discernitur, sed ad gignentis & geniti confessionem fides religionis instruitur; alioquin sibi contradiceret B. Joannes, qui de Christo scripsit in prima epistola: *Hic est verus Deus.* Laudatis igitur modo verbis excludit ea omnia, quæ sunt extra Patris naturam; non Filium, qui in Patre est, & Pater in ipso, Tres enim divinæ personæ sunt unus solus Deus verus. Christus pergit: *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam: & nunc clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Promeritam tot laboribus nominis ejus exaltationem Christo esse concessam palam est, dum in toto terrarum orbe creditur & adoratur ut unigenitus Dei Filius, Patri consubstantialis. 2°. Orat pro suis discipulis. *Manifestavi nomen tuum,* quo vocaris Pater meus, *hominibus, quos dedisti mihi de mundo..... & cognoverunt vere, quia a te exivi, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo .... Pater sancte, serva eos in nomine tuo .... ut sint unum sicut & nos. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi* Judas *filius perditionis... Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo... Sanctifica eos in veritate,* ut digni fiant ministri novi testamenti. *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum,* ut veritatis doctrinam annuntiarent.

Christi oratio. Joan. 17.

Hilar. l. 3. de Trin.

Joan. epist. 1.

CHRISTI AN. 32. Aug. tr. 106. in Joan.

Non pro mundo rogo. Eadem scilicet speciali oratione: nec tamen idcirco a beneficio suæ mortis alienos pronuntiat, qui mundi legibus & bonis mancipati, ejus discipuli esse renuunt; quandoquidem in cruce sic oravit pro crucifixoribus: *Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt.* Cognoscebat, inquit Augustinus, & prævidebat omnes inimicos: ac proinde non tantum præsentes, sed etiam futuros, & pro omnibus oravit. Quin etiam, Christus in die judicii suis inimicis vulnera demonstraturus est, ut convincens eos veritas dicat: ecce hominem quem crucifixistis. Agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. 3°. Orat pro omnibus fidelibus, ut omnes unum sint unitate fidei & voluntatis, sicut ipse & Pater sunt unum unitate naturæ, ratione cujus semper eadem sentiunt, & volunt: *ut credat mundus, quia tu me misisti.* Ea quippe animorum & voluntatum consensio, quæ fit per fidem & mutuam charitatem, magno est argumento doctrinam christianam, quæ homines adeo sanctis moribus instituit, Deum habere autorem. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis:* nempe *quotquot* credentes *eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sic autem pro electis speciali affectu concludit orationem: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Hymno dicto fortitudinis exemplum exhibens in divino obsequio, dixit Apostolis: *ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc;* egressusque cum eis trans torrentem Cedron, introivit hortum olivarum: hic frequenter solebat pernoctare in oratione; idque noverat Judas, qui illius tradendi occasionem inde sumpsit. Christi passionis historia quoniam notissima est, præcipuas ejus circumstantias hic tantum attingemus.

Aug. ser. 13. & l. 2. de symbolo ad Catech. c. 8.

Joan. 3.

LV. Christus passus est annum agens trigesimum secundum tribus mensibus inchoatum, sed ab ejus Incarnatione completum, post duos annos & tres menses prædicationis, imperii Tiberii Cæsaris anno septimo & decimo. Nullus fuit eo sanctior, & in quem omnes sævirent atrocius, sed invicta patientia, summaque charitate iis se Deum probavit, etiam inter opprobria & cruciatus, qui miracula coruscantem agnoscere Messiam noluerant. Judas Iscariotes, unus e duodecim, eum tradidit, Petrus ter negavit cum perjurio, alii discipuli eo relicto profugerunt. Ut latro comprehenditur a militibus, apud Annam colaphis cæditur quasi conviciator, a supremo Judæorum senatu reus mortis pronuntiatur ut blaspemus & seductor, reclamantibus tot miraculis, quibus se Messiam & Dei Filium demonstraverat; ibidem servorum ludibrium factus saturatur opprobriis; Pilatus præses romanus eum ter declarat innocentem, sed mundano timore victus, cedit Judæorum improbitati, dumque eum servare tentat, reservat majoribus contumeliis & suppliciis; remittit ad Herodem regem, a quo ut fatuus illuditur; proponit populo Christum, an Barrabam velit dimitti propter solemnitatem Paschatis? Judæi præferunt Barrabam latronem & homicidam, Christum vero deposcunt ad crucem, quem tamen paucis ante diebus susceperant ut Messiam: præses efferatos animos placaturus, Jesum flagellis addicit ut vile mancipium, cæditur crudelem in modum, spinis coronatur, crudelitati adjecta est irrisio; lacero corpore, facie livore & sanguine deformata prodit in conspectum omnium, purpureum gestans pallium, & coronam spineam; adeo miserabili specie non flexi sunt in commiserationem, ut vehementius vociferarentur: *crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? responderunt Pontifices: non habemus regem nisi cæsarem.*

Christi passio. Matt. 27. Luc. 23. Europ. lib. 7.

Sicque

CHRISTI AN. 32.

Sicque fatebantur secundum prophetiam Jacob jam advenisse Messiam. Pilatus tunc, non ullo idoneo testimonio convictum, non ullo probato crimine, sed solo popularis seditionis metu, Christum damnat, & damnando absolvit: accepta enim aqua lavit manus coram populo, hæc mortis sententiæ publice præfatur: *innocens sum a sanguine justi hujus*. Carnifices Christum indutum suis vestibus, feralique trabe ejus humeris imposita, deducunt ad montem calvariæ, qui paululum extra portam urbis extenditur ad occidentem, ubi Adamum sepultum ferunt sancti Patres: hic in crucem agitur medius inter duos latrones. Morientem dicteriis & conviciis lacessunt gentiles atque Judæi, vinumque felle tum aceto mixtum sitienti & deficienti porrigunt. Ille vero etiam pro crucifixoribus divinam implorans misericordiam, circa horam ab ortu solis nonam sponte emisit spiritum, quem commendavit Patri. Animi dolor par fuit cruciatibus, in horto tristis fuit ad mortem, factusque in agonia, sanguine multo sudavit. Quatuor clavis suspensus in cruce, se derelictum a Patre conquestus est; ejus enim dolores absque solatio sic crescebant, perinde ac si fuisset a Patre derelictus. Cur autem tot tantaque passus sit, sic declarat Isaias: *vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit... Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

Orig. tract. 33. in Matt. Epiph. hær. 46.

Isa. 53.

Omnium oculis dum apparet *vir dolorum, & virorum novissimus, & percussus a Deo*, qui posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, tunc maxime enituit ejus divina virtus. Præcipuas passionis suæ circumstantias ipse prædixerat; militum manipulum, & ministros pontificum in se irruentes, hac voce, *ego sum*, prostravit, qui retrorsum ceciderunt, cumque tenere nisi volentem tot armati non potuerunt; discipulorum vero incolumitati consuluit. Iisdem videntibus aliud clementiæ miraculum edidit, Malcho restituens abscissam auriculam. Respiciens Petrum convertit ad pœnitentiam; statim enim egressus foras amare flevit. Invicta patientia, summaque sapientia Pilato visus est homine major. Iisdem virtutibus motus e latronibus unus, eum & justum, & cœlorum regem, & Dominum, & redemptorem credidit, & palam confessus est. Seque talem comprobavit Christus, ei donando cœleste regnum: *hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso*. Exhaustus sanguine, voce tamen magna clamans emittit spiritum: sic probans se non ex infirmitate vel necessitate naturæ, sed sola voluntate ponere animam suam, juxta illud Isaiæ: *oblatus est quia ipse voluit. Centurio qui eum custodiebat, videns quia sic clamans expirasset, ait: vere hic homo Filius Dei erat.* Omnium elementorum veluti sensu testatam esse ejus innocentiam & divinitatem voluit Deus. Sol in plenilunio, contra naturæ ordinem, obscuratus est, *usque a sexta hora*, post solis ortum, *tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*. Illius eclipsis meminit Phlegon Adriani libertus. Sanctuarii *velum scissum est in duas partes a summo usque deorsum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: vere filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Judas* ipse *videns quod damnatus esset, pœnitentia ductus*, sed infructuosa, *retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, dicens: peccavi tradens sanguinem justum... Et projectis argenteis in templo; abiens laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus: & notum factum est omnibus.*

Matth. 27. Joan. 19.

Orig. l. 2. adv. Celsum.

Luc. 23.

Matth. 26.

Act. 1.

Prophetarum oracula tunc in Christo completa fuisse observant Evangelistæ, præcipua tantum hic attingemus. David in persona Christi sic loquitur: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis & moverunt caput: speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Ut ipse ait: *consilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea... diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem,... Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Hæc autem ita in Christo impleta sunt, ut nulli alteri conveniant. Isaias de eo dicit: *oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum... & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* His omnibus Deus illum esse demonstravit, quem prophetæ prædixerant, venturum Messiam & redemptorem.

Ibid. Psal. 21.

Psal. 68.

CHRISTI AN. 32.

Isai. c. 53. Joan. 19.

Judæi, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & utriusque latronis *crura fregerunt*. Jesum autem cum vidissent jam mortuum, *non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua... ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo; & videbunt in quem transfixerunt.* Christus feria sexta passus est, qua debitor mortis factus est Adam inobediens Deo, die decimo Kalendas Aprilis, expiravit circa horam diei nonam. *Posthæc rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, occultusque Christi discipulus, ut tolleret corpus Jesu. Pilatus permisit. Joseph vir bonus & justus emit sindonem, & venit* cum Nicodemo, qui attulit *mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperunt corpus Jesu, & ligaverunt illud cum linteis & aromatibus.* Hic erat hortus, & in eo monumentum in petra excisum, *in quo nondum quisquam positus erat. Ibi posuerunt Jesum.* Aderat mater ejus, & Maria Magdalene, & Maria Joseph sedentes contra sepulchrum.

Tertul. l. de orat. Iren l. 5. Conc. Cæsar.

Christi anima Verbo semper unita descendit ad partes terræ inferiores, justorumque animabus prædicavit annuntians se esse Christum; quæ in eum crediderunt, easque participes gloriæ suæ effecit: justam autem damnatorum sententiam manifestam fecit. *Altera die post parasceven convenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum dicentes: domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum; & dicant plebi, surrexit a mortuis, & sic novissimus error erit pejor priore: ait illis Pilatus: habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.* Quam infirma est humana prudentia contra divinam omnipotentiam? quot apposuere custodes, tot habuere testes minime suspectos resurrectionis.

1. Pet. 3. Hier. in cap. 4. epist. ad Eph. Matth. 27.

LVII. Prima die post sabbatum Jesus mortis triumphator oriente sole surrexit a mortuis, quemadmodum sæpe prædixerat. Terræ motus factus est magnus, Angelus de cœlo descendens revolvit lapidem ab hostio sepulchri, non ut illud aperiret Domino resurgenti, sed postquam resurrexit; ejus aspectu custodes exterriti jacuere exanimes, obstupuerunt quoque piæ mulieres, quæ venerant, ut Christi corpus ungerent more Judæorum. Angelus eas securas esse jubet, affirmans Jesum vivere, cujus vacuum ostentabat sepulchrum, hortaturque adeo lætum nuntium ocius perferant ad discipulos. Illæ propere hæc omnia nuntiant undecim; advolant Petrus & Joannes, sequentibus iisdem mulieribus. Introeuntes in monumentum vident linteamina posita & sudarium, quod fuerat super ejus caput, separatim involutum; suspicati sunt Domini corpus esse sublatum; *nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*; & statim abeunt. Magdalene mansit sola plorans, sed minime credens verbis Angeli; inclinat se rursus amore anxia, & prospicit in monumentum, *& videt duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu*, ut sub tanta custodiæ dignitate, non crederet ab hominibus potuisse furari, qui ministeria Angelis servabatur; audito strepitu quasi hominis venientis, conversa retrorsum vidit Jesum, nec agnovit, credidit hortulanum, non quod, juxta Manichæum, & alios hæreticos, formam Dominus vultumque mutasset, ut pro voluntate diversus ac varius videretur; sed quod Maria stupefacta miraculo, hortulanum putaret; obtestatur corpus Christi occultatum indicet. Jesus eam compellans proprio nomine, seipsum manifestat; verum in pœnam incredulitatis prohibuit ne pedes deoscularetur. Occurrens aliis quoque mulieribus, quæ domum repetebant, dixit: *pax vobis*. Illæ in terram provolutæ eum adorant, & deosculantur pedes.

Joan. 20. Luc. 24. *Christi resurrectio.* Hierno. epist. ad Hedib.

Hieron. epist. ad Hedib.

LVIII. Interea custodes animis a terrore collectis delegant e suis, qui totius rei gestæ seriem nuntient

Matt. 28. *Resurre-*

sacer-

CHRISTI AN. 32.

Bionis Christi veritas.

ſacerdotibus, ne fortaſſis apud præſidem tanquam deſerti officii rei agerentur. Illi coacto concilio promittunt militibus ſecuritatem, pecuniaque corruptis perſuadent, ut rumorem in vulgus ſpargant, diſcipulos ſe dormientibus furtim ſuſtuliſſe corpus: ſed hominea leviſſimi ſacerdotum facinus, emptumque argento ſilentium reſurrectionis, & furti mendacium produnt familiaribus; nec latuit Pilatum rei veritas, ut fidem faciunt ejus ad Tiberium literæ, quarum meminere Tertullianus & Euſebius. Juſtinus in dialogo cum Triphone affirmat ab iis ſelectos homines miſſos in omnes provincias, qui ſpargerent Chriſti corpus ſublatum a diſcipulis, qui aſſeverarent eum a mortuis excitatum, ut homines in errorem inducerent. Verum adeone quiſquam ſtupidus eſt, qui non ſentiat ſtolidum eſſe commentum? Chriſtus mortem ſuam & reſurrectionem tertio die ſæpe prædixerat, ſi fallit fidem, impoſtor agnoſcitur. Cujus ergo ſtultitiæ & furoris fuiſſet, furto ſubripere cadaver demortui, ut eum ſurrexiſſe mentirentur? quandoquidem ex fraude nulla ſpes emolumenti, quin potius maximum periculum ſequeretur, graviſſimeque peccarent in patriam, in templum, & in ipſum Deum; e contra ſi Chriſtum promiſſis non ſtetiſſe confitentur, maximam apud ſuos principes gratiam ineunt. Vera igitur fuit fides reſurrectionis, quam ipſimet orbi terrarum miraculis perſuaſerunt, atque pro ejus confeſſione tot & tam gravia mala & tormenta pertulere, eam fuſo ſanguine conſignantes. Nec levibus inducti argumentis Chriſtum reſurrexiſſe crediderunt; ſola facti evidentia perſuaſit pertinaciter incredulos.

Tertul. in apol. Euſeb. l. 2. hiſtor. c. 2.

Luc. 24. 1. ad Cor. 15. *Chriſti apparitiones.* Orig. l. 2. adverſ. Celſum. Luc. 24.

LIX. Mulierum, quibus Chriſtus apparuerat, teſtimonium eis viſum eſt delirium. Itaque ut ſuis comperta ſenſibus credere Chriſtus perſuaderet, eodem die Petro & duobus diſcipulis euntibus Emauntem ſic videndum ſe præbuit, unus dicebatur Cleophas, alter Simon, ut refert Origenes: conſalutantibus ſe viæ ſocium adjungens ait: *qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Cleophas D. Joſephi frater *dixit ei, de Jeſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo:* & de ejus morte. *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael, & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt: ſed & mulieres quædam e noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt, dicentes ſe etiam Angelorum viſionem vidiſſe, qui dicunt eum vivere:* id quod profecto nec credebant, imo neque ſperabant. *Et ipſe dixit ad eos: o ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ? nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? & incipiens a Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis, in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Caſtello cum appropinquarent, ita ſe compoſuit quaſi longius iturus, ut eorum in ſe amorem magis accenderet. *Et coegerunt illum, dicentes: mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit. Et intravit cum illis:* & recumbens *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Dum ſimul comederent, ſeu potius in ipſo ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſu, quemadmodum Patres opinantur, *aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Et eadem hora regreſſi Jeruſalem, *invenerunt congregatos undecim cum aliis diſcipulis, dicentes: quoniam ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognoverant eum in fractione panis.* Dum hæc loquuntur, *ſtetit Jeſus in medio eorum, & dicit eis pax vobis: ego ſum, nolite timere. Conturbati vero & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* Increpans tantam incredulitatem, *palpate,* inquit, *& videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere;* oſtenditque manus & pedes clavorum cicatricibus inſignes: adhuc inter ſpem metumque hæſitantibus jubet afferri cibum, oblatumque piſciculum cum favo mellis comedit, veram eſſe ſuam reſurrectionem hac ratione demonſtrans. Jam credentibus dixit: *pax vobis, ſicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos;* pari ſcilicet authoritate, & ob eundem finem ut legatos mitto vos ad vitam æternam hominibus largiendam; adjecit inſufflans; *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, promiſſamque peccata dimittendi poteſtatem conferens Apoſtolis, ut docent antiquiores Patres. Ergo recte monet Auguſtinus, nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Peccata quidem dimittit ſolus Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit poteſtatem.

Aug. de conſenſu Evang. l. 3. c. 25.

Joan. 20.

Tert. Sc. Cypr. de lapſis. Ambr. l. de pœn. & in Luc. Aug. l de agon.

Joan. 20. *D. Thomæ incredulitas utilis.* Greg. hom. 26. in Evang.

LX. Thomæ, qui tunc abfuerat, narrant alii, quomodo Dominum viderint: *niſi videro,* inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Thomas volebat non ſolum videre, ſed quodammodo metiri ejus plagas, ne quis forte ſubeſſet dolus, ne picta potius, aut ſumma ſignata cute, quam alte impreſſa eſſent vulnera, qualia Chriſti fuiſſe noverat: neque enim alios inſimulabat mendacii, ſed putabat aliena ſpecie deceptos. Non hoc caſu, ſed divina diſpenſatione geſtum eſt: egit enim miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis: plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides diſcipulorum credentium profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur. Paſtor bonus non diſtulit ultra octiduum, ut confirmaret infirmum in fide Apoſtolum. Divinitus factum eſt, ne Chriſti morte diſpergerentur Apoſtoli, atque ad ſuas civitates remigrarent; ſed Jeroſolymis remanerent in eadem domo; latebant in interiori ejus parte metu Judæorum; altera die Dominica, Jeſus, januis licet clauſis, in medio diſcipulorum ſtetit, *pax vobis,* inquit, eorumque animis confirmatis, juſſit Thomam digitum inſerre in cicatrices vulnerum, probationem, quam expetierat, concedens non ſine objurgatione infidelitatis. Attrectatis ſacris ſtigmatibus exclamat Thomas: *Dominus meus & Deus meus.* Videbat, tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat; ſed per hoc quod videbat & tangebat, illum jam remota dubitatione credebat. Diſcipuli fidem laudat Jeſus, reprehendens modum quo credidit, ejuſque comparatione beatos pronuntiat, qui non videntes eum ſurrexiſſe a mortuis, tamen credunt Deum viventem.

Auguſt. tract. 21. in Joan. Greg. hom. 26. in Evang.

LXI. Diſcipulos monet tranſeant in Galilæam: hic diutius cum eis converſatus eſt: non omnes, ſed tantum præcipuas ejus apparitiones recenſent Evangeliſtæ. Septima ſic contigit juxta mare Tiberiadis; piſcabantur ſimul plures diſcipuli, *ſed illa nocte nihil prehenderunt; mane facto ſtetit Jeſus in littore,* & quærit, numquid pulmentarium haberent? negant illi: *mittite,* inquit, *in dexteram navigii rete, & invenietis.* Ignoto licet obtemperant, tantamque piſcium multitudinem comprehendunt, ut retia in terram trahere non valerent. Joannes dilectus diſcipulus Dominum prior agnoſcit, Petroque indicat; ille ferventior induit tunicam longiorem, & miſit ſe in mare, quo citius ad eum perveniret: alii venerunt navigio trahentes rete plenum 153. majoribus piſcibus; aſcendentibus in terram apparet novum prodigium, piſces ex aqua nondum extraxerant, & Chriſtus eis dividit panem & piſcem prunis impoſitum, tum jubet ut piſcium capturam proferant. *Aſcendit Petrus, & traxit rete in terram,* & quamvis tot ac tanti piſces obniterentur, non eſt ſciſſum. Stupentibus ea iis quæ videbant diſcipulis, Petrum ter percontatur: *Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine, tu ſcis quia amo te;* trinam confeſſionem rependens triplici negationi, ſed non auſus eſt affirmare ſe plus aliis Dominum diligere, memor culpæ ſuæ; ſic Chriſto Petrus ſatisfecit, quem ter negaverat, & collegis quibus ſe prætulerat, & ob amoris prærogativam totius Eccleſiæ regimen accipit; paſtor non ſolus, ſed primus conſtituitur, hiſce verbis; *paſce agnos meos, paſce oves meas:* quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus commendabat, quemadmodum obſervat Chryſoſtomus, quæ cum Petrus ageret, illum Chriſtus authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos Apoſtolos longe præcellere. Collatæ tantæ dignitatis rationem hanc affert D. Cyprianus, primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & cathedra monſtretur, & ſic ſervetur unitas: aliud altare conſtitui, aliud ſacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum ſacerdotium, non poteſt: quiſquis alibi collegerit, ſpargit; adjecit prædictionem mortis in cruce, qua clarificaturus

D. Petri primatus.

Bern. l. 2. de conſid.

Chryſoſt. l. 2. de ſacerd. c. 1. Cypr. l. de unit. Eccl. epiſt. 25.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 32.

Matth. 28.

turus esset Deum, ut demonstraret, inquit Augustinus, sic diligendas oves suas ab iis, quibus eas commendat, ut parati sint mori pro eis. *Conversus Petrus vidit Joannem, quem diligebat Jesus, sequentem; qui recubuit in cœna super pectus ejus; & dixit: Domine, hic autem quid? dixit ei Jesus: sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Sed non dixit Jesus, non moritur.*

Joan. 21.

LXII. Apparens per quadraginta dies discipulis, *& convescens cum iis, & loquens de regno Dei*, quod est Ecclesia, plurima tradidit, quæ ad illius constitutionem & regimen pertinerent: hinc apostolicarum traditionum origo; non enim, D. Joanne teste, scripta sunt quæcunque dixit Jesus, aut gessit; ut major esset Ecclesiæ autoritati locus. Eorum, quæ ad nos per traditionem pervenere, multa nobiscum credunt & observant protestantes, exempli causa, Dominicam diem sancte observandam, & non sabbatum; validum esse baptismum collatum parvulis vel per aquæ infusionem, vel ab hæreticis, quæ nullam in scripturis habent solutionem. Condicto die plusquam quingenti discipuli convenere in montem Galilææ, quibus simul apparens promissi munus implevit, dum mulieribus dixit: *renuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Tot testes resurrectionis in fide confirmati signis evidentibus, hic eum adorarunt. *Deinde visus est Jacobo; demum omnibus Apostolis Jerosolymæ, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderunt eum resurrexisse, non crediderunt; præcepitque ne Jerosolymis discederent, sed expectarent promissionem Patris. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas:* ergo scripturæ obscuritatem habent, neque eas intellexissent Apostoli, nisi Dominus iis sensum aperuisset: adjecit, *sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma; vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos*, scilicet Spiritum sanctum, *vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.*

1. ad Cor. 15.

Luc. 24.

Act. 1.

Luc. 24.

Luc. 24. *Christi ascensio.* Act. 1. Matt. 28.

LXIII. Oratione sua confirmatos, & spe alacres *eduxit eos foras in Bethaniam*, quæ erat in clivo montis oliveti, in cujus verticem mox conscendit. Aderat dies a resurrectione quadragesimus, quo in cœlum, unde venerat, redire destinarat. Supremum valedicturus discipulis, sic eos affatur: *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra; euntes ergo in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Dolorem ex suo discessu conceptum consolando levat, promittens perpetuam autoritatis & auxilii præsentiam. Hæc absoluta promissio non tantum ad Apostolos, sed etiam ad eorum successores pertinet, ut bene doceant populos omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; nam, ut recte observat D. Augustinus, Apostolis quidem loquebatur, & nos significabat dum diceret: *ecce ego vobiscum sum*. Itaque dum per primos pastores docet Ecclesia, semper bene docet, alioquin Christus promissum non daret auxilium. Interrogant discipuli, *si in tempore hoc restitues regnum Israel?* adeo difficile est dimittere conceptam semel terrenæ felicitatis opinionem; Hoc nihil ad vos, reponit Christus: *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, elevatis manibus benedixit eis, & videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Statimque corpus, in quo manebant vulnera suscepta pro nobis, cœlo intulit, ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæa nostræ salutis amplectens. Discipuli admiratione defixi in cœlum semper intuebantur: ecce duo angeli sub specie humana, albis vestibus amicti, sic eos alloquuntur: *viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet*, scilicet ut Judex omnium, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc adorantes reversi sunt Jerosolymam*, ingressique cœnaculum fere centum viginti, perseverabant in oratione cum Maria matre Jesu, ejusque cognatis, aliisque piis mulieribus. Cœnaculum illud fuisse in domo Joannis, in monte Sion putat Hieron.: *& erant semper in templo*, horis orationi destinatis, laudantes & benedicentes Deum.

CHRISTI AN. 32.

Aug. in Pf. 41. serm. 1.

Ambr. l. 10. in Luc.

Luc. 24

Hier. 10 epitap. Paul.

Matthiæ electio.

Euseb. hist. l. 1. c. 12.

Act. 1.

Ambr. in c. 1. Luc.

Aug. in Pf. 30. conc. 2.

Euseb. hist. l. 3. c. 39.

LXIV. Petrus, Apostolici collegii princeps, providens regimini Ecclesiæ, proponit ex iis, qui Christo fuerant comites a baptismo Joannis, ac proinde e numero septuaginta discipulorum, unum in proditoris Judæ locum sufficiendum esse. Elegerunt duos meritis pares, Josephum Justum, & Matthiam, *& orantes Deum dixerunt: tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Et ne Apostoli electio a mandato veteris legis discrepare videretur, miserunt sortem more Judæorum: *& sors cecidit super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Electi sunt, *inquit Augustinus*, duo judicio humano, electus est unus e duobus divino judicio, & Christus qui alios Apostolos immediate vocaverat, Matthiæ electionem sibi reservavit, ne collegis suis inferior videretur. Miraculum ingens de Josepho narrat Papias; hic cum lethale poculum ebibisset, Dei adjutus gratia, nullum inde accepit incommodum.



TEX-

Digitized by Google

TEXTUS GRÆCI LIBRI PRIMI.

NUmero XI. in Eusebio, Hist. Eccl. Lib. 7. c. 18. ἐπειδὴ τῆσδε τῆς πόλεως (τῆς Φιλίππου Καισαρείας) εἰς μνήμην ἐλήλυθα, οὐκ ἄξιον ἡγοῦμαι παρελθεῖν διήγησιν καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς μνημονεύεσθαι ἀξίαν. τὴν γὰρ αἱμοῤῥοοῦσαν, ἐκ τῶν ἱερῶν εὐαγγελίων πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν τοῦ πάθους ἀπαλλαγῆναι μεμαθήκαμεν, ἐνθένδε ἔλεγον ὁρμᾶσθαι. τόν τε οἶκον αὐτῆς ἐπὶ τῆς πόλεως δείκνυσθαι, καὶ τῆς ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος εἰς αὐτὴν εὐεργεσίας θαυμαστὰ τρόπαια παραμένειν. ἑστάναι γὰρ ἐφ' ὑψηλοῦ λίθου πρὸς μὲν ταῖς πύλαις τοῦ αὐτῆς οἴκου, γυναικὸς ἐκτύπωμα χάλκεον ἐπὶ γόνυ κεκλιμένον, καὶ τεταμέναις ἐπὶ τὸ πρόσθεν ταῖς χερσὶν, ἱκετευούσῃ ἐοικὸς, τούτου δὲ ἀντικρὺ ἄλλο τῆς αὐτῆς ὕλης ἀνδρὸς ὄρθιον σχῆμα, διπλοΐδα κοσμίως περιβεβλημένον καὶ τὴν χεῖρα τῇ γυναικὶ προτεῖνον, οὗ παρὰ τοῖς ποσὶν ἐπὶ τῆς στήλης αὐτῆς ξένον τι βοτάνης εἶδος φύειν. ὃ μέχρι τοῦ κρασπέδου τῆς τοῦ χαλκοῦ διπλοΐδος ἀνιὸν, ἀλεξιφάρμακόν τι παντοίων τυγχάνειν. τοῦτον δὲ τὸν ἀνδριάντα, εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον, ἔμενεν δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς, ὡς καὶ ὄψει παραλαβεῖν ἐπιδημήσαντας αὐτοῦ τῇ πόλει.

Ibidem ex Sozomeno, hist. Eccl. lib. 5. c. 21. ἐμοὶ δὲ τὸ ἐπὶ Ἰουλιανοῦ συμβὰν ἄξιον κρίνω ῥητέον. σημεῖον μέγα τῆς τοῦ Χριστοῦ δυνάμεως. τεκμήριον δὲ τῆς εἰς τοὺς κρατοῦντας θεομηνίας. ἐπεὶ γὰρ ἔγνω ἐν Καισαρείᾳ τῇ Φιλίππου, Φοίνικες δὲ αὐτὴν πόλιν, ὡς Πανεάδα ὀνομάζουσιν, ἐπίσημον εἶναι Χριστοῦ ἄγαλμα, ὃ τοῦ πάθους ἀπαλλαγεῖσα ἀνέθηκεν ἡ αἱμοῤῥοοῦσα, καθελὼν τοῦτο ἴδιον ἀνέστησε. βίαιον δὲ πῦρ ἐξ οὐρανοῦ πεσὸν, τὰ περὶ τὸ στῆθος τοῦ ἀνδριάντος διέστησε, καὶ τὴν κεφαλὴν σὺν τῷ αὐχένι κατέβαλε, καὶ ἐπὶ πρόσωπον ἐνέπηξεν τῇ γῇ κατὰ τὸ διεῤῥωγὸς τοῦ στέρνου ἐστίν. καὶ τὸ ἐξ ἐκείνου μέχρι νῦν οὕτως ἕστηκε, τῆς κεραυνίου αἰθάλης πλῆρες. τὸν δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀνδριάντα, τότε μὲν οἱ Ἕλληνες σύροντες κατέαξαν. μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Χριστιανοὶ συλλέξαντες, τῇ ἐκκλησίᾳ ἀνέθεσαν, ἔνθα καὶ νῦν φυλάττεται. ἀπὸ δὲ τῆς βάσεως ἐφ' ᾗ ἵστατο ὁ ἀνδριὰς οὗτος, ὡς ἱστορεῖ Εὐσέβιος, παντοίων παθῶν καὶ νοσημάτων ἀλεξιφάρμακον βοτάνη τις ἔφυεν, ἣν οὐδὲν οἶδεν ἔγωγε ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς ἰάσιν ὁ ἐμπειρ.

N. XXI. Ex Epistola Synodica seu 3. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium. τὴν ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν θυσίαν. πρόσιμέν τε οὕτω ταῖς μυστικαῖς εὐλογίαις καὶ ἁγιαζόμεθα, μέτοχοι γενόμενοι τῆς τε ἁγίας σαρκὸς, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ πάντων ἡμῶν Σωτῆρος Χριστοῦ, καὶ οὐχ ὡς σάρκα κοινὴν δεχόμενοι, μὴ γένοιτο. οὔτε μὴν ὡς ἀνδρὸς ἡγιασμένου, καὶ συναφθέντος τῷ λόγῳ κατὰ τὴν ἑνότητα τῆς ἀξίας, ἤγουν ὡς θείαν ἐνοίκησιν ἐσχηκότος. ἀλλ' ὡς ζωοποιὸν ἀληθῶς, καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ λόγου. ζωὴ γὰρ ὢν κατὰ φύσιν ὡς Θεὸς, ἐπειδὴ γέγονεν ἓν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σάρκα, ζωοποιὸν ἀπέφηνεν αὐτήν. ὥστε κἂν λέγῃ πρὸς ἡμᾶς. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα. οὐχ ὡς ἀνθρώπου τῶν καθ' ἡμᾶς ἑνὸς καὶ αὐτὴν εἶναι λογιούμεθα. πῶς γὰρ ἡ ἀνθρώπου σὰρξ ζωοποιὸς ἔσται κατὰ φύσιν τὴν ἑαυτῆς; ἀλλ' ὡς ἰδίαν τοῦ δι' ἡμᾶς καὶ υἱοῦ καὶ ἀνθρώπου γεγονότος καὶ χρηματίσαντος.

N. LII. Justinus Apol. 2. sub finem. ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ Ἁγίου, ἀναπέμπει καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, ἀμήν... εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου, τουτέστι τὸ σῶμά μου. καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα, καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι.

Ibidem Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 18. nov. ed. n. 5. πῶς... τὴν σάρκα λέγουσιν εἰς φθορὰν χωρεῖν, καὶ μὴ μετέχειν τῆς ζωῆς, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου, καὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τρεφομένην; ἢ τὴν γνώμην ἀλλαξάτωσαν, ἢ τὸ προσφέρειν τὰ εἰρημένα παραιτείσθωσαν.

N. LV. Origen. l. 2. adv. Celsum. περὶ δὲ τῆς Τιβερίου Καίσαρος ἐκλείψεως, ᾧ βασιλεύοντος καὶ ὁ Ἰησοῦς ἔοικεν ἐσταυρῶσθαι, καὶ περὶ τῶν μεγάλων τότε γενομένων σεισμῶν τῆς γῆς, ἀνέγραψε καὶ Φλέγων ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ, οἶμαι, τῶν Χρονικῶν.

N. LXI. Chrysostomus l. 2. de sacerdotio cap. 1. πρὸς γὰρ τὸν κορυφαῖον τῶν Ἀποστόλων διαλεγόμενος (ὁ Χριστὸς) Πέτρε, φησὶ, φιλεῖς με; τοῦτο δὲ ὁμολογήσαντος, ἐπιλέγει, εἰ φιλεῖς με, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. ἐρωτᾷ τὸν μαθητὴν ὁ διδάσκαλος.. οὐχ ἵνα αὐτὸς μάθῃ...., ἀλλ' ἵνα ἡμᾶς διδάξῃ, ὅσον αὐτῷ μέλει τῆς τῶν προβάτων ἐπιστασίας τούτων...... διὰ τί καὶ τὸ αἷμα ἐξέχεεν; ἵνα τὰ πρόβατα κτήσηται ταῦτα, ἃ τῷ Πέτρῳ καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον ἐνεχείριζεν; εἰκότως ἄρα ἔλεγεν ὁ Χριστός. τίς ἄρα ὁ πιστὸς δοῦλος καὶ φρόνιμος, ὃν κατέστησεν ὁ κύριος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας αὐτοῦ; .... ὁ τὸν πιστὸν καὶ φρόνιμον ἀγνοῶν... ἀλλὰ παραστῆσαι θέλων τοῦ πράγματος ἐκείνου, καὶ τῆς ἀρχῆς ταύτης τὸ μέγεθος. ὅρα γοῦν καὶ τὸ ἔπαθλον ὅσον. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτὸν, φησίν. ἔτι οὖν ἀμφισβητήσεις ἡμῖν τὸ μὴ καλῶς ἠπατῆσθαι, πάντων μέλλων ἐπιστήσεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ τοῖς ὑπάρχουσι, καὶ ταῦτα πράττων, ἃ καὶ τὸν Πέτρον ποιοῦντα ἔφησε δυνήσεσθαι (καὶ) τῶν Ἀποστόλων ὑπερακοντίσαι τοὺς λοιπούς; Πέτρε γὰρ, φησὶ, φιλεῖς με πλέον τούτων; ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

Spiritus Sancti descensus, Apostolorum prædicatio Jerosolymis, & in Judæa, & finitimis regionibus. D. Pauli conversio, & apostolatus; Cornelii & gentium vocatio. Apostolorum dispersio per varias orbis provincias, eorum libri Canonici, labores, & passiones. Ecclesiarum Patriarchalium fundationes, & prærogativæ, præsertim Romanæ Ecclesiæ, cujus primus Episcopus fuit D. Petrus; primorum fidelium vitæ sanctitas; persecutiones, & primæ hæreses.

CHRISTI AN. 32.



I. Hactenus Jesu Christi gesta & verba retulimus, quæ sunt leges & fundamentum religionis Christianæ; *ipse* enim est *via, veritas, & vita*: via conversationis sanctæ, veritas divinæ doctrinæ, & vita beatitudinis æternæ. Ecclesiæ magna per totum orbem incrementa in hoc secundo libro prosequemur; divinum prorsus opus, quo sese vel maxime manifestat divina bonitas & omnipotentia.

Joan. 14. Leo ser. 2. de resurrect.

Spiritus S. descensus.

II. A Christi resurrectione ad Pentecosten numerantur quinquaginta dies, quibus jejunium nescit Ecclesia: aderat quinquagesimus, & prima sabbati, qua legem Israelitis olim in monte Sinai dederat Deus, & Christus surrexerat a mortuis. Hora ejusdem diei tertia Spiritus sanctus a Patre Filioque missus divina virtute induit Apostolos, ut cœlesti quadam regula, insinuatum & traditum noverimus, in illo die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum; in quo collata sunt omnia dona gratiarum: idcirco dies ille Dominicus dicitur, qui antea prima sabbati vocabatur. *Auditus est repente sonus tanquam venti vehementis*, hoc fuit signum Spiritus sancti advenientis; statim *replevit totam domum*, in qua orabant discipuli: *& apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Et quoniam omnium gentium doctores instituebantur, ut commune beneficium in omnem intellectum humanæ vocis dispertiretur, ne si in unam linguam solam prædicatio pietatis includeretur, inutilis hominibus diversæ linguæ maneret, *cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*; & Dei magnalia palam prædicabant. Et qui primo remittendorum peccatorum gratiam acceperant, tunc acceperunt cuncta donationum genera, & diversitatem linguarum omnium gentium. *Stupebant omnes, & mirabantur, dicentes: nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? quidnam vult hoc esse?* Judæi propter solemnitatem venerant Jerosolymam, non tantum ex omnibus Asiæ provinciis, & insulis adjacentibus, sed etiam ex Africa & Europa, ubi omnes urbes, quæ bonum habebant agrum, a Judæis incolebantur.

Leo epist. 79.

Greg. Nyss. in Steph.

Hieron. ad Hed.

Act. 2.

Philo in legat.

Quidam *irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti*. Petrus, os omnium, causam fidei agit pro omnibus... & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Ecclesiam. Ebrietatis suspicionem facile levavit ex circumstantia temporis. Josepho teste, Judæi diebus festis ab omni cibo & potu abstinebant usque ad sextam horam, seu meridiem, quæ tunc semotior expectabatur, erat enim hora diei tertia a solis ortu; effusum super eos Spiritum sanctum hæc mira operari docet, quemadmodum prædixerat Joel propheta. Impavidus eis annuntiat Jesum, quem injuste crucifixerant, surrexisse a mortuis, eumque a Deo constitutum Dominum universorum, & Messiam, qui sedens ad dexteram Patris, in eos misit Spiritum sanctum. Dictis fidem conciliat ex memoria tot operum mirabilium, quæ vivens coram ipsis ediderat, validiusque persuasit præsenti duplici miraculo; etenim singuli Apostoli variis linguis loquebantur, & quod mirabilius est, una eademque lingua loquens Petrus ab omnibus audiebatur sub proprio idiomate provinciæ, in qua quisque natus erat: prodigium adeo divinum aperte indicat textus sacer: *his auditis*, nempe quæ Petrus continua oratione dixerat, *compuncti sunt corde, & dixerunt, quid faciemus viri fratres? pœnitentiam agite*, inquit D. Petrus, *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*. Divinæ de Christo promissionis, & bonorum cœlestium, quæ credentibus in eum conferuntur, vos estis participes, cum sitis filii Abrahæ. Fidem in Christum receperunt circa tria millia hominum & mulierum, quos omnes baptizarunt Apostoli sub ea forma, quam Christus præscripserat. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & orationibus; quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem* Eucharisticum, *collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem populum*. Omnes timore & sacro quodam horrore & reverentia tenebantur, ut fit ubi mirabilibus sese manifestat divina potentia.

Chrysost. hom. 4. in Act. Apost.

D. Petri 1. concio.

CHRISTI AN. 32.

Act. 3. *Claudus sanatur.*

III. Petrus & Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, qua sacrificium vespertinum offerebatur: vir quidam annorum 40. claudus ex utero matris suæ eleemosynam rogabat ab introeuntibus; cui Petrus dixit: *argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula; & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ, & exiliens stetit, & ambulabat, laudans Deum*. Quem ut *vidit populus* in templum introeuntem, *impleti sunt omnes stupore & extasi*; frequentesque circumstant Apostolos juxta porticum Salomonis. Petrus strenue usus hac opportunitate, annuntiat Christum crucifixum, e mortuis redivivum, in cujus nomine & potestate factum affirmat miraculum. *Deus*, inquit, *Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis... & petistis virum homicidam donari vobis: authorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis; cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis... Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Ut cum venerint tempora refrigerii, securi sitis a conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis Jesum Christum. Quem oportet quidem cœlum suscipere, usque ad tempora restitutionis omnium*: scilicet usque ad diem judicii, quo tunc e cœlo descendet, ut in terris sit Judex visibilis.

Act. 4. *1. Persecutio.*

Multi crediderunt, & factus est numerus fidelium quinque millia. Loquentibus illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, & magistratus templi, nempe præfectus levitarum, qui diu noctuque templum custodiebant, *& Sadducæi dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis; injecerunt in eos manus, & posuerunt in custodiam*.

Postridie magni Synedrii senatores, 24. classium sacerdotalium principes, & legis doctores consilium iniere, Anna præside: hic per tredecim annos fuerat summus Pontifex, & licet abdicatus, nomen retinebat; sic usus apud Judæos contra legem invaluerat. Adductos in medium Apostolos interrogant: *in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Petrus plenus Spiritu sancto* respondit fidenter: *in nomine Domini Nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus; & non est in aliquo alio salus; nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: videntes Petri constantiam & Joannis, comperto quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur*; manifestum erat signum, & non poterant negare; itaque prohibent ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

Petrus

CHRISTI AN. 32.

Petrus & Joannes dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate? non possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui. Illi comminantes dimiserunt eos. Dimissi veniunt ad suos, qui cum sacerdotum minas audissent, *unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt .... Domine, respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum; in eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

Apostolorum prudens œconomia. Chrysost. in Act. c. 1.

Admirandum in Apostolis, inquit Chrysostomus, quomodo se se ad infirmorum ac rudium captum demiserint, atque hoc ipsum eis Spiritus sanctus suggessit .... Unde factum est, ut cum tam multa de Christo disseruerint, pauca de divina ejus natura dixerint, plurima vero de natura ejus humana, de morte, de resurrectione & ascensu in cœlum, & de secundo ejus ut Judicis adventu .... nam nisi hæc prius credita fuissent, universum dogma Judæis visum fuisset incredibile. Quapropter seorsim ac paulatim illos ad sublimiora provehunt ... Etenim si Christum ipsum de æqualitate, quam habet cum Patre, disserentem frequenter aggressi sunt lapidibus obruere, eaque de causa blasphemum appellarunt; haud quaquam eumdem sermonem statim a piscatoribus accepissent. Multo minus gentiles, simulacris assueti, hos sublimes de dogmatibus sermones recepissent. Sed per alia captu faciliora licet mirabilia sensim ad Trinitatis fidem disponebantur. Nec tamen humana industria, vel suis viribus aggressi sunt totius orbis conversionem. Nam erat impossibile ut unquam res tanta viribus hominum conficeretur; sed divina virtute, quæ signis & prodigiis eorum sermonem confirmavit. Quæ si quis facta negat, hoc ipso maximum astruit miraculum, scilicet absque miraculis orbem terrarum accurrere a duodecim pauperibus & illiteratis hominibus attractum, avitaque religione derelicta, licet valde commoda, amplecti fidem hactenus inauditam, & sensibus maxime repugnantem, quæ ad sui ipsius & bonorum, quorum usu hæc vita fit jucundior, abnegationem cogeret sectatores suos, invisibiliaque tantum bona in altera vita repromitteret.

Primorum fidelium mores. Act. 4.

IV. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque quisquam erat egens inter illos; quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Hic fuit progressus vitæ religiosæ, & paupertatis evangelicæ, quæ in Christi familia videtur habuisse initium. Aliqui Judæi in Palæstina prope similem vivendi formam jam dudum profitebantur; dicti sunt Esseni, quasi aliis sanctiores, sed reipsa omnium maxime superstitiosi. Eorum mores sic describit Josephus: in templo anathemata proponenda prohibent, sacrificia vel hostias cum populo non celebrant, quod se plurimum ab aliis munditia vel sanctitate differre putant, & se a communi congregatione discernunt remotim sacrificia facientes. Habebant ariolos qui ex scripturis se futura prædicere posse gloriarentur: negantes liberum arbitrium omnia fatali necessitate fieri putabant, adeo tamen tenaces erant libertatis, ut cujuscumque hominis detrectarent principatum. Ex quibus patet quantum fuerint Christi discipulis inferiores.

Joseph. antiq. l. 18. c. 2.

Act. 5. Clem. Alex. l. 2. strom.

V. Evangelicæ paupertatis exemplum dedit Joseph cognomento Barnabas, levites, Cyprius genere, unus e 72. Christi discipulis, *cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.* Ejusmodi oblationes quam sincero animo fieri vellet Deus, ostendit eventu mirabili.

Ananiæ & Saphiræ peccatum & pœna.

Ananias cum Saphira uxore sua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua, & afferens partem quamdam ad pedes Apostolorum posuit, se totum dare professus. Hypocrisim cum mendacio uterque conjunxit subdiffidens divinæ providentiæ. Petrus divinitus cognoscens simulationem ite cum objurgat: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* scilicet ut pretium tibi licite servares: (quæ verba cum voto paupertatis vel pretii consecratione conciliare difficile est,) *non es mentitus hominibus, sed Deo*, seu, ut modo dixit, *Spiritui sancto. Ananias hæc audiens cecidit & expiravit, & juvenes eum sepelierunt.* CHRISTI AN. 32.

Tribus post horis, *uxor ipsius nesciens quid factum fuerat, introivit. Dixit ei Petrus: dic mihi mulier si tanti agrum vendidistis? illa dixit: etiam tanti. Quid*, inquit Petrus, *utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium; & efferent te ... Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit.* Nequaquam Apostolus his imprecatur mortem, sed Dei judicium prophetico spiritu annuntiat, ut pœna duorum hominum sit doctrina multorum. Sic enim omnibus persuasum fuit Spiritum Dei in Ecclesia residere, quam per Apostolos regebat: *& factus est timor magnus in universa Ecclesia. Intrantes juvenes extulerunt eam, & sepelierunt ad virum suum; & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis*, timore Judæorum: *sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*; tantaque erat apud omnes de iis opinio, *ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, qui curabantur omnes.* Impletumque est illud Christi oraculum; *qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet:* quippe non amplitudine modo, sed etiam ratione faciendi, majora Apostolorum, quam Christi fuere miracula. Virtus quidem exibat de Christi vestibus, quæ tangentes sanaret; Petrus vero vel umbra sua plurimis sanitatem reddidit.

Hieron. epist. 97. alias 8.

Joan. 14.

Act. 5. *Apostolorum constantia.*

VI. Sacerdotum princeps cum Sadducæis, quorum hæresim sectabatur, Apostolos tradidit in custodiam publicam; ex ea per noctem educti sunt ministerio Angeli. Postridie frequens senatus jussit eos produci, sed ministri nuntiaverunt, *carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.* His auditis, incerti de eventu, vel quia erant, dum deliberant, adveniens quidam dixit; *viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes & docentes populum.* Miserunt magistratum, hic populum veritus, volentes, & quasi honoris causa deduxit in concilium. Pontifex ait: *numquid præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto?* Vox una omnium fuit: *obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis;* exaltatumque per gloriosam resurrectionem constituit principem, hominumque Salvatorem, ut remissionem peccatorum per pœnitentiam consequantur. *Et sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus, quem Deus dedit obedientibus sibi:* & quidem cum prodigiis sensibilibus, quæ ipsimet viderant. Hac responsione supra modum exacerbati sacerdotes, illos interficere cogitabant. Gamaliel, legis doctor, honorabilis universæ plebi, D. Pauli magister in lege, secta pharisæus, & postea christianus, persuasit dissimulandum esse. *Quoniam, si ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur;* quod probavit exemplis Theodæ & Judæ, qui, cum novas res tentassent, misere perierunt. *Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini.* Hæc proprio dictante spiritu dixit, ut ab instanti periculo quoquo modo eriperet Apostolos; persuasit; virgis cæsos dimittunt & denuntiant, *ne omnino loquerentur in nomine Jesu. Apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.*

Act. 6. *Diaconorum electio.*

VII. *Crescente numero discipulorum*, quos inter *multa turba sacerdotum obediebat fidei*; Judæi hellenistæ, qui nati in aliis provinciis græce loquebantur, & græcis bibliis utebantur in synagogis, conquesti sunt, quod divitum eleemosynæ, non ut par est, viduis suis dividerentur, adeo ut jam videretur quædam facta personarum acceptio, turbarum in qualibet hominum congregatione seminarium. Huic tanto malo ut occurrerent, *convocantes duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: non est æquum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis: considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus. Placuit sermo coram omni multitudine. Elegerant*

Ste-

Digitized by Google

CHRISTI AN. 32.

Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum, advenam antiochenum; omnes fuisse hellenistas indicant nomina græca. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Hæc ordinatio, qua deputabantur ministerio mensæ communis & sacræ, eleemosynarum & Eucharistiæ distributioni, evangeliique prædicationi, ut constat ex perpetua traditione & antiquioribus Patribus, est verum Sacramentum; manus enim viro super ponitur, inquit Chrysostomus, totum autem Deus operatur: & illius est manus, quæ ejus qui ordinatur, caput contingit, si, quemadmodum oportet, ordinatur.

Ignat. epist. ad Trall. Justin. apolog. 1. Chrysost. hom. 13. in Act.

VIII. Eodem prope tempore D. Jacobus cognomento Justus & Oblias, id est, populi munimentum, ab Apostolis præficitur Ecclesiæ Hierosolymitanæ; Domini frater dicebatur, quippe Mariæ sororis matris Domini filius: hic de utero matris sanctus fuit, ut refert Hegesippus, id est Deo consecratus, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, comam nunquam totondit, neque ungi neque lavare balneo corpus unquam solitus; linea tantum veste utebatur, unus ex omnibus in templi sanctuarium ingrediendi facultatem habebat, non utique in Sancta Sanctorum, quæ soli Pontifici semel quotannis patebant: sed quæ sancta nominantur, in quibus mensa & panes propositionis: quem in locum sacerdotes quotidie ingredi solebant. Ibi genibus flexis pro populi peccatis supplex Deum orare consueverat, in tantum, ut ejus genua instar cameli occalluerint. In capite gestabat laminam auream suæ dignitatis indicem. Apostolorum primus solium sacerdotale conscendit.

Hier. de script. Eccles. *D. Jacobus fit Ep. Jerosol.* Euseb. hist. l. 2. c. 23 edit. Vales. Ambr. l. 7. in Luc.

IX. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa multa in populo* Christum prædicans: acriter ei contradicebant plerique Judæi, imprimis Libertini, seu oriundi ex patribus libertate donatis, quorum majores in captivitatem abduxerat Pompejus: Alexandrini etiam & Cyrenenses, quorum parentes in eam Africæ partem deportarat Ptolomæus Lagi filius, *& non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui per eum loquebatur*. Itaque se convertunt ad calumnias: *submiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & in Deum, & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent, audivimus enim eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*.

Act. 6. *D. Stephani miracula, concio, & martyrium.*

Stephanus fidei suæ rationem redditurus, paucis percurrit historiam gentis suæ, docens veram religionem, nec Judææ, nec templo fuisse semper alligatam; injectaque honorifica mentione de Moyse, ut blasphemiæ suspicionem a se amoveret, inobedientiæ & contemptus crimen erga Moysem derivat in adversarios; Moyses enim dixit filiis Israel; *prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis*: designabat Christum novum legislatorem, verumque inter homines & Deum mediatorem: quem tamen audire noluerant; hinc in eos sic invehitur: *dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis; & intendens in cœlum*, exclamat: *ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem a dexteris Dei*. His auditis, furore amentes prætendunt manus auribus, conviciisque consectati, raptum extra urbem lapidibus obruunt ut blasphemum. Saulus tunc adolescens servabat vestimenta testium, qui juxta legem lapidare incipiebant, *& erat consentiens neci ejus*. Stephanus *positis genibus clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum*; expiransque sic oravit; *Domine Jesu suscipe spiritum meum*. Primus pro Christo posuit animam suam, ejusque doctrinam esse cœlestem sua morte testatus est: illius exequias magna fidelium frequentia & lacrymis celebrarunt viri religiosi; sepultus est in novo Gamalielis monumento, in crypta orientali; hic locus dicebatur Capharmagala, octo leucis distabat Jerosolymis.

Act. 7.

Deut. 18.

X. Stephani sanguine furor Judæorum non satiatur, sed accenditur: *facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes* discipuli *dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ præter Apostolos*. Eorum aliqui perambularunt usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum Evangelii nisi solis Judæis, eaque occasione propagatum est evangelium. Mariam Magdalenam una cum fratre Lazaro, & Martha sorore, & Marcella pedisequa, Josephum nobilem illum decurionem, & Maximinum in ea persecutione, non tantum urbe pulsos, sed navi absque remigio impositos, divina providentia servatos tradunt appulisse Massiliam: incerta videtur hæc traditio, non solum ex veterum silentio, quorum nullus ante medium sexti sæculi meminit illius adventus; sed e contra Magdalenam Ephesi quiescere scribit Gregorius Turonensis: huic consentit antiquior Modestus apud Photium. Demum in græcorum menæis hæc leguntur: Octobris die 17. translatio pretiosarum reliquiarum sancti Lazari. Felix & celeberrimus, ac regum fidelissimus Leo, divino motus zelo, & quasi quodam perculsus afflatu, primum quidem templum justo ædificavit: deinde facta in insulam Cyprum expeditione, invenit sanctum illius corpus in urbe Citiensi in marmorea capsa, ubi alterius linguæ literis inciditur, Lazarus quatriduanus, & amicus Christi. Statim sublatum inde magni pretii thesaurum, & argenteis loculis impositum Constantinopoli reposuit. Idem testatur Honorius Augustodunensis: eorum sacras reliquias temporis successu translatas in Galliam non inficior.

Act. 8. *2. Persecutio.*

CHRISTI AN. 32.

Lazarus non venit in Gallias.

Greg. Turon. l. de mir. Phot. cod. 275.

Honor. serm. in palm.

XI. *Philippus* unus e septem diaconis *descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum*. Samaritani licet e gentibus oriundi, tanquam semi-Judæi habebantur, circumcisionem enim & legem Moysis observantes expectabant Messiam. *Intendebant turbæ his quæ a Philippo dicebantur, & videntes signa quæ faciebat, crediderunt, & baptizati sunt, & factum est gaudium magnum in illa civitate. Vir quidam nomine Simon* Gettis oriundus vico ejusdem provinciæ, qui antea fuerat magus, *seducens gentem Samariæ* suis præstigiis, ita ut *virtus Dei magna* diceretur, *& ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo, videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur*.

Act. 8. *Samaritanorum conversio.*

Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; quem illis ad robur sic dare non potuit Philippus diaconus. *Baptizati tantum erant; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Hoc enim donum solorum Apostolorum erat. En ritus exterior a baptismo diversus, quo confertur Spiritus sanctus ad robur adversus difficultates, quæ in negotio salutis occurrunt; ac proinde Sacramentum, cujus meminere antiquiora concilia & Patres. Duodecim prioribus sæculis statim post baptismum conferebatur, ut docent Patres: Ambrosius, sequitur spirituale signaculum ... quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur: Tertullianus; egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina ... Dehinc manus imponitur per benedictionem invocans Spiritum sanctum. D. Cyprianus: ungi necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Posterioribus sæculis dilatum est confirmationis Sacramentum, dum adolescerent parvuli, quibus initiandis non sufficiebant episcopi; qui ab octavo sæculo ungendo manum imponunt: antea manuum impositio & unctio duplici actione perficiebantur. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus*, cujus infusio signis exterioribus, præsertim linguarum dono manifestabatur, *obtulit eis pecuniam dicens: date mihi & hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus dixit ad eum: pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri; pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Quam difficilis sit simoniacorum pœnitentia & reconciliatio, Simon ostendit exemplo suo, in deteriora prolapsus magicis artibus adjecit hæresim, factus primus hæresiarcha.

Chrysost. hom. 16. in Act.

Confirmationis Sacramentum.

Concil. Elibert. c. 38. & Laodic. c. 48. Ambr. l. 3. de Sacram. c. 2. Tert. l. de bapt. c. 7. Cypr. epist. 70. Ordo Rom. Greg. in Sacram.

XII. Docuit, se in monte Sinai legem Moysis in Patris persona dedisse Judæis: Tiberii temporibus in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum S. venisse super Apostolos; Christum autem nec venisse, nec a Judæis quidquam pertulisse. Cumque in venerem esset natura proclivior, eorum quæ profitebatur dogmatum verecundia commotus, nequissimas opinionum nugas discipulis suis persuasit, quas eleganter sic exponit Tertullianus: fultus artis suæ viribus,

Aug. l. de hær. c. 1. *Simonis hæreses.*

CHRISTI AN. 32.

Helenam Tyriam de loco libidinis publicæ pecunia redemit, & se quidem finxit summum Patrem, illam vero injectionem, seu conceptionem suam primam, qua injecerat, Angelos & Archangelos condere. (Tert. l. de anima c. 34.) Hujus eam propositi compotem exilisse de Patre, & in inferiora desultasse, atque illic, prævento Patris proposito, angelicas potestates genuisse, ignaras Patris artificis hujus mundi: ab his vero per invidiam retentam, ne digressa ea, alterius genimina viderentur; & idcirco omni contumeliæ addictam, humanæ quoque formæ succidisse, velut carneis vinculis coercendam: ita multis ævis per alios atque alios habitus fœmineos volutatam, etiam illam Helenam fuisse exitiosissimam Priamo, & Stesichori postea oculis, quem & excæcasset ad convicium carminis, dehinc reluminasset ad satisfactionem laudis; proinde migrantem eam de corporibus in corpora, sub titulo prostitisse Helenam viliorem. Hanc igitur esse ovem perditam, ad quam descenderit pater summus, Simon scilicet, & primum quidem recuperata ea, & revecta, exinde ad hominum respexerit salutem, quasi per vindictam liberandorum ex illis angelicis potestatibus, quibus fallendis & ipse configuratus, æque & hominibus hominem ementitus, in Judæa quidem filium, in Samaria vero patrem gesserit. (Tert. l. de anima c. 34. Iren. l. 1. adv. hær. c. 20 Theod. l. 1. hær. fab.) Præcepta de bonis operibus exercendis ajebat data esse ab Angelis, ut homines servituti subjicerent, a qua suos liberaturus venerat; quapropter eos, qui in ipsum & ejus Helenam spem haberent, legis præcepta curare non debere, nec ejus minas pertimescere, sed liberam habere faciendi quæ vellent potestatem: siquidem non secundum opera justa, sed secundum ipsius gratiam homines salvi fierent. (Tert. de præs. 33. Epiph. adv. hær. Orig. l. 6. c. Cels.) Omitto infandas libidines, quibus suos docebat placare Angelos, quos tamen detestabatur, ne avolantes e corporibus animas retinerent. Carnis resurrectionem negabat. Prodigii est instar tam insanam hæresim habuisse sectatores: inventi sunt tamen, qui eum sub specie Jovis, & Helenam sub figura Minervæ venerarentur. Quo plures sibi pararet discipulos, sustulit e sua doctrina mortis periculum, dicens indifferentem rem esse idololatriam. Ejus sectam sua ætate penitus exinctam testatur Origenes.

(Act. 8. *Eunuchi convers.*) XIII. Apostoli, Samaritanis in fide confirmatis, redeuntes Jerosolymam, per totam regionem lucem Evangelii circumferunt. *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum: surge, & vade contra meridiem ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam veterem, qui surgens abiit, & ecce vir Eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus*, venerat ut proselytus *adorare in Jerusalem, & revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.* Philippus accedens dixit: *putas ne intelligis quæ legis? qui ait, & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Interpretis necessitatem confessus, rogavit Philippum ut ascenderet. Locus autem scripturæ quem legebat, is erat: (Isaiæ 53.) *tanquam ovis ad occisionem ductus est. In humilitate judicium ejus sublatum est, generationem ejus quis enarrabit? Philippus incipiens a scriptura ista*, nunc etiam obscura doctioribus, *evangelizavit illi Jesum. Eunuchus ait:* (Iren. l. 3. c. 12. Cyr. catech. 17.) *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit Philippus: si credis ex toto corde, licet: & respondens ait: credo, Filium Dei esse Jesum Christum. Philippus baptizavit eum.* Ille reversus in patriam cum gaudio, populares docuit religionem Christianam. *Spiritus Domini rapuit Philippum, & inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.*

(Act. 9. *F. Pauli conversio.*) XIV. *Saulus* patria Tarsensis, Judæus e tribu Beniamin, secta Pharisæus, in sacris literis eruditus a Gamaliele, paternarum traditionum æmulator supra omnes coætaneos; *spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, eadem tempestate *devastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.* Quin & *accessit ad principem sacerdotum, & petiit epistolas ad synagogas* Damasci, cujus præfectus favebat Judæis, ut fideles *vinctos perduceret Jerosolymam.* Appropinquantem Damasco circumfulsit eum lux sole splendidior, & cecidit in terram cum suis satellitibus, (Act. 22. & 26.) apparuitque ei Jesus, & dixit hebraica lingua: (Act. 9.) *Saule, Saule, quid me persequeris?* cui respondit: *quis es Domine? & ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris: & tremens dixit: Domine, quid me vis facere? & Dominus ad eum: surge, & ingredere civitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere:* (Act. 26.) *ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum & testem eorum, quæ vidisti; & quorum causa apparebo tibi, eripiens te de populo judaico & gentibus, in quas nunc mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem, quæ est in me.* (Act. 9.) Illius comites stabant attoniti, lumen quidem viderunt, sed non Jesum, nec ejus verba distincte audierunt. *Saulus surrexit, apertisque oculis nihil videbat.* Manu ducitur Damascum, ibique per tres dies ab omni potu & cibo abstinuit. Orans in spiritu vidit Ananiam *sibi manus imponentem, ut visum recipiat.* Ananias autem erat Christi discipulus, cui in visu dixit: *vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum... vas electionis est mihi iste; ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel; ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Venit ad eum Ananias, & imponens ei manus dixit: *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squammæ, & visum recepit, & respexit Ananiam,* qui dixit ei: *Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut videres justum, & audires vocem ex ore ejus: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti, & nunc quid moraris? exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius: & baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est: fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot, & continuo in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei, & Christus, & confundebat Judæos.* Hæc duo quippe ex scripturis demonstrabat, (Cyril. l. 8. adv. Jul.) Jesum crucifixum esse Christum, seu Messiam a Deo promissum, & Filium Dei seu verum Deum. Siquidem, ut infert D. Cyrillus, qui Patrem dicit esse Deum, simul cum ipso significat, & proprium ejus & ex ipso & in ipso secundum naturam Filium. *Stupebant omnes qui audiebant:* eum in scripturis & lege versatissimum noverant, paternarumque traditionum defensorem acerrimum: tantam igitur vitæ commutationem vel ex imperitia, vel ex animi levitate factam suspicari non licebat: agnitaque veritate, eum transisse ad fidem Christianam, quam antea persequebatur, manifestum videbatur. Mirabilis hæc conversio contigit anno Christi 35.° Si Stephanus, inquit Augustinus, non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. (Aug. ser. 1. de sanctis. ad Gal. 1.) Judæorum insidias ut declinaret, profectus est in Arabiam, inde rediit Damascum, ibique commoratus est Evangelium prædicans.

XV. Vetus hæc erat consuetudo provinciarum rectoribus, ut quidquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nuntiarent. (Eusebh. hist. l. 2. c. 2. Tert. in apolog. c. 5. Eutrop. l. 7.) Pilatus de resurrectione Servatoris nostri Jesu Christi ad Tiberium retulit, multa quoque alia ejus miracula se auditu accepisse significans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a plerisque jam Deus haberetur. Tiberius rem ad senatum detulit. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Deus non permisit filium suum intermiscere falsis diis. Cæsar in sententia mansit comminatus periculum accusatoribus Christianorum; quam quidem sententiam cœlestis providentia Tiberii menti idcirco insuderat, ut Evangelii sermo, qui tunc primum nasci cœperat, absque ullo impedimento per universum orbem spargeretur. Pilatus a decem annis avare & crudeliter administrabat Judæam: Samaritani ob suorum cædem hunc accusarunt apud Vitellium Syriæ gubernatorem, prætexentes se ad arma confugisse necessitate compulsos, ut se defenderent ab ejus injuriis. Vitellius misit Marcellum e numero amicorum, qui Judæam curaret, coegitque Pilatum navigare Romam, ut Judæorum accusationibus coram imperatore responderet.

(CHRISTI AN. 38. *Tiberii mors.*) Adventum ejus prævertit obitus Tiberii: contigit mense Martio, anno ætatis ejus 77.°, imperii 23. jam sex mensibus & 28. diebus inchoato, ac proinde Christi trigesimo octavo. Princeps fuit profundæ dissimulationis, obscœnis voluptatibus infamis, rapacitate & crudelitate sic omnibus exosus, ut ad primum mortis ejus nuntium discurrentes Romani, (Sueton. in Calig. c. 14.) Tiberium in Tiberim clamitarent, deosque manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent. Successorem habuit nepotem suum Caligulam, filium Germanici, tanta publica lætitia, ut tribus proximis mensibus supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur: statim ac ingressus est urbem, consensu senatus & populi, irrita Tiberii voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc, cohæredem ei dederat, jus arbitrium-

Christi An. 38.

triumque rerum omnium ei permissum est. Agrippa nepos Herodis senioris, se in ejus amicitiam insinuaverat; quadam die dum una in eadem rheda deambularent, incidit in confabulationem de Tiberio. At quia soli erant, precatus est ut quam primum imperator principatus locum Cajo digniori cederet: has voces excepit Eutychus libertus Agrippæ & auriga, exinde a Domino furti insimulatus imprudentia vota indicavit Tiberio, qui Macroni mandat Agrippæ injicere vincula; ad preces frustre conversus, a prætorianis ita ut erat purpuratus in catenas ducitur. Cajus factus post sex menses imperator illum tum in Philippi, tum in Lysaniæ tetrarchia regem constituit, dimisitque donatum catena aurea pondere catenæ ferreæ, qua vinctus fuerat; nec multo post Herodis, qui Christo illuserat, tetrarchiam quoque ei donavit,

Herodis & Pilati pœna.

Herodemque cum uxore Herodiade ob varia crimina relegavit Lugdunum in Gallia. Pilatus etiam divinam non effugit ultionem, in tantas incidit calamitates, & tantis irrogante Cajo angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit.

Act. 9. 2. ad Cor. 11.

XVI. Anno 3.° a conversione Pauli *consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent*; videbant enim plurimos ejus exemplo & verbis persuasos deficere a synagoga, & transire in Ecclesiam. Itaque Arabiæ petreæ regis præfecto annuente, die nocteque

Paul. Judæorum insidias effugit. Chrysost. hom. 87. in Joan. ad Gal. 1. Act. 22.

Damasci portas custodiebant, ne Paulus effugeret. *Sed discipuli nocte per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.* Jerosolymam venit videre Petrum, quia Petrus, inquit Chrysostomus, erat os Apostolorum & princeps. Barnabas illum duxit ad Apostolos, quibus narret, qua ratione divinitus ad veræ fidei lucem venerit, Christumque publice prædicarit. Petrus eum benigne per quindecim dies excepit hospitio, & nullum alium Apostolorum vidit nisi Jacobum fratrem Domini; neque enim humana indigebat institutione, quippe qui per Christi revelationem didicerat Evangelium. Jesus oranti in templo præcepit in extasi; *festina, & exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Domine*, respondit Saulus, *ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per synagogas eos qui credebant in te; & cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Cui Christus: *vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.* Hellenistæ, quibuscum sæpe disputabat, reipsa de illo interficiendo cogitabant. Fratres, cognitis eorum insidiis, eum deduxerunt Cæsaream Samariæ, & di-

ad Gal. 1.

misere Tarsum; ibique secure Dei verbum disseminavit in Syria & Cilicia. *Erat quidem facie ignotus Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo. Sed audiebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam expugnabat; & in eo clarificabant Deum.*

Act. 9. *Petri miracula.*

XVII. *Ecclesia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritus Sancti replebatur.* Petrus tanquam caput visibile cum obiret Ecclesias, venit Lyddam, seu Diospolim, ibique Æneam ab annis octo paralyticum sanat invocato Jesu nomine; quo miraculo cives hujus urbis & Saronæ adducti sunt ad fidem christianam. Inde profectus Joppen, Tabitham piam mulierem plenam bonis operibus & eleemosynis ad vitam revocat, afflictisque viduis restituit tam beneficam matrem. Id ubi divulgatum est, *crediderunt multi in Domino.* Hic diu commoratus est apud Simonem quemdam coriarium.

XVIII. Interea Judæi variis calamitatibus oppressi

Philo in Flacc. *Judæorum calamitates.*

sunt. Rex Agrippa compendiosum quærens reditum in regnum suum, Brundusio solvens navigat Alexandriam ex Caji consilio. Ægyptii, ob inveteratam cum Judæis simultatem, ægre ferebant eos habere regem: audito igitur illius adventu, illum primo maledictis lacessunt, contumeliam verbis addunt; omnia dissimulante Flacco præfecto provinciæ. Ex impunitate crescente audacia, aggressi rem invidiosam, confluxerunt summo mane in theatrum, unanimiterque conclamarunt dedicandas esse statuas imperatoris in synagogis Judæorum; Flaccus permisit dedicationem: imagines Caji statuerunt in omnibus, quas sic profanatas perdiderunt Judæi. Prætor post paucos dies edictum proposuit, in quo eos appellabat inquilinos & exteros, sic iis adempto jure civitatis: & licet non minus quam decies centena millia Judæorum habitarent Alexandriam, aliasque urbes & pagos Ægypti, passus est in eos tanquam bello captos sæ-

Christi An. 38.

vire. Quinque erant urbis regiones denominatæ a primoribus litteris: harum duæ dicebantur Judaicæ, quod in his plurimi Judæi habitarent, quamvis & in aliis non pauci sparsim haberent domicilia; e quatuor literis expulsos concluserunt in unius partem angustissimam. Illi cum plures essent, quam is locus eos caperet, egrediebantur ad littore, & monumenta, & sterquilinia, exuti rebus suis omnibus; inimici vero facto in desertas domos impetu, prædas tanquam jure belli partas dividebant: sed minus nocebant rapinæ quam abrupta negotiatio, nec sineretur ullus agricola, nauta, negotiator, opifex exercere artes solitas. Vulgi rabies magis ac magis exarsit, ubicunque Judæi conspicerentur, aut saxis injectis enecabantur, aut inflictis fustibus: alii ferociores abusi licentia, igne ferroque consumpserunt plurimos, interdum familias integres, maritos cum uxoribus, parvulos cum parentibus in medio furo exurebant immaniter, nec sexum, nec teneram ætatem miserati, nec innocentiam; multos etiam vivos in alterum pedem fune injecto trahebant, interim insultando calcibus. Cadavera per urbis angiportus raptata sunt, donec penitus lacerata minutium concerperentur. Flaccus præterea ex summo Judæorum concilio, quod instituerat Augustus, 38. senatores vinciri jussit, traductosque per medium forum, reductis in tergum manibus, induxit in theatrum, ibique nudatos ad majorem ignominiam jussit atrociter flagellari; concissi vulneribus aliquot animam exhalarunt.

Suet. Dio.

XIX. Hæc quidem adversus Judæos Alexandriæ gesta non latebant Cajum, qui occisis, Tiberio Drusi filio, Tiberii imperatoris nepote, & ex testamento collega imperii, & Macrone, cui acceptum ferebat imperium, & Marco Silano socero suo, disruptis frœnis, quibus ab impetu scelestioris vitæ retineri videbatur, eo flagitii atque insaniæ pervenit, ut divinos æmulatus honores, Deus ab omnibus coli voluerit. Hunc titulum ab Ægyptiis delatum avide accepit, Judæi divinos honores ei reddere religione prohibebantur: itaque Ægyptii, ut ei adularentur, quid per singulos dies contra Judæos gereretur, quotidianis actis transmissis, omnia illi significare curarunt, quæ Cajus libentius lectitabat, quam ullum poema, vel historiam. Judæi sub Romanis hactenus satis tranquille vixerant, suis utentes legibus: sed ubi primum, Pilato judicante Christum innocentem esse dimittendum, conclamarunt, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, illius sanguinem exquisi-

Matth. 27.

vit divina justitia, lento tamen & secreto gradu procedens, quo pœnitentiæ locum daret. Impunitam non sivit Flacci impietatem: his officiis gratiam Caji promereri studebat, quem olim graviter offenderat tempore Tiberii, illorum conspirationis particeps, quorum insidiis Caji mater delata perierat; injuriæ memor Cæsar, misso Basso centurione, Flaccum Romam perduci curavit, mulctatumque bonis in Andrum insulam relegavit, & paulo post missis militibus occidi præcepit.

XX. Ecclesia per Judæam & Samariam propagata, princeps Apostolorum gentibus lucem Evangelii intulit, inductus multis miraculis, quibus se manifestavit divina vocatio. Rem totam ex Apostolorum actis describemus. *Cornelius centurio cohortis* Italicæ,

Act. 10. *Cornelius fidem Christi recipit.* Th. 2. 2. q. 10. art 4.

vir justus, *ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*, &, ut mihi videtur, proselytus, tunc erat Cæsareæ: sed quia tempus advenerat revelati Evangelii, explicita fides in Christum ei fuit ad salutem necessaria, quam divina bonitas miro prorsus modo ei providit: *is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona*, seu tempore sacrificii vespertini, *Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei; nunc mitte viros in Joppen, & voca Petrum, hic tibi dicet, quid te oporteat facere.* Petrus divinitus primus gentes & judæos docuit Evangelium, quod Deus non ex proprio sensu, sed a legitimis pastoribus, & præsertim a pastorum principe nos audire jubet. Cornelius continuo tres e suis domesticis misit Joppen. Sequenti die eum appropinquarent civitati, *ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam: cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis*, seu exterioribus angulis *de cælo submitti in terram*; ut gratia Evangelii

Aug. l. de prædest. SS.

ad quatuor orbis partes pertinere intelligatur. In eo erat quodlibet genus animalium etiam immundorum,

CHRISTI An. 38.

quibus gentes designabantur, *& facta est vox ad eum; surge Petre, occide, & manduca*, ait Petrus: *absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum. Et vox secundo ad eum, quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter; & statim receptum est vas in cœlum. Dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, ecce viri*, quos miserat Cornelius, interrogabant: an Simon Petrus hic haberet hospitium? *Dixit spiritus ei: descende, & vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos*; divinæ voci obediens, cognita eorum adventus causa, excepit hospites, & sequenti die simul profecti sunt, comitibus sex aliis fratribus. *Cornelius expectabat illos, convocatis cognatis suis, & amicis; Petroque venit obvius, & procidens ad pedes ejus adoravit.* Allevans eum Petrus ait: *vos scitis quomodo abominatum sit viro judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem: quam ob causam accersistis me?* ille narrat visionem suam, angelique mandatum. Petrus tunc dixit: *in*

Act. 10. *veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi*; eosque docuit mysterium Christi crucifixi, per quem habemus pacem ad Deum, & peccatorum remissionem, testificans eum surrexisse a mortuis constitutumque a Deo judicem vivorum, & mortuorum, sicut de eo prædixerunt Prophetæ. Adhuc eo loquente, *cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, loquebantur variis linguis magnificantes Deum. Obstupuerunt Judæi fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.* Ex his concludit invicte Petrus: *numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum*

Hieron. adv. Jovian. Bolland. 2 Febr. Menœa 13. Sept. Psal. 71.

acceperunt sicut & nos? & jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi, seu Christi baptismo. Ferunt Cornelium postea fuisse consecratum in Episcopum Cæsareensem. Ecclesia latina, & græca ejus memoriam veneratur. Sic adimpleri cœperunt prophetarum oracula de vocatione gentium, imprimisque illud Davidis de Messia; *& benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.*

Act. 11. Epiph. hær. 28. Petri 1. e 3. Euseb. hist. l. 1. cap. 13. edit. Vales. Hier. in c. 10. Matth.

XXI. *Audierunt Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa, quoniam gentes receperunt verbum Dei.* Itaque *cum Petrus ascendisset Jerosolymam, disceptabant adversus illum*, inquirentes cur introisset ad incircumcisos, & cum illis manducasset? Epiphanius observat Cerinthum postea hæresiarcam fuisse præcipuum instigatorem illius contentionis. Petrus non dedignans eis rationem sui facti reddere, ut ipse aliis præcipit, narravit visionem suam, & Cornelii, effusionemque Spiritus Sancti in gentes; evidentia divinæ voluntatis testimonia, ex quibus sic infert: *recordatus sum verbi Domini, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini Spiritu Sancto. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credimus in Dominum Jesum Christum; ego autem quis eram, qui possem prohibere Deum? his auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes; ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

XXII. Ex eo die regnum Dei gentibus annuntiarunt Apostoli. Thomas unus e duodecim divino quodam impetu impulsus, Thaddæum Edessam misit, ut Christi doctrinam illis gentibus prædicaret:

Agbari regis & ejus gentis conversio.

sed rem paulo altius a principio repetamus necesse est. Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi divinitas cum propter admiranda illius opera ubique jam celebris esset, innumerabiles ab externis, & a Judæa remotissimis regionibus, morbis, & doloribus afflictos spe recuperandæ salutis attraxerat. Itaque rex Agbarus, qui gentibus trans Euphratem positis non sine laude præerat, cum gravi morbo, & qui humana ope curari non poterat, consumeretur, simul atque de Jesu nomine ubique diffuso, ac de stupendis ejus miraculis, quæ omnium testimonio firmabantur, accepit, missis per tabellarium literis, supplex eum rogavit, ut se morbo liberaret. Ac ille tum quidem vocanti minime est obsecutus: literas tamen ad eum scribere non recusavit, quibus unum e discipulis suis, qui ipsum sanaret, missurum se es-

Ephr. in testam. Hippol. de 70. Euseb. ibid.

se pollicebatur; neque ipsi solum, sed omnibus propinquis & familiaribus salutem præstiturum: quod tunc perfecit. Totius rei gestæ seriem, mutuasque Christi, & Agbari literas ex publicis Edessæ archivis depromptas e Syrorum lingua transtulit Eusebius, & laudat D. Ephrem illius urbis diaconus sanctissimus, & doctissimus, & D. Hippolytus martyr.

CHRISTI An. 38.

XXIII. *Agbarus princeps Edessæ Jesu Servatori bono qui in finibus Hierosolymorum apparuit, salutem. Nuntiatum est mihi de te, & de curationibus, quas absque herbis, & medicamentis operaris: fama enim est cæcis visum, claudis gressum abs te restitui, leprosos mundari, dæmones, & immundos spiritus expelli, diuturnis morbis oppressos sanari, mortuos denique suscitari. Quæ cum omnia de te audirem, sic in animum meum induxi, aut te revera Deum esse, qui e cœlo delapsus hæc efficias, aut certe Dei Filium: proinde ad te scripsi, orans ut nos invisere, morbumque nostrum sanare non graveris. Audio Judæos tibi obtrectare, & insidias in caput tuum struere; est mihi civitas, parva quidem illa, sed ornata, quæ nostrum utrique sufficiat.* Et hæc quidem ita scripsit Agbarus, cum divini luminis radius eum modice cum quidem collustrasset.

Ibid. Isaiæ 52. & 65.

XXIV. Jesus rescripsit: *beatus es Agbare, qui in me credideris, quem non vidisti: de me enim scriptum est, eos qui me viderint, non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod vero ad me scribis ut ad te proficiscar, hic necesse habeo implere omnia propter quæ sum missus, iisque demum absolutis, ad illum, qui me misit, reverti: cæterum cum primum ad eum me recepero, ex discipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi tuisque præstet.* Quamvis probabilius videatur, hanc epistolam a Christo esse conscriptam; Gelasius Papa eam merito declaravit apocrypham, id est, extra canonem sacrarum scripturarum; quandoquidem ad nos, non ex continuata Ecclesiarum traditione pervenit, per quam aliæ scripturæ certo nobis innotuerunt, sed modo prorsus humano, cujus fundamentum est authoritas archiviorum Edessenæ Ecclesiæ, cui certe falsum subesse potest: quidni enim fieri potuit, ut falsæ tabulæ in iis deponerentur? Rem facit dubiam D. Augustini regula de quibusdam libris apocryphis, qui sub Apostolorum nomine circumferebantur: si illorum essent, recepti essent ab Ecclesia.

Aug. l. 1. contra adv. leg. c. 20.

Ibid. Euseb.

XXV. Judas Thaddæus, cum illuc advenisset, apud Tobiam Tobiæ filium divertit, & cœpit morbos quoslibet, & languores divina virtute sanare, adeo ut cuncti admiratione caperentur. Proinde cum Agbarus ab illo patrata miracula audivisset, & quo pacto per nomen ac virtutem Jesu Christi morbos fugaret, in suspicionem adductus est hunc ipsum esse, de quo Jesus ante quatuor annos perscripserat: accito igitur Tobia, jubet ut illum adducat .... Postridie Tobias mane assumpto Thaddæo, ad Agbarum perrexit: cumque esset ingressus, Agbarus proceribus suis circumseptus in ipso introitu Thaddæi vultu divinum nescio quid videre sibi visus est: quapropter procidens ad ejus pedes, eum veneratus est. Mirabantur omnes qui aderant, quippe qui nihil horum vidissent, quæ Agbaro apparuerant. Tum Agbarus Thaddæum interrogavit: tu ne, inquit, discipulus es Jesu Filii Dei, qui hæc ad me scripsit? ex discipulis meis aliquem ad te mittam, qui, & morbum tuum curet, & vitam tibi tuisque omnibus præstet. Cui Thaddæus: quandoquidem, inquit, maximam fiduciam posuisti in Servatore Jesu, qui me misit, si deinceps magis, ac magis in eum credideris, fient omnia quæ postulas, prout fidem habebis. Hic Agbarus, adeo, inquit, credidi ei, ut Judæos, qui illum in crucem egerunt, bello appetere, & ad internecionem delere voluerim, nisi metus imperii romani me ab hoc consilio revocasset. Tum Thaddæus, Dominus, inquit, noster & Deus Jesus Christus, quidquid a Patre mandatum fuerat, executus est, perfectisque omnibus, ad Parentem suum est reversus. Cui Agbarus, & in ipsum, inquit, credidi, & in Patrem ipsius. Tunc Thaddæus, propterea manum tibi impono in nomine Domini nostri Jesu: quo facto, statim Agbarus morbo, & ægritudine, qua laborabat, est liberatus, magnaque eum admiratio tenuit, quod sicuti de Jesu fama acceperat, reipsa per Thaddæum discipulum ipsius, & Apostolum impletum videbat;.. Plures quoque alii ex eadem civitate ab eodem Apostolo curati sunt, multaque miracula perpetrata, cum verbum Dei illic prædicaret.

Post hæc vero Agbarus sic Thaddæum allocutus est: quæcunque facis, Thaddæe, ope divinæ virtutis abs te fieri credimus, eaque de causa te non mediocriter admiramur: sed quæso te, expone deinceps nobis de Jesu ipsius adventu, qualis & cujusmodi is

fuerit,

Christi An. 38.

fuerit, & de potentia ejusdem; qua demum vi atque virtute, tot & tanta, quæ auditu accepimus, perpetrarit. Et Thaddæus, nunc quidem, inquit, paream dicere, quandoquidem ad verbum Dei palam omnibus nuntiandum sum destinatus: crastino vero congrega mihi omnes cives tuos, & verbum Dei coram illis prædicabo, vitæque sermonem in eorum mentibus seram, exponens de adventu Jesu Christi, cujusmodi fuerit, & de ejusdem legatione, cujusque rei causa a Patre missus sit, de potentia illius, & de arcanis, quæ inter homines locutus est, & qua vi ac virtute tot miracula patravit, de nova ejusdem prædicatione, de vilitate & abjectione exterioris ejus humanitatis, quo pacto semet ipse depresserit, mortemque subierit, & divinitatem suam ipse minuerit, quot, & quanta a Judæis perpessus, qualiter crucifixus sit, & ad inferos descenderit, quo pacto resurrexerit, & mortuos, qui multis retro sæculis sepulti jacebant, secum una suscitaverit, atque solus quidem e cœlo descenderit, ascenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu, & ad ejus dexteram honorifice sedeat in cœlo; postremo quo pacto iterum venturus est cum gloria, ut de vivis ac mortuis judicium ferat. Agbarus igitur civibus suis præcepit, ut prima luce in unum coacti prædicationem Thaddæi auscultarent; eaque ratione admirandis operibus antea præparatos, tandem salutaris doctrinæ auditores reddidit, & ad cultum venerationemque divinæ Christi potentiæ perduxit. Paulo post aurum & argentum Thaddæo dari jussit Agbarus: sed ille accipere recusavit, hæc addens: cum nostra dimiserimus, cur aliena capiemus? Hujusce Thaddæi, qui primus Osdroenorum regem, & gentem spirituali Christi subegit imperio, res alias pro fidei propagatione gestas, & genus mortis ignoramus: illius memoriam 21.° Augusti celebrant menæa græcorum; quæ duos Thaddæos distinguunt, unum Christi discipulum, alterum Apostolum. Latini vero post Hieronymum putant eumdem esse cum Apostolo, qui in Evangelio dicitur Judas Jacobi, eumque venerantur ut martyrem, quinto Kalendas Novembris. Ultionem de morte Christi, quam a Judæis repetere non valuit Agbarus, jam tum exequebatur divina justitia.

Euseb. l. 2. c. 1.

Hieron. in c. 10. Matth.

Christi An. 41. & 42.

Philo in leg.

Caligula jubet statuam suam collocari in templo Jerosol.

XXVI. Haud procul ab urbe Joppe gentiles, qui Jamniæ una cum Judæis habitabant, novis tumultibus dedere occasionem: audierant quantopere Caligula pro deo coli cuperet, raptim aram excitant, hanc Judæi statim subruunt. Id tanquam immane facinus Capito quæstor denuntiat Cajo, qui præcepit Petronio, Syriæ præfecto, ut suam statuam in templo Jerosolymitano locaret; quod si detrectent Judæi, cum valido exercitu cogat imperata facere. Ille perlectis his literis, contractis quantum poterat auxiliis, cum duabus legionibus hybernavit apud Ptolemaidem, primo vere mandata Cæsaris executurus. Interim statua colossæa Sydone parabatur: quod ubi divulgatum est, honoratiores Judæorum cum multis suorum millibus, adductis mulieribus, & parvulis, eum adeunt supplices, miseroque ejulatu orant, ne quid in templo novetur; id si non impetrent, interficeret omnes, ne vivi viderent quod gravius morte reputabant. Petronius, ut mitis erat ingenii, considerans non sine multa cæde posse statuam erigi, Judæorum postulatis nec annuit, nec renuit, quod utrumque periculosum esset; sed mandat opificibus ne properarent, sed darent operam, ut statua summo expoliretur artificio, & quantum fieri posset, exprimeret exemplaria laudatissima; scripsitque Cæsari, causam dilatæ dedicationis referens in opifices, quibus necesse sit dare spatium temporis, & quasi eum consulens insinuat, sine bello, & multo sanguine Judæos induci non posse ad transgressionem suæ religionis: timere se ne, vastatis agris, fruges incenderent, terramque facerent solitudinem. His acceptis, ille inter legendum excandescebat, vultu præferens iracundiam: ea tamen dissimulata, vehementer enim timebat præsides, quod illis promptum esset res novas moliri, respondet laudans ejus providentiam, additque mandatum, ne ullam curam præverteret dedicationis negotio.

Ibid.

XXVII. Nec multo post advenit Agrippa rex more suo Cajum salutaturus, plane ignarus epistolæ Petronii, quidve Cæsar rescripsisset: conspexit tamen e vultu nubilo eum latentem iram coquere; quem Cajus ut vidit timentem, & hæsitantem; dubitas, inquit, Agrippa, hanc tibi dubitationem ego eximam, boni honestique cives tui, qui soli es omni hominum genere dedignantur me habere pro Deo, videntur jam mortem sibi per contumaciam quærere, dum me jubente in ipsorum templo consecrari Jovis simulacrum, populariter ex urbe agrisque occurrerunt specie supplicum, sed revera mandatum meum proculcaturi: plura intonaturus erat; cum rex anxius, & præ metu per singula momenta colore mutato, horrore corripitur, & tremore membra quatiente, solutisque nervis, collapsus fuisset, ni eum sustentassent proximi, qui jussi domum illum retulerunt nihil sentientem: tota die, parteque insequentis maxima, gravi sopore pressus, sui compos non erat: sub vesperam erecto capite sensim cœpit respicere, collectisque viribus, Imperatori scripsit libellum supplicem.

Christi An. 41. & 42.

Ibid.

Agrippa rex impetrat ne statuæ Calig. fiat dedicatio.

XXVIII. Profitetur se Judæum oriundum ex regibus, & pontificibus, non posse humillime non supplicari pro salute, & religione gentis suæ, cujus pietatem, & propensum animum in familiam Cæsarum commendat ex sacrificiis, quæ quotidie in templo offerebantur pro illius imperii incolumitate: recenset beneficia, quæ in gentem, & in templum contulerant Augustus, Livia, & Tiberius, quod semper inviolatum esse voluerunt; ita cum Pilatus dedicasset clypeos aureos, nulla insignes imagine, hinc eos amoveri jussisset Tiberius, qui sacrificii sumptus suppeditabat ex ærario. Deprecantur ergo, inquit, pro nostris legibus Imperatores apud Imperatorem, Augusti apud Augustum, avi proavique apud nepotem plures, ad unum, tantum non dicerer, noli decreta nostra, quæ in hunc usque diem permanserunt, facere irrita: denique commemoratis maximis in se a Cajo collatis beneficiis, subjungit: si adhuc in amicis numeror, proditionis insimulabor, si nec patriam indemnem, nec templum inviolatum præstitero. Has literas obsignatas misit Caligulæ, domique inclusus expectabat anxius eventum. Ille inter legendum nunc offendebatur, quod cœpta non succederent; nunc flectebatur; Agrippam partim laudabat, partim incusabat: mitigatus tandem respondit clementius, Agrippæque donavit ceu maximam gratiam, ne fieret dedicatio, simulque jussit scribi Petronio, ne quid in Judæorum templo novaret: quod si extra unam metropolim, in finitimis urbibus, quicunque volentes altaria, templave, aut statuas, vel imagines mihi, meisve ponere prohibiti fuerint, quisquis obstiterit, plectatur continuo. Brevi pœnitens concessæ gratiæ, jussit Romæ fieri altum colossum æneum inauratum, quem navibus secreto deportatum, priusquam sentiretur, in templo poneret.

Ibid.

Calig. mors.

XXIX. Paucis post diebus Cajus admisit legatos Judæorum Alexandrinorum: hujus legationis princeps Philo eloquentiæ, & eruditionis sacræ, & profanæ laude floruit; ejus scripta satis indicant vim illius ingenii. Hi non sine magno vitæ periculo pertulerunt hominis levissimi impiam vanitatem; sed priusquam acciperent responsum, Cajus anno 4.° imperii sui prope absoluto, ætatis 29., Christi 42., Kalendis Februarii, conjuratione Cassii Chereæ, & Cornelii Sabini tribunorum prætorianorum occiditur, ejus uxor Cæsonia a centurione gladio confoditur, & filia parieti illiditur; ejus memoriam ut immanis tyranni damnavit Senatus, & ejus acta rescidit, cogitavit etiam de libertate recuperanda; sed gregarius miles forte discurrens agnovit latentem Claudium Caji avunculum, & præ metu ad genua sibi accidentem salutavit imperatorem, atque ad castra perduxit, ubi omnes jurarunt in ejus nomen: itaque militum factione capessivit imperium anno ætatis 50. princeps tanto oneri prorsus impar, ob stupiditatem ingenii: hinc non imperatorem, sed libertorum, & uxorum ministrum egit, qui stupris, exiliis, cædibus, proscriptionibus omnia fœdarunt. Agrippam, qui eum in potiundo principatu adjuvaras, honorifice remisit in regnum suum, concessis honoribus consularibus, donatumque Judæa, & Samaria, quæ olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuerant; promulgavitque edictum pacificationis, permittens Judæis, & aliis nationibus servare ritus patrios.

Suet. in Claud.

Claud. imperat.

Act. 11.

Antioch. ecclesia.

XXX. Quo tempore Cajus voluit a Judæis adorari, Christus ut verus Deus agnoscitur, & colitur a gentibus, Judæis repugnantibus. Viri quidam Cyprii, & Cyrenæi, qui, sæviente Jerosolymis persecutione, profugerant Antiochiam, Jesum etiam græcis annuntiarunt.

CHRISTI AN. 42. & 43.

Erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum; eorum conversionem audierunt fideles, qui erant Jerosolymis, miseruntque Barnabam, qui eos in fide confirmaret. *Erat vir bonus & plenus Spiritu sancto, & fide*; plurimos ad Christum adjunxit, cohortatus omnes ut in proposito cordis permanerent; *profectus est Tarsum, ut quæreret Saulum, quem cum invenisset, perduxit Antiochiam, & annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.*

Chron. Hier. de script. Eccl. Innoc. epist. ea. Dio. l. 60. Euseb. hist. l. 2. c. 12. Joseph. l. 20. c. 2.

D. Petrum fundasse hanc Ecclesiam scribit Eusebius, quippe eam confirmavit, auxit & ordinavit, certam ei tribuens formam regiminis: Antiochia ideo facta est Metropolis totius orientis: non tam, inquit Innocentius primus, pro civitatis magnificentia hoc ei attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur. Agabus propheta cum multis aliis huc veniens Jerosolyma, prædixit famem, quæ secundo Claudii anno oppressit prope universum orbem, duravitque ad annum ejus usque quartum, quo grassata est in Palæstina, Judæos fideles magnis eleemosynis sustentarunt Antiocheni. Helena quoque regina Adiabenorum frumentum, quod grandi pecunia ex Ægypto coemerat, Judæis egenis distribuit; eorum quippe religionem profitebatur, quam e mercatore Judæo didicerat: hanc ejusque filium Izatem postea secutos Christi fidem, quidam tradiderunt. Magnificum tertio ab urbe Jerosolyma lapide ei erectum est mausolæum, tres erant pyramides, in quibus ejus ossa condita sunt.

Mors S. Mariæ Virginis.

Sub idem tempus, anno scilicet a Christi ascensione undecimo, & ab ejus nativitate 43°., B. Virginem Mariam huic sæculo vivere desiisse atque in cœlum assumptam ad Filium tradit Hippolytus Thebanus, cujus chronicon ex vetustissimo manuscripto græco bibliothecæ vaticanæ latine reddidit Emmanuel a Schelstrate. Jerosolymis hanc esse mortuam & sepultam mortis tempus evincit: siquidem sequenti tantum anno per orbem dispersi sunt Apostoli.

Damasc. orat. 2. Ephes. Syn. Act. 1.

Damascenus idem ex antiqua illius Ecclesiæ traditione confirmat. Nullus ex Patribus illam Ephesi diem extremum obiisse scripsit, nec Ephesina Synodus, cujus hæc verba sunt: Nestorius impiæ hæreseos instaurator, cum in Ephesiorum civitatem pervenisset, in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo sancta Maria, subintellige, ædes habent, scilicet Ecclesias sub eorum nomine dedicatas. Reipsa Juvenalis Patriarcha, qui Ephesinæ Synodo adfuit atque subscripsit, Pulcheriæ imperatrici interroganti, ubinam esset sepulchrum B. Mariæ Virginis? respondit: Jerosolymis.

Epiphan. hær. 78. Cyril. apolog.

D. Epiphanius expresse negat B. Virginem Mariam cum Joanne venisse in Asiam: cui suffragatur D. Cyrillus. Ejus elogium sic breviter perficit textus sacer: *de qua natus est Jesus*. Dignam fuisse Matrem demonstrant Angeli verba sic eam salutantis: *ave gratia plena*. Ejus sanctitas ergo par fuit tantæ dignitati, qua nulla major est.

Lucæ 1. Isa. 7.

Obumbrante Spiritu sancto virgo concepit & peperit Filium Dei, omniumque ejus vitæ mysteriorum fuit particeps. Invicto demum animo stetit juxta ejus crucem; tunc impletum est illud Simeonis vaticinium: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*: reginæque martyrum prærogativam obtinuit. Christus moriens hanc commendavit Joanni dilecto Apostolo, qui eam accepit in suam matrem, illiusque curam gessit, ea charitate & reverentia, quæ decebat Apostolum, cujus omnia dicta & facta spirant charitatem.

Damasc. orat. 2.

Antiqua est & pia fidelium opinio, Christum ejus Filium, cum esset Deus Verbum & Dominus gloriæ, ipsius immaculatum corpus, postquam migravit, incorruptum servatum translatione in cœlum honorare voluisse, ante communem & universalem resurrectionem. Quibus eam encomiis, quamque religioso cultu prosecuti sint sancti Patres, ex eorum scriptis postea fiet manifestum.

Bernard. ser. 1. de Assumpt.

Hic id unum cum D. Bernardo dicimus: quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis, super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium. Eorum vestigiis inhærentes S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus & S. Joannes Damascenus, illam magnifice prædicarunt: hos autem ut doctrinæ suæ defensores veneretur Ecclesia, fabellarum collectores & amplificatores dixere soli novatores B. Mariæ cultoribus semper infensi. Damascenus quæ refert, ut plurimum Patrum vel Ecclesiarum traditione confirmat.

CHRISTI AN. 43. & 44. *B. Jacobi martyrium.* Act. 12. Euseb. hist. lib. 2. c. 9.

XXXII. Adeo felicem rerum statum excepit dira persecutio. Agrippa rex, qui & Herodes dictus est, Judæis placendi studio afflixit Ecclesiam, & Jacobum Joannis fratrem gladio interfecit. De eo rem memoria dignam ex Clemente refert Eusebius: ejus accusator motus viri constantia in confitenda fide Christi, se quoque christianum esse affirmavit; ambo igitur in supplicium ducti sunt, cumque inter eundum rogasset Jacobum comes, ut sibi veniam daret; ille paulisper moratus, pax tibi, inquit, statimque illum osculatus est: ita simul ambo capite truncati gloriosum fecere martyrium anno a Christi morte 12.° Agrippa videns hoc apud populares habere gratiam, Petrum quoque misit in carcerem, tradiditque sexdecim militibus custodiendum, quorum quatuor ternis horis semper vigilarent. Dies erant azymorum, volebatque post Pasche eum producere populo. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Ipse nocte, quæ præcessit diem, quo eum erat producturus Herodes, Petrus se non nisi senem moriturum ex Domini prædictione sciens, securus dormiebat inter duos milites, *vinctus duabus catenis*: aliique duo milites ante ostium custodiebant carcerem. *Angelus Domini* luce resplendens *excitavit eum, dicens: surge velociter, & sequere me: & ceciderunt catenæ de manibus ejus; & sequebatur eum*, putans somniantis esse visa: *transeuntes autem primam & secundam* militum *custodiam*, quæ ante fores palatii Herodis excubabat, qua ex arce ad civitatem iter erat, *venerunt ad portam civitatis ferream, quæ ultro aperta est eis; & processerunt vicum unum, & continuo discessit angelus.*

Chrysost. hom. 26. in Acta.

Petrus tunc agnita rei veritate, consideransque magnitudinem divini beneficii, venit ad domum Mariæ matris Joannis, cognomento Marci, *ubi multi* fideles *erant congregati & orantes; pulsante eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode; & ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit adstare Petrum. Dixerunt illi: insanis; illa affirmabat sic se habere. Illi dicebant: angelus ejus est.* Persuasum ergo erat fidelibus unicuique angelum datum esse custodem; quæ quidem persuasio a synagoga pervenit ad Ecclesiam. *Petrus perseverabat pulsans*; aperta demum janua, videntes eum obstupuerunt. Ille *narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere*; jussitque hæc nuntiarent Jacobo minori & fratribus: *& egressus abiit in alium locum. Facta die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro; quem cum requisisset Herodes, nec invenisset*, jussit custodes duci ad supplicium.

Symbolum Apostol. Hieron. epist. 38. alias 61. Ambr. epist. ad Siric. Leo mag. ep. 13. & 26.

XXXIII. Occasione hujus persecutionis per universum orbem disseminari cœpit Evangelium; Apostolis, qui nominatim quærebantur ad mortem, ex Judæa, juxta Domini præceptum, fugientibus. Priusquam ab invicem discederent in varias orbis provincias, brevem fidei regulam in commune constituunt, quam populis credendam proponerent, essetque veluti tessera, qua veri fideles agnoscerentur: hinc dicta est symbolum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat, continuaque traditione ad nos usque pervenit: cujus omnes & singulos articulos firma fide credimus.

Rufin. in præf. exposit. symb. ad Laurent. Iren. l. 1. nov. edit. c. 10. vet. 11. Tert. l. de præs. c. 13.

Rufinus ex veteribus monumentis illud refert, quale Romæ tunc legebatur, omnino simile nostro, nisi quod desunt tria quæ nunc in vulgari continentur; 1°. Creatorem cœli & terræ, 2°. descendit ad inferos, 3°. vitam æternam. Marcioni tamen aliisque hunc mundum a vero Deo creatum negantibus primum articulum opponunt Irenæus & Tertullianus, qui eosdem symboli articulos iisdem pene verbis referunt. De tertio sic habent. Et in unum Jesum Christum Filium Dei... *qui justus... vitam donet atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque sempiternam afferat*. Hinc liquet solum secundum articulum postmodum additum esse. Rufinus igitur ionfidum symboli nactus exemplar illud evulgavit, fortassis ut temporali & mutabili sanctorum beatitudini, quam commentus est Origenes, faveret. Constituto eo unanimitatis & fidei suæ indicio, divisi sunt in omnes nationes, uti præceperat Christus: *docete omnes gentes*; & symbolum viva voce, non scripto tradiderunt.

Apostolorum cursibus præsidebat Spiritus ille sanctus, cujus numine huc & illuc dirigebantur, non autem pro suo arbitrio: numquid Paulus cum sociis, peragrata Galatia, prohibitus est a Sancto spiritu

verbum

Digitized by Google

CHRISTI An. 44.

verbum Dei loqui Asiaticis, & alias ire in Bithiniam. Spiritus ergo sanctus eos destinabat ad certas provincias; nec quisquam jure vel conqueri potest se esse prætermissum, vel gloriari de sua vocatione; *omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*: quibus prædicatum est, illi gratias agant de divino beneficio; qui prætermissi sunt, agnoscant indignitatem: ita salus religionis hujus, ut observat Augustinus, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit, & ab exordio propagationis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur.

ad Rom. 3. Aug. ep. 102. alias 49. *Petrus fundat Rom. ecclesiam.* 1. Petri Iren. l. 3. c. 3. Hier. de script. Eccles. Gaudent. serm. 17. Eutrop. l. 8. Eus. hist. l. 2. c. 14. Euseb. in Chron. Theod. serm. 8. Eus. hist. l. 3. c. 1. Hippol. l. de 12. Apost. Eus. hist. l. 5. c. 10. Bolland. mart. tom. 2. *Matthæi evangelium.*

XXXIV. Petrus veniens Antiochiam, hanc Ecclesiam, cujus primus fuit Episcopus, ordinavit; inde pertransiens Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithiniam, evangelii lumen intulit his vastissimis regionibus, Romamque pervenit anno secundo Claudii, Christi 44. quemadmodum testantur Patres antiquiores: hostis humani generis regiam orbem occupare satagens, Simonem Magum jam eo destinarat, cujus nefariis artibus auxilium atque operam suam commodans, plurimos eorum qui Romæ degebant, in errorem inductos sibi mancipavit. Sed hæc non diu ex voto illi fluxerunt. Confestim enim, ipsis Claudii Augusti temporibus, benignissima & clementissima Dei providentia fortissimum & maximum inter Apostolos Petrum, ac virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum Romam adversus illam generis humani pestem perducit. Qui tanquam strenuus divinæ militiæ ductor, cœlestibus armis munitus, pretiosam illam lucis intelligibilis mercem ab oriente ad eos qui versus occasum habitant, detulit; lucem ipsam, & salutarem mentibus doctrinam, regnum scilicet cœlorum eis annuntians, Romæ fundavit Ecclesiam omnium matrem & magistram, & centrum unitatis catholicæ; quæ solius Petri, etiam præ cæteris Apostolis, prærogativa est. Evangelium prædicans 25. annis ejusdem orbis episcopus perseverat, identidem excurrens in varias provincias.

Socrat. l. 1. c. 19. Orig. l. 6. c. 25. Iren. l. 3. c. 1. Eus. hist. l. 3. c. 39. & l. 5. c. 10. Hier. de sc. Eccl. & dial. 3. adv. Pelag.

Thomas autem, ut a majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus est, & ad Indos penetravit, ibique diem extremum clausit, occisus ab infidelibus. Andreas Scythis ac Thracibus prædicavit. Joanni Asia obvenit, qui, plurimum temporis in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit. Philippus evangelium promulgavit in Asia superiore, suæque vitæ anno 87. coronatus est martyrio, sepultusque Hierapoli cum duabus filiabus, quæ in virginitate consenuerunt, ibique mortuum ad vitam revocarunt. Bartholomæus Armenia peragrata pertransiit in exteriorem Indiam, Matthæi evangelium secum deferens, Albanopoli in finibus Armeniæ martyr obiit, ut communis fert opinio.

XXXV. Matthæus Æthiopum Apostolus, paucis post Christi ascensionem annis scripsit evangelium, quod patrio sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit, ut, eo absente, quod prædicaverat, legerent. Illud lingua Syro-Chaldaica, quæ tunc in Judæa erat popularis, composuisse communis est omnium fere veterum sententia. Judæi fideles, ut verisimile est, illud usque ad excidium urbis Hierosolymæ conservarunt, asportaruntque secum Pellam, instante urbis obsidione: plerique ex eis Judaicarum traditionum tenaciores, cum conflassent sectam Nazaræorum, multas huic historias addidere, quas ex traditione acceperant, ut videtur Epiphanio. Ebionitæ multo magis illud corruperunt, pleraque detrahentes. Sed adhuc integro textu originali, statim in linguam græcam translatum fuit; quo authore, incertum est: Athanasius scribit illud a D. Jacobo fratre Domini fuisse expositum; sed utrum hæc expositio fuerit in græcum translatio, nescitur. Una tantum versio facta est, totius Ecclesiæ consensu recepta & probata, eaque vim habuit textus originalis: hanc vidit Marcus, ut par est credere, nam iisdem sæpe utitur græcis vocibus. Matthæus a Christi genealogia ducit initium, ejus miracula paucis complectitur, sed veteres prophetias a Christo impletas fuisse passim insinuat, ut eum Davidis filium, in quo completæ essent divinæ promissiones, ostenderet, ac proinde Messiam: argumentum Judæis acceptissimum: dum veteris testamenti testimoniis utitur, sequitur textum hebraicum, sed verborum ordinem sæpe commutat, quædam subinde addit, aut detrahit, eodem sensu servato: interdum duorum Prophetarum sententias connectit.

CHRISTI An. 45. Hippolyt. l. de 12. Apost. l. 6. Strom. l. 5. hist. c. 18.

Simon Cananæus, qui & Zelotes, & Thaddæus, qui & Judas Jacobi appellatur in evangelio, hic Mesopotamiam, ille Ægyptum evangelica prædicatione peragravit: postea in Persidem convenientes, cum innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, doctrina & miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt. Matthias fidem intulit Æthiopibus: Apostoli, ut refert Clemens Alexandrinus, non ante duodecimum ab ascensione Christi annum, divisis terrarum partibus, imbuendum evangelio mundum susceperunt; idque Dominum eis præcepisse ex veterum traditione testatur Apollonius apud Eusebium.

Act. 13. *Pauli & Barnab. apostolatus.* Theod. in hunc loc. Chrisost. ho. 27. in Act. Leo epist. 81.

XXXVI. *Verbum Domini crescebat & multiplicabatur. Erant in Ecclesia Antiochiæ prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus*, cujus mirabilem raptum in tertium cœlum, ubi ineffabilia vidit & audivit, tunc contigisse valde probabile est. *Ministrantibus illis Domino*, seu ut in græco legitur, sacrificantibus, *& jejunantibus dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos: tunc jejunantes imponentesque eis manus, sic ordinant in Apostolatum, ut cum potestate prædicent.* Quomodo igitur Paulus dixit: non ab hominibus, neque per homines? ut manifestet quod non homo illum vocavit, neque adduxit . . . nec ab aliquo missus est, sed a spiritu. Hinc preces & jejunia ex Apostolica traditione præmittuntur ministrorum ordinationi, quæ conjuncta cum sacrificio fiebat per manuum impositionem, qua dabatur Spiritus sanctus; character, & potestas obeundi sacras functiones simul conferebantur. Ut intelligamus, inquit D. Leo, quanta & dantium & accipientium devotionem curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. *Ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde navigarunt Cyprum: & cum venissent Salaminam* totius insulæ metropolim, *prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum: habebant autem & Joannem* cognomento Marcum *in ministerio* rerum temporalium & catechistæ.

Euseb. hist. l. 2. c. 15. Hier. de script. Eccl. *Petrus scribit primam epist. can.*

XXXVII. Interea D. Petrus tertio anno Claudii, Christi 45., primam epistolam canonicam græce scripsit Romæ, quam vocat Babilonem, erat quippe caput imperii, falsarumque omnium religionum colluvies. Fidelibus per Asiæ quinque provincias dispersis, quibus evangelium prædicaverat, inscribitur. Admirandum Dei consilium in mysterio Incarnationis, & beneficium redemptionis, & regni cœlestis hæreditatem fidelibus destinatam imprimis in ea commendat, eosque hortatur ut sancte Deo serviant in fide, humilitate & patientia, proponens exemplum Christi patientis. Inde descendens ad cujusque conditionis statum, sigillatim agit de mutuis conjugum officiis, quibus charitatem & patientiam, mulieribus in vestitu modestiam, pacemque commendat. Denique de pastorum vigilantia, de juvenum moribus ad legem divinam informandis sic disserit, ut ubique pastoris authoritas cum eximia charitate conjuncta eluceseat. Hanc misit per Silvanum fidelem fratrem: omnium consensu semper recepta est.

1. D. Pet. epist. c. 2. cap. 3.

Hæc præcipua sunt illius capita: 1.° Christianorum dignitatem sic commendat: *vos autem genus electum, regale sacerdotium*; Christi quippe corpori adunati, qui simul est rex & sacerdos, debent offerre spirituales victimas, scilicet orationes & pia opera, acceptabiles Deo per Christum, ut cœleste regnum ipsis destinatum consequantur. Unde concludit: *charissimi, obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam ... subjecti estote omni creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti: sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam ... omnes honorate; fraternitatem diligite; Deum timete; regem honorificate; servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, seu asperis. *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste ... in hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus ... Similiter & mulieres subditæ sint viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,*

Digitized by Google

Christi An. 45.

fiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Si Apostolorum spiritu duceremur, quis nostrum propter mundanam consuetudinem approbaret muliebres cultus indecentes? & infra: *sed & si quid patimini propter justitiam, beati... Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum*, propria accusans, excusans aliena... *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem, seu probationem vobis fit, quasi aliquid novi contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudentes exultetis. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus super vos requiescit.*

cap. 4.

Denique pastores instruit, ut gregi invigilent: *seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo... quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Christi redemptionem ibidem sic astruit: *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.* Luctatus enim vicit, ait Irenæus, & per obedientiam inobedientiam persolvens, alligavit fortem, & solvit infirmos, & salutem donavit plasmati suo destruens peccatum. Et infra: sanguine redimente nos domino, & dante animam suam pro anima nostra, & carnem suam pro nostris carnibus, & effundante spiritum Patris in adunitionem & communionem Dei & hominis... Perierunt omnes doctrinæ hæreticorum, imprimis eorum, qui negant Christum esse verum redemptorem propitiationis.

cap. 5.

Christus redemptor. c. 2. Iren. l. 5. c. 18. & l. 5. c. 1. nov. edit.

XXXVIII. Per idem tempus Marcus Petri discipulus & interpres, rogatus Romæ a fratribus breve scripsit evangelium, quod cum Petrus, a quo hæc didicerat, legisset, approbavit, Ecclesiæque legendum sua authoritate dedit. A prædicatione Joannis incipit suam narrationem, quo tempore Christus ministerium suum obire cœpit: rerum ordinem sæpius immutat: latine, an græce scripserit, incertum est. Plerique post Hieronymum & Augustinum volunt ea, quæ a Petro audierat, consignasse græcis litteris. Hujus evangelii autographum se habere gloriatur Serenissima Venetorum Respublica. Hic Evangelista est alius a Marco, qui Actorum 12.° vocatur Joannes, & tunc una cum D. Paulo versabatur in oriente. Petrus, memor præcepti Domini, quo jusserat evangelium prædicare in toto orbe terrarum, plures e discipulis suis delegavit, qui fundarent Ecclesias in diversis occidentis provinciis, ut testatur Innocentius Papa primus: quis nesciat, inquit, aut non advertat, id quod a principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod authoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam & Siciliam, insulasque interjacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Id quod addit, nullum alium Apostolum prædicasse in his provinciis, sic debet intelligi, ut fundaverit Ecclesias, quarum successiones perseverarent. Hinc occidens pertinet ad patriarchatum romanæ Ecclesiæ. Sed in ea re non levis error irrepsit, dum pleræque Ecclesiæ ad Petri tempora referunt sua primordia, vel quia primi earum episcopi in fastis a D. Petro missi leguntur; constat autem sequentibus sæculis sic appellatos ab apostolica sede delegatos, vel quia erant cognomines primis ejus discipulis, quos iden in Patres sibi male adsciscunt.

Marci Evangelium Euseb. hist. l. 2. c. 15. Clem. inst. 6. Hier. de script. Eccles.

Innoc. I. epist. 1. ad Decent.

XXXIX. Agrippa rex, qui mota persecutione in Apostolos, Ecclesiæ incrementis præter opinionem dederat occasionem, anno principatus sui septimo, regni tertio, divinam justitiam scelerum suorum ultricem expertus est: Cæsaream venit, ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris: aderant legati Tyriorum & Sidoniorum, quibus infensus erat, pacem humillime deprecantes, eo quod eorum regiones frumento sustentaret; secunda die solemnitatis mane processit in theatrum amictus veste regia, sedensque pro tribunali *concionabatur ad eos; populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis.* Rex neque illos objurgavit, neque impiam adulationem repudiavit, quapropter *percussit eum angelus Domini*, confestimque sensit dolores ventris acutissimos: conversis ad amicos oculis, ecce, inquit, Deus ego vester morior: fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, jam rapior ad mortem: sed ferenda est fati conditio, quandoquidem sic Deo visum est. Hæc locutus, crescente vi doloris torquebatur: propere igitur in palatium delatus est: & post continuos per quinque dies viscerum laniatus, *consumptus a vermibus, expiravit* annum agens ætatis quartum & quinquagesimum. Superstites ei fuerunt filiæ tres, quarum natu major Berenice nupserat Herodi patruo suo; & unus filius, dictus & ipse Agrippa, qui Romæ educabatur apud Claudium cæsarem, qui voluit eum successorem regni paterni mittere: sed liberti & amici dissuasere, negantes tutum esse adolescenti, & vixdum egresso pueritiam, tantum regnum committere, cui administrando sit impar: itaque misit Cuspium Fadum totius Judææ præsidem.

Act. 12. Euseb. hist. l. 2. c. 10. Joseph antiq. l. 19. c. 7.

Christi An. 45.

Agrippa regis mors.

XL. Hæc dum geruntur in Judæa, Saulus & Barnabas cum aliquandiu prædicassent Salaminæ, percurrentes totam insulam usque Paphum, invenere judæum, *cui nomen erat, Bar-Jesu, magum, qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic accersitis Apostolis*, quos mira operari noverat, *desiderabat audire verbum Dei: sed resistebat eis Elymas*, seu magus. *Saulus autem, qui & Paulus* postea dictus est, *repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit: o plene omni dolo, & omni fallacia, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas, & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem usque ad tempus.* Pœna fuit medicinalis, qua per dolores ad pietatem converteretur. *Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. Proconsul, cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini. Et cum a Papho navigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ. Joannes autem discedens ab eis reversus est Jerosolymam. Illi venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi synagogam die sabbatorum sederunt; post lectionem legis & Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.*

Act. 13. Pauli Proconsul. conversio.

Surgens Paulus, & manu silentium indicens, recensat beneficia, quæ Deus propter Christum ex Abrahæ semine nasciturum contulerat in populum Israeliticum, multa commemorat de electione patriarcharum, de Israelis liberatione, & regimine judicum, quibus successere reges, imprimisque David, ad quem factæ sunt repromissiones: probat Jesum Christum ex ejus stirpe ortum esse Messiam, quem expectarent; idque confirmat testimonio Joannis Baptistæ, prophetarumque oraculis, quæ in Christo completa sunt, præsertim quando surrexit a mortuis; eosque hortatur ad fidem suscipiendam ob duas potissimum rationes: prima est, quod in solo Christo sit remissio peccatorum; altera, ne in iram Dei incurrant. Synagoga dimissa, frequentes rogabant, ut sequenti sabbato rursus de his loqueretur, & plures adhæsere Paulo, quibus suadebat *ut permanerent in gratia Dei.*

XLI. *Sequenti sabbato pæne universa civitas convenit audire verbum Dei. Judæi repleti zelo contradicebant Paulo blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce, convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* Idque confirmarunt hac Isaiæ prophetia: *posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Gavisæ sunt gentes, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, quos proinde vocavit, quia prædestinavit. *Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas & honestas, & primos civitatis, qui de finibus suis ejecerunt Apostolos.* At illi, excusso pulvere pedum in eos, uti Christus præceperat, venerunt Iconium, ingressique synagogam, Christum annuntiant, ibique diu demorati sunt fiducialiter. Domino testimonium perhibente verbo, signis, & prodigiis, ingens multitudo Judæorum & gentilium credidit: in his D. Thecla valde celebratur a Patribus. Hæc amore virginitatis opulentissimo renuntians matrimonio, accusata a sponso, objicitur leonibus, qui, ut ait Ambrosius, obliti feritatis suæ, abjecti humi pedes ejus lingebant, muto testificantes sono, quod sacrum virginis corpus violare non possent:

Act. 13.

Isa. 49.

Act. 14.

D. Theclæ conversio & passio.

deinde

Christi An. 51. Greg. Nyss. in cant. hom. 14. Epiph. hær. 78. Ambr. l. 2. de virg. c. 3. Cypr. orat. 18. Tert. de Baptism. c. 17.

deinde injiciatur in ardentem rogum, sed ignis ei nihil nocuit. Suppliciis omnibus superstes ad extremam pervenit senectutem, ac fine tranquillo quievit: prima tamen martyrii palma inter mulieres ei adjudicatur. Theclæ & Pauli acta inter apocrypha recensuit Gelasius. Tertullianus refert Asiæ presbyterum D. Joanni confessum amore Pauli se hæc edidisse, qua de causa e gradu excidit. Judæi gentes concitarunt adversus fratres, qui duram passi sunt persecutionem: *cum autem factus esset impetus Judæorum & gentilium cum primoribus suis, ut contumeliis afficerent & lapidarent* Apostolos; illi conspiratione cognita secedunt in Lycaoniam, & Lystræ & Derbes evangelizant.

Act. 14.

XLII. *Vir Lystris claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat, audiebat Paulum loquentem: qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magna voce: surge super pedes tuos rectus; & exilivit, & ambulabat.* Idololatræ viso miraculo, exclamarunt Lycaonice: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos; & vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis*, cujus templum erat in suburbiis, adducens tauros floribus coronatos, *cum populis volebat sacrificare.* Apostoli, his auditis, insiliunt in turbam, exclamantes: *viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis, homines annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis nationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio seipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra*; non tantum per exteriores gratias, sed etiam per interiores, quæ nullo tempore penitus defuere gentibus, quemadmodum ex his Pauli verbis sic colligit D. Prosper; ne in præteritis quidem sæculis, hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque alias nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissæ fiat vivere voluntatem; non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque meruendum nullis significationibus admoneret ... qui quidem in comparationem electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt a manifestis occultisque beneficiis abdicati ... quis ambigat eos, qui de quibuscunque nationibus, quibuslibet temporibus, Deo placere potuerunt, spiritu gratiæ Dei fuisse discretos? quæ & si parcior ante atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere uniformi. Hanc tanti viri expositionem non improbabit pius lector.

Interior gratia non defuit gentibus. Prosper l. 2. de vocat. gent. c. 4. & 5.

Paul. lapidatus.

Paulus & Barnabas, quantumvis de se demisse, de Deo vero magnifice loquerentur, *vix sedarunt turbas, ne sibi immolarent.* Sed brevi magna facta est animorum commutatio. Judæorum, qui venerant Antiochia & Iconio, calumniis irritati Lystrenses, Paulum lapidant, mortuumque rati trahunt extra civitatem, sed divino servatus est beneficio. *Circumstantibus eum discipulis surgens, intravit civitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben*, non sine grandi miraculo: *cumque evangelizassent civitati illi, reversi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam*; his Ecclesiis constituunt presbyteros: omniumque animis in fide confirmatis, hortantur ne præsentibus malis commoveantur; *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphiliam, & loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam, & inde navigarunt Antiochiam* Syriæ, *unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt.* Congregatæ Ecclesiæ narrant, quanta Deus per eos operatus esset, fideique ostium gentibus aperuisset: moratique sunt dies non paucos cum discipulis. Romæ pariter Judæi frequenter cum christianis altercabantur seditiose, modis omnibus obsistentes propagationi evangelii: eos igitur tumultuantes urbe expulit Claudius, nono imperii sui anno. Cæsaris edicto acquiescens Petrus navigavit in Palæstinam anno Christi 51.

Act. 14. Suet. in Claud. c. 25. Oros. l. 7. c. 6.

XLIII. Tumultus & seditiones, præsagia brevi futuræ desolationis, in dies crescebant etiam Jerosolymæ. Ventidius Cumanus Judææ præses instante festo Paschæ, pro more jussit cohortem unam armatam stare supra templi porticus, ne quis motus nasceretur in tanta hominum multitudine undequaque concurrentium. Die festi 4°. miles inverecunde se nudavit coram populo, turpitudini addens convitia: hac contumelia furentes Judæi vociferabantur, injuriam redundare in ipsum Deum, quem honoraret celebritas: audaciores clamabant submissum a præside militem. Cumanus, his verbis licet non mediocriter irritatus, rogabat tamen ut desinerent movere seditionem; cumque illi adeo non parerent, ut majoribus etiam eum impeterent conviciis, lapidesque jactarent in milites, jubet totum exercitum cum armis convenire in turrim Antonianam, castellum templo imminens. Populus, viso adventu militum, territus cœpit magno impetu fugere, & cum essent angusti viarum exitus, rati e tergo hostem insequi, comprimebant se invicem inter fugiendum, & conculcabant in angustiis, ita ut viginti millia extinctorum numerata sint; versaque in luctum festa lætitia, omnes sacrificiorum & precationum obliti dederunt se lamentis & ejulatibus.

Joseph. l. 20. antiq. c. 3. Christi An. 51.

Vix luctus desierat, cum aliud malum accidit: quidam ex illa seditione profugi, in publica via, Stephanum Cæsaris servum aggressi sunt latrocinio, omnesque ejus diripuerunt sarcinas: quo audito, Cumanus confestim eo misit milites, & jussit ut vicos loco propinquos diriperent. In hac populatione miles libros Moysis inventos laceravit in conspectu omnium, multis debacchatus & in legem, & in gentem totam conviciis: hoc ubi ad Judæos perlatum est, agmine magno petunt Cæsaream, in qua tunc Cumanus agebat, supplicantes, ut non suam, sed læsi numinis ulcisceretur injuriam. Præses populi defectionem veritus, de amicorum consilio militem violatorem legis securi ferit, atque hoc modo tumultum jam repullulantem sedavit. Chalcidis regnum tunc obtinebat Agrippa junior donatum a Claudio.

Paulus reprehendit Petrum. ad Gal. 2.

XLIV. Interim Petrus pervenit Antiochiam: primo quidem neglectis legalibus convescebatur cum gentibus; postea Judæorum, quos miserat Jacobus, offensam veritus, si cibis lege prohibitis cum gentibus uteretur, se ab eorum convictu separavit, exemploque suo plures, & ipsum Barnabam pertraxit in eamdem simulationem, qua cum offensione vulnerabatur conscientia gentilium. Paulus utrique populo consultum volens, Petrum palam reprehendit: *in faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat .... cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus; si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaice, quomodo gentes cogis* exemplo tuo *judaizare*? si verum scripsit Paulus, ut nemini christiano dubium esse potest, verum est quod Petrus tunc non recte ingrediebatur ad veritatem evangelii: utique conversationis fuit vitium, non prædicationis: Petrus non erravit opinione, sed imprudentia facti, simulatione sua errandi occasionem fidelibus præbuit, & Paulus ei restitit, ut omnes ex ipso Petri silentio intelligerent, se non teneri legalibus, & sine illis salvos se esse posse. Ipse vero Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit: quo non dedignarentur (sic ubi forte recti tramitem reliquissent) etiam a posterioribus corrigi .... est laus itaque justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro, qui paulo post ascendit Jerosolymam.

August. epist. 82. alias 19.

Ibid.

XLV. Judæi quidam christiani, sed Mosaicæ legis tenaciores, authore Cerintho, quæstionem de legalium observatione retractant: docebant neminem nisi circumcisum posse salvari; quisquis autem suscipiebat circumcisionem, debitor est universæ legis faciendæ, ut docet Apostolus; hinc nata gravis contentio, Paulo & Barnaba negantibus circumcisionem & legalium observationem esse necessariam ad salutem. Consenserunt omnes rem deferendam ad commune Apostolorum concilium. Itaque Paulus & Barnabas cum Tito & aliis profecti Jerosolymam ex revelatione divina, anno 17. ab ejus conversione, ut ipse scribit; cujus rei causa venerint, exponunt. Apostoli numero quinque, & fortassis plures, & seniores conveniunt, ut propositam de legalibus quæstionem examinent. Petrus

Epiph. hær. 28. Act. 15. *Concilium apostolicum.* ad Gal. 5. ad Gal. c. 2.

prima-

CHRISTI AN. 52.

primatus jure primus dixit sententiam, ostenditque exemplo Cornelii, qui licet incircumcisus Spiritum sanctum acceperat, Judæos & gentiles justificari fide, quæ per charitatem operatur: ac proinde eximi jugo circumcisionis.

Paulus & Barnabas ejus verba confirmant, *narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos;* tot enim erant argumenta, quibus nullam circumcisionis exterioris rationem se habere testabatur Deus. Jacobus illis consentiens, demonstrat prænuntiatam oraculis Prophetarum gentium vocationem, quibuscum Deus iniret novum fœdus; unde concludit: *propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis & sanguine.* Et ne quis objiciat: quare non & Judæis eadem scribimus? addit: *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba Judam, qui cognominatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum: Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba & Paulo; hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi; misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis: valete.*

Chrysost. hom. 33. in Act.

Strabo lib. 12. Euseb. l. 3. de vit. Const. c. 55.

Concilii decretum spectat solos fideles e gentilitate conversos, quibus tria interdicit: 1.° fornicationem; nam solum adulterium vetabatur Romanis legibus: imo Corinthi, & in aliis urbibus plurimæ meretrices publice erant veneri consecratæ, putabantque gentiles ejusmodi prostitutionibus placari deos suos. 2.° Esum carnium, quæ idolis erant immolatæ. 3.° Suffocatum & sanguinem: hæc duo in idem recidunt: sanguis enim manet in suffocatis; hinc est quod plerique veteres meminere solius sanguinis. Illius esum tempore legis naturæ prohibuerat Deus in signum supremi sui dominii, quod declararet omnium vitam esse sui juris. Excepta fornicatione, quæ jure naturali & divino prohibetur, nequaquam fuit Apostolis propositum, ut perpetuo Ecclesiam universalem his legibus obstringerent; sed ab iis per aliquod tempus ædificationis causa fuit abstinendum, ne infirmis scandalum moveretur, quo cessante penitus, cessavit & legis obligatio. Hanc Apostolici decreti fuisse mentem, docet D. Paulus, legitimus illius interpres: *si quis, inquit, vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate: nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam, non tuam, sed alterius, qui te admonuit.* Ibidemque dicit; *omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Apostolus profecto non ignorabat in foro Corinthiorum aves suffocatas & carnes idolis oblatas prostitisse venales. Ea lex etiam nunc a græcis observatur, undecimo sæculo vigebat in multis Ecclesiis occidentalibus, ut aperte testantur Humbertus Cardinalis, & Uspergensis Abbas. Illam vero in plurimis provinciis, præsertim in Africa penitus abrogatam, exeunte quarto seculo, testatur Augustinus.

1. ad Cor. 10.

Aug. l. 32. contra Faust. c. 13. idem ep. 82. alias 19.

Hæc quidem non ex Judaica superstitione observarunt christiani, sed ob reverentiam Apostolorum, qui, ut notat D. Augustinus, elegerunt pro tempore rem facilem, & nequaquam observantibus onerosam, in quam cum Israelitis gentes aliquid communiter observarent; ne putarentur illæ propheticæ significationis observationes, a piissimis Patribus custoditæ, tanquam sacrilegia diabolica a posteris detestata, atque ita cum honore sepeliretur synagoga; Judæique sensim cum gentibus communicarent facilius. Paulus usus hac opportunitate, doctrinam, quam prædicabat, contulit cum Petro, Jacobo & Joanne, qui habebantur columnæ Ecclesiæ, ut eorum authoritate muniretur, ne inanis esset ejus prædicatio, si quibusdam videretur Apostolis non probari, quemadmodum jactitabant pseudo-apostoli. Agnoverunt illi specialem ejus a Deo vocationem, ut gentes potissimum doceret, unde & doctor gentium dictus est, eumque recipiunt in socium apostolatus, cujus labores ea ratione partiti sunt, ut Petrus Judæis, Paulus vero & Barnabas prædicarent gentibus, quorum eleemosynis commendarent pauperes, qui in Judæa erant, quod illi abundanter præstitere. Hac divisione nihil cujusquam officio subtractum est, sed provisum ordini prædicationis, quo facilius ejus cursus procederet. Subintroducti falsi fratres, *qui subintroierant*, inquit Paulus, *explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent; Titum circumcidi volebant; quibus neque ad horam cessimus subjectione: ut veritas Evangelii permaneat: neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi.*

CHRISTI AN. 52.

ad Gal. 2.

Act. 15.

XLVI. Concilii legati Paulo comite descendunt Antiochiam, *& congregata multitudine, tradiderunt epistolam: quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione*, quam eis dederant Apostoli. *Judas autem & Silas, cum essent prophetæ*, seu eximii præcones evangelii, *verbo plurimo consolati sunt fratres*, & in fide *confirmarunt*. Judas solus rediit Jerusalem; cæteri demorati sunt Antiochiæ, *docentes cum aliis pluribus verbum Domini*. Apostolicum illud concilium anno Christi 52. celebratum, omnium subsequentium forma fuit & exemplar. Quæstio difficilis inter fideles non sine animorum divisione controvertitur, consulitur Ecclesia columna veritatis, Apostoli cum senioribus conveniunt, Petrus præsidet, proponit quæstionem, & prærogativam habet suffragii, judicant & alii Apostoli, communique consensu ex verbo Dei deciditur quæstio, decretum scripto traditur ut divinum oraculum, cujus author esset Spiritus sanctus: quandoquidem affirmare non dubitant: *visum est Spiritui sancto & nobis*, ne fideles putent humanum esse. Transmittitur ad omnes & laicos & presbyteros, quibus solius obedientiæ partes relinquuntur. Et certe quod visum est Spiritui sancto, quis sine blasphemia ad examen revocare audeat? eadem authoritate pastorum Ecclesiæ, sive congregatæ, sive dispersæ, damnatæ sunt sequentes hæreses, & confirmata fides: ut multis infra constabit exemplis. Hæc autem sacro-sancta Synodus & sequentes, pessimi sunt exempli, & prorsus inutiles, si nulla eis debetur obedientia; nullaque societas, vel inter barbaros, minus ordinata est, quam Christi Ecclesia, in qua quisque scripturam privato sensu loquens fidem sine fide prætendat, & credenda, vel non credenda sibi definiat, vel si Deum unum & Christum mediatorem confiteri sufficiat ad salutem. Quanto sapientius Augustinus: evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas. Sola quippe scripturarum canonem & sensum certo docet.

Chrysost. hom. 33. in Act.

Act. 15.

XLVII. Petro paucis post concilium diebus venit Antiochiam, illiusque Ecclesiæ regimen suscepit, usque dum Romam rediret post sex annos, quæ non paucorum probabilis est opinio criticorum. Paulus opem suam Antiochiæ parum necessariam intelligens, præsente Petro cum multis adjutoribus in ministerio evangelii, hortabatur Barnabam, ut simul obirent Ecclesias, quibus Dei verbum prædicaverant. Barnabas consensit, dummodo secum assumerent Joannem cognomento Marcum: rogante Paulo ne reciperetur in societatem, eo quod nuper in Pamphilia susceptum dereliquisset opus conversionis gentium, *factu est inter eos dissensio*, non animorum, sed consiliorum, quæ cessit in utilitatem Ecclesiæ: sic enim divina providentia factum est, ut pluribus evangelium annuntiaretur.

Act. 16.

Barnabas assumpto Marco navigavit Cyprum; evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercens, Apostolatum suum glorioso martyrio consummavit. Paulus vero Sila comite lustravit Ecclesias Syriæ & Ciliciæ, *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum:* Ecclesiasticis præceptis ergo debetur obedientia: pervenit Lystram; *ibi discipulus erat nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis*, cui nomen Eunice, *patre gentili: huic testimonium bonum reddebant omnes fratres:* hunc voluit Paulus secum proficisci. Sed ne Judæi moram afferrent evangelio, qui Dei verbum ab incircumcisis audire noluissent, eum circumcidit. Legalium observatio, licet saluti non necessaria, tolerata est apud Judæos Christianos

usque

CHRISTI AN. 52.

1. ad Timoth. 4.

Act. 16.

usque ad Jerosolymæ excidium, eique manus imponens consecravit episcopum. Ne in Asia provincia, & Bithynia docerent, prohibuit Spiritus sanctus. Troadem cum venissent, audita per noctem voce supplici viri Macedonis orantis, atque dicentis, *transiens in Macedoniam, adjuva nos*: securi de vocatione divina, inquit D. Lucas, qui hic primum loquitur, ut Pauli comes, *navigantes a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas*, colonia Romana, *ibique eramus dies aliquot conferentes*. Die sabbati egressi foras juxta flumen, ubi videbatur locus orationis, loquebantur Judæorum mulieribus, quæ priores convenerant: quædam *Lydia civitatis Thyatirenorum purpuraria colens Deum*, cujus voluntatem movit Deus, ut attenderet ad verba Pauli, credidit, & baptizata est, & domus ejus, Paulumque cum sociis in sua domo hospitari precibus coegit.

Act. 16. *Paulus Pythonissam sanat, & virgis cæsus mittitur in carcerem.*

XLVIII. Altera die redeuntibus ad orarium occurrit puella Pythonissa, quæ magnum dominis suis quæstum præstabat vaticinando: hæc per plures dies Paulum ejusque socios subsecuta *clamabat: isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*. Apostolus dolens se laudari a patre mendacii, veritusque ne Philippenses crederent se & ejus socios agi eodem spiritu, cui miracula tribuerent, & ne Judæi scandalizarentur, suspectamque haberent doctrinam, quam scirent a dæmone laudatam; *conversus spiritui dixit: præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea, & exiit eadem hora*. Irati domini cessasse lucrum suum, perducunt Paulum & Silam in forum ad magistratus, & sic accusant: *hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi: & annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani*. Artificiosa accusatio tum seditionis, tum seductionis populi contra Romanas leges, quibus cautum erat, ne quis sit habens deos advenas, & nisi publice adscitos privatim colat, quæ lex postea multarum fuit occasio persecutionum. Accusationis vi, & tumultu plebis incitati magistratus, *scissis eorum tunicis*, ad majorem ignominiam virgis cæsos mittunt in carcerem interiorem; & ligno, quod nervum vocant, pluribus foraminibus distincto eorum pedes inserunt divaricatis cruribus, ita ut humi desidentes loco se movere non possent.

Media nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum, cæteris audientibus: *subito terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris; & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt. Expergefactus custos carceris videns januas apertas, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos: clamavit autem Paulus voce magna, dicens: nihil tibi mali feceris, universi enim hic sumus; petitoque lumine introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, & producens eos foras ait: Domini quid me oportet facere, ut salvus fiam? illi dixerunt: crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu & domus tua, & locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo ejus, & baptizatus est, & omnis domus ejus continuo*. Ipse lotis eorum plagis deduxit eos in domum suam, convivioque excepit lætus, & credens Deo. Magistratus primo mane per lictores eos dimitti jubent. Paulus famæ suæ consultum volens, & securitati fidelium, respondit: *cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt? non ita: sed veniant, & ipsi nos ejiciant*. His auditis, timore perculsi, magistratus supplices veniunt, enixeque deprecantur, urbe excedant. Emissi de carcere Lydiam invisunt, aliosque fratres consolantur, atque in fide confirmant. Profecti paucis diebus pervenere Thessalonicam.

Act. 17.

1. ad Thessal. cap. 1.

Paulus pro more missionem suam auspicatus a synagogis, per tria sabbata scripturas exponens, ostendit Christum pati oportuisse, & resurgere a mortuis, hos esse genuinos Messiæ characteres, qui uni Jesu Christo conveniunt. Talis autem erat ejus prædicatio, ut omnibus abunde satisfaceret, & confirmaretur multis miraculis. Pauci Judæi, plurimi vero gentiles proselyti credidere, & non paucæ mulieres nobiles. Judæi legis studio incensi per homines facinorosos concitant civitatem, impetuque facto in domum Jasonis eorum hospitis, non inventis Apostolis, ipsum & quosdam fratres pertrahunt ad principes civitatis, qui accepta satisfactione dimiserunt eos. Paulus & Silas, ne quid detrimenti sui causa paterentur, noctu profugere Berœam. Berœenses æquiores Thessalonicensibus, & dociliores, prædicante in synagoga Paulo, *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent*: noverant legem Moysis Deum habere authorem, Ecclesiæ vero Christi ei succedentis necdum satis eis se manifestabat authoritas: hinc scripturæ testimoniis & miraculis tunc fidem suadebant Apostoli, quam multi gentiles, & honestæ fœminæ in ea urbe suscepere, sed plures Judæi in Christum credidere: quos inter vitæ sanctitate maxime claruit Sosipater Pauli consanguineus. Hæc ubi rescivere Thessalonicenses, Berœam advolant, & commovent plebem. Paulus, cujus capiti vel maxime impendebat hæc procella, relictis Sila & Timotheo, quibus minus infensi erant hostes evangelii, deductus est a fratribus Athenas, non sine magno labore. Videns hanc civitatem præ cæteris idololatriæ deditam zelo incitabatur: *disputabat igitur in synagoga cum Judæis*, & in foro cum philosophis, quibus videbatur prædicare deos extraneos, quia Jesum & resurrectionem annuntiabat. Nonnulli contemnebant eum ut garrulum, vicit tamen curiositas. Atheniensium enim præcipua occupatio, dicere, vel audire aliquid novi: itaque eum deducunt ad Areopagum, postulantque ut hactenus inaudita ipsis dogmata proponat.

CHRISTI AN. 52. *Berœæ & Athenis propagatur evangel.*

Act. 17. *Paulus in Areopago prædicat.*

XLIX. Ignoto Deo aram dedicarant Athenienses: Paulus argumentum inde ducens, novæ religionis accusationem prudenter amovet, docetque se prædicare unum verum Deum, quem ignorantes colerent, cujus opus sit mundus universus, quem regit providens omnibus: hinc deducit nobilitatem generis humani, quod originem trahit ab omnipotente Deo, qui creavit Adamum, ex cujus stirpe omnes sunt progeniti, ut cognoscant, ament, & colant eum ut authorem suum. Unde concludit hominem, qui genus est Dei, insulse venerari muta simulacra tanquam Deos, vel veras divinitatis effigies; siquidem Deus immensus manufactis templis concludi non potest, sed cœlum terramque implet; *nec manibus humanis colitur indigens aliquo*; cum sit Dominus omnium, sed ei mente ac corde servitur: omnibus dat vitam, inspirationem & omnia; qui tandem hominum ignorantiam misertus, eis annuntiat pœnitentiam per Christum, quem suscitatum a mortuis constituit judicem omnium. Arati poetæ testimonium proferre non dedignatus est, ut doceret Deum ubique esse præsentem, sic sanctificans prophana, & faciens ecclesiastica. Audita mortuorum resurrectione, quidam suæ tradita cæcitati irriserunt, alii crediderunt, quos inter Dionysius Areopagita, qui postea fuit Atheniensium episcopus, & mulier nomine Damaris, quam aliqui Patres putant conjugem Dionysii.

Chrysost. hom. 38. in Act.

Eus. hist. l. 3. c. 4. Chrysost. de sacerd. l. 4. Ambr. c. 6. in Luc

Paulus in eo sermone loquens de Christo, eum viri nomine designat, nec meminit divinæ ejus filiationis, quia, ut pulchre observat Ambrosius, qui tractat, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur, quam audiatur. Quando enim Athenienses crederent, quia Verbum caro factum est, & de Spiritu sancto virgo concepit, qui irridebant, quia resurrectionem audiebant mortuorum. Quid interest quo quisque credat ordine? non in principiis perfecta quæruntur, sed de principiis ad ea quæ perfecta sunt, pervenitur. Silas & Timotheus, ut habebant in mandatis, Paulum conveniunt Athenas; sed Timotheum misit Thessalonicam, Silam vero in aliam partem Macedoniæ, ut fideles consolarentur, atque in suscepta fide confirmarent, ne concitatæ in eos persecutiones quemquam a proposito dimoverent; hæc est enim voluntas Dei, eaque lege vivimus, ut pro fide patiamur: optasset quidem Paulus invisere Thessalonicenses, idque semel iterumque tentavit, *sed*, inquit, *impedivit nos satanas*.

1. ad Thessal. c. 3.

ibid. c. 2.

Act. 18. *Corinthiorum conversio.*

2. ad Thessal. c. 3. Clem. const. l. 2. Epiph. hær. 80.

L. Post hæc Athenis profectus Corinthum, invenit quemdam Judæum nomine Aquilam, genere ponticum, qui nuper cum Priscilla uxore sua venerat ab Italia, & cum esset ejusdem artis scenofactoriæ, mansit apud eum. Judæi etiam honestiores solebant ut plurimum artes exercere; Paulus eo opificio se sustentabat, hanc aliis proponens regulam, *qui non operatur, non manducet*. Illius exemplo clerici prioribus sæculis arte aliqua sibi parabant ad vitam necessaria, quamvis non deessent eleemosynæ fidelium, haberentque jus vivendi ex altari, cui serviebant.

Christi An. 52.

vicbant. Singulis autem sabbatis disputabat in synagoga interponens nomen Domini Jesu, multosque judæos & græcos fecit christianos. Adventu Silæ & Timothei factus animosior, instabat verbo, *testificans Judæis Jesum esse Christum*, seu Messiam.

Illis pervicaciter contradicentibus, excutiens vestes, ut imminentem incredulis pœnam indicaret, contenta voce clamavit: *sanguis vester super caput vestrum, mundus ego, ex hoc ad gentes vadam; & inde migrans intravit in domum Titi justi*, proselyti, *colentis Deum, cujus erat conjuncta synagoga*, ut in ea doceret. Corinthiorum non pauci crediderunt, quos inter Crispus archisynagogus, postea Egineosis episcopus, & Stephanus, & omnis eorum domus, & Cajus, qui omnes baptizati sunt. Apostolum in ministerio verbi adjuvabant Timotheus & Silas seu Sylvanus, qui paulo post sancte obiit: laborum & passionum Pauli socius per plures annos multum allaboravit evangelio. Dominus apparens nocte Paulo dixit: *noli timere, sed loquere, & ne taceas, ego sum tecum: nemo tibi nocebit, quoniam populus est mihi multus in hac civitate*, qui in me crediturus est. Athenæ & Sparta jam dudum penitus exciderant ex amplo statu; florebat tum maxime Corinthus, celeberrimum totius Græciæ emporium, propter bimare quo alluitur; hinc in Italiam, inde in Asiam facilis est trajectus; divitiis & populo abundabat: hic Paulus annum & sex menses commoratus est in multa patientia, docens verbum Dei, prædicationemque confirmans prodigiis & virtutibus, quæ vocat signa sui apostolatus; atque ita ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum replevit evangelium Christi.

1. ad Cor. c. 16. — 1. ad Cor. 1. — 2. ad Cor. c. 12. ad Rom. 15.

LI. Ibidem anno Christi 52. primam scripsit ad Thessalonicenses epistolam: eorum fidem, constantiam in persecutionibus, labores & charitatem ei renuntiarat Timotheus; hinc eis gratulatus consolatur, atque in memoriam revocat, quam sincera fuerit ejus prædicatio, quam pura ab omni adulatione, dolo & avaritia: testatur quam jucundus Timothei ei fuerit adventus, audiens quanta pro Christo constanter pertulissent; eosque hortatur ad perseverantiam, ad fugam omnis immunditiæ, & ad mutuam charitatem: monet ne lugeant mortuos more gentilium, sed consolentur spe resurrectionis, vivantque semper ut expectantes supremum judicium, licet illius dies sit incertus. *Memores estis*, inquit, *laboris nostri & fatigationis, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis evangelium Dei... deprecantes vos, & consolantes, testificati sumus, ut ambuletis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum & gloriam. Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis: vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu, quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis...., nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Nam & cum apud vos essemus, prædicabamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis... obsecramus vos in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo sic & ambuletis, ut abundetis magis.*

Epistola 1. ad Thessal. — 1. ad Thessal. cap. 2. — cap. 3. — cap. 4.

Ad morum præcepta descendens, imprimis commendat amorem & observantiam erga præpositos; *rogamus vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in invicem, & in omnes; sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.* Hanc sic concludit: *adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Hinc consuetudo legendi libros sacros in publicis fidelium conventibus, quæ praxis viguit etiam tempore synagogæ, & ab ea pertransiit in Ecclesiam; huic vero lectioni præerant sacerdotes, qui textum sacrum interpretarentur, ut refert Justinus in secunda apologia. Priscis quidem temporibus, inquit Epiphanius, summa erat in explicando brevitas, cum in id illi potissimum incumberent, non ut oblectarent, sed ut prodessent auditoribus... postea per ostentationem sui diffusior. Hunc usum confirmat antiquus ordo Romanus; in quo sic præscribitur, lectorem oportet legere ei, qui prædicat.

cap. 5. — Epiphan. hær. 64.

LII. Thessalonicenses Apostoli verba de futura mortuorum resurrectione, vel præpostere intellexere, vel decepti a falsis doctoribus, qui Paulo supposuerant epistolam, putabant instare diem extremi judicii. Paulus in altera epistola insurgit in hunc errorem, eosque docet Christum non prius venturum in judicium, quam apparuerit antichristus, cujus improbos mores, exitiumque describit: *ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum*, seu dissolutio & divisio romani imperii, ut Patres ex traditione docent; *& revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, scilicet antichristus, *qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam Deus*; & idola quidem seponens, inquit Irenæus, ad suadendum quod ipse sit Deus; se autem extollens unum idolum, habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem: sedebit in templo Hierosolymitano, quod reædificabit, tentans seipsum Christum ostendere. *Cujus est adventus secundum operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*, seu falsis, *& in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt*, culpa sua: *eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit: & sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, hoc est, per triennium & sex menses regnabit super terram. Hoc tempus sic aperte indicat D. Joannes: *& data est ei potestas facere menses quadraginta duos; & aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant: & datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos; & data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem; quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum.* Tunc justi resurgent & regnum æternum possidebunt. Quis non miretur homines non mediocris ingenii & eruditionis sic spiritu erroris excæcatos fuisse, ut romanos Pontifices his antichristi coloribus designari dicerent?

Christi An. 53. — Epistola 2. ad Thessal. cap. 2. — Hier. in c. 25. Jer. — Iren. l. 5. c. 25. — Antichristi character. — Cyril. catech. 15. — Daniel. 7. — Iren. ib. — Cyril. cap. 15. — Apoc. c. 13. — 2. Thessal. c. 2.

De traditionibus ibidem: *itaque fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Unde perspicuum est, inquit Chrysostomus, non omnia Apostolos tradidisse per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Ne deinceps in errorem inducerentur per supposititias epistolas, hac cautione utitur, *salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo: gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.* Paulus propria manu sic subscribebat epistolis suis ad Ecclesias, ut dignoscerentur, nec quisquam fictis epistolis eas deciperet. Hæ duæ ad Thessalonicenses, si ratio temporis habeatur, primæ sunt, prioresque scriptæ ab Apostolo: in bibliis vero dispositæ sunt secundum dignitatem Ecclesiarum; hinc quæ est ad Romanos, primum habet locum.

Ibid. — Chrysost. hom. 4. in 2. ad Thessal.

LIII. Judæi fidei in Christum propagationem non ferentes, Paulum adducunt ad tribunal Gallionis Proconsulis Achajæ, accusantque quod contra legem Moysis inducat novum Dei cultum. Cum autem vellet pro se loqui, dixit Gallio ad Judæos: *siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem; si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: judex ego horum nolo esse, eosque submovit a tribunali*: & quamvis Græci Sosthenem synagogæ virum primarium graviter percuterent, ipso vidente, *nihil eorum Gallioni curæ erat.* Sosthenes Christi fidem postea professus est. Judæorum vim plures dies Paulus cum sustinuisset, *fratribus valefaciens navigavit versus Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum* Nazaræorum, *deveneruntque Ephesum, & illos ibi reliquit: ipse vero ingressus synagogam disputabat cum Judæis: rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit; sed valefaciens, & dicens, iterum revertar ad vos, Deo volente, profectus est* Cæsaream Palestinæ, ascenditque Jerosolymam, & salutavit ecclesiam, & inde profectus Antiochiam, ibi per aliquot dies substitit, mox perambulavit Galatiam & Phrygiam, *confirmans omnes discipulos*, a Galatis exceptus est ut angelus Dei, imo ut ipse Christus.

Act. 18. — 1. ad Cor. c. 1. — ad Gal. 4.

LIV.

CHRISTI AN. 53.

LIV. Paulo prædicante Corinthiis, Lucas medicus Antiochensis, ejus discipulus, & peregrinationum comes, evangelium græce scripsit, at confutaret multos seu hæreticos, seu imperitos, qui ea mandarant literis, quæ acceperant de vita & prædicatione Christi, sed fabulis, & falsis rumoribus narrationes suas asperserant. Ipse vero, qui ab Apostolis, & ut verisimillimum est, a B. Virgine Maria cuncta didicerat, hæc ab initio usque ad finem accurate scripsit, inspirante divino Spiritu. Initium scribendi sumpsit a conceptione & nativitate Joannis Baptistæ; multaque narrat de mirabili Christi conceptione, de nativitate & circumcisione, de ejus a pastoribus adoratione, & in templo præsentatione, demum de iis, quæ contigerunt, cum Jesus puer duodennis in templo remansit inter doctores, & alia quædam ejus præclare dicta & facta, quæ prætermissa sunt ab aliis Evangelistis.

Hier. de script. Eccles. Iren. l. 1. c. 20. & l. 3. c. 2. Aug. de consensu Evang. cap. 3. Lucæ evangel.

Act. 18.

LV. Antiochiæ vicibus lustrante Paulo, *Judæus quidam, Apollo nomine, alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturis: hic erat edoctus viam Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu*: sed solum Joannis baptisma noverat. Priscilla & Aquila hunc cum audissent disserentem in synagoga, Christi baptismum, quem ignorabat, aliaque fidei capita privatim eum edocuerunt; neque vir ille scripturarum peritus a muliere & tabernaculorum opifice informari erubuit. Eo proficiscente in Achajam, *fratres scripserunt discipulis, ut susciperent eum; hic cum venisset, contulit multum his qui crediderant: vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per scripturas Jesum esse Christum*. Asiæ minoris superioribus partibus peragratis, Paulus reversus est Ephesum, *cum Apollo jam esset Corinthi*; invenit duodecim discipulos, eosque interrogat, an Spiritum sanctum acceperint? illi dixerunt: *neque nidem si Spiritus sanctus est, audivimus*. Ex eorum responsione intelligit Apostolus, eos Joannis tantum recepisse baptismum, quod confessi sunt: jussit ergo eis conferri baptisma Christi, quod proinde non nisi invocato Spiritus sancti nomine solebat administrari; *& cum imposuisset illis manus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*.

Act. 19. Ephesi prædicationem suam miraculis confirmat Paulus.

Exinde per tres menses *ingressus synagogam* singulis sabbatis, *cum fiducia loquebatur, disputans & suadens de regno Dei*; usque dum increduli quidam coram omnibus maledicerent viam Domini: tunc *discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie per biennium disputans in schola* cujusdam sophistæ, qui vocabatur Tyrannus; atque ita factum est, ut omnes fideles Asiatici, tum Judæi, tum gentiles audirent verbum Dei; *virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*. Quam legitimus sit sacrarum reliquiarum usus, quarum contactu tot mirabilia Deus operatur, ex his invicte colligitur.

Apostolum dæmonibus per Christi nomen potenter imperate viderant septem filii Scevæ Judæi, qui Ephesi princeps erat sacerdotum: omissis igitur judaicis exorcismis, dæmones adjurarunt in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat. Respondit spiritus nequam: *Jesum novi, Paulum scio: vos autem qui estis? & insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, invaluit contra eos; ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa: hoc notum factum est omnibus Judæis atque gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor super omnes, & magnificabatur nomen Domini Jesu; multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos; multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*, seu viginti millium librarum gallicarum. *Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur*. Paulus ergo felicibus initiis fundavit hanc nobilem Ecclesiam urbis metropolim, quam postea præsentia sua illustravit Joannes Apostolus.

Iren. l. 3. cap. 3. Theod. prolog. in epist. ad Ephes.

CHRISTI AN. 55. Suet. in Claud. c. 44. & 45. Claudii mors.

LVI. Decurrebat annus 14.us imperii Claudii, tum signa quædam non obscura pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione dedit, nec multo post etiam testamentum conscripsit, ac signis omnium magistratuum obsignavit: sed priusquam ultra progrederetur, prævenitus est ab Agrippina, quæ venenum illi dedit: mors ejus celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Excessit tertio idus Octobris, Christi 55, Asinio Marcello, & Acilio Aviola Consulibus, sexagesimo quarto ætatis; cum imperasset annos tredecim & menses fere novem. Ostiæ portum extruxit, opus ægre post undecim annos absolutum, quamvis continuo triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. Nero ejus gener & ab eo adoptatus, nam natus erat patre Domitio, annum agens 17.[m] ei successit in imperium, quod jure testamenti & hereditario debebatur Britannico, quem postea veneno sustulit: orsus tamen a pietatis ostentatione, neque liberalitatis, neque clementiæ, neque comitatis exhibendæ ullam occasionem omisit, seque ex Augusti præscripto imperaturum professus est. Sed post bienniam in deteriora prolapsus, ostendit quid summa vitia possent in summa fortuna. Edictum, quo Judæi vetabantur, ne in urbe commorarentur, pariter cum Claudio concidit, quamobrem christianis etiam genere judæis in urbem redeundi facultas data est.

CHRISTI AN. 55. Suet. in Claud. c. 20.

Act. 19.

LVII. Paulus aliquot menses ante mortem Claudii, tertio ire Jerosolymam, & postea navigare Romam proposuit: Timotheum & Erastum præmisit in Macedoniam, *ipse remansit ad tempus in Asia*: quo tristes nuncii, & literæ multis ex locis ei allata sunt; audiit Galatas, quos a gentilitate adduxerat ad fidem, defecisse ad judaismum: plerique circumcisionem, aliaque legalia tanquam ad salutem necessaria receperant: hunc in errorem eos induxerant judæi quidam pseudoapostoli, qui, quamvis christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsius gratiæ beneficium, asseverabant nihil eis prodesse evangelium, nisi circumciderentur, & cæteras carnales judaici ritus observationes subirent. Petri dissimulationem, quæ contigerat Antiochiæ, in patrocinium erroris sui trahebant, affirmantes suæ doctrinæ favere Petrum, Jacobum, & Joannem, quorum discipulus erat Paulus, & ideo inter primos Apostolos minime annumerandus.

Epistola ad Galat. Aug. in epist. ad Galat.

Apostolus his auditis, ne gliscens error serperet latius in Ecclesias, hunc damnat scripta epistola. Apostolum non ab hominibus, sed per Jesum Christum & Deum Patrem se constitutum esse, ut tanta auctoritate confundat adversarios; doctrinam quoque suam per revelationem Jesu Christi se accepisse profitetur. Unde concludit: *licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Idque repetit, ne excidisse crederent. Apostolos alios eadem secum sentire de legalibus contendit, & manifestum erat ex decreto concilii hierosolymitani, evinciturque ex ipsa Petri reprehensione, qui licet judæus, legalia cum gentibus saepe non servarat. Imo post evangelii gratiam ad ea reverti, quasi sint necessaria sint, fidelibus esse perniciosum docet, quibus Christus tunc nihil prodesset. Hinc infert: *scientes quod non justificatur homo ex operibus legis* Mosaicæ, *nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi ... non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Erat quippe mors ejus inutilis ad salutem. Apostolus sic legem spectat ut a Christi fide distinctam, tunc profecto ad justificationem perducere non potest: *non enim quisquam*, inquit Augustinus, *præter istam fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus Incarnationem, sive postea reconciliatus est Deo*: ac proinde legis veteris cæremonias & Sacramenta & sacrificia ad salutem esse inutilia recte concludit Apostolus.

Epist. ad Gal. c. 1.

Fides in Christum semper ad salutem fuit necessaria cap. 2. August. in Psal. 104.

Veritatem hanc confirmat ex Patriarchis, atque ex ipsismet, qui ex Christi fide justificati sunt: *hoc solum*, inquit, *volo a vobis discere: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? ... qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, an ex operibus legis; an ex auditu fidei?* si negari non potest, Spiritum sanctum & virtutes, quæ in principio fidei, acceptum Spiritum sanctum sequebantur, non ex operibus legis, sed ex fide Christi datas, manifestum est non ex legis operibus, sed ex Christi fide esse justitiam ... *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Abraham quippe credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam ... Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit*. Fides enim in Christum est principium salutis, radix, & fundamentum justificationis. Judæi quidem fidem in Christum venturum habuere, per quam salvi fierent; sed erat ex promissione Salvatoris, quæ multis sæculis legem Mosaicam antecessit, ut ibidem docet Apostolus; *nam, si ex lege*, inquit, *est hæreditas cœlestis, jam non ex promissione*.

cap. 3.

Hier. in c. 3. ep. ad Gal.

[Christi An. 55.] *Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus ... & scriptura conclusit omnia sub peccato*, cui obnoxii eramus omnes, *ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*.

Et ne quis legem semper inutilem fuisse concluderet, subjicit: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo; omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu:* & infra subvertens eorum doctrinam, qui nos sola fide justificari volunt; declarat se loqui de ea fide, salutis qua media, quæ Christus instituit, amplectimur. [cap. 5.] *Quicunque*, inquit, *in Christo baptizati estis, Christum induistis*: baptismus igitur etiam credentibus est necessarius, ut Christum induant. [Iren. l. 4. c. 13. nov. edit. & c. 27. vet.] *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur*; ac proinde plenitudinem mandatorum continet. Dominus enim, ut docet Irenæus, naturalia legis, per quæ homo justificatur, quæ etiam ante legis dationem custodiebant, qui fide justificabantur, & placebant Deo, non dissolvit, sed extendit, & implevit. Hinc hortatur Galatas origine gentiles, qui proinde legi nusquam fuere subjecti, & per Christi fidem filiorum Dei spiritum acceperant, ne [cap. 6. Hier. in c. 6. epist. ad Gal.] tantam spem abjiciant, dum ad inania legis elementa convertuntur; sed potius cordis circumcisionem sectentur, & spiritu ambulent, & carnis desideria non perficiant; *qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Demum retegit malas artes pseudo-apostolorum, qui eos seduxerant: *quicunque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur*. Augustus & Tiberius leges promulgaverant, ut judæi, qui erant in toto Romani imperii orbe dispersi, proprio ritu viverent, & patriis cæremoniis deservirent. Quicunque igitur circumcisus erat, licet in Christum crederet, quasi judæus habebatur a gentibus, & legis beneficio fruebatur. Qui vero rejecta circumcisione se non esse judæum præferebat, persecutionibus tam gentilium, quam judæorum fiebat obnoxius. Hinc origo tot popularium persecutionum adversus christianos, præsertim in orientis urbibus, ubi abundabat multitudo judæorum. Has igitur persecutiones dum declinare student pseudo-apostoli, circumcisionem pro defensione discipulis persuadebant.

[Act. 19.] LVIII. Corinthii, quos Christo per evangelium genuerat Apostolus, miserant Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, qui illum, cum esset Ephesi, de statu Ecclesiæ suæ facerent certiorem; abusus, quos ab iis cognovit introductos, corrigit libertate Apostolica: aliquas etiam circa matrimonium, virgines & viduas proposuerant quæstiones, quas decidit scripta ad eos epistola, [*Epistola prima ad Corinthios.*] cujus præcipua capita exponere non abs re fuerit: præmissa gratulatione de donis sancti Spiritus, in quibus multi erant divites, redarguit eorum dissidia, ut Ecclesiæ nociva, & injuriosa Christo, qui pro omnibus crucifixus est, & in cujus nomine baptizati sunt, ac proinde cujus essent; quem tamen honorem tribuerent ejus discipulis, cum alius diceret: [cap. 1. Dionys. apud Euseb. l. 2. c. 25.] *ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephæ*. Unde nascebantur contentiones & schismata, ut solet inter philosophos & hæreticos, qui nomina sua ex cujusque sectæ authore sumpserunt. Monet christianis non esse gloriandum in hominibus, qui plantant & rigant ut dispensatores Sacramentorum Dei, sed in Christo omnium Domino, qui solus dat incrementum per interiorem gratiam, qua destituti, nihil quod conducat ad salutem possumus. *Itaque, obsecro vos*, inquit, *per nomen Domini Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: [*Sectarum tolerantiam reprobat Paulus.*] Paulus his verbis aperte reprobat opinionem novatorum, qui inducunt tolerantiam sectarum omnium, quæ christiano nomine censentur, quantumvis fide, cultu & moribus inter se differant, mutuisque sese configant anathematibus, voluntque ex iis constare catholicam Ecclesiam, singulisque apertam esse salutis viam, quasi communio fidei, eorumdemque sacramentorum & charitatis unitas non sit proprius fidelium character; e contra sectarum tolerantia est veluti quædam universalis hæresis, quæ omnes complectitur, scripturamque sacram velut obscuram & inutilem loquendi farraginem rationi subjicit, ac proinde negligit, dum clara tantum & minime controversa se credere profitetur. [cap. 3.]

Quo magis ac magis ab his carnalium hominum contentionibus eos absterreat, eorum vocationis memoriam revocat, ut nullam apud Deum esse personarum acceptionem intelligant: [Christi An. 55.] [cap. 5.] *videte vocationem vestram, non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles... sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ... ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus ... & qui gloriatur, in Domino glorietur. Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum* archi-synagogum, *& Cajum*, meum hospitem, & Stephanæ familiam. *Christus enim me misit evangelizare*; sed non in humana eloquentia, *ne evacuetur crux Christi ... Et* [cap. 2.] *ego cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi; non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum; & ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos*. Sed Deus prædicationem meam confirmavit signis & prodigiis: sic enim crucis virtus magis apparet. [cap. 3.] *Nunc quoque, cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* ideoque altiora Dei mysteria nondum vobis exponere potui, sed tanquam parvulis in Christo prima doctrinæ christianæ elementa tradidi.

Docet quid de prædicatoribus evangelii sentiendum [cap. 4.] sit; *sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, qui rem Domini sui fideliter tractent, dum unice quærunt ejus gloriam, non suam ... *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus; omnium peripsema usque adhuc*. En qualis fuerit Apostolorum vita. Christiana religio in cruce fundata per crucis opprobria & passiones excolitur atque propagatur. Hæc se dixisse testatur Paulus: *unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit, nisi ipse Deus? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris?* inde concludit: *rogo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo*.

LIX. Eorum fastum etiam comprimit occasione [cap. 5.] cujusdam incestuosi, qui novercam suam pro concubina publice retinebat. [*Incestuosum excommunicat Paul.*] Hunc anathemati subjicit authoritate apostolica, & repellit a consortio fidelium, in quorum cœtu excommunicationis sententiam promulgari jubet; ut a Christi corpore alienus, indirecte veniat in sathanæ potestatem, & carne sit afflictus, sive per pœnitentiæ labores, sive per vexationem dæmonis obsidentis, *ut spiritus salvus sit in die* [Greg. hom. 24. in Evang.] *Domini*; qui finis est excommunicationis. Hæc pastoris sententia, ut monet D. Gregorius magnus, gregi timenda est: ne is, qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur; nec pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Corinthiis alia multa præscribit Apostolus: imprimis fugere malos christianos, fornicationem, & omnem immunditiam, quæ corpus nostrum Spiritus sancti templum commaculat, excluditque a regno Dei, quod iniqui non possidebunt. Hæc sæpius in- [Suid.] culcat, quippe natura sua erant salacissimi, Cotys dæmon apud eos colebatur præses effœminatorum & impudicorum, sive illi ob turpem quæstum, sive ob fœdam libidinem, aliave de causa pudicitiam prostituant. Fideles reprehendit litigantes apud infideles, quoniam periculum erat idololatriæ, si quis cogeretur præstare jusjurandum, quod exigebant judices. [cap. 6. August. Enchir. cap. 78.] *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos*: & ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, injuriam se pati, quam velit judicum sententia removeri; continuo talibus excusationibus occurrit dicens: *quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* lites non carent periculo multarum offensionum. Hortatur fideles ut honestæ sacrorum mini- [cap. 9. Bern. de vita &] strorum sustentationi provideant, quæ eis divino jure debetur, *ita enim Dominus ordinavit iis, qui evan-*

ge-

CHRISTI An. 55.

gelium annuntiant, de evangelio vivere; sed ea facultate moderate utendum exemplo suo clericos admonet; nec enim, ut observat D. Bernardus, ordinavit Deus his, qui evangelio serviunt, aut habere delicias, vel ornatum, vel incitamenta libidinis, sed vivere, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, & quibus tegantur, accipere.

Virginitas.

LX. Denique respondet quæstionibus sibi propositis. Consulit virginitatem, quam propter multas salutis opportunitates præfert matrimonio, cujus vinculum sacrosanctum solvi posse negat. *Igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Duplex enim, inquit Athanasius, cum sit via in vita, alia quidem inferior vulgariorque, matrimonii scilicet; alia vero angelica, & suprema omnium, nempe virginitatis: si quis mundanam, nuptias nimirum, elegerit, culpa quidem vacat, sed tot tantaque dona non consequetur. Consequetur tamen aliqua, siquidem & ipse fert fructum tricesimum. Si quis vero castam mundoque superiorem amplexus fuerit vitam, tametsi hæc altera asperior & difficilior via est, at excellentioribus ille muneribus donandus est: perfectum quippe fructum, nempe centesimum produxit. Ibidem Paulus aperte insinuat se in perpetua vixisse continentia, nec duxisse uxorem. 2.° Docet, idolothyta, seu carnes idolis immolatas comedere, non esse per se illicitum, siquidem *idolum nihil est*: ab iis tamen abstinendum, si cultus idolorum suspicionem afferant, vel putemus illicitum, vel infirmi scandalizentur: *videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis*; eamque affert rationem: *peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est*; ac proinde fieri potest, ut christianus, propter quem Christus mortuus est, pereat in æternum. Prudens suggerit consilium; manducent quæ apponuntur, nihil interrogantes; si vero resciverint aliquid idolis immolatum, ab eo abstineant; quandoquidem in quavis religione, quicunque comedit ex immolatis, altaris & cultus illius fit particeps.

cap. 8. Athan. epist. ad Amun.

Theod. in 1. ad Cor. c.7.

cap. 10.

Eucharistia.

Id probat ex ritibus christianæ religionis: *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* id quod est in calice, est id quod fluxit a latere, & illius sumus participes. *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* quam vera & realis est ejusmodi participatio, qua unum corpus mysticum in Christo efficimur. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Panis autem ille Christus est, ipsomet attestante: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Ibidem Paulus infidelium sacrificia cum sacrificiis christianorum, altare cum altari, calicem cum calice comparans, instar principii præsupponit Eucharistiam esse Sacramentum & sacrificium; id enim assumit sibi probandum: quicumque de immolatis victimis partes comedunt, illius religionis cultus & sacrificii fiunt participes: quod christianis suadet exemplo Eucharistiæ. Reprehendit modum irreverentem, quo ad Domini cœnam conveniebant, & celebrabant agapas, seu convivia charitatis: propositaque dignitate tanti mysterii, quo Christi mors annuntiatur, sic infert: *itaque, quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*, & reatum æternæ damnationis incurrit... Cætera, quæ ad dignam Eucharistiæ celebrationem & sumptionem spectant, *cum venero disponam*. Sacramenta quippe, ut observat Epiphanius, ritibus illis ac cæremoniis obeuntur, quæ ex evangelio & Apostolorum authoritate & traditione profectæ sunt.

Chrysost. in c. 10. epist. ad Corinth. Theod. ibid.

cap. 11.

Epiph. in expos. fid.

Fideles hortatur, ne inter varias hujus vitæ tentationes animis deficiant. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ostendit, inquit D. Thomas, paratum adjutorium in tentatione, ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis resistendi gratiam, quæ proinde saltem justis cadentibus non defuit, ut docet Ecclesia. Postquam ad quæsita respondit, rursus dissensionum occasiones amovet. Corinthii de quibusdam sancti Spiritus donis, quæ ad aliorum ædificationem ordinantur, gloriabantur: eos admonet ejusmodi dona gratuita, si proximi charitate destituantur, iisque non utantur propter Deum, eique placendi studio, nullius apud eum esse pretii, nihilque prodesse ad æternam salutem; imo quæcunque fiunt extra statum charitatis habitualis, hæc in cœlis præmium non habent: & quoniam linguarum donum tunc erat frequens, vetat ne instructiones vel exhortationes fiant in lingua non vulgari, sed non prohibet quo minus in ea oremus, præsertim si pastores fidelibus exponant preces publicas, ut fint utiliores. Fatentur quidem preces publicas & liturgias syriace, græce, & latine jam ab ipsis Ecclesiæ exordiis fuisse celebratas, quæ tunc erant linguæ vulgares in majore orbis parte, ac deinceps permanserunt puræ; cum vulgares linguæ quotidie mutentur, adeoque unitati & communioni Ecclesiæ tuendæ sint minus idoneæ, quotidie novis controversiis occasionem darent.

cap. 10. Thom. in epist. ad Cor. Trid. sess. 6. cap. 11. Bull. Innoc. X.

Mortuorum resurrectio.

cap. 15.

LXI. Quidam Corinthii de futura resurrectione dubitabant: hanc probat: *si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: invenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt... Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus surrexit a mortuis, primitiæ dormientium... & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus*, qui primus non ultra moriturus resurrexit: *deinde ii qui sunt in Christo, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis* hujus sæculi: *cum tradiderit regnum*, seu electorum congregationem, *Deo & Patri*, non ipse regno nudatur: siquidem regni ejus non erit finis: *cum evacuaverit omnem principatum & potestatem, & virtutem* dæmonum, qui electos nunc exercent... *novissima autem inimica destruetur mors*, cum resurgent omnes mortui. *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus*, etiam quatenus homo est. *Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius*, in membris suis, seu fidelibus, quibus tunc perfecte dominabitur, cum plures nunc sint rebelles, *subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Itaque nostram, quæ nunc est, obedientiam, & quæ tunc erit subjectionem Christo attribuit, & nobis, postquam a corruptione liberati fuerimus, subjectis, ipse dicitur subjici: hæc autem non nisi absurde de ipso Christo dicerentur. Si enim filius tantum in fine subjicietur, ut volunt Ariani, profecto nunc subjectus non est. Et Pater nunc non habet regnum, quod a Filio postea recipiet.

Theod. in c. 15. epist. ad Cor. Athanas. de Incar. Theod. ibid.

Ibid.

Corporum resurrectionis modum post hæc explicans Apostolus, varia corporum genera distinguit, resurrectionemque probat exemplo seminum, quæ in terra non vivificantur, nisi prius moriantur. Demum exponit, quali corpore resurgent beati: *stella*, inquit, *a stella differt in claritate, sic & corpora justorum. Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale...* Idem equidem corpus resurget, sed non erunt eædem proprietates... *Ecce, mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; reproborum enim corpora doloribus & multis miseriis erunt obnoxia... Ex his concludit: *itaque fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles*, scilicet in fide resurrectionis & *abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

Hieron. epist. ad Minerv.

cap. 16.

De collectis quæ fiunt in sanctos, qui sunt Hierosolymis, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ ita & vos facite; per unam sabbati, seu die Dominica, *unusquisque vestrum apud se seponat recondens quod ei placuerit .. permanebo Ephesi usque ad Pentecosten*, quoniam opportuna propagandi evangelii se offert occasio. Hæ sunt præcipuæ partes epistolæ primæ D. Pauli ad Corinthios. Eorum schismatis & similium occasione factum scribit Hieronymus, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur; primis enim Apostolorum annis, cum omnes essent neophyti, communi presbyterorum concilio regebantur Ecclesiæ, quas Apostoli vel per se, vel per eos, quos suarum peregrinationum socios, & potestatis participes ordinarant, frequenter invisebant, & ea, quæ muneris sunt episcopalis, exequebantur, ut evidenter

Hier. in c. 1. & 3. epist. ad Tit. *In singulis urbibus instituuntur episcopi.*

constat ex dictis hactenus. Coadjutores vero sibi & successores jam exigente necessitate designarunt episcopos.

Act. 19. Plin. l. 16. c. 40 & l. 36. c. 14. LXII. Ephesi facta est turbatio non minima de via Domini, cujus hæc fuit occasio. Celebre erat inter septem orbis miracula Dianæ Ephesiæ fanum, quadringentis annis factum a tota Asia, in solo palustri, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret: ne tamen in lubrico atque instabili solo fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, deinde velleribus lanæ: universi templi longitudo erat quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem a singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex iis triginta sex cælatæ: materiatio cedrina, portæ ex cupresso, quæ ligna nitorem suum retinent diutius; simulacrum vero Dianæ alii ex ebeno compactum tradiderunt, alii vero, ut Mutius consul, qui se illud proxime spectasse dicebat, vitigeneum fuisse ferunt: cætera ejus operis ornamenta plurium librorum instar obtinent: confluebant ad illud ex omnibus provinciis; pluresque effigies illius & simulacri argenteas magno pretio sibi comparabant.

Act. 19. *Seditio contra Paulum.* Demetrius sculptor argenti faciebat ejusmodi ædiculas, præstabatque quæstum non modicum artificibus; quibus convocatis dixit: *viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio, & videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens avertit turbam multam, dicens: quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt:* itaque quæstus noster periclitatur, *& magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur. His auditis, repleti sunt ira, & exclamarunt, magna Diana Ephesiorum.* Utilitas præsens conjuncta cum religione commovit animos omnium, *& impleta est civitas confusione.*

Gajum & Aristarchum Pauli socios rapiunt in theatrum, ubi etiam publici conventus agebantur, tumultuansque plebecula ferebat decreta quasi authoritate publica: non leve igitur erat periculum, ne christianos conclamarent reos, & mactarent tanquam sacrilegos. Paulum in publicum procedentem prohibuerunt discipuli, quin & sacerdotes delegati a præcipuis Asiæ civitatibus miserunt, qui suo nomine rogarent, ne se daret in theatrum. Inconditæ multitudinis tumultus, dissonæque voces aurium usum abstulerant; plerique nesciebant qua de causa venissent. Judæi, veriti ne populi furor pariter in eos deserviret, Alexandrum quemdam per mediam turbam propellentes, promovent in eum locum, unde audiri posset, ut communem cum christianis causam defendat, avertatque commune periculum: hic manu silentium indicens, rationem reddere volebat. *Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta est una omnium, quasi per duas horas clamantium, magna Diana Ephesiorum.* Sedam tumultu, civitatis Syndicus genere & religione gentilis dixit: *viri Ephesii, quis est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ? cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere: adduxistis homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram; quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, & Proconsules sunt: accusent invicem; si quid aliud postulatis, judicari potest in cœtu legitimo: periclitamur argui seditionis hodiernæ;* cum nulla causa probabilis hujus tumultus possit afferri. His dictis, dimisit populum pacatiorem.

Act. 20. LXIII. Paulus, statim convocatis discipulis, valedixit, Ephesoque profectus, venit Troadem. Hic licet aditus pateret ad prædicationem evangelii, absente tamen Tito, quem jam dudum miserat Corinthum, anxius de statu illius Ecclesiæ, trajecto Hellesponto, transiit in Macedoniam, si forte ei occurreret. Ibi multa passus, adventu Titi consolatus est; Philippis ab eo didicit dolorem & pœnitentiam Corinthiorum, & pseudo-apostolorum adversus se calumnias: ægre ferebant se tam libere reprehensos, Apostolum quasi morosiorem & ambitiosum calumniabantur, insimulabantque levitatis & inconstantiæ. Itaque timens ne exacerbati præsentia sua, fidelium animos, quantum possent, a se alienarent, secundam ad Corinthios scripsit epistolam, qua calumniis adversariorum præoccupatos in viam reduceret, omnesque sibi & invicem conciliaret.

Epistola 2. ad Cor. LXIV. Declarat in ea suum erga Corinthios amorem, animumque sincerum, attestans Deum se non ex inconstantia mutasse consilium veniendi Corinthum, sed ne eos tristitia afficeret severe puniendo pervicaces; incestuosum pœnitentem absolvit, authoritate Christi condonans ulteriores pœnas debitas: *sufficit illi*, inquit, *qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus; ita ut econtrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est . . . . cui autem aliquid donastis, & ego; nam & ego quod donavi, propter vos in persona Christi.* En primum indulgentiarum vestigium; Paulus in persona Christi cum clero Corinthiorum pœnitenti incestuoso donat, seu remittit pœnam longiorem. Remissionem enim vocat gratiam, ostendens peccatum majus fuisse pœnitentia. (cap. 2.)

Theod. in c. 2. epist. 2. ad Cor. Apologiam suam inde sic exequitur, ut ministerium suum potius, & collegas, quam se ipsum prædicet; quidquid in eo virtutis elucebat, hoc totum acceptum Deo referens. Ostendit quantum ministri novi testamenti legis mosaycæ ministris anteferri debeant; nam si lex vetus, quæ mortem operabatur ex occasione augendo concupiscentiam, unde peccata multiplicabantur, fuit tamen in gloria, cum data est per Moysem insculpta lapidibus: quanto magis ministerium evangelii, quod vitam gratiæ largitur & gloriæ, gloriosum est? *Christi bonus odor*, inquit, *sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, quia prædicationi nostræ credere detrectant, aliis autem odor vitæ in vitam*, quia credunt: non sumus sicut *plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur; . . . . Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum:*

cap. 4. Attingit postea tribulationes, quas fidei causa passus est: *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris: semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: & ut vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali . . . . propter quod non deficimus; sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.*

cap. 11. Inferius sic enumerat suas passiones: *a Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi:* hunc in flagellando modum tenebant ex lege Judæi, ut reorum deorsum verberando taureis, quadragenarium numerum non excederent, & ne plures plagas imponerent etiam per imprudentiam, una minus mulctabant reum. Pergit: *ter virgis cæsus sum*, scilicet a Romanis lictoribus, qui bacillis cædebant pro arbitrio judicis: *semel lapidatus sum*, nempe Lystri; *ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* His addit varia vitæ pericula, quæ ubique terrarum adierat, latronum insidiis, furore Judæorum & gentilium, falsorum fratrum perfidia: seque vitam egisse testatur, *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, in carceribus sæpius, ac mortis periculis.* Præter hæc, negotiorum moles quotidie incumbentium, quibus pene obruebatur, & *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Sic adimpletum est illud Christi oraculum; *ostendam illi quanta ipsum oporteat pati pro nomine meo.*

Act. 9. Fideles ad imitationem sui provocat; hortando ut præsentem vitam reputantes exilium, semper contendant ad cœlestem patriam, ut mutua charitate crescentes, Christoque vivant reconciliati per pœnitentiam, qui pro omnibus mortuus est, ut nos reconciliaret Deo Patri; *charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* (cap. 5.) Omnes mortui sunt in peccatis, inquit Augustinus, nemine prorsus excepto ... & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus. Hinc omnibus ex æquo prodesse volumus, sive Judæi sint, sive gentiles, sive nobiles, sive ignobiles. Et si aliquando id nobis gloriosum judicavimus, quod ex eadem gente natus (Aug. l. 2. de civit. Dei c. 6. l. 6. cont. Jul. c. 4.)

Christi An. 55. cap. 6. Aug. l. de spirit. & litr. c. 34. cap. 9.

esset Christus; his jam non attendimus, sed ei servimus secundum spiritum, ut Dei Filio & redemptori nostro & omnium, pro quo *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliari Deo*. Eique cooperantes *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, scilicet ejus motibus resistendo. Consentire enim vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ est voluntatis. Demum monet ut liberaliter & hilare præparent collectas pro pauperibus, qui sunt Jerosolymæ; nam *qui parce seminat, & parce metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*.

cap. 12.

In quatuor ultimis capitibus refellit pseudo-apostolos, qui ejus authoritatem infirmare nitebantur; excusat primo si seipsum laudare videatur, quod est impudentiæ & stultitiæ genus, nisi subsit gravis causa; quæ autem poterat esse gravior, quam evangelii Christi defensio? hic modeste refert, & quasi de alio, raptum suum usque in paradisum, ubi audivit *arcana verba, quæ non licet homini loqui*; statimque subjungit; *& ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur: libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. En utilitas tentationum & remedium.

cap. 8. cap. 9.

Secundam hanc epistolam concludit, commonendo ut emendent defectus priores, ne cogatur, cum venerit, in delinquentes uti potestate, quam Christus ei commisit, ad ædificationem, non ad destructionem. Hanc epistolam Tito dedit perferendam, *rogans eum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis gratiam istam. Misimus cum illo fratrem, cujus laus est in evangelio per omnes Ecclesias*: Lucam intelligit, *qui ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Dei gloriam.. ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.. ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos, ut non dicam vos, in hac substantia*; loquitur de eleemosynis mittendis Jerosolymam; *Quoniam & Achaja præparata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos*. Palestinæ solius Ecclesiæ dura persecutione vexabantur, dum in aliis provinciis sine gentilium offensione propagaretur fides: afflictis fidelibus ex aliorum abundantia subvenit Apostolus.

Apollonii vita fabulosa. Eusеb. confut. Hierocl.

LXV. Idololatriæ extirpandæ strenue sic allaborante Paulo, hanc totis viribus promovebat Apollonius Tyanensis, professione philosophus, arte magus, paratis ad omne ejus obsequium dæmonibus, quorum imperium vacillans sustentabat, idololatriamque confirmabat illusionibus, vel factis, quæ mira videbantur imperitæ plebeculæ, licet vim areatam non excederent. Illius vitam centum viginti annis post ejus obitum scripsit Philostratus, christianis infensus, falsorumque deorum defensor acerrimus: itaque ut religionis christianæ gloriam multis miraculis undequaque propagatam, si posset, obscuraret, multa de eo prodigia narrat nullo idoneo testimonio; ac proinde ficta, & fabulosa, ut demonstrarunt Eusebius & Lactantius. Vel eo mendacii coarguuntur, quod Apollonius, quem adeo mirabilem prædicat, moriens nullos reliquerit discipulos, qui nomen ejus sectamque propagarent: dæmonibus eum familiarem agnovere gentiles, quandoquidem ob magicos artes, Eleusinæ mysteriis eum initiare noluit Hierophantes.

Act. 20. Aug. in epist. ad Rom.

LXVI. Paulus vero confirmatis Græciæ Ecclesiis, quas per tres menses obierat, tertio venit Corinthum, ibique scripsit ad Romanos. Scribendi occasionem dedere quædam contentiones & simultates, quæ propter legalia, & propter quamdam æmulationem Judæos inter & gentiles recens ad fidem conversos, turbabant hanc Ecclesiam, cujus fides & charitas tamen ubique prædicabantur. In hac epistola, discutitur quæstio operum legis & gratiæ, an videlicet, omnibus nationibus sine ullo operum legis aut naturæ merito, gratis a Deo concessum sit, atque ex pura misericordia, ut vocentur ad christianam religionem, & per fidem in Christum, & gratiam ejusdem justificentur? hac enim de re Judæi contendebant cum gentibus, qui philosophiam & virtutes morales jactabant pro sua justitia; Judæis vero gloriantibus ob opera legis, & quod essent posteri Abrahæ, quibus promissus erat Messias & salus: quorum bonorum participes fieri posse gentes negabant, nisi suscepta prius circumcisione, servatisque legalibus. Utrosque retundit Apostolus, ostendens Judæos contra legem Moysis, gentes vero contra legem naturæ peccasse gravissime, omnesque notos esse sub peccato: ac proinde omnes egere gratia Redemptoris, quem pro omnibus ex solo sua bonitate miserat Deus, ut ejus fide & gratia gratis justificarentur. Præcipuum est hujus epistolæ argumentum, quod Paulus undecim prioribus capitibus prosequitur. In secunda ejus parte ea præscribit præcepta, quæ informandis moribus ad veram pietatem sunt necessaria. Stylus simplex est & gravis.

Christi An. 55.

Epist. ad Rom. cap. 1.

LXVII. Itaque ut vocationem ad fidem christianam & justificationem esse gratuitas probet, argumentum desumit ex peccatis Judæorum & gentilium: *revelatur*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*: detinuerunt autem vel ipsi philosophi sapientes gentilitatis, quia, *quod notum est Dei*, lumine naturali *manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt*, honorem rerum omnium creatori & Domino debitum deferentes idolis & brutis animantibus. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*, permittendo pravis eorum cupiditatibus *ut faciant ea, quæ non conveniunt*. Qui enim errant in Dei cognitione, juste traduntur, ut errent pariter in agendis. Hinc refert immania scelera, quibus sese polluerunt; *qui* autem *talia agunt, vel consentiunt facientibus, digni sunt morte*, & quidem æterna.

Aug. l. de nat. & grat. c. 22. cap. 2.

Describit inde pravos Judæorum mores, qui in lege gloriabantur, & per prævaricationem legis Deum inhonorabant, sicque thesaurizarunt sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, *qui reddet unicuique secundum opera ejus; non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Fatetur quidem non parvam prærogativam illis esse concessam, cum Deus speciali inito cum eorum patribus fœdere, eis credidit sua eloquia, Prophetas dedit, natus est ex iis Christus, qui promissa facta Patribus implevit, Judæis solis Dei regnum annuntians: sed venundati sub peccato, ab ejus servitute liberari non potuere legis operibus, *quia ex operibus legis* Mosaicæ *non justificabitur omnis caro coram illo: per legem enim cognitio peccati* . . . Hinc ostendit gratiæ Christi necessitatem & potentiam. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifesta est, testificata a lege & prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei qui eos liberet. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius . . . ubi est gloriatio tua? exclusa est . . . per legem fidei* .. Idque confirmat exemplo Abrahæ, qui necdum circumcisus, per fidem justificatus est, fideique justitiæ signaculum accepit circumcisionem, ut *esset pater omnium credentium*; eo quippe signo declaravit Deus nasciturum ex eo Redemptorem, cujus fide credentes in eum justificarentur.. *non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi* per Christum, *sed per justitiam fidei* illius, quæ per charitatem operatur, ut docet Galatas.

cap. 3. Theod. ibid. cap. 4. ad Gal. 5.

Imo *lex subintravit, ut abundaret delictum*, scilicet ex occasione infirmitatis humanæ propter concupiscentiam, quæ est effectus illius peccati, *quod per unum hominem*, scilicet Adamum, *intravit in hunc mundum, & per peccatum mors*. Quando enim Adam peccavit, inquit Chrysostomus, illud grave peccatum omne genus hominum in commune damnavit. *Et ita in omnes homines* etiam infantes *mors pertransiit, in quo omnes*, ac proinde parvuli, *peccaverunt*, non quidem propria voluntate, cujus usum non habent, ergo peccato, quod origine trahunt. Hinc, ut observat D. Ambrosius, omnes sub peccato nascimur . . . . *sed non sicut delictum, ita & donum*,

cap. 5. *Originale peccatum.* Chrysost. epist. ad Olymp. Ambr. l. de pœnit. c. 2.

CHRISTI An. 55.

num, quod multo plus profuit; *si enim unius Adami delicto multi*, seu omnes, *mortui sunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures* seu multos *abundavit . . . nam judicium quidem ex uno* Adæ peccato *in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.. sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius Christi obeditionem justi constituentur multi*; scilicet quotquot per eum renascuntur. Non aliter, inquit D. Irenæus, salvantur homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra.. & adversus inimicum nostrum bellum provocans, & elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos, & calcans ejus caput. *Atque ita ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: & consequenter Christus plus profuit, quam nocuit Adam.

Iren. l. 4. c. 5. & l. 5. c. 36.

cap. 6.

Quid ergo? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim per baptismum mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo? consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis virtute sui Patris omnipotentis, *ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ipsa totius corporis immersio, quæ tunc temporis, & sequentibus sæculis fuit usitata, mortem & sepulturam Christi repræsentabat, emersio illius resurrectionem; adeoque baptismus mortem & sepulturam, & Christi resurrectionem exprimebat. Unde concludit: *quapropter existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu.. non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.. si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Agis, inquit D. Augustinus, & ageris... Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est: ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Nemo adjuvator, si ab illo nihil agatur.. Spiritu Dei aguntur, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante, absque cujus impulsu præveniente nihil omnino boni nequidem velle possumus: *spiritus autem adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; impertiendo donum precum, quo nobis utilia recte petamus.

cap. 8. Aug. ser. 13. de verb. Apost.

Theod. in epist. ad Rom. ibid. c. 9.

Judæorum salutem quam vehementer exoptet, sic declarat: *veritatem dico in Christo... optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.. qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum & gloria & testamentum.. Quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Volebat Apostolus perire in carne, ut Judæi salventur in spiritu, suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur; idque optabat propter gloriam Christi, qui cum Deus sit, ex Judæa secundum carnem nasci voluit. Non frustrari tamen factas Judæis promissiones probat, si Deus pro sua misericordia, quoscunque voluerit etiam ex gentibus gratis vocet & ad fidem & ad justificationem; quandoquidem in iis, qui sunt Abraham filii, secundum fidem adimpleatur: *non enim qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*, sicut Deus disposuit; quod probat hac comparatione. Quemadmodum Deus non omnes Abrahæ posteros secundum carnem elegit, sed Jacob & Israelitas, qui temporalium ejus benedictionum essent participes; sic non omnes, nec solos Israelitas elegit, sed pro suo beneplacito quoscunque voluit ex Judæis & gentibus, quos omni benedictione spirituali in Christo benediceret, & filii promissionis essent secundum fidem, quæ donum est Dei gratuitum.

Hieron. epist. ad Algas. Chrysost. hom. in epist. ad Rom. cap. 9.

Ipsa quoque impii justificatio non ex operibus, sed ex gratia est; fides quidem & opera, non legis Mosaicæ, quæ Paulus hic excludit, sed pœnitentiæ christianæ prærequiruntur per modum dispositionis, sed ipsam justificationis gratiam non promerentur. Nec quisquam juste conqueri potest, si pari modo non vocetur; omnes sunt noxii & rei mortis æternæ, *& cujus vult, miseretur Deus*. Suprema lex est voluntas Dei semper justa, etsi non semper nobis cognita. Nullus tamen nisi sua culpa perit. Hinc exemplo proposito Judæorum, quos Deus propter incredulitatem voluntariam reprobavit, adhortatur gentiles christianos, ut sancte ambulent in sua vocatione, ne & ipsi excidant a justitia. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed si illi non permanserint in incredulitate, inserentur*. Excæcatis ergo Judæis salus est possibilis.

Trid. f. 6. cap. 8.

cap. 11.

CHRISTI An. 55.

Declarat post hæc mysterium divini consilii circa electos suos: *ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret... sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum; ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*. Permisit ergo Deus, ut omnes non simul, sed successive essent increduli, quo misericordiam suam exerceat, nam ab initio Deum omnes colebant; gentibus in idololatriam lapsis, fœdus cum Abrahamo ejusque posteris sancivit. Judæi postea Christum & ejus evangelium respuerunt, & apud gentes translatum fuit; hi vicissim in fine sæculorum majori ex parte fient increduli; tum Judæos ad fidem vocaturus est: sic duos populos ante inimicos in unum adducet corpus: ne sibi justitiam tribuerent homines, permisit Deus eos esse miseros, quo digni essent misericordia. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*. Hæc prima pars multis obscuritatibus involuta est.

2. ad Thessal. cap. 3.

Hieron. epist. ad Algas.

LXVIII. In 2ª. parte epistolæ, quæ incipit a capite 12°. morum præcepta tradit. Imprimis eos adhortatur ad cultum spiritalem & rationalem exhibendam Deo, cui corpora sua offerant tanquam hostias viventes, iis utentes sancte & pie; modeste de se ipsis sentientes, ne viribus majora præsumant, stentque in eo ordine, quem Deus eis per dona sua gratuita destinavit. Tunc signis sensibilibus manifestare voluntatem suam solebat. *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Redditio enim dilectionis debitum multiplicat: ardentiorem quippe dilectionem efficit. *Qui autem diligit proximum, legem implevit*, nam nulli vult, aut infert malum. Jubet etiam omnes potestatibus ultro se subjiciant, *non tantum propter iram, sed propter conscientiam: siquidem qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Quidam ex Judæis conversis in hoc errore versabantur, ut alium principem a Deo nollent agnoscere, imprimis postquam Messias advenisset, quod ex se malum erat, & christianam religionem in invidiam vocabat. Gentiles ad fidem conversos monet, Judæorum infirmitati circa ciborum delectum sese accommodent, nec eis sint offendiculo. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*, sed proximo in bonum ad ædificationem. Quemadmodum Christus non quæsivit sua commoda, sed pro nostra salute seipsum morti tradidit.

cap. 12.

Theod. in c. 13. epist. ad Rom. cap. 13.

cap. 14.

Pauca de se modeste subjungit, ut commendet ministerium suum: *non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo, & factis: in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi: sic autem prædicavi evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus*... (sic) *autem laboravi, ut evangelium prædicarem iis tantum in locis, ubi Christus non erat annuntiatus. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc: nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos. Nunc igitur proficiscar Jerusalem ministrare sanctis: probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem*.

cap. 15.

Caput ultimum continet multas fidelium salutationes, quorum nomina in libro vitæ cum scripta sint, ea prætermittere nefas est. *Commendo*, inquit, *Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, & assistatis ei, in quocunque negotio vestri indiguerit; etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi*. Hæc ejus epistolam detulit. *Salutate Priscam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Salutate Andronicum & Juniam, cognatos & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis. Salutate Ampliatum & Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, & Stachyn dilectum*

cap. 16.

Christi An. 55.

dilectum meum, & Appellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo, & Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino, hic, ut verisimile est, fuit libertus Claudii, ac proinde gentilis; *Salutate Tryphanam, & Tryphosam, & Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus, & meam. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam*; quem multi post Originem putant auctorem esse libri, qui pastor inscribitur, *& Patrobam, Hermen, & qui cum eo sunt fratres. Salutate Philologum, & Juliam, Nereum, & sororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos. Salutate invicem in osculo sancto*; sic Judæi se invicem salutabant. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, & Sosipater cognati mei. Salutat vos Cajus hospes meus, & Erastus arcarius civitatis. Saluto vos ego tertius*, nomen est Amanuensis Pauli, *qui scripsi epistolam in Domino. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.* Hæc epistola tresque aliæ præcedentes scriptæ sunt anno Christi quinquagesimo quinto.

Act. 20. LIX. Navigaturus in Syriam Paulus, factus est certior de Judæorum insidiis, ut eum interficerent in via: mutato igitur consilio, reversus est per Macedoniam itinere pedestri. *Comitatus est eum Sopater Pyrrhi filius Beroensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Gajus Derbeus, & Timotheus: Asiani vero Tychicus, & Trophimus: hi cum præcessissent, Troade sustinuerunt* Paulum, qui post dies azymorum solvens Philippis, comite D. Luca, diebus quinque venit Troadem, ubi septem diebus demoratus est. Prima die sabbati, seu Dominica, *cum fratres convenissent ad sumendam Eucharistiam*, jam enim cœtus christiani Dominica die celebrabantur in memoriam resurrectionis Christi: Paulus disputans ad mediam noctem pertraxit sermonem; cœnaculum multis circumfulgebat lampadibus, & propter necessitatem, & ad ornatum. Eutychus adolescens sedens super fenestram, oppressus somno gravi e contignatione tertia deorsum decidit, *& sublatus est mortuus*: descendens Paulus solo complexu eum vitæ restituit, ascendensque rursus fregit panem & comedit. Eucharistiæ celebrationem jam Agapæ subsequebantur; non leve indicium a jejuniis fuisse sumptam, eamque disciplinam instituisse Apostolos. Hoc enim, inquit Augustinus, placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os christiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi: nam iden per totum orbem mos ille servatur. Orationem Paulus protraxit ad diluculum Dominicæ, & pedibus profectus est Assum. Lucas, & reliqui e navigio venientes, eum receptum deduxere Mytilenem; sequenti die contra Chium enavigarunt, tertia Samum, & 4.ª Miletum, quæ sita est in continenti Joniæ ad bostium Meandri fluminis.

A jejuniis sumenda Eucharistia. Aug. ep. 54. alias 118.

Proposuerat Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora fieret illi in Asia, festinabatque Jerosolymam, ut, si fieri posset, hic ageret diem Pentecostes. Verumtamen mittens Ephesum convocavit episcopos, & presbyteros Ephesi, & vicinorum urbium, & *dixit eis: vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, testificans Judæis, atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.* Doctrinam cum exemplis conjungit Apostolus, quo efficacius eos edoceat officia pastorum, scilicet humilitatem adversus superbiam, patientiam in tribulationibus, fidem in ministerio.

Iren. l. 3. c. 14. *Episcopis Asiæ convocatis valedicit Paulus.*

Prædicit inde passiones suas, hortatur ad officium pastorale strenue obeundum: *nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Jerusalem; quæ in ea ventura sunt mihi, ignorans: nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos pertransivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Christus ergo Deus est. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se; propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessavi cum lacrymis monere unumquemque vestrum. Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: beatius magis dare, quam accipere.*

Christi An. 56.

Et cum hæc dixisset, positis genibus suis, oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium; & procumbentibus super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo, quod dixerat: quoniam amplius faciem ejus non essent visuri, & deducebant eum ad navem.

Act. 21. LXX. Mileto solvens cum sociis navigavit versus Coum insulam: sequenti die delatus est Rhodum, & inde Pataram, quæ est Lydiæ metropolis, conscensaque navi, quæ trajiciebat in Phœniciam, prætereuntes Cyprum pervenit Tyrum, ibique mansit septem diebus. Hic erant discipuli, *qui ei dicebant per Spiritum, ne ascenderet Jerosolymam*: sed nihil his deterritus profectus est, *deducentibus eum omnibus cum uxoribus, & filiis usque foras civitatem*, & positis genibus in littore cum orassent, valefecerunt invicem. Expleta navigatione, cum suis descendit Ptolemaidam, & salutatis fratribus, una die substitit apud illos. Postridie venit Cæsaream; & hospitatus est in domo Philippi diaconi, qui & Evangelista dicebatur, prædicabat enim Evangelium: *huic erant quatuor filiæ virgines prophetantes, & cum commoraretur dies aliquot supervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus: is tulit Zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus, dixit: hæc dicit Spiritus Sanctus: virum, cujus est Zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus gentium.* His auditis, Lucas cum aliis Pauli sociis, & fideles Cæsareenses eum deprecabantur, ne iret Jerosolymam. Quibus dixit: *quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu.* Itaque cum ei suadere non possent, quieverunt dicentes: *Domini voluntas fiat*; profectique sunt cum eo Jerusalem, adducentes Mnasonem Cyprium, antiquum discipulum, *apud quem hospitarentur*, & libenter eos susceperunt fratres.

LXXI. Hoc quidem anno Christi 56. & primo Neronis, princeps Apostolorum Petrus Antiochenæ Ecclesiæ præfecit Evodium, qui eam 26. annis gubernavit, & Romam reversus, ut testantur plerique veteres, non multo post Marcum discipulum suum prius a se ordinatum, ut ait D. Leo, misit in Ægyptum, qui tam amplæ provinciæ lumen Evangelii inferret. Hic consecravit Alexandrinam Ecclesiam, quæ diu primum honoris locum post Romanam obtinuit. Perspicuum est trium Patriarchalium Ecclesiarum primatum a D. Petro esse derivatum, in quo primarium ejus fontem posuerat Christus. Hunc igitur dignitatis gradum non obtinuere propter amplitudinem, vel quod jure civili aliis præeminerent. Patriarcharum vero jus fuit consecrandi Metropolitanos, qui pariter faciebant ordinationes episcoporum suæ provinciæ; ac proinde successu temporis dignitas nominis, & authoritas Ecclesiastica a Petro tanquam a fonte dimanavit: & episcopi, quorum institutio, & jurisdictio est juris divini, utramque accepere per Petrum, ejusque successores. Nec ideirco negamus alios episcopos ordinatos ab Apostolis, sed eorum successores manuum impositionem ab his accepere, quos primario instituerat Petrus; & consequenter illius sola legitima successio permansit in Ecclesiis, quarum Antistites ejus Apostolatum in solidum participant, exercentque circa commissam gregis Christi portionem, Romanæque sedi tanquam capiti, & omnium matri subjiciuntur.

Petrus Romam redit. Eufeb. hist. l. 3. cap. 1. Lact. l. de mort. persec. Leo epist. 11. alias 81. Greg. M. lib. 5. epist. 60. Gelas. in Rom. concil. Sulpit. Sev. hist. lib. 2.

Gregorium magnum de iis disserentem audire juvat: veteres, inquit, Patriarchæ tres in una & eadem Apostolica sedent cathedra, & præsident, qui Petri sedi omnes successere, ecclesiæque suæ, quam unam in uni-

Patriar. chal. ecclesiarum dignitas

Digitized by Google

Christi An. 56.

a Petro proveait. Greg. M. lib. 5. epist. 60. & lib. 6. epist. 37. & lib. 8. epist. 35.

in unitate fundavit Christus, dedit & caput unum, quod tribus præcipuis trium regiarum urbium præsideret sedibus, ita ut tres istæ sedes unitatis vinculo necterentur indissolubili, ecclesiasque cæteras cum capite strictissime necterent; quod caput divinitus institutum est, ut sit totius vertex unitatis... Et rursus in epistola ad Eulogium Alexandrinum; sicut omnibus liquet, quod beatus Evangelista Marcus a S. Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus: sic hujus magistri, & discipuli unitate constringimur, ut & ego sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, & vos sedi magistri propter discipulum... Petro dicitur, *tibi dabo claves regni cœlorum, confirma fratres tuos, pasce oves meas:* itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola Apostolorum principis sedes in authoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis discessurus sedit: cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex authoritate divina tres nunc episcopi præsident, quidquid ego boni de vobis audio, hoc mihi imputo: si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate: quia in illo unum sumus, qui ait, *ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi unum sint.* Itaque, ut recte observat Optatus Milevitanus, bono unitatis beatus Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit.

Optat. l. 7. n. 3.

Patriarchæ quidem sunt tantum juris ecclesiastici, sed quod divino finitimum est, a quo emanavit proxime: quippe hæc institutio est prope coæva Ecclesiæ, & profecta ab Apostolis. Patriarchæ vero nomen tantum in usu fuit quarto sæculo, prioribus temporibus dicebantur primæ sedis episcopi, vel Metropolitani. Hoc quoque nomen proprium fuit episcoporum, qui sedebant in aliqua urbe, quæ esset metropolis civilis totius provinciæ, aliarumque urbium episcopis præerant. Hunc autem honorem non habuere primi Metropolitani ea dignitate civitatis, sed quia Apostoli, & viri apostolici in majoribus urbibus primo prædicarunt Evangelium, cujus lumen inde in minores urbes, & pagos facile sese diffudit per episcopos, quos a se consecratos mittebant Metropolitani, quorum proinde jurisdictio innitebatur multis juribus ecclesiasticis. Ipsi speciali ratione erant successores Apostolorum, & sedium apostolicarum: præterea minores Ecclesiæ tanquam matrem agnoscebant Metropolim, quæ eas in Christo genuerat per Evangelium: demum earum episcopi titulo missionis, & consecrationis unionem cum suo capite retinebant, & subordinationem. Non ergo mirum videri debet, si postea tam acriter de jure ordinationum decertent Præsules: rata illa erat juris antiqui regula, ut qui habet ordinandi, habeat & judicandi potestatem. Hinc canon Apostolicus 35. episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ sub ea sunt, competunt.

Soric. Pap. ep. 4.

Concil. Taurin. can. 2.

Nilus Doxop. tr. de 5. Thronis.

Patriarchatus Alexandrinus possidebat Lybiam, & Æthiopiam, & Marmaricam usque ad Trypolim Africanam, nec non universam Ægyptum. Antiochenus vero possidebat Orientis quindecim provincias, Persiam, adjacentemque ei Indiam. Romanus autem obtinet totum occidentem cum Africa, & Illyrico. Præterea Romana Ecclesia, quatenus est mater omnium ecclesiarum, & caput, & centrum unionis, in omnes habet primatum jurisdictionis, quem Christus Petro ejusque successoribus attribuit, ut supra non semel demonstravimus; & infra tot illius argumenta referemus, ut nulla veritas tot authoritatibus, & factis confirmata reperiatur. Denique Christi promissiones cum exigant, ut inferorum portæ nusquam prævaleant adversus Ecclesiam, specialimque pro Petro oraverit, ne fides ejus deficeret, ejus cathedræ necessario convenit specialis in rebus fidei definiendis indefectibilitas, ratione cujus fieri non potest, ut Romana Ecclesia per hæresim ab aliarum ecclesiarum communione segregetur; alioquin dejecto capite, sublato unitatis centro, revulsoque fundamento, quomodo stare posset tota Ecclesia, quæ super hanc petram ædificata est? quemadmodum observarunt doctissimi Præsules Meldensis, & Suessionensis. Hinc etiam apparet vis crucis Christi, quæ piscatoris ministerio in regiis

Lang. instruct. past. 2.

tribus civitatibus, in quibus maxime se jactabat idolatria, de ea triumphum egit. Quam præclare igitur Eusebius, dum potentiam verbi respicio, ut ab agrestibus Jesu discipulis numerosissimæ Ecclesiæ constitutæ sunt, non in quibusdam obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus, in ipsa, inquam, aliarum urbium regina Romana urbe, in Alexandrina, in Antiochensi, cogor fateri non aliter, audax adeo facinus eos obtinuisse, quam diviniore quadam longeque humanam superante potentia ejus qui dixerat: *docete omnes gentes..., ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Christi An. 56.

Euseb. lib. 3. præp. Evang.

Matth. 28.

LXXII. Jerosolymæ (inde divertit oratio) altera die ab adventu, cum sociis Paulus invisit Jacobum, *omnesque collecti sunt seniores: quibus narrabat per singula, quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. Magnificabant Deum, dixeruntque ei: vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis:* audierunt quod doceas Judæos, qui habitant inter gentes, legem non esse servandam, nec circumcidendos eorum filios. Suademus igitur, ut sanctifices te cum quatuor e nostris, qui votum Nazaræorum habent; & sic agnoscent falsos esse rumores, teque custodire legem. Standum autem decreto seniorum pro gentilibus, qui crediderunt. Hic non aliqua Paulo suadetur simulatio, sed vera legis observatio, quam Judæis esse illicitam non dixerat; negabat tantum ea lege esse justitiam, ejusque jugum nolebat imponi gentibus.

Act. 21.

Nazaræorum votum implet Paulus.

Acquievit eorum consilio: *assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*, cujus ritum sic præscribit Moyses: *cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, sacerdos adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum hostiam pacificam, canistrum quoque panum azymorum, & libamenta, quæ ex more debentur, qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum, quæ offeret sacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quam in holocaustum... Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacifico. Dum septem dies consummarentur.*

Num. 6.

Judæi Asiatici videntes Paulum in templo orantem, injiciunt ei manus, populumque concitant clamantes: *viri Israelitæ adjuvate: hic homo adversus populum, & legem, & locum hunc ubique docet: insuper, & gentiles induxit in templum, & violavit locum sanctum istum.* Existimabant enim Trophimum Ephesium, quem cum Paulo in civitate viderant, in templo quoque cum eo fuisse versatum. *Commota est civitas tota*, ejectoque Paulo ex Judæorum atrio, statim *clausæ sunt januæ*. Vim ultimam parabant: cum *nuntiatum est tribuno cohortis*, quæ custodiebat arcem Antonianam, *quia tota confunditur Jerusalem*. Hic *statim assumptis militibus, & centurionibus accurrit:* quem ut viderunt, *cessarunt percutere Paulum*; quem apprehensum catenis duabus alligari jussit tribunus, & duci in castra: nec enim poterat præ tumultu cognoscere, quis esset, & quid egisset. Tantus erat multitudinis concursus clamantis: *tolle eum*, ut cum ventum est ad gradus arcis, portaretur a militibus. Tunc dixit tribuno: liceat mihi te alloqui. Nosti græce, inquit ille, percontaturque num esset Ægyptius, qui ante hos dies seditionem concitasset? Judæus sum, respondit Paulus, *a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps, rogo te permitte mihi loqui ad populum.* Facta licentia; *Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem*, factoque silentio, allocutus eos lingua Syro-chaldaica, quæ vulgaris erat: hinc attentius audiebatur.

LXXIII. *Viri fratres*, inquit, *& patres, audite quam ad vos reddo rationem. Ego sum vir judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus in ista civitate, juxta pedes Gamalielis, eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie; qui hanc viam* (christianorum) *persecutus sum usque ad mortem, alligans, & tradens in custodias viros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum, & majores natu mihi testimonium reddiderunt.* Tum narrat modum suæ conversionis, baptismum, redditum in urbem, & quomodo Christus rursus apparens, ad gentes eum miserit, quoniam ipsi verbum ejus repudiarent.

Act. 22.

Hacte-

Christi An. 56.

Hactenus dicentem placide sustinuerant, sed legationis ad gentes mentione vehementius exacerbati, sublatis vocibus vociferabantur: *tolle de terra ejusmodi, non enim fas est eum vivere*. Projiciebantque vestimenta, & pulverem jactabant in aerem. *Jussit tribunus eum induci in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei*. Satellites jam eum astrinxerant loris, cum Paulus dixit centurioni: licetne vobis flagris cædere civem romanum & indemnatum? centurio statim hæc tribuno nuntiat; trepidus accedit ad Paulum, quærit an civis esset romanus? affirmanti rursus ait, civitatem hanc grandi pecunia consecutus sum. Ego autem, inquit Paulus, *natus sum*. Reipsa civitas Tarsensis Cæsaris partes secuta tempore bellorum civilium, jure municipii fuerat nobilitata. Statim eum solvi jubet.

Act. 23.

Postera die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur, convocat sacerdotes, & supremum Judæorum concilium, Paulumque vinculis solutum in medio eorum statuit. Paulo constanter pro se dicenti alapam infligi jussit Ananias; cui Paulus quod futurum erat prædicens: *percutiet te Deus, paries dealbate, tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me nequidem auditum percuti*. Alii tamen exclamant: *summum sacerdotem Dei maledicis!* excusavit Paulus se nescisse, quia princeps erat sacerdotum, cui maledici lex vetat. Nec mirum, jam dudum aberat

Joseph. antiq. l.20.c.5.

Jerosolymis, pontificesque subinde mutabantur arbitrio principum, servato minime jure legitimæ successionis: sed gratia, vel pecunia successor designabatur. His adde, Ismaelem filium Phabæi tunc gessisse pontificatum, abdicato Anania; quem postea Quadratus Syriæ præfectus Romam miserat, imperante Claudio: sed Agrippæ favore condemnationem evaserat. *Paulus, sciens quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit: viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo. Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utraque confitentur*. Hinc surgentes pro Paulo *pugnabant, dicebantque; nihil mali invenimus in homine isto: quid si spiritus locutus est ei, aut angelus*. Tribunus timens ne in tanto tumultu Paulum discerperent, raptum per milites in castra perduxit. *Sequenti nocte assistens ei Dominus, ait, constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari*.

Pauli vincula Jerosolymæ.

LXXIV. Postridie plusquam quadraginta viri veniunt ad sacerdotum principes, eisque declarant vovisse se nihil gustaturos, donec Paulum occiderint: rogate igitur tribunum, ut iterum eum producat concilio, quasi causam ejus certius cogituri, interficiemus eum priusquam se sistat judicio. Eorum insidias tribuno Pauli ex sorore nepos indicavit. Ille prohibuit ne datum indicium cuiquam manifestaret: duobusque centurionibus statim præcipit: *parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos a tertia noctis hora, & jumenta præparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem præsidem. Timuit enim ne forte eum raperent Judæi, & ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam*. Scripsit Paulum esse civem romanum, quem de quæstionibus suæ legis accusatores Judæi voluerant interficere. Milites, uti jussi erant, Paulum per noctem deducunt Antipatridem; hinc castra repetunt: soli equites pergunt Cæsaream, Paulumque præsidi tradunt cum literis, quibus perlectis, patriam interrogat; ut cognovit oriundum ex Cilicia, *audiam te*, inquit, *cum accusatores tui venerint*, *jussitque in prætorio Herodis custodiri eum*.

Act. 24.

LXXV. Post quinque dies descendit princeps sacerdotum Ananias, cum aliquot senioribus, & oratore Tertullo, adeuntque Felicem adversus Paulum, quem accusavit Tertullus, 1.° tanquam authorem seditionis, 2.° ut novæ sectæ principem. Accusationi præmisit exordium adulatorium, ut præsidem sibi demereretur. Paulus jussus pro se dicere; *ex multis annis*, inquit, *te esse judicem huic genti sciens, bono animo pro me satis faciam. Potes cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem; & neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in civitate; neque probare possunt tibi, de quibus me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & prophetis scripta sunt; spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant resurrectionem justorum & iniquorum*. Felix non ignarus religionis christianæ, causæ cognitione in aliud tempus dilata, dimisit accusatores, Paulumque tradidit centurioni, ut eum haberet in libera custodia, nec quemquam suorum ei ministrare prohiberet.

Christi An. 56.

LXXVI. Miserrimus erat tunc Judæorum status: ut melius innotescat, rem paulo altius repetemus ab Ægyptio, cujus supra meminit Lysias tribunus. Hic magicis artibus authoritatem cum sibi conciliasset, triginta hominum millia congregavit, perduxitque ad montem usque olivarum, promissione facta muros urbis jussu suo casuros. Re ipsa cum quatuor millibus sicariorum in urbem Jerosolymam irrumpere statuerat, depulsoque Romanorum præsidio dominationem occupare. Verum Felix Judææ procurator conatum hominis prævenit, obviam adversus eum progressus cum romanis militibus, plures occidit, ducentos cepit, Ægyptius fuga elapsus disparuit. Judæorum res quotidie prolabebantur in deterius; provincia plena erat impostoribus, qui turbas præstigiis illectas trahebant in solitudines, quorum multos, sicut & latrones Felix comprehensos suppliciis afficiebat, & in his Eleazarum Dinæi filium dolo cepit, data enim ei fide, quod nihil mali esset passurus, persuasit ut ad se veniret, moxque vinctum Romam transmisit. Imprudens etiam in urbem introduxit sicarios. Jonatham summum pontificem oderat ut importunum scelerum suorum censorem; itaque ut a molestiis ejus interpellationibus se liberaret, aggreditur pecunia Dorem ejus amicum, induxitque ut per insidias eum e medio tolleret. Ille advocat latrones, qui sub specie religionis in urbem ascendunt, sicis clam succincti sub vestibus, qui permixti Jonathæ famulitio, eum interfecerunt: cujus facinoris quia nemo ultor extitit; invitati hac licentia sicarii per singula festa ventitabant, abscondentesque sicas, immixti turbis alios confodiebant propter privatas inimicitias, alios conducti pecunia; cumque vulnerati protinus corruissent, ipsi cum astantibus indignari se simulabant: qua arte, hominum credulitate nihil tale de ipsis suspicantium, diu tecti latuerunt; adeo ut timor esset ipsa calamitate acerbior, dum singuli tanquam in acie positi, quovis momento mortem sibi imminere crederent. Jonathæ sic occiso Ismaelem in pontificatum subrogavit rex Agrippa. Sub ejus principatu ingens orta est seditio pontificum adversus sacerdotes, primoresque plebis; illorum singuli collecta manu perditorum hominum ductores se palam ferebant; congressique interdum conviciis, & lapidibus se mutuo impetebant, nec quisquam obstabat eorum improbitati, sed tanquam in civitate omni rectore destituta, hæc licentius agebantur. Pontificum tanta erat impudentia & audacia, ut non dubitarent servos suos ad areas mittere, qui debitas sacerdotibus decimas raperent: unde accidit, ut nonnulli ex sacerdotum ordine, quibus res familiaris erat angustior, præ alimentorum inopia deficerent.

Euf. hist. l. 2.c.20. & 21.

Jerosolymæ status miserabilis.

Joseph. antiq. l.20.c.6

Tacit. hist. 5.

LXXVII. Tyrannorum omnium & latronum pessimus ipse Felix, servili conditione natus, favore Pallantis fratris sui, libertorum Claudii potentissimi Judææ præpositus, per omnem sævitiam & libidinem jus regium servili ingenio exercebat, cuncta malefícia sibi licere ratus. Drusilla ejus uxor, Agrippæ junioris soror, quæ relicto marito Azizo Emessenorum Rege, qui propter ejus nuptias professus Judaismum susceperat circumcisionem, contra legem & decus regium Felici nupserat, Paulum audire peroptabat; accersitur, eaque præsente doctrinam christianam explicans, disputavit de justitia & castitate, & de futuro judicio. Tremefactus Felix, quippe qui vitiis oppositis deditus esset, *vade*, inquit, *tempore opportuno accersam te*. Reipsa Paulum christianorum principem existimans, imprimis cum audisset magnas eleemosynas eum attulisse Jerosolymam, frequenter vocatum alloquebatur, sperans pecunia redempturum libertatem. Biennio expleto a captivitate Pauli, Porcium Festum successorem accepit Felix, qui cum vellet gratiam præstare Judæis, Paulum reliquit vinctum. Nec tamen sic eos placavit: rapinas ejus & cædes ulturi, Romam eum secuti sunt primores Cæsareæ, ut accusarent apud Neronem; sed Pallantis fratris potentia pœnas debitas non dedit.

Act. 24.

LXXVIII.

Christi An. 56.

Act. 25.

LXXVIII. Festus tertio, postquam provinciam ingressus æst, die, Cæsarea venit Jerosolymam. Sacerdotum principes graves de Paulo querelas ad eum deferuot; rogant ut eum jubeat adduci Jerosolymam: nam animo destinarant venientem ex insidiis occidere. Festus reouens jussit ejus accusatores se ipsum sequi Cæsaream, quo post dies octo descendit. Postridie sedens pro tribunali Paulum accersivit, ut responderet accusationibus. Judæi multas & graves causas ei objiciebant, sed probare non poterant; e contra Paulus rationibus evicit, se neque io legem, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccasse. Festus tamen Judæis gratificari volens, ei proposuit, vellet ire Jerosolymam, bicque coram se judicari. Paulus sibi metuens a Judæorum insidiis, appellavit Cæsarem. Didicerat Spiritu sancto revelante se Romæ prædicaturum; jus sic appellandi civi
Act. 25. romano leges concedebant. *Festuc cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellusti, ad Cæsarem ibis.*

LXXIX. Interjectis aliquot diebus, Agrippa rex Chalcidis & Trachonitidis, & soror ejus Bereoice venere Cæsaream, salutaturi de more Festum oovum præsidem. Aliquot diebus insumptis io conviviis,

Paulus coram Festo causam agit.

Festus incertus quid de Paulo scriberet ad Neronem, regis consilium exquirit, indicans quam acriter Judæorum principes urgerent ejus damnationem, quamvis nullius eum criminis arguerent, sed taotum quarumdam de lege sua quæstionum, *& de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.* Hominem, ait Agrippa, audire vellem; Festus coodicit in crastioum. Agrippa & Berenice cum tribunis aliisque viris primariis conveniunt, adducitur Paulus. Tum Festus: judicavi hunc hominem mittere ad Augustum, quem appellavit; *quid autem certum scribam Domino, non babeo: quapropter produxi eum ad voc, & maximeud te, eex Agrippa, uc, interrogatione facta, habeum quid scribam.* Agrippa Paulo dixit: *permittitur tibi loqui pro temetipso.*

Paulus post gratiarum actiooes, quod posset coram rege, qui Judæorum leges nosset, agere causam suam, professus est se esse Pharisæum, quorum secta
Act. 26. præ cæteris certior & religiosior credit resurrectionem mortuorum, venturumque Messiam. *Et ego quidem existimaverum me adversus nomen Jesu Nazarens debere multu contraria agere; quod & feci Jerosolymic, & multos functorum in carceribus inclusi, u principibus sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam.* Post bæc narrat mirabilem conversionis suæ modum, divinam ad Judæos & gentes missionem, *ut convertantur a tenebris ud lucem, & de potestute satana ud Deum, uc uccipiunt remissionem peccutorum, & sortem inter sanctos per fidem, qua est in Christum. Unde, rex Agrippa, non sui incredulus cælesti visioni; sed bis, qui sunt Damusci, primum, & Jerosolymic, & gentibus annunciabam, uc pœniteutium agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ operu facientes.* Hae ex causa *me Judai, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. Sed divino servatuc uuxilio, hac omnibus testificor, nibil extru dicens, quam ea, qua propbetu locuti sunt futuca esse, & Moyses:* scilicet quod *passibilis Christus & primus ex resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus* sit *populo judaico & gentibus. Insanic Paule,* Festos interpellat, *multa te litera ud insuniam convertunt. Ec Puulus: non insunio, optime Feste, sed sobrietatis & veritatis verba loquor.* Hæc regi nota suot. *Credis, rex Agrippa, Prophetis? scio quia credis.* Agrippa vero ridens: propemodum *suades me Christianum fieri.* Cui Paulua: *opto upud Deum omnino, nou tuntum te, sed etiam omnes qui uudiunt, hodie fieri talec, qualis & ego sum, exceptis bis vinculis.* Surrexit rex & præses cum aliis omnibus, eumque judicarunt ionocenrem, & posse dimitti, si non appellasset Cæsarem. Statuerunt tameo mittendum Romam.

Joseph. antiq. l. 20. c. 7.

LXXX. Luctuosissima tunc erat rerum facies in tota Judæa; latrones & sicarii ubique grassabantut rapinis, incendiis & cædibus: quos missis equitibus cum legionariis reprimere conatus est Festus. Eum etiam graviter offenderunt sacerdotes. Amplissimam domum in Assamonæorum regia erexerat Rex Agrippa, unde amœnissimus prospectus patebat urbem contemplari volentibus: cujus voluptatis rex cupidus, e cubiculo spectabat quid circa templum fieret. Id Judæorum proceres tulerunt indignissime, nam leges vetabaot spectari quid agatur in templo, præsertim circa sacrificia. Quapropter altum parietem excitant supra exedram, quæ erat in interiore parte templi ad occidentem. Hæc non solum regii cubiculi prospectum arcebat opposita, verum etiam occidentalis extra templum positæ porticus, ubi festis diebus Romani stationes habebant ad templi custodiam. Quo facto tam rex offensus est, quam Festus, qui jussit parietem dirui. Sed cives rogarunt, ut liceret sibi legatos ea de re ad Neronem mittere, negantes se posse vivere, si quid demoliretur de templi ædificiis. Hoc impetrato, Ismaelem summum pontificem & Chelciam custodem sacri ærarii cum decem aliis miseruot ad Imperatorem, qui permisit sic remanere parietes, gratificatus io hoc uxori suæ Poppææ, quæ pro Judæis deprecatrix fuerat; sed Ismaelem & Chelciam retiouit tanquam obsides. Id postquam Agrippa rescivit, pontificatum detulit Josepho cognomento Chabi, Simonis quondam summi pontificis filio.

Christi An. 57.

LXXXI. Paulua anno conversionis suæ 22. Neronis 2., Christi 57., ex præsidis decreto navigaturus Act. 27.
io Italiam, cum aliis vinctis traditur Julio Ceoturioni cohortis Augustæ, conscensaque navi Adrumetina cum D. Luca, & Aristarcho Thessaloniceosi, vela fecit, legens Asiæ littora. Secunda die Sidonem appulit, permittente Julio amicos salutavit; inde solvens propter ventum contrarium, subnavigavit Cyprum, & transfretavit in Lyciam. Centurio bic cum invenisset navem Alexandrinam, quæ cursum dirigebat io Italiam, captivos ei imposuit. Adeo leote navigabant, ut vix pluribus diebus pervenirent contra Gnidum Asiæ promontorium, ventoque prohibente tenere cursum, adnavigatunt Salmoni orientali Cretæ promontorio. Solemne apud Judæos mensis Tisri, seu Septembris jejunium jam prætererat. Instante æquinoctio tuta non erat navigatio; Paulus hanc intermittendam suadebat, & Lazææ hyemandum. Gurbernatori magis credens centurio, ioito consilio jussit cursum dirigi versus Phœnicem Cretæ portum, atque illic byemare. Flaote Austro solvunt anchoram legentes insulam; sed noo multo post navem arripuit Euro-Aquilo, impulitque in Caudam vicinam insulam; vixque potuerunt scapham obtinere. Ingravescente semper tempestate, sequenti die jactum feceruot, tertia etiam armamenta projecere. Cœlum adeo densis operiebatur nubibus, ut oeque lux solis, neque syderum nitor per plures dies interniteret, maris sævitia nihil se remittente, jam nulla supererat spes salutis.

Paulus in margine:

Paulus vinctus Romam mittitur.

Puulus flaus in medio eorum dixit: oportebat quidem o viri, uudito me nou tollere u Cretu; & nunc suadeo vobic bono animo esse: nullus vestrum peribit, solius navis jactura fiet. *Astitit mihi bac nocte angelus Dei, cujus sum ego, & cui servio, dicens: ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donavit tibi Deuc omnes qui navigant tecum. Credo Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi; in insulam autem quamdam oportet nos devenire.* Jam quarta & decima die jactabantur in mari non procul a sinu Adriatico; cum circa mediam noctem oautæ suspicati apparere terram, submittentes bolidem, iovenerunt passus viginti; & pusillum inde separati, passus quindecim: quod indicio erat se terræ esse viciniores. Ne igitur in syrtes inciderent, de poppi mittunt quatuor aochoras, donec sol oriretur; & scapham io mare mittunt, quasi laxaturi proræ aochoras, reipsa ut fugereot. Paulus eorom coosilium præsentiens dixit centurioni: *nisi iu nave hi munserint, vos salvi fieri non potestis.* Scaphæ funes statim abscinduat milites, *& passi sunt eam excidere.*

Ubi primum illuxit, *rogubat Paulus omnes sumere cibum, dicens: quarta decima die hodie expectantes jejunis permanetis, nibil accipientes,* non sine miraculo. *Propter quod rogo vos uccipere cibum pro sulute vestru; quia nullius vestrum cupillus de capite peribit.* Hos in divina promissione ut confirmaret, ipse gratias agens Deo cœpit manducare panem. Illius exemplo facti animosiores, cibo vires reficiunt: tum jactu tritici navem alleviant. Orto sole, laxatis anchoris committunt se mari, ventoque obsequentes navem impingunt in locum dithalassum; prora quidem fixa manebat in arenoso solo, fluctibus puppim quatientibus. Milites mactassent captivos, ne effugerent, ni prohibuisset centurio volens servare Paulum. Omnes numero ducenti septuaginta sex, alii nantes, alii tabulis ad terram evadunt incolumes.

LXXXII. Iosula vocabatur Melita: hanc incolebant Africani, qui benigne eos exceptos refecerunt. Act. 28.
Paulus collecta sarmenta dum imponit igni, vipera calore excitata manum ejus morsu petit: quam ut

peo-

CHRISTI AN. 58.

pendentem videre barbari, dicebant ad invicem: hic homicida est, quem fluctibus ereptum sic insequitur divina ultio. Sed Paulus hac excussa nihil mali passus est. Ferunt ab iis temporibus virus omne suum exuisse serpentes hujus regionis. Astantes ut viderunt eum sanum in eodem corporis habitu permanentem, quem distentis visceribus mox casurum exanimem putabant, Deum esse dixerunt: sic extrema sunt vulgi judicia. Publius civis Romanus prædiis dives Paulum cum sociis per triduum perhumaniter excepit hospitio. Apostolus vicissim hanc charitatem remuneratus, ejus patrem febribus & dissenteria laborantem manuum impositione sanavit: hujus miraculi fama brevi pertransiit totam insulam, undequaque ad Paulum confluebant quotquot aliqua infirmitate detinebantur, qui curabantur omnes. Universi quam maximos honores ei publice habuerunt, & navigantibus necessaria subministrarunt.

Act. 28. LXXXIII. Tribus post mensibus Paulus cum aliis conscendit navem Alexandrinam, quæ hic hyemaverat: & primo quidem Syracusas appulit, ibique tres dies substitit: inde circumlegens Siciliam venit Rhegium; postridie vento secundo devectus est Puteolos. Christiani hic precibus eum exorarunt, ut cum suis per septem dies suo uteretur hospitio; postmodum pedibus profecti fideles Romanos obvios habuere in oppido, quod dicebatur forum Julii, quinquagesimo ab urbe milliario; tardiores ultra 33.m lapidem ei occurrunt ad tres tabernas. Eorum aspectu recreatus Paulus, gratias agens Deo, in magna spe fidei propagandæ, Romam ingressus est secundo mense anni 58. Burrus prætorii præfectus ei permisit ubi vellet manere cum custodiente se milite, cujus brachio alligatus catena tenebatur. Convocatis post triduum Judæorum primoribus narrat quomodo venerit in manus Romanorum, qui, cognita ejus innocentia, dimittendum judicabant: contradicentibus vero sacerdotibus, qui vitæ ejus insidiabantur, coactum se appellare Cæsarem, non ut accusarem gentem meam. *Propter spem Israel, catena hac circumdatus sum.* Loquebatur de Messia, quem a mortuis surrexisse prædicabat. Fatentur illi se nullam adversus eum accepisse accusationem, rogantque ne gravetur eloqui quid de Christo sentias; nam nobis notum est, inquiunt, quia ejus sectatoribus ubique contradicitur.

Paulus Romæ vinctus prædicat.

Constituto die conveniunt frequentes, quibus exposuit regnum Dei, Moysis & Prophetarum testimoniis suadens Jesum esse Messiam. Aliqui credidere, aliis dissentientibus ait Paulus: *bene locutus est Spiritus sanctus per Isaiam Prophetam ad patres vestros; dicens: vade ad populum istum, & dic ad eos: aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient.* Recedentes Judæi magna contentione decertabant. Paulus biennio integro mansit in conductis ædibus, omnibusque ad se confluentibus quotidie Evangelium exponens liberrime, & docens de Domino Jesu Christo cum fiducia; ita ut non paucos ex aula Cæsaris discipulos haberet, quemadmodum ipse testatur in sua ad Philippenses epistola.

cap. ult. *Apostolorum Actu.*

Hier. de script. Eccl. LXXXIV. Apostolorum res gestas ad hæc usque tempora recenset D. Lucas, quas uno libro græce complexus est stylo elegantiori; hunc Romæ edidit: est veluti continuatio quædam Evangelii, præsertim ad declarandam Christi resurrectionem, quæ Spiritus Sanctus gessit per Apostolos, Ecclesiæque nascentis exordia, atque illius magna per triginta annos incrementa, in eo opere mira perspicuitate describuntur: hic legimus Christi promissiones, quæ sunt in Evangeliis, eventu comprobatas, & adimpletas: ascensionem Christi in cœlum, Spiritus sancti illapsum in discipulos, mirabiles effectus inde consecutos; Evangelii toto pene orbe noto prædicationem, invictam Apostolorum fortitudinem, prodigia fere innumerabilia, & miracula, complures Petri Paulique sermones, horum varias persecutiones. De Petro quidem pauca, de aliis pauciora, & de Paulo multa scripsit; ejus enim comes individuus, quæ vidit, mandavit litteris. Annos octoginta quatuor vixit D. Lucas in perpetuo cœlibatu, sepultusque est Patræ in Achaja, ubi prædicabat Evangelium, quod vicinis regionibus jam intulerat. Aliæ res ejus præclare gestæ pro Christo, & mortis genus ignorantur. Multa pro fide passum esse docet oratio quam in ejus officio recitandam præscribit Ecclesia, aperteque ex ejus continua cum Paulo societate colligitur.

Chrysost. in Acta.

CHRISTI AN. 58.

LXXXV. Philippenses, qui primi fidem receperant in Macedonia, atque in ea retinenda fuerant constantissimi, rejectis etiam pseudo-apostolis, ut primum audierunt Paulum Romæ esse in vinculis, Epaphroditum Apostolum suum seu episcopum cum muneribus misere, qui eum suo nomine salutatum consolaretur, & ejus egestati subveniret. Epaphroditus longi itineris molestias perpessus, Romæ in morbum incidit, resumptis viribus ad suos rediens detulit Pauli epistolam: 1. Philippensibus gratias agit Apostolus, quod semper ejus tribulationi communicarint: *scitis*, inquit, *quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis … Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam placentem Deo. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens.*

Epist. ad Philipp.

cap. 4.

cap. 1.

Gratulatur de perseverantia in fide, & de constantia in persecutionibus perferendis; eosque ad virtutes omnes, imprimis ad humilitatem, patientiam, mutuam dilectionem, & Dei timorem adhortatur. Ubique scintillat divini amoris ignis, quo ardebat ipse. Ne forte existiment illius captivitatem christianæ religioni detrimentum attulisse, monet potius eam ad profectum venisse evangelii, ita ut ejus vincula manifesta fierent in Christo, *in omni prætorio* Cæsaris, *& in cæteris omnibus; & plures in eis confidentes, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui*; quidam ex charitate, alii ut pressuram ei suscitarent. *Quid enim*, inquit, *dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntiatur, & in hoc gaudeo … Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem … mihi enim vivere, Christus est, & mori lucrum … Et quid eligam ignoro; coarctor e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos, Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei*; uti reipsa contigit. Inde concludit: *tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero, & videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii: & in nullo terreamini ab adversariis … quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.*

cap. 1.

Humilitatem exemplo Christi sic deinde commendat: *hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*, (quæ autem major rapina, si Christus non est vere & natura Deus) *sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Deus exaltavit illum.* Ac proinde non solum non perdidit *quod habebat ut Deus, sed hoc etiam accepit ut homo. Ut in nomine ejus omne genu flectatur … Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Omnem hæresim, inquit Theodoretus, hic expugnat Apostolus, cum eos qui Unigeniti divinitatem blasphemant, & qui ejus humanitatem negant, & qui personas confundunt. Dixit enim: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: nemo autem dicitur esse sibi æqualis. Præterea in Dei forma erat, & non rapinam arbitratus est, quod esset Deo æqualis: natura enim habuit hanc æqualitatem. Quod si Dei formam dicunt non esse Dei substantiam, interrogentur quid intelligant per servi formam. Neque enim negant carnis assumptionem. Si ergo servi forma servi est substantia, Dei ergo substantia, Dei quoque forma est. *Itaque, charissimi, hoc exemplar intuentes, cum metu & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Promittit se ad eos brevi missurum Timotheum, qui sincera affectione pro iis sollicitus est. Cohortatur ut idem sapiant, & in eadem permaneant regula, & sic stent in Domino. Quibusdam piis mulieribus, quas inter erat aliqua dissensio, idipsum applicans, ita scribit: *Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino; etiam rogo & te Germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente & cæteris coadjutoribus meis, quorum nomina*

Christi divinitas. Theod. in c. 2. epist. ad Philip. Theod. ibid.

c. 3. & 4.

sunt

CHRISTI An. 59.

sunt in libro vitæ ... Mox omnes alloquens; *de cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bona famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate: quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum*. Hæ sunt igitur fidei & vitæ Christianæ regulæ, verbum Dei scriptum, aut prædicatum ab Apostolis, traditio ab iis profecta, eorumque exemplum. *Salutant vos qui mecum sunt fratres, salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt*: etiam in aula tam corrupta fuere veri fideles. Hæc epistola inscribitur, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus. Episcopos autem appellat Presbyteros. Utrumque enim habebant illo tempore.

Theod. ibid.

Epist. ad Philem.

LXXXVI. Alteram in vinculis epistolam Paulus scripsit ad Philemonem, virum inter Colossenses nobilem, insignique pietate spectabilem, cujus fidem in Christum, charitatem in sanctos, quæ summa in omnes beneficentia sese manifestabat, commendat Apostolus. Onesimus ejus servus fugam furto cumulans, quædam rei domesticæ compilarat; contendit in Italiam, ne in proximo posset facilius apprehendi. Romæ postquam Domini pecuniam prodegit, adit Paulum in carcere, quem domino suo amicitia conjunctum noverat: ejus verbis persuasus credidit in Christum, & baptizatus est, dignaque pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit, atque e servo fugitivo & raptore minister Apostoli factus est, qui eum remisit ad Philemonem, cui eum commendat in brevi quidem epistola, sed plena charitatis & divinæ eloquentiæ, eumque rogat ut ignoscat Onesimo, cujus culpam in se recipit, & tanquam Christi servum benigne excipiat; *si quid*, inquit, *tibi nocuit, aut debet, hoc mihi imputa*. Utrumque non modo præstitit Philemon, sed servum libertate donavit; qui postea propter pietatem & doctrinam factus est episcopus. Hunc Ignatius martyr magnis effert laudibus; latini & græci ut martyrem colunt. Archippus, quem Paulus in eadem epistola vocat suum commilitonem, fuit Episcopus Colossensis Ecclesiæ. Hanc sic concludit: *para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adjutores mei in Evangelio*. Philemonem cum uxore Appia sub Nerone passum esse pro Christo testantur martyrologia græca & latina.

Hier. in epist. ad Philem.

Ignat. in epist. ad Ephes.

22. Nov.

LXXXVII. Epaphras Apostolorum discipulus fidem docuerat Colossenses; multum etiam laborarat, ut fideles Laodiceæ & Hierapoli in recta fide confirmaret. Hæ urbes præcipuæ Phrygiæ paucis post annis terræ motu corruerunt, teste Orosio. Eas Ecclesias tunc conturbavere pseudo-apostoli, qui legis veteris observationem cum Christi fide prædicabant. Videntur fuisse discipuli Cerinthi, qui affirmabat quasdam revelationes sibi factas ab angelis, quos ajebat esse mundi conditores, & per eos legem datam: ac proinde colendos tanquam mediatores Deum inter & homines, qui nisi per eos ad Deum accessum habere non possent. 2.° Docebat legis Mosaicæ observationem ad salutem esse necessariam. 3.° Volebat Jesum esse purum hominem, ex Josepho & Maria communi hominum lege genitum, in quem Christus descenderat, cum in Jordane baptizaretur, qui tempore passionis eo relicto in cœlum revolarat. Hinc negabat Christum mortuum esse, vel resurrexisse, sed solum Jesum. Author etiam fuit sectæ Millenariorum, quem errorem vulgavit edito sub nomine D. Joannis libello.

Errores Cerinthi.
Eus. hist. l. 3. c. 28.
Theod. l. 2. hær. fab. c. 3. & l. 5. cap. 21.

His auditis, Paulus curam agens earum Ecclesiarum, quarum fidem & beneficam charitatem cognoverat ex Epaphra, quem fidelem Christi ministrum vocat, communem ad eas scripsit epistolam, ut ad plenam & integram fidem eas revocaret. Hanc quidem dirigit ad Colossenses, sed monet, ut cum lecta fuerit apud eos, dent operam ut in Laodicensium Ecclesia legatur. In prima ejus parte docet a solo Christo salutem esse sperandam, non autem a lege, vel ab angelis; a quorum cultu ut eos avocet, Christi ut Dei & hominis excellentiam mirifice describit. *Gratias agentes*, inquit, *Deo Patri* ... *qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, seu diaboli, *& transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Qui est imago Dei invisibilis*. Expressos enim ejus qui genuit characteres gerit ... *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; seu ut in proprio corpore: *& estis in illo repleti* donis & gratia. A Christi divinitate transit ad ejus Incarnationem. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*, secundum humanitatem: *qui est principium, primogenitus ex mortuis*, per suam resurrectionem ad vitam immortalem. *Ut sit in omnibus ipse primatum tenens*. Inferius ostendit eum esse perfectum & præpotentem redemptorem. *Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos, cum mortui essetis in delictis* ... *convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos chirographum decreti*; quo morti eramus addicti propter peccatum Adæ, *quod erat nobis contrarium, & ipsum tulit de medio affigens cruci: & expolians principatus & potestates*, seu angelos malos, eorumque imbecillitatem manifestans, *traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*.

Epistola ad Coloss.

cap. 1. *Christi excellentia.*
Theod. in huoc loc. c. 2.

CHRISTI An. 59.

Ex hac Christi excellentia, summa potestate, & redemptione, cujus fundamentum est illius humanitatis unio cum Dei verbo, concludit: *videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum*, cogendo vos observare legem Moysis secundum humilitatem litteræ, quia tradita est ab angelis; vel inducendo cultum superstitiosum, dum suadent ut angelos, tanquam mundi conditores, per quos tantum accessum habemus ad Deum, colatis; *sicque non teneatis caput, quod Christus est, ex quo totum corpus Ecclesiæ per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*. Hortatur denique, ut constantes teneant, sequanturque doctrinam, quam acceperunt ab Epaphra, *qui*, inquit, *est fidelis pro vobis minister Jesu Christi; & dicite Archippo: vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas*; tacite sic eum incusat negligentiæ.

Hieron. epist. ad Algas.

In duobus ultimis capitibus agit de moribus: ac primo quidem instar principii statuit, nos per baptismum una cum Christo mortuos esse peccato, simulque ad novam consurrexisse vitam, cujus duæ sunt partes: prima est, ut veterem hominem expoliemus cum actibus suis; secunda, ut induamus novum, qui renovatur secundum imaginem Dei, contemptisque terrenis, tantum cœlestia desideremus. Quapropter ad opera bona eos adhortatur, & ad mutuam charitatem: conjugum inter se, parentum in liberos, & servorum in Dominos, ac vicissim mutua præscribit officia: commendat omnibus perseverantiam in oratione, & cantum psalmorum, hymnorum, & canticorum spiritualium, qui perseveravit in Ecclesia. Hanc epistolam & superiorem Tychico dedit perferendas; de quo ibidem sic scribit: *quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino: quem misi ad vos hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra*. Onesimum cum eo proficisci jussit. Ex ejus epistolæ salutationibus liquet, quam multos vinculorum suorum socios, & adjutores prædicationis secum habuerit Apostolus. Eosdem recenset, quorum jam meminit in epistola ad Philemonem, quos cum Jesu, qui dicebatur justus, vocat adjutores suos in regno Dei. *Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo ejus est, Ecclesiam*. Nympham ut sanctum confessorem græci venerantur.

Bolland. 28. Febr.

Non levem inter peritos controversiam movent hæc verba Apostoli, quæ in calce ejusdem epistolæ leguntur: *Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur; & eam quæ Laodicensium est, vos legatis*. Ex his nonnulli recentiores colligunt Apostolum scripsisse ad Laodicenses: ejus epistolæ exemplar descripsit Sixtus Senensis; sed ei refragatur totius antiquitatis authoritas, teste Hieronymo, qui recensitis B. Pauli epistolis subjungit: legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur. Pauli verba modo laudata sic explicat Theodoretus: quidam existimarunt, Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses; itaque fictam epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit eam, quæ est ad Laodicenses, sed eam quæ est ex Laodicæa. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant: verisimile est autem eos accusasse quæ Colossis facta fuerant, vel eodem eum his morbo laborasse; & ideo dixit, hanc quoque epistolam eis esse legendam.

Paulus non scripsit ad Laod.
Lib. 2. Bibl.
Hier. in script. Eccl.
Theod. in epist. ad Col. cap. 4.

LXXXVII. Epistolam ad Ephesios Romæ quoque scriptam, dum esset in vinculis, & missam per Tychicum, non obscure indicat Apostolus; fideles illius metropolis in suscepta fide, & in mutua dilectione confirmat, atque communit adversus turbam philosophorum, magorum & pseudo-apostolorum,

CHRISTI AN. 59.

rum, qui huc confluebant. In duas partes dividitur: in primi, quæ est dogmatica, de gratuita prædestinatione ad fidem, justitiam & salutem disserit: hæc, teste Hieronymo, vel maxime & verbis & sensibus involuta est. Docet 1°. vocationem ad fidem & consequentem justificationem esse dona Dei pure gratuita, qui propter Christum ex sola bona voluntate sua sic nos indignos gratificavit, ut gratiæ suæ divitias manifestaret: *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. In qua gratificavit nos in dilecto filio suo . . . Deus qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu qui est caput nostrum: ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu; gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Non ex operibus quæ fidem præcesserint; per Christum tamen regenerati sumus ad opera bona facienda, quæ & ipsa sunt dona Dei.

Epist. ad Ephes. cap. 1. — cap. 2.

Incarnationis Dominicæ, & redemptionis beneficia eis in memoriam revocat. Addit mysterium reconciliationis gentilium cum Judæis speciali modo sibi revelatum. Prophetæ quidem gentium vocationem noverant & prædixerant, sed non sicut Apostoli, qui illius sunt ministri, & vident per Christi crucem *gentes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per evangelium*. Adeo sublime mysterium a sæculis in Deo fuit absconditum; ut etiam *innotesceret principatibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*. Quantæ igitur superbiæ est nolle audire Ecclesiam, per quam ineffabilis Dei sapientia innotuit sublimioribus intelligentiis, & contra quam nemo pacificus senserit.

cap. 3.

Aug. l. 4. de Trin. cap. 10. — cap. 4. — cap. 5.

In secunda parte, hæc præclara morum præcepta deducit ex his principiis. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis . . . unus Dominus, una fides, unum baptisma . . . Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Ut pro debitoribus nobis, inquit Augustinus, quod ipse non debebat, exsolveret. Deinde monet ut a vitiis abstineant; imprimis hortatur conjugatos ut amore casto sese mutuo diligant, siquidem sunt unum corpus, juxta illud: *erunt duo in carne una*. Ea occasione matrimonii christiani dignitatem sic declarat: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: eo quippe significatur Christi & Ecclesiæ indissolubilis conjunctio. Hinc Christus, ut docet Cyrillus, sanctificavit conjugium, & gratias nuptiis præparavit. Denique monet ut semper vigilent in orationibus, quia ipsis est continua colluctatio, non tantum adversus carnem & sanguinem, sed etiam adversus improbos dæmones, qui in eo aere caliginoso dispersi nobis insidiantur.

Aug. l. 11. de Trin. cap. 14. — Cyril. l. 2. in Joan. cap. 6.

Epiph. hær. 51. Gelas. in Concil. Rom.

LXXXVIII. Dum Paulus Romæ in libera custodia, tum per se, tum per epistolas Christi fidem promovet, D. Marcus a D. Petro missus in Ægyptum, celeberrimam Ecclesiam collegit Alexandriæ, quæ tunc opulentissimum erat totius orbis emporium, ob utriusque maris scilicet rubri & mediterranei commercium. Ægyptii patriarum superstitionum adeo tenaces erant, ut quamvis carnificinam potius subierint, quam Ibim, aut aspidem, aut felem, aut crocodilum violarent: sed non minus quam decem centena millia Judæorum tunc Ægyptum habitabant: quorum plurimi Christi fidem secuti sunt, & plerique morum sanctitate, & vitæ continentia eminebant. Philo Judæorum disertissimus videns hanc Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem suæ gentis, librum super eorum conversatione scripsit. Eusebius, Epiphanius, & Hieronymus affirmant eum locutum esse de christianis, quamvis hoc sublime vitæ perfectioris genus adscribat Judæis, quos Therapeutas, seu Deicolas vocat. Aliqui recentiores male eos confundunt cum Essenis Christo antiquioribus, qui nullibi gentium, nisi in sola Judæa repertebantur, teste Josepho; & mulierum societatem prorsus refugiebant; econtra Therapeutarum institutum viri mulieresque profitebantur, præsertim in Ægypto: quos Græci barbarique imitati sunt in aliis provinciis. Eorum vivendi rationem ex Philone sic describit Eusebius.

Philo de vita contempl.

CHRISTI AN. 59. Joseph. lib. 18. antiq. cap. 2.

Omnibus bonis ad propinquos transmissis, abjectaque omni humanarum rerum cura, extra urbes in hortis agellisque devii vitam agebant solitariam, quippe qui intelligerent, dissimilis hominum propositi contubernia, & commercia plurimum obesse vitæ perfectiori. Eorum tamen pauperes domunculæ parum ab urbe distabant propter vitæ suarumque rerum securitatem. In singulis domiciliis erat quoddam sacellum, in quo soli remotis arbitris sanctioris vitæ mysteria peragebant. Temperantiæ tanquam fundamento reliquas deinceps virtutes superstruebant: hinc nemo illorum cibum potumve ante solis occasum usquam sumpsit. Sapientiæ studio totum diem, corporis autem necessitatibus exiguam noctis partem deputabant. Nonnulli toto triduo cibum capere omittebant; quidam vero tam incredibili voluptate, tantisque deliciis perfundebantur, dum pascebantur epulis cœlestis sapientiæ, ut vix sexto die cibum necessarium degustarent. Sæviente bruma, grossiore panno vestiebantur; æstate linteum gerebant. Mane & sero vacabant orationibus; reliquum diem lectione & meditatione traducebant; sacra volumina lectitabant, præcepta sapientiæ a majoribus tradita allegorice explicando. Quippe existimabant verba esse quaidam imagines rerum absconditarum, quæ per allegorias declarandæ sunt. Erant etiam apud eos commentarii veterum, qui sectæ illius authores, quam plurima eis monumenta doctrinæ illius, quæ in allegoriis posita est, reliquerant; quibus tanquam exemplaribus utentes, morem hunc institutumque imitabantur. Eusebius hæc dicta suspicatus de scriptis Apostolorum; sed perperam; hæc vixdum scripta fuere Philonis ætate; tantum abest ut Apostoli & Evangelistæ pro vetustis authoribus haberi a Philone possent, qui cum D. Petro familiariter versatus est, eique fuit coævus; sed gravius errant qui inde colligunt eos non fuisse christianos. Primos fideles a Judaismo conversos legem cum Evangelio conjunxisse constat; ac proinde eos legisse proprios suæ gentis commentarios consentaneum est: præterea cantica, hymnosque ad Dei laudem componebant omni metrorum ac modulationum genere.

Eus. hist. l. 2. c. 27. *Therapeutæ.*

Quolibet sabbato in communem cœtum conveniunt viri & mulieres, separatim tamen: medius enim paries a solo surgit tribus quatuorve cubitis in modum loriculæ, superiora usque ad tectum patent; qui separationis modus in ecclesiarum fabricatione per plura sæcula servatus est. Decenti habitu, modeste juxta ætatis ordinem concidunt; tum senex dogmatum peritissimus disserit vultu ad gravitatem composito; reliqui omnes auscultant per summum silentium. Is dies est apud eos maximæ festivitatis, qui incidit in numerum quinquagenarium, id est, dies Pentecostes: ubi primum convenere candidati, atque læti cum summa gravitate, priusquam discumbant, sublatis ad cœlum manibus atque oculis, precantur ut Deo placeat id convivium; tum discumbunt super tegetes rudes ex vili contextas materia; seorsim viri dextrum latus, seorsim fœminæ sinistrum tenent. Patiebantur enim mulieres instituti sui fieri participes, quarum plurimæ ad extremam usque senectutem virgines permanebant, non coactæ necessitatis, quemadmodum apud græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ. Tam severe observatur silentium, ut ne mutire quidem liceat, aut respirare vehementius: proponit quispiam quæstionem ex sacris literis, eamque solvit, minime captans laudem eloquentiæ; sed id unice sibi proponens, ut accurata sit enarratio, & plena sententiis. Totum auditorum attentium auscultat, intelligere, se nutu, vultuque indicans; expositiones autem sacrarum literarum constant ex allegoriis. Ubi primum præses videbatur rem bene tractando satisfecisse omnibus, plausus edebatur. Ille vero assurgens hymnum in Dei laudem canit, singuli decanti ordine imitantur præsulem, cæteris audientibus, præterquam in fine hymni, tunc enim universi vocem extollunt sine sexus discrimine.

Phil. de vita contempl.

Christi An. 60.

Absolutis hymnis, mensam apponunt juniores: cibus ordinarius, panis cum sale & hyssopo, potus, aqua sola: semper enim a vino & carnibus abstinent. Cœna peracta, duplex chorus instituitur; alter virorum, alter mulierum, cuique suus jacentor præficitur, hymnosque repetunt in laudem Dei, nunc uno ore, nunc alternis: deinde veluti amore divino ebrii faciunt unum chorum, concentumque reddunt suavissimum. His noctem fallebant pietatis officiis, excitatiores summo mane, quam cum convenerant, converso vultu ad solem orientem, felicem diem, & veritatem, perspicacemque mentem sibi comprecabantur: atque ita comprecationibus absolutis, ad suum semneum quisque secedebat, consuetaque repetebat exercitia religionis. Philo quidem, inquit Sozomenus, cum ista ad hunc modum narrat, indicare videtur christianos sui temporis, qui ex hebræis conversi adhuc judaico more vivebant, eorumque ritus custodiebant, quos tamen saluti necessarios non putabant; apud alios enim hoc vitæ genus reperire non licet: unde conjicio hanc philosophiam, seu vitam monasticam, apud ægyptios ex eo tempore floruisse. Alii tamen affirmant persecutiones, quæ variis subinde temporibus Ecclesiæ acciderunt, huic philosophiæ occasionem præbuisse; nam quoniam fugientes christiani in montibus, in solitudinibus, ac sylvis commorabantur, huic vivendi rationi paulatim assueverunt.

Sozom. hist. lib. 1. c. 12.

Menol. græcum. Gelas. Pap. in Rom. concil. marty. Rom. *Marci martyr.* Eus. hist. l 2. c. 24. & l. 3. cap. 14.

LXXXIX. Infideles tantæ virtutis fulgorem cum ferre non possent, indignarentur Deos suos haberi ludibrio, die Dominica in Marcum sacris operantem irruunt, ligatoque fune ad ejus collum trahunt eum, raptantque per loca saxis aspera: lacero corpore pene exanimis in carcerem detruditur; apparente sibi Domino una cum angelis ad futurum certamen instauratur. Mane facto per eadem saxa pertractus, gratias agens Deo, spiritum ei reddidit, sepultusque est cum honore a discipulis suis, anno octavo Imperii Neronis, Christi 63. Primus post eum Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit Anianus, vir Deo acceptus, & ex omni parte mirabilis, quem ante martyrium a D. Marco consecratum episcopum affirmant chronici orientales. Hanc sedem tenuit viginti duobus annis, quibus auctus est majorem in modum credentium in Christum numerus: commemorationis ejus dies assignatur in romano martyrologio 25. Aprilis.

Orig. Eccl. Alexand. Eutych. tom. 1. *Alexandrini Patriarchæ electio.*

Non abs re fuerit hic referre ex Eutychio fragmentum illius historiæ, quæ duodecim presbyterorum institutionem spectat. Constituit item Marcus Evangelista duodecim presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum patriarca, adeo ut cum vacaret patriarchatus, eligerent unum de duodecim presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & patriarcham eum crearent: & deinde virum aliquem insignem eligerent, eumque presbyterum secum constituerent, loco ejus qui sic factus est patriarcha, ut ita semper extarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de presbyteris, ut scilicet patriarchas crearent ex presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri patriarchæ, qui fuit ex numero illo, anno 318. Is autem vetuit ne deinceps patriarcham presbyteri crearent: & decrevit ut mortuo patriarcha, convenirent episcopi, qui patriarcham ordinarent. Decrevit item ut vacante patriarchatu eligerent sive ex quacunque regione, sive ex duodecim illis presbyteris, ut res ferebat, virum aliquem eximium, eumque patriarcham crearent; & paulo post: sed vero ab Hanania quem constituit Marcus Evangelista patriarcham Alexandriæ, usque ad tempora Demetrii patriarchæ ibidem, nullus erat in provinciis Ægypti episcopus: ille autem factus patriarcha tres constituit episcopos; & primus fuit hic patriarcha Alexandrinus, qui episcopos fecit. Et quoniam Eutychii authoris barbari, qui decimo sæculo scripsit, multaque aggerat evidenter falsa, levis est authoritas, id confirmant testimonio D. Hieronymi, qui sic scribit ad Evagrium: nam & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heracleam & Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi unum ex suis, quem noverint industrium eligant, & archi-diaconum vocent. Inde concludunt episcopos non esse divinæ institutionis, nec presbyteris superiores.

Hier. ep. 101. alias 27.

Christi An. 60. Hist. patriarch. Alexand.

Hic agi de Alexandrini patriarchæ electione, non de ejus ordinatione, ipsa Eutychii verba palam faciunt. Idem vero verbum Arabicum, quod constituere significat, Seldenus sic latine reddidit, ut sacramentalem ordinationem exprimere videretur. Illius igitur testimonii tota sententia est, Marcum Evangelistam instituisse collegium presbyterorum duodecim, ex quorum numero patriarcha novus constitueretur, secundo ut ab illis ipse eligeretur. Hujus expositionis veritas manifesta est ex Ignatii martyris, utriusque Clementis Romani & Alexandrini, Polycarpi & Tertulliani testimoniis, quæ infra suis in locis referemus: Hanc confirmat Severus, qui accuratius scripsit de rebus Alexandrinis: ille sic describit electionem Cerdonis, qui tertius post Marcum numeratur: sacerdotes & episcopi, qui ejus vices in provincia administrabant, statim atque audierunt Melianum patriarcham diem suum obiisse, Alexandriam convenientes, habito cum orthodoxa multitudine consilio ad eligendum successorem, sorte jacta, Cerdonem, in quem ceciderat, patriarcham constituerunt. Itaque illi duodecim sacerdotes ferebant suffragia, atque unum e suo numero designabant; quem si probasset populus, acclamabat, dignus est; electionem ratam habebant episcopi, electumque consecrabant per manuum impositionem, quæ characteris episcopalis esset efficax; nam prius a presbyteris facta ad solam ferendi suffragii rationem pertinebat. Manuum impositionem ad varios usus adhibitam ab antiquis nemo vel leviter eruditus ignorat.

Præterea mendis scatet Eutychii narratio: jus a D. Marco concessum duodecim presbyteris Alexandrinis longe ante Alexandri tempora desiit, duravit enim tantum usque ad Heracleam, ut testatur Hieronymus, & clero permissum est, quem vellet etiam ex diaconia eligere in episcopum, ut refert Ambrosiaster. Episcopos presbyteris esse dignitate & potestate superiores agnoscit Hieronymus. Quid, inquit, facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? Presbyteros igitur ordinare solius est potestatis episcopalis. Non minus falsum est nullum fuisse in provinciis Ægypti episcopum usque ad tempora Demetrii; siquidem præcedente sæculo plures, ut docet Severus, convenere pro electione Cerdonis, & reipsa in exemplari Arabico legitur in provincia Ægypti scilicet inferioris, cujus urbes serius habuere suos episcopos. Alii quidem probabiliter asserunt, hos duodecim presbyteros Alexandrinos fuisse chor-episcopos, & primi quidem generis, scilicet cum charactere episcopali, quibus Alexandrinus, ut ait Severus, suas vices committebat in provincia. Hac ratione facile omnia conciliantur, nempe patriarcha mortuo, unum e suo numero eligebant, cui per manuum impositionem, non ordinem, sed jurisdictionem episcopalem ad se devolutam deferebant. Demetrius autem crescente multitudine fidelium, proprios in quibusdam civitatibus constituit episcopos.

Amar. in epist. ad Ephes.

Florebat etiam occidentalis Ecclesia: dum Nero palam ad majora erumpens scelera, Imperium vastabat rapinis & cædibus; matrem, fratrem Britannicum, uxores, propinquos, & quotquot noverat opulentos interfecit vel ferro, vel veneno, quod sub specie remedii misit Burro præfecto prætorii; cui suffecit Rufum & Tigillinum hominem nequissimum, qui D. Paulum arctius habuit in vinculis.

XC. Paulus tamen, Deo protegente, non multo post liber a Nerone dimissus est: sed antea scripsit epistolam ad hebræos Palestinæ: illius stylus equidem sublimior videtur, & tersior quam in aliis epistolis: id unum inde colligi potest, hanc patria lingua fuisse scriptam ad hebræos, qui in scripturis ac ritibus veteris testamenti erant exercitati, & eloquentius græce translatam, vel a D. Luca, ut videtur Clementi Alexandrino; vel, ut aliis & Theodoreto placet, a Clemente Romano, cujus epistola ad Corinthios & stylo & sententiis ab hac parum discrepat. Hanc vero inscriptionem, Paulus Apostolus, prudenter omissam observat Clemens Alexandrinus: cum Hebræis scriberet, qui sinistram de eo opinionem multo ante combiberant, illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit. Hanc græci communiter & major pars latinorum ut Pauli genuinam receperunt, atque inter ejus canonicas recensent concilium Carthaginense 3m., Innocentius primus, & Gelasius. Hebræis Paulum scripsisse con-

Eus. hist. l. 6. c. 14.

Theod. in præf. in epist. ad Hebr

stat

Digitized by Google

CHRISTI An. 60.
2. Petri, cap. 3.

ſtat ex poſteriore D. Petri epiſtola, hos enim ſic alloquitur, *ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.*

D. Paulus in hac epiſtola duo potiſſimum ſibi declaranda proponit, quæ 1°. ſit Chriſti dignitas, & quod officium, & quæ ſacerdotii ejus & ſacrificii ſupra Leviticum excellentia: ut judæos chriſtianos a legis Moſaicæ cæremoniis & ſacrificiis revocet, quibus acceptam referebant ſuam juſtitiam, licet a Jeſu, quem ut Meſſiam receperant, ſperarent præmia ſuæ juſtitiæ, ejuſque præcepta ſectarentur, ſic miſcentes legem cum evangelio. 2°. Eoſdem adhortatur ad patientiam, ne deficiant in variis tribulationibus. Infideles enim & Judæi variis modis eos afflixerent.

Epiſt. ad Hebr. cap. 1. Theod. in c. 1. epiſt. ad Hebr. *Chriſti divinitas.* Iren. l. 3. cap. 6.

Oſtendit primo, Chriſtum angelis longe excellentiorem, ſiquidem eum recens natum adorarunt ut filium Dei unigenitum, ſeu ut Deum; qui etiam primogenitus eſt ut homo, ejuſque divinitatem ſcripturarum authoritate demonſtret, æternumque Patrem de eo dixiſſe teſtatur: *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi; dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exaltationis præ participibus tuis*, ſcilicet ſecundum humanitatem. Utrumque, inquit Irenæus, Filium & Patrem Dei appellatione ſignavit Spiritus, qui nunquam abſolute, & definitive eos nominaſſet Deum, ſi non eſſent vere Deus: unde concludit Paulus legem ejus diligenter eſſe ſervandam, alioqui Dei judicium non effugiemus.

cap. 2.

Mortalis Chriſti conditio ne Judæos offenderet, ſi eum angelis impaſſibilibus anteponeret, neceſſitatem ejus mortis probat ex fine, quem ipſe ſibi propoſuit, ſcilicet ut ex mera charitate ſua pro ſalute omnium hanc ſuſtinens liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti; hanc etiam exigebat gloria Dei.

cap. 3.

3°. Chriſtum cum Moyſe comparat, eumque honore & dignitate longe præſtantiorem hinc probat, quod Moyſes fuerit fidelis famulus domus Dei, ſcilicet ſynagogæ, quam Domini voluntates fideliter edocuit. Chriſtus autem in Eccleſia ſit ut filius in domo ſua, in eoque ſolo nobis conſtanter eſſe ſperandum per veram obedientiam, ſi velimus ut in nobis inhabitet; hinc periculoſam ſecuritatem amolitur, & pium humilemque metum incutit fidelibus, exemplo Judæorum, qui a ſervitute ægyptiaca liberati, in deſerto propter ſua peccata periere.

cap. 5. Tertul. adv. Jud. cap. 13. *Chriſti ſacerdotium.* cap. 6.

4°. Agit de Chriſti ſacerdotio: quem, inquit, Tertullianus, oportebat pro omnibus gentibus fieri ſacrificium. Docet eum a Deo conſtitutum Apoſtolum & pontificem fidei, quam profitemur; idque probat ex ſcripturis, in quibus aperte declaratur filius Dei, & ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui preces & ſupplicationes, præſertim in cruce pro ſe & pro nobis obtulit, & pro ſui ipſius dignitate exauditus eſt, *conſummataſque per mortem crucis, factus omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.*

Hinc oſtendit quam Deo ſint injurioſi qui poſt tot ejus beneficia rurſus in peccata prolabuntur, & rurſus Dei filium in ſemetipſis crucifigunt: & quoniam Judæi per iterata baptiſmata ſolebant abluere legales immunditias, declarat non eamdem eſſe baptiſmi chriſtiani rationem; impoſſibile eſt enim per ſecundi baptiſmi pœnitentiam renovari fideles, qui peccando Chriſtum iterum crucifixere, poſtquam gratiæ divini Spiritus in baptiſmo fuere participes.

Theod. in epiſt. ad Hebr.

Hic enim unus eſt, inquit Theodoretus, ut qui ſalutaris paſſionis & reſurrectionis typum habeat, & futuram nobis reſurrectionem prædeſignet. Novatiani hæc verba objectant adverſus veritatem, non intelligentes divinum Apoſtolum non prohibuiſſe medicamenta pœnitentiæ, ſed divini baptiſmi definitionem docuiſſe. Quod enim ubique prædicas pœnitentiam teſtantur quæ ab eo ſcripta ſunt ad Corinthios, teſtantur etiam quæ ad Galatas.

cap. 7.

Judæis perſuaſum erat adhuc vigere Leviticum ſacerdotium, nec aliter expiari peccata, quam ſacrificiis & ritibus in lege præſcriptis. Utrumque errorem refellit Apoſtolus, argumentumque deſumit ex excellentia ſacerdotii Chriſti, quod oſtendit antiquius & longe præſtantius eſſe Levitico: nam ſi Melchiſedech rex & ſacerdos Dei, qui fuit typus Chriſti ſupremi ſacerdotis, decimas accepit ab Abrahamo, & in ipſo a filiis Levi, qui ſunt ſacerdotes legis Moſaicæ, eique benedixit ut ſuperior; quanto magis Chriſtus ipſe ſacerdotes omnes ex Abrahamo progenitos antecellit? Novum autem ſacerdotium legis mutationem ſecum habet adjunctam: *tranſlato igitur ſacerdotio, neceſſe ut legis quoque fiat tranſlatio:* ſic quidem hæc duo lex & ſacerdotium indivulſe conjuncta ſunt, neque a ſe invicem ſeparantur: ac proinde jam non amplius a Moyſe, ſed a Chriſto legem accipimus, quæ cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inſcribitur.

CHRISTI An. 60.

cap. 9.

Demum inter ſe confert victimas utriuſque ſacerdotii: Levitici ſacerdotes offerebant ſanguinem animalium, qui conſcientiam a peccatis mundare non poteſt, ſed ejuſmodi ſacrificia erant umbræ futurorum bonorum, iterabantur ad agnoſcendam ſupremam Dei potentiam & bonitatem, ſed facta ſemper mentione peccatorum, quæ talibus victimis deleri non poſſent: quapropter reprobatæ ſunt propter inutilitatem. Jeſus autem ſacerdos & victima, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit Deo, peccatis omnibus expiandis ſufficit; cumque eſſet novi teſtamenti mediator, neceſſe fuit ut prius ipſe moreretur, ut ſua morte redimeret prævaricationes quæ factæ ſunt etiam ſub veteri teſtamento, novumque confirmaret. Sed ea fuit vis ejus ſanguinis & efficacia, ut unica oblatione ſui corporis in ara crucis conſummaverit in ſempiternum ſanctificatos: ſed ita conſummavit, ut nihilominus quædam media ſint neceſſaria, quibus paſſionis ejus fructus nobis applicetur: alioquin qui ideo ſacrificium eucharisticum rejiciunt, baptiſmum quoque & euchariſtiam reſpuere debent.

Euchariſtia eſt ſacrificium. Aug ep. 98. alias 23. Idem l. 18. de civ. Dei cap. 71.

Quapropter ſic eos confutat Auguſtinus: ſemel, inquit, immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento, non ſolum per omnes paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus reſponderit eum immolari. Hoc ſacrificium per ſacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech cum in omni loco a ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videant offerri, ſacrificia Judæorum jam ceſſaſſe negare non poſſunt.

cap. 10.

In ultimis capitibus deſcendit ad moralem adhortationem, quam deducit ex poſitis fidei principiis. Invitat ut Deo per Chriſtum reconciliemur, accedendo ad eum in plenitudine fidei, cujus neceſſitatem oſtendit exemplis ſanctorum veteris teſtamenti, qui per fidem clari & inſignes fuere. Fides autem cum ſit fundamentum ſpei, qua confidimus virtute ſanguinis Chriſti fieri participes ſalutis æternæ, quiſquis firmiter non credit Chriſtum pro ſalute ſua mortuum eſſe, quomodo ſalutem æternam ſperare poteſt?

Hier. in c. 5. ad Galat.

In memoriam eorum revocat quæ pro fide Chriſti pertulerant haud dubie a ſuis contribulibus; nam, ut refert Hieronymus, multo majores perſecutiones, ut nos hiſtoriæ doceat, a judæis in chriſtianos, quam a gentibus concitatæ ſunt. *Rememoramini*, inquit Apoſtolus, *priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti; in altero autem ſocii taliter converſantium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſiones . . . Recogitate eum*, ſcilicet Chriſtum, *qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes . . Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Sic fideles in adverſis patienter tolerandis informat Apoſtolus.

cap. 10. cap. 12. cap. 13.

Denique commendat virtutes chriſtianas, præſertim patientiam, mutuam charitatem, caſtitatem, obedientiam erga præpoſitos: *talibus enim hoſtiis demeretur Deus*, cui ſemper ſacrificium laudis per Chriſtum offerre debemus.

Euſ. hiſt. l. 2. c. 22. epiſt. ad Philip. cap. 2. Epiſt. ad Tit. c. 1.

Poſtremo ſcribit Timotheum vinculis ſolutum eſſe atque dimiſſum, cum quo, inquit, ſi venerit celerius, videbo vos: quibus verbis ſignificat ſe quoque paucis poſt diebus fore liberum, & profecturum Jeroſolymam. Itaque veriſimile nobis videtur Paulum e cuſtodia amiſſum abiiſſe in Macedoniam anno Neronis quinto, Chriſti 60., Philippiſque aliquandiu commoratum, uti promiſerat; æſtivo tempore profectum Troadem, hinc Coloſſas veniſſe, tranſfretaſſe in Cretam inſulam, ubi Titum ordinavit epiſcopum, ut rudimenta hujus Eccleſiæ confirmaret. Anno ſequenti,

CHRISTI AN. 62.

Creta relicta, navigavit in Græciam; hic visitavit Ecclesias, prohibitusque transire in Asiam, audita D. Jacobi fratris Domini morte, festinavit Jerosolymam. Sic autem ejus martyrium ex Hegesippo, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, describit Eusebius.

Josep. antiq. l. 20. c. 8. *D. Jacobi martyrium.*

XCI. Mortuo Festo, Cæsar Albinum in Judæam misit præsidem. Rex vero Agrippa, depulso Josepho, ejus sacerdotium detulit Anano, filio illius Annæ, cujus meminit Evangelium: seniorem hunc Ananum omnium felicissimum prædicabant Judæi, ut qui liberos habuerit quinque summos pontifices, cum prius ipse per quindecim annos ea dignitate perfunctus esset: sed eum miserrimum pronuntio, qui contra Christum mortis sententiam tulerit, & persecutus sit Ecclesiam. Ananus ergo junior, ingenio ferox, & audax, secta Sadducæus, quod hominum genus apud Judæos in judicando est severissimum, opportunum tempus se nactum ratus opprimendæ religionis christianæ, concilium advocat, statuitque coram eo Jacobum Hierosolymorum episcopum, vel ut cogeret publice negare Christum, vel perderet. Eum igitur interrogant, quodnam esset ostium Jesu, seu ejus doctrinæ fundamentum? quibus ille Jesum esse Salvatorem respondit. Id nonnulli credidere. Tumultuari cœperunt Judæi, & Scribæ, & Pharisæi, eo jam ventum esse clamantes, ut prope omnis populus Jesum quasi Christum exspectaret: proinde in unum congregati Jacobum adeunt, hortanturque ut populi errorem comprimat, qui falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi Christus esset; tibi enim omnes fidem habemus, & cum universo populo hoc tibi testimonium perhibemus, justum te virum esse, nec ullum apud te personarum discrimen valere. Ascende igitur in fastigium templi, ut in sublimi loco positus ab omnibus conspici & exaudiri facile possis. Ascendit ille: tunc Scribæ & Pharisæi contenta voce, sic eum alloqui cœperunt: o juste, cui nos omnes fidem adhibere par est, quandoquidem populus omnis errat, Jesum sectans crucifixum, doce nos, quod sit ostium Jesu suffixi cruci. Jacobus edita voce respondit: quid me interrogatis de Jesu filio hominis? ipse sedet in cœlo a dextris summæ virtutis, & venturus est in nubibus cœli. Cumque multi hoc Jacobi testimonio confirmati glorificarent Jesum, dicentes: osanna filio David; Scribæ & Pharisæi inter se collocuti; male, inquiunt, fecimus, qui tanto testimonio Jesum ornaverimus: verum ascendamus, eumque præcipitem dejiciamus. Conclamant ergo, o, o, ipse etiam justus erravit, eumque præcipitem egerunt, clamantes, lapidibus obruite. Non statim mortuus est: erigens se ergo super genua orabat, Domine & Deus Pater, rogo ut ignoscas illis; quia nesciunt quod faciunt. Aliis eum saxis obruentibus, sacerdos ex filiis Rechab contenta voce dixit, parcite, quid facitis? justus orat pro vobis. Interim unus ex iis fullo arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Jacobi valide percussit: atque ita felici martyrio vitam finiit, anno Christi 62. cum triginta annis Ecclesiam illam administrasset: sepultus est eodem in loco, mansitque cippus illius prope templum per plures annos.

Euſ. hiſt. l. 2. c. 23. — Hieron. lib. de scripr. Eccl.

Josephe. antiq. l. 20. c. 8.

Christiani complures, eodem agente Anano, tanquam violatæ legis rei, lapidibus obruti sunt. Quicunque inter cives modestissimi, legisque observandæ studiosissimi habebantur, graviter id factum tulere: itaque clam missis ad regem nuntiis rogarunt, Anano mandaret, ne quid tale posthac ageret. Quidam etiam Albino occurrerunt venienti ab urbe Alexandria, eumque monuerunt, non licuisse Anano absque ipsius consensu convocare concilium: quorum verbis persuasus, iracunde scripsit pontifici daturum sibi pœnas minitans. His auditis rex Agrippa adempto ei pontificatu, quem per tres menses gesserat, Jesum Damnæi filium pontificem constituit. Simeon Cleophæ filius, patruelis Domini, nam Cleopham fratrem fuisse Josephi testatur Hegesippus, episcopus constituitur ab universis christianis, qui uno consensu secundum Hierosolymæ Antistitem eum renuntiarunt, eo quod cognatus Domini esset. Thebutis indigne ferens sibi prælatum esse Simeonem, Ecclesiam Hierosolymitanam, quæ virgo dicebatur, quia vanis sermonibus nondum corrupta fuerat, occulte vitiare aggressus est suis erroribus. Omnes Apostolos, qui tunc superstites erant, fama est, inquit Eusebius, tunc convenisse Jerosolymam, atque in communi consuluisse quis in Jacobi locum succedere mereretur, omnesque uno consensu Simeonem episcopali sede dignum judicasse.

Euſ. hiſt. l. 4. c. 22. & l. 3. c. 11.

CHRISTI AN. 62.

D. Jacobi epiſt. cathol.

D. Jacobo merito tribuitur epistola, quæ prima est inter catholicas, seu universales. Plerique Protestantes post aliquot veteres hanc ut suppotititiam rejiciunt. Jacobum Apostolum illius authorem esse, communis semper fuit Ecclesiæ consensio. Eam in plurimis Ecclesiis sua ætate publice lectitari solitam testatur Eusebius; Laodicenum & Carthaginense tertium concilium eam sub ejus nomine numerant inter canonicas; quibus suffragantur Origenes, Athanasius, Epiphanius, Innocentius primus, Gelasius, Hieronymus, Augustinus, Damascenus, & alii Patres. Inscribitur duodecim tribubus, quibus multa fidei & morum præcepta tradit Jacobus: duo tantum annotabimus: 1°. docet fidem bonis operibus destitutam esse inanem, ostendit enim quæ facienda sunt, & non facit: sicut ergo opera sine fide non prosunt ad salutem, sic nec fides sine bonis operibus perducit ad justificationem: *videtis*, inquit, *quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*. Nec tamen D. Paulo Jacobus adversatur: Paulus excludit tantum opera quæ ante fidem in Christum fiunt, & exigit opera, quæ ex hac fide procedunt. Jacobus pariter loquitur de operibus, quæ ex fide nascuntur, & Spiritu sancto operante fiunt, & negat fidei soli justificationem esse tribuendam, contritionis enim motus aliquis quovis tempore adultis fuit necessarius ad veniam peccatorum obtinendam, ut passim docent sacræ paginæ. 2°. Unctionis extremæ Sacramentum promulgat: *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. En ritus exterior qui exercetur in nomine Domini, habens annexam gratiæ promissionem: ac proinde Sacramentum, ut docuerunt Innocentius primus, Origenes, Chrysostomus, Augustinus, & Victor Antiochenus.

Euſ. hiſt. l. 2. c. 23. Hier. de ſcript. Eccl. — cap. 2. — Aug. de fide & oper. c. 14. — Trid. seſſ. 6. cap. 14. — Epiſt. D. Jacobi c. ultim.

Estat etiam sub Jacobi nomine liturgia, quæ, ut ait Cardinalis Bellarminus, a posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare, quæ pars hujus liturgiæ D. Jacobum habeat authorem: re quidem ipsa in ea legitur de beata Virgine: te revera Deiparam magnificamus; & Verbum dicitur consubstantiale Patri, & Spiritus sanctus consubstantialis, & consubstantialis Trinitas. Quid porro efficacius afferri potuit adversus Arianos & Nestorianos? attamen Patres & concilia, qui omnia antiquitatis monumenta diligenter inquisierunt adversus hujusmodi hæreticos, nunquam meminere hujus liturgiæ: ac proinde vel nondum extabat, vel postea fuit interpolata, vel, quod probabilius videtur, est liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cujus partes essentiales tradiderat D. Jacobus. Ipsius cathedram, inquit Eusebius, ad nostra usque tempora conservatam fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia, satis perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis christiani, viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sint, & hactenus venerantur. En cultus sanctorum sacrarumque reliquiarum.

Innoc. epiſt. ad Decent. — Orig. hom. 2. in Levit. — Chryſoſt. l. de sacerd. — Aug ſer. 21. de temp. — Victor in Marc. — Bellarm. de ſcript. Eccl. — Euſ. lib. 7. c. 19.

D. Jacobus ob singularem justitiam adeo celebris apud omnes fuit, ut Judæorum prudentissimi scelus in eum admissum fuisse causam obsidionis urbis existimaverint; quod Josephus scripto testari minime dubitavit. Ejus mortem subsecuta sunt haud obscura belli fatalis præsagia. Jesus quidam Ananiæ filius, vir plebejus & rusticus, quadriennio priusquam bellum esset exortum, in summa civitatis pace & opulentia, cum ad festum diem venisset, quo tabernacula in honorem Dei juxta templum defigi ab omnibus mos est, repente exclamare cœpit: vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolymam & in templum, vox in novos maritos novasque nuptas, vox in universum populum: atque hæc interdiu noctuque clamitans omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli ex primoribus adversum omen indigne ferentes hominem corripiunt, multisque verberibus afficiunt: at ille nec quidquam pro se locutus, nec eos, qui ipsum verberabant, privatim deprecatus, eadem quæ prius vociferans perseverabat. Magistratus rati, id quod erat, divinum quemdam esse hominis motum, eum ducunt ad Albinum Romanum præsidem, cujus jussu flagris ad ossium usque denudationem laceratus, nec preces, nec lacrymas ullas effudit; sed quantum maxime poterat flebili ac lugubri

Euſ. hiſt. l. 2. c. 23. — Joseph. de bello jud. lib. 7. c. 12.

modo

CHRISTI AN. 62. modo vocem inflectens, ad singulos ictus responde- bat, væ, væ Hierosolymis. Albino interroganti, quis esset, vel unde ortus, vel cur ista diceret, non respondit, nec cessavit a luctu miseræ civitatis: dimissus ab Albino ut furiosus, eadem semper accinebat: nec quemquam civium alloqui visus est, nec cuiquam imprecatus est, cum in dies singulos mulctaretur: nec victum offerentibus benedicebat; sola vero responsio ad omnes erat triste præsagium: diebus festis maxime vociferabatur. Per annos septem & quinque menses sic quotidie clamitans, neque voce raucior fuit, neque delassatus est, donec obsidionis tempore supra murum circuiens, væ, væ civitati, templo, ac populo, clamitabat: ad extremum addidit, væ etiam mihi, & statim lapis tormento missus eum peremit.

Tacit. cap. 5. Annal. Suet. in Ner.c.38. *Roma incensa.* XCII. Romana clades gravissima præcessit Hierosolymitanam; incendium prorupit ex parte Circi, quæ Palatino Cœlioque montibus contigua est. Ignis vento delatus totam Circi longitudinem brevi corripuit, grassatusque est per sex dies continuos: e quatuordecim urbis regionibus quatuor tantum manserunt integræ, tres solo tenus disjectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera, & semi-usta: & quidquid visendum, atque memorabile ex antiquitate duraverat, igne consumptum est. Incendii author totius populi opinione habebatur Nero, qui condendæ novæ urbis, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere videbatur: tunc Antii agens, non ante in urbem regressus est, quam domui ejus ignis propinquaret: incendium e turri prospectans, lætus flammæ, ut ajebat, pulchritudine, exitium Trojæ decantavit in suo scenico habitu. Solatium tamen populo profugo campum Martis, & monumenta Agrippæ, hortos etiam suos patefecit, & subita ædificia extruxit, quæ multitudinem inopem acciperent, subvectaque utensilia ab Ostia & propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum: sed nec principis largitionibus, nec deorum placamentis decedebat infamia, quin jussum ab eo incendium crederetur.

Christianorum persecutio. Ergo abolendo rumori Nero subdidit Christianos, derivans in eos ramodiosi sceleris invidiam. Huic semper in promptu erant accusatores, falsique testes, ut quos vellet, fictis criminibus quasi convictos perderet: igitur corripi jussit quosdam, qui se fatebantur Christianos; deinde quasi eorum indicio delatos alios plurimos, omnesque condemnavit, non tam ob crimen incendii, quam propter odiosam gentilibus religionem. Pereuntibus addita ludibria, alii ferarum tergis contecti laniatu canum interierunt; alii crucibus, vel palis infixi picea tunica induebantur, ut igne admoto in usum nocturni luminis urerentur: hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi. Hinc quamvis sontes haberentur, in eos miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur. Id unum tot Neronis flagitiis adhuc deerat, quod cæteris ejus titulis adscriberetur, ut primus Romanorum Imperatorum hostis Christianæ religionis diceretur; sed, inquit Tertullianus, tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur; qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum. Hoc initio in Christianos sæviri cœptum, post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis, Christianum esse non licebat: ac per omnes provincias pati persecutione Christianos excruciari imperavit Nero, ipsum quoque nomen extirpare conatus. Usque ad Apostolorum Petri & Pauli cædam perduravit hæc persecutio. Petrus, firmatis Asiæ ecclesiis, videtur hoc anno Romam venisse, ut fideles afflictos solaretur.

Tertul. in apolog. c. 5. Oros. l. 9. Sulp. Sever. l. 2. c. 41.

Epistola I. ad Timoth. XCIII. Paulus lustratis iterum Græciæ provinciis, profectus in Macedoniam, Philippis scripsit priorem epistolam ad Timotheum, quem episcopum consecratum præfecerat Ephesinæ ecclesiæ. Pastores omnes in ea instruit, quæ sint eorum officia, cum privata, tum publica: quæ vivendi ratio erga Clerum, domesticos & exteros; admonet imprimis vitandas profanas vocum novitates, & inutiles quæstiones, quæ nec fovent charitatem, nec ædificationem in fide promovent, sed potius generant lites & altercationes, acriterque resistendum falsis doctoribus, qui ejusmodi quæstionibus incautos decipiunt: hos inter recenset Alexandrum, & Hymenæum, *quos*, inquit, *tradidi satanæ, ut discant non blasphemare.* Alexander ærarius multa ei mala intulerat, & palam adversabatur Evan-

cap. 5. Epist. 2.

CHRISTI AN. 63. gelio. Hymenæus vero docebat resurrectionem in Christo jam esse factam, negans resurrectionem corporum. Et licet in aliis recte crederet, eum satanæ tradit Apostolus; eoque anathemate convellit divisionem articulorum fidei in fundamentales, & non fundamentales, quos sine periculo salutis etiam adversus Ecclesiæ definitionem negari posse contendunt novatores; eodemque verum esse demonstramus illud Epiphanianum: Quicunque vel in levissima aliqua parte veritatem minime profitetur, fidem ejurasse censebitur. Quippe ne in minimo quidem a veritate via deflectere oportet.

ad Tim. cap. 2. *Fidei integritas.* Epiph. in expos. fidei.

2.° Præterea præcipit ut fiant orationes & obsecrationes pro regibus, & magistratibus, & pro omnibus hominibus: *hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hæc voluntas ex parte Dei sincera est, sed ex parte hominum exigit, ut non resistant misericordiæ Creatoris sui, ut ait D. Augustinus: qui sic vult omnes salvos fieri, ut eis non adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicantur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus misericordiam contempserunt.

cap. 2. *Deus vult omnes salvos fieri.* Aug. l. de catechiz. rud. c. 26. & l. de spir. & litt. c. 35.

3.° Declarat quænam propriæ sint dotes episcopi: *oportet episcopum esse irreprehensibilem*, seu nullam dare occasionem justæ reprehensionis, & omnibus ornatum virtutibus, quas sigillatim enumerat, *unius uxoris virum.* Temporum rationem habet Apostolus: vix a triginta annis promulgatum erat Evangelium: poligamia vigebat apud Judæos & Orientales; repudium, quo nova uxor priori substituitur, commune erat apud Græcos, atque Romanos: jubet igitur Paulus eligi maxime continentes; nempe monogamos, qui nunquam secundas inierint nuptias: vix enim tunc reperiebantur viri ætate maturi, quales decet esse episcopos, qui cælibem vitam egerint. Sed quamvis uxor legitima viveret, post sacerdotium tenebantur perpetuam servare continentiam; nec posset, inquit D. Hieronymus, esse episcopus qui in episcopatu filios faceret. Alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur: bigamus vero, seu ut loquuntur Canones Apostolici, qui duobus matrimoniis fuit conjunctus, aut concubinam habuit; vel viduam acceperit, aut repudiatam, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam ex numero scenicarum, non potest esse episcopus, vel presbyter, vel diaconus.

Sacerdotum continentia. Hier. l. 1. adv. Jovin. Can. 17 & 18.

Sequuntur monita salutaria de variis episcopi officiis: *seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, publice peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant: manus nemini cito imposueris; insiste lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*, ne pateant calumniis in dedecus Ecclesiæ. Episcoporum igitur judicio ac proinde jurisdictioni subjacent presbyteri. *Noli negligere gratiam, quæ in te data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*, atque, ut legitur in altera ejus epistola, *quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Eo ritus exterior, quo presbyteri ordinatio perficitur annexam habens gratiæ promissionem; ac proinde Sacramentum: pergit: *exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.... Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Quis non miretur summam virorum apostolicorum abstinentiam? consimiles virtutes in diaconis exigit.

c. 4. & 5. *Sacramentum ordinis.* Epist. 2. ad Tim.

Matrimonii christiani dignitatem in quarto capite commendans, prædicit futuras hæreses circa conjugium, ciborumque delectum. Tales postea fuere Marcionitæ, Encratitæ, Manichæi, qui matrimonium ut illicitum, imo tanquam opus diaboli, & carnium usum, ut per se malum prohibuere; non autem, inquit Epiphanius, ut sanctioris vitæ genus instituant, aut cælestia præmia & coronas comparent; sed quod detestanda quæ a Domino condita sunt, existiment. Ecclesia vero catholica & virginitatem prædicat, & cælibem vitam ac castimoniam, viduitatemque collaudat, & honestas nuptias colit,

cap. 4. Epiph. hær. 48.

CHRISTI AN. 63. & 64.

Virginitas & ciborum delectus quomodo pie serventur.

colit, & approbat, sed adulteria & libidens prohibet .... Iis delectatur qui ejusmodi pietatis specimen præstare potuerint, ut virginitatem profiteantur ... singulares nuptias commendat ... nemioem nlla necessitate constringit, sed suadet ... Eum qui minns potest, nulla vi cogimus, nec a salute prorsux excludimux ... Quicumque autem sponte castitatem professi, irritam eam professionem fecerint, damnationem habere dicuntur, quia primam fidem irritam fecerunt, & Dens jubet, ut vota nostra reddamus. Jejunamus vero, inquit Cyrillus, a vino & a carnibus abstinentes, non quod hæc tanquam abominationes oderimus, sed quia præmium exspectamus, ut sensibilis despicientes spirituali deinceps & intellectuali mensa fruamur, & nunc seminantes in lacrymis, in futuro sæculo cum exultatione metamus; atque etiam ut nostris præpositis obediamus, quemadmodum jubet Apostolus.

Psal. 49. Cyril. Jerof. catech. 4.

Deus vult omnium salutem. Prosp. l. 2. de vocat. gent. cap. 31.

Ibidem distinctius explicat voluntatem Dei circa salutem omnium hominum; *fidelis sermo & omni acceptione dignus; in hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum verum, qui est salvator omnium, maxime fidelium*. Hæc sententia, inquit D. Prosper, totam controversiam dirimit, dicendo enim, qui est Salvator omnium, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem: adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus auxiliis provehatur. Timotheum his salutaribus monitis informatum monet, ut secundum ea se gerat: *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito: si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & fundamentum veritatis*. Ex his infert Irenæus, non oportere quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis, uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ.

cap. 3.

Iren. l. 3. cap. 4.

Diaconissæ.

Crescente numero fidelium, ne frequentior virorum cum mulieribus conversatio calumniis infidelium pateret, & ne aliquod inde nasceretur scandalum, Apostoli piis mulieribus alias catechizandi, ac recte instituendi in iis, quæ sunt religionis, officium commisere; diaconorum etiam partes in baptismo fœminarum, & in ægris sublevandis supplebant. Hinc dictæ sunt Diaconissæ, quarum ibidem sic meminit Paulus, *vidua eligatur*, scilicet ut sit diaconissa, *non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor ... & omne opus bonum subsecuta sit*; huic officio deputabantur per manuum impositionem, sed pure cæremonialem. Quanquam, inquit D. Epiphanius, diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur. Profitebantur continentiam abjecta veste laicali.

cap. 5. Epiph. hær. 59. Synod. Chalc. cap. 15.

Epistola ad Titum.

Anno sequenti Christi 64.° Paulus scripsit ad Titum, quem Cretensi Ecclesiæ præposuerat. Illius epistolæ idem est argumentum ac superioris, eademque fere præscribit, ut episcopi munia fideliter impleat. *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, ac constituas per civitates, seu majores urbes, presbyteros*; qui sine crimine sint, & virtutum fama præfulgeant, sicut Dei dispensatores decet. Manifestum est, inquit Theodoretus, quod presbyteros nominabat episcopos; cum enim dixisset, ut constituas presbyteros, subjungit, *oportet enim episcopum esse sine crimine*. Episcopi igitur & presbyteri nomen tunc promiscue usurpabatur. Monet inde ut Cretenses dure increpet, ut sani sint in fide, non intendentes judaicis *fabulis*. Sunt enim *mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*: ut dixit eorum poeta Callimachus. Tradit infra quæ unicuique ætati conveniant, ut ea doceat verbo & exemplo. Atque ut implantur, sic adhortatur: *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi*. Magnum Deum vocavit Christum, hæreticam blasphemiam redarguens: ejusque secundum adventum ad omnes judicandum proponit ut ingens pietatis incitamentum. Præsertim cum Christus in primo adventu tam benigne erga nos egerit, & nobis gratis peccata dimiserit,

cap. 1. Theod. in eamd. epist.

cap. 2.

Christi divinitas.

Theod. ibid.

CHRISTI AN. 65.

cap. 3.

& justitiam contulerit. *Cum autem benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum*. Justificatio igitur includit non solum peccatorum non imputationem, sed & interiorem hominis renovationem per gratiam Spiritus sancti, quam per Christum in cordibus nostris diffudit Deus. Denique hæreticorum familiaritatem prohibet: *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*. Tantum Apostoli, inquit D. Irenæus, & horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui *adulterat veritatem*. Apostolus hanc concludit ista mandans: *cum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim, urbem Epiri: ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitam, & Appolla sollicite præmitte, ut nihil illis desit*.

Hæretici vitandi. Iren. l. 3. cap. 3.

Epistola 2. ad Tim.

XCV. Transacta hyeme, Romam navigavit Paulus cum paucis comitibus: Judæi omnes Asiatici, qui hactenus fuerant in ejus comitatu, aversi sunt ab eo; sive a fide defecerint, sive declinarint periculi consortium. Imprimis conqueritur de Phigello, & Hermogene. *Demas eum reliquit diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam: Erastus remansit Corinthi*, ubi quæsturam gerebat. *Trophimum reliquit infirmum Mileti*, utrique sanctorum honores defert Ecclesia. Adveniens Romam in vincula conjectus, non multo post coram Nerone sistitur anno Christi 65. *In prima mea defensione*, inquit scribens ad Timotheum, *nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur: Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis*: Neronem sic designans propter ejus crudelitatem, ac proinde dimissus per aliquod tempus libere gentibus prædicavit Evangelium. Fortassis ejus causam non parum adjuvit, quod in urbe non versaretur, dum consumpta est incendio.

26. Jul.

cap. 4.

Secundam ad Timotheum tunc scripsit epistolam, ut eum Romam evocaret; sed simul hortatur, ut spretis quibuscumque periculis, Christi doctrinam, quam ab eo audierat, forti animo annunciet. *Desiderans*, inquit, *te videre, memor lacrymarum tuarum quibus* abeuntem me prosecutus es. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & in matre tua Eunice: certus sum autem, quod & in te; propter quam causam moneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei ... formam habe sanorum verborum; quæ a me audiisti in fide ... Et hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere. Labora sicut bonus miles Jesu Christi. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit ... fidelis* seu verus *sermo, nam si commortui sumus cum Christo, & convivemus: si sustinemus, & conregnabimus: si negaverimus, ille negabit nos ... sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem & vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit*. Loquitur de hæreticis; *ex quibus est Hymenæus & Philetus; qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem jam esse factam, & subverterunt quorumdam fidem*. Legant & intelligant, qui dicunt satis esse ad fidem, si quis credat in unum Deum; eumque diligat: nihil eorum negabant Hymenæus & Philetus, sed successiones, quæ per liberorum fiunt procreationem, resurrectionem infelices appellarunt: quos tamen a veritate excidisse, & aliorum fidem subvertisse testatur Apostolus. Pergit: *stultas & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites: servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt*.

cap. 1.

cap. 2.

Theod. in hunc locum.

Veri pastoris officiis subjicit mores hæreticorum, qui habent quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegant: *& hos devita. Tu vero, Timothee, vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ,* mini-

cap. 4.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 66.

ministerium tuum imple ... ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo repositum est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. Apostolus hic loquitur, ut mortis suæ & prædestinationis præscius... & infra: *festina ad me venire cito*, Marcum Barnabæ consobrinum *assume, & adduc tecum, est enim mihi utilis in ministerium. Tychicum misi Ephesum*, ut tuas vices obiret. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum* meum hospitem, *veniens affer tecum, & libros.* Tychici & Carpi nomina in sanctorum fastis scripta sunt. *Saluta Priscum & Aquilam & Onesiphori domum*: illius charitatem & propensum in se studium summe laudat: *det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit: sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, &* cap. 5. *invenit: det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die, & quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. Salutant te Eubulus, & Pudens & Linus,* cap. 4. *& Claudia*, quos inter sanctos recenseut martyrologia.

Post primam hanc defensionem nondum plane liber, Titum, qui vocatus ad eum venerat, misit in Dalmatiam, Crescentem in Galatiam, ut legitur in vulgata editione. Lucas solus cum eo remansit. Crescentem in Galliam missum scribunt Epiphanius & Theodoretus, suffragantur Moguntinæ & Viennensis ecclesiarum tabulæ ecclesiasticæ: sed potior est vulgatæ authoritas: Romanumque martyrologium 27. Junii meminit Crescentis Pauli discipuli in Galatia martyris; utrum in Gallis evangelizarit pertransiens, verisimile est. Non multo post vinculis solutus navigavit in Hispaniam, illisque populis prædicavit Evangelium: quod jam sæpe cogitaverat, ut testantur plerique veteres, imprimis Theodoretus, D. Hieronymus, & D. Gregorius Magnus.

Theod. in c. 1. ad Philip. Hier. in præf. ad Hebr. Greg. M. lib. 35. moral. cap. 52. Lact. l. 4. cap. 21.

XCVI. D. Petrus usus opportunitate temporis, quo Neronis furor videbatur remissior, libere prædicabat Evangelium: insignem illius prædicationem sic refert Lactantius: *post breve tempus immittet Deus regem, qui expugnet Judæos, & civitates eorum solo æquet, ipsos autem fame sitique confectos obsideret, tunc fore ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem; postremo ut capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissime conjuges suas vexari cernerent, violari & prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique ferro igneque vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari; eo quod exultaverint super amantissimum & probatissimum Filium Dei*: prædicationis veritatem comprobavit eventus.

Joseph. antiq. l. 20. c. 17. *Jerosolymæ supremi excidii initia.*

XCVII. Judaicæ res variis tumultibus agitatæ in dies vergebant in ultimam ruinam. Albinus cum audisset sibi successorem Cestium Florum fuisse directum, volens aliquam judæis præstare gratiam producens vinctos, qui erant indubitanter morte digni, eos præcepit occidi: alios autem, qui ex levi causa tenebantur in carcere, acceptis pecuniis, abire permisit. Florus genere Clazonius adduxit secum Cleopatram conjugem, non minus improbam, per quam ut Poppææ Augustæ amicam, Judææ administrationem impetraverat: adeo potestate violenter abusus est, ut Albinum licet improbum Judæi desiderarent ut beneficium: nam ille, quantum poterat, clam erat malus & nocens: Florus autem quasi ad ostendendam missus malitiam, publice traducebat totius gentis injurias, easque palam, quasi gloriaretur, exercuit; ac velut non ad regendam provinciam missus, sed ad damnatorum pœnas carnifex, nihil sibi ad summam de rapinis & suppliciis iniquitatem reliquum fecit: erat inflexibilis ad misericordiam, nullis unquam lucris satiabilis, undequaque parva æque captans ac magna, ut etiam latronum particeps esset. Publico latrocinio plurimi coacti ad exteras provincias commigrarunt, & regio prope deserta mansit. Plures quoque factiones natæ sunt ex frequenti mutatione pontificum: Jesus filius Gamalielis substitutus est Jesu filio Damnæi; mox successorem accepit Matthiam: eo pontifice, cœptum est bellum Judaicum.

Joseph. de bell. l. 7. c. 12. Eus. hist. l. 3. c. 8.

Evidentibus prodigiis divinitus prænuntiata est suprema clades: ante defectionem primosque belli motus populo ad festum Asymorum diem congregato, sexto idus Aprilis, hora noctis nona, tanta repente lux circa altare templumque circumfusa est, ut dies jam clarissimus esse videretur, eaque lux horæ dimidiæ spatio permansit: quod imperitis bonum quidem esse videbatur; sed sacrorum periti ea, quæ post hæc evenerunt, portendi illo signo judicarunt. In eadem quoque solemnitate vacca, cum a pontifice duceretur ad sacrificium, agnum in medio templi enixa est. Orientalis janua interioris sacrarii, quæ tota ærea, & immensi ponderis erat, & sub vesperam vix a viginti hominibus claudebatur, visa est sponte circa horam noctis sextam patefacta. Paucis post festivitatem exactis diebus, prodigiosum quoddam spectrum apparuit. Ante solis occasum per universam regionem currus in aere sublimes ferri, & armatæ phalanges per cœlum discurrere, urbes circumvallare sunt visæ. Festo autem die, qui Pentecoste appellatur, sacerdotes noctu templum ingressi ad obeunda ex more ministeria, primum quidem motum ac strepitum se audisse dixerunt; deinde vocem quasi confertæ multitudinis simul clamantis: migremus hinc. Certissimum vero desolationis ultimæ argumentum, oraculum Christi quadraginta annis priusquam contingeret, prænuntiantis supremum Hierosolymæ excidium, quod etiam lacrymis prosecutus est, dicens: *quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquabit desolatio ejus; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio ejus, discedant, & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies ultionis hi sunt. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus; erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum*, scilicet ad finem usque mundi: *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet.* Singula quæque evenisse, sicut prædicta sunt, subsecutæ clades demonstrabunt: rem paulo altius repetamus.

Luc. 19. & 21.

Matt. 24.

Joseph. de bell. l. 2. c. 13. & 14.

Florus reputans tot sua scelera solo bello occultari posse, pace siquidem permanente, Judæos esset habiturus accusatores apud Cæsarem, eorum calamitates augebat in dies. Melioris conditionis spem aliquam fecit adventus Cestii Galli Præfecti Syriæ: tempore paschali Hierosolymam venienti obviam processit multitudo, quæ facile tricies centenorum millium fuit, precabatur ut gentis suæ calamitatibus subveniret, Florumque ejiceret pestem provinciæ: Gallus, ut populi impetum compesceret, edixit se operam daturum, ut Florum eis pacatiorem redderet; nec quidquam ultra eorum malis consulens profectus est Antiochiam. Florus hinc factus audacior, magis eos opprimebat. Ejus tyrannidem cum sustinuissent biennio, Judæi tandem aperte rebellarunt Neronis anno 12.°, Christi 67. Rex Aggrippa saluti popularium consulens, eis persuadere nisus est ne quid attentarent adversus Romanam potentiam, cui omnino essent impares: ejus verbis acquiescebant; sed injecta mentione de Floro ut ei se patienter subjicerent, donec successorem acciperent, exarserunt, regemque insectantes contumeliis ex urbe pepulerunt. Quin etiam audaciores collecto factiosorum exercitu Massadam Romanum præsidium occulte aggressi occupant, Romanosque milites ad unum interficiunt.

CHRISTI AN. 67.

Joseph. de bell. l. 2. c. 17.

Eleazaros filius pontificis Ananiæ, præfectus custodum templi, persuasit sacerdotibus, non nisi pro Judæis immolare hostias. Itaque quæ nomine Cæsaris offerebantur pro populo Romano rejectæ sunt; reclamantibus tamen pontificibus, atque Pharisæis, qui seditiosorum arbitrio jam cuncta misceri cum intelligerent, defectionemque multis argumentis esse comprobatam, quo se ab ea innocentes significarent, legatos mittunt ad Florum & Agrippam, implorantes auxilium ad compescendum factiosorum furorem. Contempsit hæc Florus, lætus adesse bellum quod optabat, ne rationem administrationis suæ reddere cogeretur. Agrippa Judæis & Romanis æque consulens misit ter mille equites eorum auxilio. Optimates cum pontificibus & omni multitudine, quæ optabat pacem, occupant superiorem civitatem; inferior enim & templum tenebantur a seditiosis: per septem dies acriter pugnatum est missilibus, non sine magna cæde utriusque partis. Eo die, quo grandem lignorum materiam ad templum convehere solebant, ne sacer ignis extingueretur, plurimi sicarii permixti populo irrumpunt in templum,

plum,

Christi An. 67. plum, conjunctique cum aliis regios milites ex superiore civitate dejiciunt, coguntque consugere ad Herodis regiam, incendont palatium Agrippæ, & Ananiæ pontificis domum, simulque aechiviis ignem injiciunt, ut, consumptis documentis poblicis, obstrictos ære alieno ad suas partes allicerent. Postridie 15.ª Augusti corona cingunt turrim Antonianam munitissimam, continua trium dierum impressione fatigatos milites interficiunt, occupatumque præsidium igne succendunt.

Ibid. Mandimus filius Judæ Galilæi, qui quondam seditionem commoverat sub Quirino, festinavit Messadam, Herodis armamentarium, eoque perrupto, suos diligenter armavit; moxque reversus Hierosolymam fit princeps seditionis, aggrediturque tegiam, ad quam Agrippæ milites cum Romanis consugerant, continuaque obsidione fatigatos adegit regios petere liberam abeundi facultatem: qua impetrata, ad propria remearunt. Romani vero sese receperunt in turres Hippicos, Phaselum & Mariamnem. Sequenti die pontifex Ananias captus a latronibus interficitue. Mandimus eorum dux bis successibus insolescens affectabat tyrannidem: sed a Leazaro duce templi, dum oraret in habitu eegio, comprehensus exquisitis suppliciis enecatur; periere eum ipso plerique

Ib. c. 18. ejus duces, paucique refugere Messadam. Populus occiso Manaimo putabat facile sedandam seditionem. Sed Eleazarus sibi quærens principatum oppugnavit Romanos, qui ultima experti, vitam paciscuntur: accepta fide faciunt deditionem; quos omnes prius eaarmatos contra juramentum interfici jussit Eleazarut.

Ib. c. 19. Eodem die, eademqua hora, quasi aliqua cœlesti providentia, Cæsarienses viginti millia Judæorum suorum concivium trucidarunt. Hac cæde tora gens efferata est, divisique in turmas Judæi rapinis & igne vastavere Philadelphiam, Gebdeonitem, & Gesaram, & Pallam, & Scitopolim, Gadaram & Joppem, aliosque vieinos Syriorum vicos; eorum incursui neque obstitit Sebaste, neque Ascalon: sed his quoque succeosis, Anthedonæ & Gazam everserunt. Vastatis agris immensa virorum cædes facta est. Syrii non minus in Judæot sæviebant; ubicumque numero prævalebant, eos obtruncarunt, non solum ob verus odium, sed ut discrimen imminens prævenirent. Gravis ergo conturbatio totam Syriam pervaserat, qualibet civitas in duos dividebatur eaercitus: una spes salutis erar eædibus præripere consilia hostium. Moderatiores etiam ad cædes provocabat avaritia: cæsorum substantiæ passim diripiebantue, gloriosior eeat qui plura collegisset. Cernere erat civitates plenas cadaveribus insepultis, & inhumatos passim jacete cum parvulis senes, & fœminas.

Ibid. Scitopoli licet Judæi contra suos juncti gentilibus dimicarent, suspecta tamen fuit civibus eorum fides: eaigunt ergo ut si mutuum velint firmare consensum, transeant cum omnibus suis in proximæ locum paludis. Illi nihil doli suspicati morem gerunt, quos omnes numero tredecim millia dormientes jugularunt Schytopolitæ. Unus Simon, qui strenue partes eorum adjuverat, perspiciens eorum perfidiam, eduxit gladium miserabilitet inclamans: digna his quæ gessi, patior, quippe qui tam multa cæde fratrum meorum benignitati erga vos nostræ fidem feci: moeior ergo quasi prosanus propriis manibus: hæe dicena, comprebensum cæsarie patrem grandævum gladio transfigit, moa matrem non invitam occidit, demum conjugi & filiis ferrum intulie: tum cæsis superstes exendit dexteram, ut neminem latere posset, & totum ensem in viscera sua demersit: taotus crat Judæorum furor. Reliquæ quoque urbes in Judæos pariter sævierunt: Antiocheni, Sydonii, & Apamæi soli suis cohabitatoribus pepeecerunt.

Ib. c. 21. Alexaodriæ maximus fuit tomultus: advocata populi concione deliberarunt cives de mittenda Cæsari legatione. Aderant Judæi plurimi: caclamant quidam gentilet, eos hostes esse, & eaploratores; tovaduntque fugientes, tresque interceptos trahebant ad supplicium. Judæi revolant ad suorum auxilium, Græcos lapidibus impetunt: arreptisque facibus se totum amphitheatrum cum populo concrematuros comminantur; minasque perfecissent, nisi eorum furorem repressissee Tiberius Aleaander præfectus civitatis: submissis primo quidem geotis viris primariis hortabatur, ut quiescerent. Seditiosi, rejectis cum contemptu his consiliis, Tiberium contumeliis lacessunt, qui immissis contra eos duabus legionibus, cum aliis quinque millibus, qui nuper e Lybia venerant, præcepit ut, interfectis Judæis, domos eorum diriperent, ac succendereot. Illi spe prædæ strenue jussa eaequuntur. Judæi aliquandiu restitere, sed semel fugatr mactabantur, nulla habita ratione vel sexus vel ætatis: direptis domibus ignis injiciebatur, vici sanguine redundabant; quinquaginta enim congesta sunt millia cadaverum: paucos supplices conservavit Alexandee.

Ib. c. 22. Judæis ubique tumultuantibus, tot malis occurrendum ratus Cestius Gallus Syriæ præfectus, duodecimam legionem cum duobus aliis millibus lectis peditibus, & quatuor alis equitum educit in expeditionem. Antiochus tex misit tria peditum millia, equitum duo, & omnes sagittarios. Rex Agrippa adduxit parem numerum peditum, & mille equites. Soemus cum quatuor millibus sequebatur. Gallus cum bis eopiis populabundus invadit Judæam, duce itineris Agrippa proptee locorum peritiam. Progressus ultra Ptolemaida, diripuit, & incendit Zabulon urbem munitissimam, sed vacuam habitatoribus, qui in montes refugerant: præmisit partem exereitus versus Joppen, quæ paritee direpra & incensa est, occisis omnibus habitatoribus, quorum numerus fuit octo millia & quadringenti. Cæsennium Gallum misit in Galilæam, quæ brevi pacata est, nam Sephoris caput provinciæ eum benigne recepit, cujus eaemplum secutæ civitates aliæ quieverunt.

His gestis, Gallus collectis omoibus eopiis contendit Jerusalem, quo Judæi omnes propter scenopegiæ sestum ascenderant; castraque metatue in loco, qui ab urbe distabat tribus leucis, dicebaturque Gabao. Judæi cum jam hostis esset in conspectu, omissa solemnitate ad arma concurrunt, fretique multitudine, incompositi ad pugnam cum elamore prosiliunt, idemque furor, qui eos ab obsequio pietatis amoverat, in prælio quoque superiores effecit: quingenti & quindecim e Romanis cecidere; viginti & duo tantum Judæi desiderati sunt: itaque quasi victores se recipiunt in montes Romanorum castris circumfusos, eo consilio ut progredientes a fronte & a tergo invaderent. Rex Agrippa misit duos e suis familiaribus, qui eos ad pacem hortarentur, interposita spe certa veniæ. Seditiosi veriti ne si populum alloquerentur, multitudo spe securitatis transiret ad Agrippam, unum e legatis peremerunt, alter vulneratus effugit: populum hoc indigne ferentem eædendo fustibus atque lapidibus in urbem compulere.

Gallus usus hac eorum discordia movit exercitum, fugientesque usque ad urbem persecutus est, castrisque non procul positis, easpectabat, num aliqoid de pertinacia remittereot. Quarto die, qui tricesimus erat Octobris, ordinatum in urbem inferiorem introduait exercitom, eumque succendit. Seditiosi populo diffisi in superiorem refugerant, quam si eodem impetu oppugnasset, bello finem imposuisset; sed plerique duces Flori pecunia corrupti conatum ejus averterunt. Sexto die a septentrionali tractu templum aggreditur. Romani scutis super capita densatis in modum testudinis muris appropinquabant, ut eos suffoderent, incenderentqoe portas, jamque molti ex civitare diffugiebant, consternatis seditiosis. His populus factus alacrior, parabat Gallum recipere ut liberatorem, perfecissetque, si paululum perseverasset oppugnatio. Sed non sine divina providentia, quæ supremum urbis & templi excidium decreverat, Christianosque intus inclusos volebat servare incolumes; Gallus non attendens ad præsentem opportunitatem, repente revocat milites, ut eredo, veritus insidias. Inopina ejus fuga latronum fiduciam accendit, insecuti per plures dies ejus agmen, præsertim in locis angustioribus, plurimos a tergo & a latcribus jaculis obruebant: ultima die nisi noa supervenisset, periisset totus eaercitus, & quidem inultus; quinque millibus peditum & tercentis, nongentis vero & octoginta equitibus occisis, amissis impedimentis & machinis, & balistis. Cæteri plerique vulnerati per tenebras confugerunt Antipatridem.

Ib. c. 26. Post hanc Galli cædem, plurimi Judæi etiam nobiliores tanquam e navi brevi peritura, ex civitate profugerunt. Christiani Christi oraculi memores, Hierosolymam exercitu circumvallatam cum vidissent,

Digitized by Google

Christi An. 67. sent, & abominationem desolationis, scilicet idola, quæ Romani in signis suis præferebant, stantem in loco sancto, id est in civitate sancta, haud dubie fugerunt ad montes, tutoque habitavere Pellam juxta desertum Syriæ, in ditione regis Agrippæ. Damasceni, clade Romanorum cognita, decem Judæorum millia, quos in publicis thermis inclusos tenebant, jugularunt. Judæi vero Hierosolymitani in templum convenientes, belli duces eligunt, Josephum Gorionis filium, & Ananum filium Anani pontificis: Josephum sacerdotem Matathiæ filium, qui scripsit historiam de bello Judaico, Galilææ præficiunt: alios que alias provinciis destinant; ducumque jussu muros urbis instaurant; quælibet ad nocendum arma fabricant. Ananus imprimis zelatorum amentiam ad utiliora convertere satagebat: Eleazarus eorum dux affectans tyrannidem respuit omnem concordiam. Joseph. de bell. l. 3. c. 1. Gallus autem Judæorum nobiles transfugas, Custobarcem, Saulum, & Philippum misit ad Neronem, qui tunc versabatur in Achaja; secreto eis præcipiens, ut belli causas in Florum derivarent: sperabat enim ipsius periculo suum submovendum. Cæsar audiens res in Judæa male gestas, accusavit ducis negligentiam: & Syriæ exercitibus ducem præfecit Vespasianum, qui statim filium suum præmisit Alexandriam, ut quintam, & decimam legionem deduceret in Palæstinam: ipse vero trajecto Hellesponto, recto itinere contendit in Syriam.

Christi An. 68. XCVIII. Initio sequentis anni D. Petrus secundam scripsit epistolam; ejus quidem stylus aliquantum diversus a priori, sed potuit alio uti interprete: pariter dirigitur ad omnes fideles Asiæ, Ponti, & Cappadociæ, affirmatque secundam se ad eos scribere epistolam: his accedit ipsa inscriptio, & quæcumque de Domini transfiguratione narrat, ut testis oculatus: quæ omnia illius authorem esse D. Petrum persuadent. *Epist. 2. D. Petri Hier. ep. ad Hedib. cap. 3.* Hanc sub ejus nomine laudarunt ut canonicam Patres fere omnes, Concilium Laodicænum, & Synodi quarti, & quinti sæculi. Paulo ante ejus mortem esse scriptam colligitur ex his verbis: *justum autem arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus noster Jesus Christus significavit mihi; dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* (cap. 1.) Hortatur imprimis fideles, ut vocationem, & electionem suam per bona opera certam faciant, & peccata vitent: doctrinamque iis traditam esse veram confirmat ex divinis oraculis.

2.° Ut memores sint verborum quæ a sanctis prophetis acceperunt, mandatorumque Domini, quæ didicerunt per Apostolos. Specialim meminit epistolarum D. Pauli, *in quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes custodite: ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate:* (cap. 3.) ut tantum vitent periculum, hanc præscribit regulam: *hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit.* Hæc omnibus hæreticis prima est erroris causa: veram scripturarum interpretationem sibi vindicant; hinc tot portentosæ, & discordes hæreses, dum alii nunc hos, nunc istos textus diversis modis explicant. 3.° Monet ut caveant a falsis prophetis seu hæresiarchis, (cap. 4.) qui negant Christum redemptorem, & blasphemant quæ ignorant mysteria, dominationemque contemnunt: *audaces, sibi placentes, & sectas non metuunt introducere blasphemantes, superba vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paulatim effugiunt, qui in errore conversantur:* (cap. 2.) eorumque posteriora fiunt deteriora prioribus. Insignem eorum fallendi artem ibidem retegit; nimirum falsam aliis promittunt libertatem, cum ipsi servi sint corruptionis. Liberior quippe vivendi, vel sentiendi potestas sub larva libertatis Christianæ plures inducit in errorem, quam qualibet alia ratio. Demum eorum errorem refellit, qui judicium futurum negabant; illudque differri docet, ut detur locus pœnitentiæ. *Non tardat Dominus promissionem suam . . . sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti;* ac proinde & omnes salvos fieri. Si tamen, inquit Augustinus, sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris suis. (Aug. l. de catech. rud. c. 26.)

Hæretici, contra quos hic invehitur princeps Apostolorum, dicti sunt Nicolaitæ: Nicolaum unum ex septem primis diaconis sectæ suæ authorem falso jactabant. Hic, eum de zelotypia pulcherrimæ uxoris culparetur ab Apostolis, eam in medium productam, cui vellet, nubere permisit, adjiciens sua quemque carne abuti oportere. Hoc igitur factum, dictumque pro exemplo temere sibi proponentes illi hæretici, licenter in omne genus stupri ferebantur. Nos autem, subjicit Clemens Alexandrinus, accepimus de Nicolao, nullius eum mulieris, præterquam illius, quam uxorem duxerat, concubitu usum fuisse; atque ex ejus liberis filias usque ad extremam ætatem permansisse virgines, filium quoque vixisse in continentia: quæ cum ita sint, illa uxoris, ob quam zelotypiæ arguebatur, coram Apostolis productio, indicium erat affectus domiti, & extincti; hisque verbis, sua quemque carne abuti oportere, voluptatum, quas homines tantopere appetunt, fugam, & continentiam docebat. D. Matthias idem docuisse dicitur; carni quidem bellum indicendum, eaque abutendum esse, neque ullam ei permittendam voluptatem; animam vero fide, & scientia augendam esse. Ex quibus, inquit Theodoretus, liquido convincuntur Nicolaitæ falso sibi de ejus appellatione nomen arrogare: quod enim sanctissimus diaconus egerat, ut accusatorum calumniam argueret, illi pessime accipientes, communes habere uxores sanxerunt, non solum quaslibet carnis permisere spurcitias, sed & indifferentem usum idolothytorum. Negabant etiam Jesum esse Filium Dei creatoris; sed sibi fingebant quasdam cœlestes productiones, quibus barbara, & muliebria imposuere nomina, suppositisque sub nomine Jaldabaoth revelationibus, deludebant imperitam multitudinem. Hanc hæresim damnat D. Joannes sic scribens Angelo Ephesi: *scio quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Brevissimo temporis spatio permansit, sed ex ea prodiit secta Gnosticorum.

(Christi An. 68. — Eus. hist. l. 3. c. 29. *Nicolaitæ hæres.* — Clem. Alexand. l. 3. Stro. — Theod. l. 3. hær. fab. — Apoc. 2. — Justin. apol. 1.)

Simon Magus Romæ commorabatur, divinos honores arte magica jam sibi comparaverat: Romani ei statuam collocarant in insula Tiberina cum hac inscriptione, Simoni Deo sancto: illius artis incredibili studio tenebatur Imperator, quem scribit Plinius ea ætate omnis magiæ generis fuisse principem; ejus professione Simon in ejus amicitiam se insinuarat, mira de se prædicans. Verbis ut experimento fidem faceret, volatum per aera illi pollicitus est. Nero, qui nihil impossibile reputabat quod optabat, edixit volaturum. Suetonius meminit cujusdam, qui cum Icari fugam repræsentare vellet, primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit. Petrus metuens ne quid detrimenti pateretur Ecclesia, si Simon dæmonum ope sublimis ferretur in aera; quippe jam multos fideles suis artibus seduxerat, gentilesque commovebat; itaque processit in theatrum, quo tempore erat volaturus: jamque dæmonum ope in altum tollebatur, dicens se in cœlum ascendere, populo veluti Deo acclamante optima. Tum Petrus positis genibus supplicavit Deo, ut per Jesum Christum Dominum frangeret superbam hominis impietatem, qua in tot homines perniciem abutebatur: & præcepit dæmonibus, ut ab eo discederent; eodemque instanti Simon corruens fractis jacuit cruribus: inde perlatus Brundam, cruciatus, & pudorem non ferens ea altissimi culminis fastigio rursus se præcipitem dedit.

(Plin. l. 3. c. 2. — Dio. orat. 21. — Svet. in Ner. c. 12. — *D. Petri martyr.* — Arnob. l. 2. in gentes. — Eus. hist. l. 2. c. 14. — Sulpit. Sev. hist. lib. 2. — Aug. l. de hær. 1. — Bolland. 14. Mart. — Ambr. in Auxent.)

Eo casu in Petrum acerbe commotus Nero, eum conjecit in carcerem Mamertinum ad radices Capitolii: hic dum plures menses asservatur in vinculis, sanctitate vitæ, & miraculis Christo peperit Processum, & Martinianum milites, suosque custodes, & alios quadraginta septem, in quos simul omnes Neronis gladius sævit, illustrique sunt coronati martyrio: eorum memoria annua celebritate recolitur in Ecclesia. Ejus martyrium paulo fusius sic narrat Ambrosius: Petrus, victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos gentilium, quibus eum quærentibus, christianæ animæ eum deprecatæ sunt, ut paulisper cederet: & quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est: rogabatur enim, ut ad instruendum, & confirmandum populum se reservaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait, Domine quo venis? respondit Christus: venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum.

CHRISTI An. 68.

ſponſum. Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paſſione ſuſcepta mortis exuerat: intellexit ergo Petrus quod iterum crucifigendus Chriſtus in ſervulo; itaque ſponte remeavit. Interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimque correptus, per crucem ſuam honorificavit Dominum Jeſum. Præfectorum prætorii Sabini, & Tigillini ſententia damnatus eſt; tunc enim Nero verſabatur in Achaja. Iſtmum perfodere aggreſſus, ſed irrito conatu. Petrus in ea urbis parte, quam incolebant Judæi trans Tiberim, in jugo Janiculi crucifixus eſt, ſed capite inverſo deorſum, uti poſtularat, indignum ſe reputans qui crucifigeretur ut Dominus ſuus. Sepultus eſt in Vaticano, via Aurelia, anno Neronis 13.°, Chriſti 68.° Præter geminas ejus epiſtolas canonicas, quarum ſupra meminimus, genuina Petri ſcripta nulla ſunt. De aliis, quæ ſub ejus nomine olim circumferebantur, ſic ſcribit Hieronymus: libri autem, quorum unus actorum ejus inſcribitur, alius Evangelii, tertius prædicationis, quartus Apocalypſeos, quintus judicii, inter apocryphas ſcripturas reputantur; eos nunquam agnovit Eccleſia.

Clem. Rom. ep. ad Cor.

Hier. de ſcript. Eccl.

D. Pauli martyr.

Euſ. hiſt. l.2.c.25. 2. ad Timoth. Chryſ in Act. & in 2. ad Timoth. & lib. 1. adv. Vitup. vit. monaſt. cap. 4.

XCIX. Conſentiunt omnes eodem die, ſcilicet 29. Julii, D. Paulum martyrio coronatum: an eodem anno? non ita conſtat propter diverſas ea de re veterum opiniones: eodem tempore pertuliſſe martyrium apud Euſebium affirmat Dionyſius Corinthiorum epiſcopus, qui cum ſecundo ſæculo floruerit, graviſſimum eſt ejus teſtimonium. Audita Neronis perſecutione, Romam ex Hiſpania tertio proficiſcitur: ex divina revelatione noverat inſtare tempus mortis ſuæ, eoque inſtantius Chriſtum prædicabat, quamplurimos ei lucrifacere peroptans. Proculum Neronis pincernam convertit ad fidem, ejuſque pellicem maxime dilectam induxit ſuſcipere Sacramenta religionis, pudicamque ex impudiciſſima reddidit. His auditis, furens Imperator, Apoſtolum vinctum miſit in carcerem Mamertinum, eamque a propoſito deducere recuſans, ejus juſſu necatus eſt. Dum duceretur ad Aquas Salvias, locum ſuæ paſſionis, tertio ab urbe lapide diſtantem, Longinum, Aceſtum, & Megeſtum ad militiam chriſtianam tranſtulit. Hi paulo poſt glorioſum obiere martyrium: legibus ſuis prohibuerat Nero, ne quis fieret Chriſtianus. Paulus vero ubi venit ad locum ſupplicii, carnificis ictu capite truncatur, anno vitæ 68., & 33. converſionis: tres ibi ſcatent fonticuli dulcis aquæ, qui tunc primum erupiſſe dicuntur. Apoſtoli corpus in ſuo prædio via Oſtienſi ſepelivit Lucina nobilis fœmina.

Chryſ. orat. in princ. Apoſtol. Euſ. hiſt. l.2.c.25.

Paulus fuit ſtatura brevi, corpore paululum inflexo, facie candida, annoſque plures præ ſe ferente, capite modico, naſo aquilino, & longiori, oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſus vergebant, barba denſior, & ſatis promiſſa, eaque non minus, quam capitis coma canis reſperſa erat. Petri ſtatura fuit erectior, facies ſubpallida, capilli capitis, & barbæ criſpi, & denſi, ſed non adeo prominentes fuere, oculi nigri, ſed quaſi ſanguine reſperſi ex jugibus lacrymis, ſupercilia prope evulſa, naſus quidem longior ſed preſſus; Petri, & Pauli imagines tunc pictas, & ad ſuam uſque ætatem conſervatas in tabulis ſe vidiſſe teſtatur Euſebius. Eorum ſepulchra poſtea celebrata ſunt magno concurſu virorum, etiam principum, & Imperatorum, qui tabernaculorum opificem Paulum, & piſcatorem Petrum patronos apud Deum etiam mortuos deprecabantur, ut affirmant Chryſoſtomus, & Auguſtinus. Petri uxor digna tanto viro prior meſſuit palmam martyrii: hanc cum videret duci ad mortem: lætatus eſt quidem propter vocationem, & quod domum reverteretur, exhortatus tamen, & conſolatus eam, proprioque nomine compellans dixit, memento Domini. Filiam quoque ex ea genuiſſe dicitur, nomine Petronillam, quæ virgo conſenuit, & Romæ piiſſime obiit.

CHRISTI An. 68.

Niceph. l.2.c.37.

Euſ. hiſt. l.7.c.18. Chryſ. hom. 26. in 2. ad Corinth. Clem. Alexand. Strom. lib. 7.

Plurimos alios fideles ſub Nerone paſſos teſtatur D. Clemens in prima ad Corinthios epiſtola: notiores a peritis recenſentur, Gervaſius, & Protaſius, Vitalis, & Valeriæ martyrum filii, Mediolani capite truncati primam martyrii palmam tulerunt; hos enim primos per mortem cœlo peperit Eccleſia Mediolanenſis. Aperta, & conſtans virtutum omnium profeſſio, omnibus corruptiſſimi ſæculi illecebris ſuperior, illos inſigni adeo victoriæ fecerat idoneos. Nazarius quoque nobilis adoleſcens Chriſtianus cum Celſo puero, poſt multas tribulationes, Neronis juſſu in mare projectus, ambo divinitus evaſerunt incolumes: poſtea Mediolanum venientes, cum ibi Chriſti fidem verbis, & exemplis diſſeminarent, conſtantiſſime Chriſtum Deum confitentes, capite plectuntur. Eorum omnium corpora extra portam Romanam ſepulta ſunt: quæ cum diu latuiſſent, divina revelatione a D. Ambroſio inventa ſunt, ut dicemus, quarto ſæculo. Perpetuam Nazarii matrem inter ſanctas mulieres veneratur Eccleſia. Neapolitanum regnum D. Aſprenam primum ſuum epiſcopum colit, ut Petri diſcipulum, cujus prædicatione ſe Chriſti fidem ſuſcepiſſe gloriatur; Sicilia vero D. Pancratium, & Peregrinum. Linus primus poſt Petrum Eccleſiæ Romanæ epiſcopatum adeptus eſt: illius mentionem facit Paulus in epiſtola ad Timotheum.

Euſ. hiſt. l.3.c.30. Ambr. epiſt. 54. Martyrol. Rom. 19. Jun. Menæa 14. Oct. Ennod. Ep. Tici. Martyr. Rom. 18. Jul. Menæa 14. Oct. Martyr. Rom. 4. Aug. Bolland. 3. April.



TEX-

TEXTUS GRÆCI

LIBRI SECUNDI.

Numero II. Chrysost. hom. 4. in Act. Apost. τί δέ ἐστι, σοὶ τοῖς ἕνδεκα; κοινῇ προσβάλλουσι φωνῇ. καὶ πάντων αὐτὸς (ὁ Πέτρος) ἦν τὸ στόμα. παρεστήκασι δὲ οἱ ἕνδεκα μαρτυροῦντες τοῖς λεγομένοις.

Num. VII. Idem hom. 14. in medio in Act. Apost. καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας (οὐκ αὐτὸν δῆλον) ὅπως ἀφώρισαν αὐτοὺς τὸ πλῆθος .... ὅρα πῶς οὐκ ἔστι περιττὸς ὁ συγγραφεύς· ὁ γὰρ λέγει πῶς· ἀλλ' ἁπλῶς ὅτι ἐχειροτονήθησαν διὰ προσευχῆς· τοῦτο γὰρ ἡ χειροτονία ἐστίν. ἡ χεὶρ ἐπίκειται τοῦ ἀνδρός· τὸ δὲ πᾶν ὁ Θεὸς ἐργάζεται, καὶ ἡ αὐτοῦ χείρ ἐστιν ἡ ἁπτομένη τῆς κεφαλῆς τοῦ χειροτονουμένου, ἐὰν, ὡς δεῖ, χειροτονῆται.

Num. XI. Idem hom. 18. in Act. Apost. καὶ διὰ τί οὗτοι οὐκ ἐλάμβανον Πνεῦμα Ἅγιον βαπτισθέντες; ὅτι τὸ μὲν ἦν, Φιλίππῳ αὐτῷ τιμῶντες τοῦτο τοῖς ἀποστόλοις· ἢ τῷ μὴ ἔχειν χάρισμα τοῦτο. τῶν ἑπτὰ γὰρ ἦν. τοῦτο καὶ μᾶλλον ἔστιν εἰπεῖν. ὅθεν μοι δοκεῖ ὅτι ὁ Φίλιππος εἷς ἦν τῶν ἑπτὰ, ὁ Στεφάνου δεύτερος. διὸ καὶ βαπτίζων τὸ πνεῦμα τοῖς βαπτιζομένοις οὐκ ἐδίδου. οὐδὲ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν· τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα ἦν.

N. XVI. Idem Hom. 87. in Joann. λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς· Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με πλέον τούτων; ... βόσκε τὰ προβάτιά μου. καὶ τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ, διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τοῦτον ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους.

N. XXII. Euseb. Lib. 1. Hist. Eccles. c. 13. ἐν τοῖς αὐτόθι δημοσίοις χάρταις, τοῖς τὰ παλαιὰ, καὶ τὰ ἀμφὶ τὸν Ἄβγαρον πραχθέντα περιέχουσι, καὶ ταῦτα εἰσέτι καὶ νῦν ἐξ ἐκείνου πεφυλαγμένα εὕρηται· οὐδὲν δὲ οἷον καὶ αὐτῶν ἐπακοῦσαι τῶν ἐπιστολῶν, ἀπὸ τῶν ἀρχείων ἡμῖν ἀναληφθεισῶν, καὶ τόνδε αὐτοῖς ῥήμασιν ἐκ τῆς Σύρων φωνῆς μεταβληθεισῶν τὸν τρόπον.

N. XXIII. Idem ibidem. Ἄβγαρος Τοπάρχης Ἐδέσσης Ἰησοῦ σωτῆρι ἀγαθῷ ἀναφανέντι ἐν τόπῳ Ἱεροσολύμων χαίρειν. ἤκουσταί μοι τὰ περὶ σοῦ καὶ τῶν σῶν ἰαμάτων, ὡς ἄνευ φαρμάκων, καὶ βοτανῶν ὑπὸ σοῦ γινομένων. ὡς γὰρ λόγος, τυφλοὺς ἀναβλέπειν ποιεῖς, χωλοὺς περιπατεῖν, καὶ λεπροὺς καθαρίζεις, καὶ ἀκάθαρτα πνεύματα καὶ δαίμονας ἐκβάλλεις, καὶ τοὺς ἐν μακρονοσίᾳ βασανιζομένους θεραπεύεις, καὶ νεκροὺς ἐγείρεις, καὶ ταῦτα πάντα ἀκούσας περὶ σοῦ, κατὰ νοῦν ἐθέμην τὸ ἕτερον τῶν δύο. ἢ ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς, καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ποιεῖς ταῦτα, ἢ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ ποιῶν ταῦτα. διὰ τοῦτο τοίνυν γράψας ἐδεήθην σου σκυλῆναι πρός με, καὶ τὸ πάθος ὃ ἔχω, θεραπεῦσαι. καὶ γὰρ ἤκουσα, ὅτι καὶ Ἰουδαῖοι καταγογγύζουσί σου, καὶ βούλονται κακῶσαί σε. πόλις δὲ μικροτάτη μοί ἐστι καὶ σεμνὴ, ἥτις ἐξαρκεῖ ἀμφοτέροις.

N. XXV. Idem ibidem. Ἄβγαρε, μακάριος εἶ πιστεύσας ἐν ἐμοὶ, μὴ ἑωρακώς με. γέγραπται γὰρ περὶ ἐμοῦ, τοὺς ἑωρακότας με μὴ πιστεύσειν μοι, ἵνα οἱ μὴ ἑωρακότες αὐτοὶ πιστεύσωσι καὶ ζήσονται. περὶ δὲ οὗ ἔγραψάς μοι ἐλθεῖν πρὸς σὲ, δέον ἐστὶ πάντα δι' ἃ ἀπεστάλην, ἐνταῦθα πληρῶσαί με. καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι, οὕτως ἀναληφθῆναι πρὸς τὸν ἀποστείλαντά με, καὶ ἐπειδὰν ἀναληφθῶ, ἀποστείλω σοί τινα τῶν μαθητῶν μου, ἵνα ἰάσηταί σου τὸ πάθος, καὶ ζωὴν σοί καὶ τοῖς σὺν σοὶ παράσχηται.

N. XXX. Damasc. serm. 2. In dormitionem B. M. V. οὐκ ἄπορον δέ μοι δοκεῖ λόγῳ διαγράψαι, ὅσον ἔχω πρὸς δύναμιν, καὶ εἰκάσαι, καὶ τύπῳ χαρακτηρίσαι τὰ ἐπὶ τῇ ἱερᾷ αὐτῇ τοῦ Θεοῦ Μητρὶ συντελεσθέντα θαύματα, ἃ μερικῶς, καὶ λίαν συνοπτικῶς, τὸ δὴ λεγόμενον, παλαιᾶς ἄνωθεν παρειλήφαμεν. δοκεῖ γάρ μοι τούτων τῶν ἁγίων ἀγώνων .... ἀνακεκλίσθαι ἐπί τινος σκίμποδος ἐν τῇ δόξῃ καὶ περιωνύμῳ πόλει Δαβὶδ, Σιὼν φημὶ τῇ πανθέτῳ .... ἐν ᾗ πεπλήρωται μὲν ὁ νόμος τοῦ γράμματος, ὑπογέγραπται δὲ ὅρος τοῦ πνεύματος &c.

Ibidem Conc. Ephes. Act. 1. Epist. Synodi ad Clerum, populumque Constantinop. ἦλθεν καὶ Νεστόριος, ὁ τῆς δυσσεβοῦς αἱρέσεως ἀνακαινιστὴς, φθάσας ἐν τῇ Ἐφεσίων, ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης, καὶ ἡ Θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία, ἀπὸ συλλόγου τῶν ἁγίων πατέρων καὶ ἐπισκόπων ξένος .... κατακέκριται &c.

Ibidem Damasc. serm. 2. in dormitionem B. M. V. ἐν τῷ θαύματι ἐκπλαγέντες, τοῦτο μόνον εἶχον λογίζεσθαι, ὅτι ὁ εὐδοκήσας κατ' ἰδίαν ὑπόστασιν σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι ἐξ αὐτῆς, καὶ γεννηθῆναι σαρκὶ Θεὸς Λόγος καὶ Κύριος τῆς δόξης, καὶ μετὰ τόκον τὴν παρθενίαν διαφυλάξας, αὐτὸς εὐδόκησε καὶ μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀποβίωσιν, τὸ ἄχραντον αὐτῆς καὶ ἀμίαντον σῶμα τῇ ἀφθαρσίᾳ τιμῆσαι, καὶ μεταθέσει πρὸ τῆς κοινῆς καὶ καθολικῆς ἀναστάσεως.

N. XXXII. Chrys. Hom. 26. in Act. Apost. οἱ δὲ εἶπον, ὅτι ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν. ἐκ τούτου δῆλον, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν ἄγγελον ἔχει.

Ibidem Euseb. Hist. Eccles. l. 2. c. 14. ὁ δεκαδείγοος (ὁ Σίμων) .... μεγίστην καὶ ὑπερπόντιον ἀποδρὰς πορείαν τὴν ἀπ' ἀνατολῶν, ἐπὶ δυσμὰς ᾤχετο φεύγων .... ἐπιβὰς δὲ τῆς Ῥωμαίων πόλεως, συναιρομένης αὐτῷ τὰ μεγάλα τῆς ἐφεδρευούσης ἐνταῦθα δυνάμεως, ἐν ὀλίγῳ τοσοῦτον τὰ τῆς ἐπιχειρήσεως ἤνυσεν, ὡς καὶ ἀγάλματος ἀναθέσει πρὸς τῶν τῇδε οἷα θεὸν τιμηθῆναι. οὐ μὴν εἰς μακρὸν αὐτῷ ταῦτα προὐχώρει. παρὰ πόδας γοῦν ἐπὶ τῆς αὐτῆς Κλαυδίου βασιλείας, ἡ πανάγαθος καὶ φιλανθρωποτάτη τῶν ὅλων πρόνοια, τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον Πέτρον, ἐπὶ τὴν Ῥώμην, ὡς ἐπὶ τηλικοῦτον λυμεῶνα βίου χειραγωγεῖ. ὃς οἷά τις γενναῖος τοῦ Θεοῦ στρατηγὸς τοῖς θείοις ὅπλοις φραξάμενος, τὴν πολυτίμητον ἐμπορίαν τοῦ νοητοῦ φωτὸς ἐξ ἀνατολῶν τοῖς κατὰ δύσιν ἐκόμιζεν, φῶς αὐτὸ, καὶ λόγον ψυχῶν σωτήριον, τὸ κήρυγμα τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας εὐαγγελιζόμενος. Et l. 3. c. 1. Πέτρος δὲ ἐν Πόντῳ, καὶ Γαλατίᾳ καὶ Βιθυνίᾳ, Καππαδοκίᾳ τε καὶ Ἀσίᾳ, κεκηρυχέναι τοῖς ἐκ διασπορᾶς Ἰουδαίοις ἔοικεν, ὃς καὶ ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν.

N. LII. Chrys. Hom. 4. in Epist. 2. ad Thessal. ἄρα οὖν, ἀδελφοί, στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν. ἐντεῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως. ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα, καὶ ταῦτά ἐστιν ἀξιόπιστα, ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγώμεθα. παράδοσίς ἐστι· μηδὲν πλέον ζήτει.

N. LX. Chrys. Hom. 24. in Epist. 1. ad Corinth. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; τί λέγεις, ὦ μακάριε Παῦλε; δῆλον ἐδείξας τὸν ἀκροατὴν, καὶ μυστηρίων μεμνημένους φρικτῶν, εὐλογίας ποτήριον καλεῖς τὸ ποτήριον τὸ φοβερὸν καὶ φρικωδέστατον ἐκεῖνο; ναὶ, φησίν· οὐ γὰρ μικρὸν τὸ εἰρημένον. εὐλογίαν γὰρ ὅταν εἴπω, πάντα ἀναπτύσσω τὸν τῆς εὐεργεσίας τοῦ Θεοῦ θησαυρὸν, ---, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; σφόδρα πιστῶς καὶ φοβερῶς εἴρηκεν. ὃ γὰρ λέγει, τοῦτό ἐστιν· ὅτι τοῦτο τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὂν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκείνου μετέχομεν εὐλογοῦντες, ὅτι καὶ αὐτὸ τοῦτο ἐξέχεεν, ἵνα μὴ μείνωμεν ἐν τῷ πλάνῳ. καὶ οὐ μόνον ἐξέχεεν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἡμῖν αὐτοῦ μεταδέδωκεν. ὥστε εἰ αἵματος ἐπιθυμεῖς, φησί, μὴ τὸν τῶν εἰδώλων βωμὸν τῷ τῶν ἀλόγων φόνῳ, ἀλλὰ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐμὸν τῷ ἐμῷ φοίνισσε αἵματι. τί τούτου φρικωδέστερον; τί δὲ φιλοστοργότερον, εἰπέ μοι; τοῦτο καὶ οἱ ἐρῶντες ποιοῦσιν. ὅταν ἴδωσι τοὺς ἐρωμένους τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμοῦντας, καὶ τῶν οἰκείων καταφρονοῦντας, τὰ αὐτῶν διδόντες πείθουσιν ἀποστῆναι τῶν ἐκείνων. ἀλλ' οἱ ἐρῶντες μὲν ἐν χρήμασι, καὶ χρήμασι... ταύτην ἐπιδείκνυνται τὴν φιλοτιμίαν, ἐν αἵματι δὲ οὐδεὶς οὐδέποτε. ὁ δὲ Χριστὸς καὶ ἐν τούτῳ τὴν κηδεμονίαν ἐπεδείξατο, καὶ τὴν θερμὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην. καὶ ἐν μὲν τῇ παλαιᾷ ἐπειδὴ ἀτελέστεροι διέκειντο, ὃ τοῖς εἰδώλοις προσέφερον αἷμα, τοῦτο αὐτὸς ὑπέμεινε καταδέξασθαι, ἵνα ἀποστήσῃ ἐκείνων, ὃ καὶ αὐτὸ πάλιν ἀφάτου φιλοστοργίας ἦν. ἐνταῦθα δὲ ἐπὶ τὸ πολὺ φρικωδέστερον καὶ μεγαλοπρεπέστερον τὴν ἱερουργίαν μετεσκεύασε, καὶ τὴν θυσίαν αὐτὴν ἀμείψας, καὶ ἀντὶ τῆς ἀλόγων σφαγῆς ἑαυτὸν προσφέρειν κελεύσας --- διὰ τί δὲ προσέθηκεν, ὃ κλῶμεν; τοῦτο γὰρ ἐπὶ μὲν τῆς εὐχαριστίας ἐστὶν ἰδεῖν γινόμενον· ἐπὶ δὲ τοῦ σταυροῦ οὐκέτι· ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον τούτου. ὀστοῦν γὰρ αὐτοῦ, φησίν, οὐ συντριβήσεται. ἀλλ' ὅπερ οὐκ ἔπαθεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, τοῦτο πάσχει ἐπὶ τῆς προσφορᾶς διὰ σέ· καὶ ἀνέχεται διακλώμενος, ἵνα πάντας ἐμπλήσῃ.

N. XCI. Euseb. Hist. Eccles. L. 7. c. 19. τόν γε μὴν Ἰακώβου θρόνον τοῦ Ἀποστόλου τοῦ πρώτου τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν πρὸς αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος, καὶ τῶν ἀποστόλων ὑποδεξαμένου· ὃν καὶ ἀδελφὸν τοῦ Χριστοῦ χρηματίσαι οἱ θεῖοι λόγοι περιέχουσιν. εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον οἱ τῇδε κατὰ διαδοχὴν περιέποντες ἀδελφοί, σαφῶς τοῖς πᾶσιν ἐπιδείκνυνται, οἷόν τε περὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας τοῦ θεοφιλοῦς ἕνεκεν, οἵ τε πάλαι καὶ οἱ εἰς ἡμᾶς ἔσωζόν τε, καὶ ἀποσώζουσι σέβας.

N. XCIII. Cyrillus Hierosol. Catech. 4. νηστεύομεν γὰρ οἴνου τε καὶ κρεῶν ἀπεχόμενοι, οὐχ ὡς βδελύγματα μισοῦντες, ἀλλὰ τὸν μισθὸν προσδοκῶντες, ἵνα αἰσθητῶν ὑπεριδόντες ἀπολαύσωμεν πνευματικῆς καὶ νοητῆς τραπέζης.

Ibidem. Iren. l. 3. contra hæres. c. 4. τοσαύτην οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαρασσόντων τὴν ἀλήθειαν.

Ibidem Theodoretus in c. 2. Epist. ad Titum. μέγαν δὲ Θεὸν ὀνομάσας τὸν Χριστὸν, τὴν αἱρετικὴν βλασφημίαν ἀπελέγχει.

LIBER TERTIUS.

D. Joannis labores, scripta, & exitus. Jerosolymæ & totius Judææ statuta desolatio. Nicolaitarum, Gnosticorum, & aliorum hæreses, gravesque gentilium persecutiones oppugnant fidelium fidem. Ecclesiæ de utroque hoste triumphos hic referemus, & simul initia virorum Apostolicorum Hermæ, Clementis, Ignatii, Policarpi, Atenagoræ, Justini, quorum pleraque opera ad nos pervenere.

CHRISTI AN. 68. *Judaicum bellum.* Eus. hist. l. 3. c. 3. & 4. Joseph. de bell. l. 3. c. 3. & seq.

I. Eronia scelere dom Romæ vexabatur Ecclesia, Judæis imminebat ultima pernicies, cujus primas calamitates experiebantur. Vespasianus eodem anno Antiochiam adveniens, regem Agrippam cum omnibus copiis offenderat, statimque movit versus Ptolemaidem. Hic occurrunt ei Sephoritæ cives, quorum urbs erat totius Galilææ metropolis; postulantibus concessit militare præsidium. Titus, citius quam sperabatur, per hyemen adduxit duas legiones. Exercitus fuit sexaginta millium militum, numeratis auxiliariis quatuor Regum, Agrippæ Chalcidis, Antiochi Comagenæ, Seomi Emessæ, Malochi Arabiæ. Vespasianus cum tantis copiis invadens Galilæam, Gadaram primo impeto capit, urbemque succendit cum omnibus vicis, interfectis omnibus puberibus: inde progressus obsedit Jotapatam, quam per quadragiota septem dies fortiter defendit Josephus historicus; sed partim vi, partim dolo expugnata est Kalendis Julii: cæsa fuat quadraginta millia Judæorum, capti vero mille, & ducenti, quos inter ipse dux Josephus, primo quidem servatus in vinculis, sed impia adulatione sic in Vespasiani amicitiam se insinuavit, ut inter maxime familiares locum teneret. Ne tandiu circa unam urbem tantus occuparetur exercitus, Vespasianus partitus copias, tria millia duce Trajano misit contra Aphicam, & totidem contra Samariam duce Cereali, qui eas urbes vastarunt, occisis viginti sex millibus Judæorum.

His gestis, fatigatum tot obsidionibus exercitum reduxit Cæsaream, ibique duas legiones collocavit, & tertiam Scytopoli: misit quoque peditum, & equitum manum, quæ diripoit Joppen, quam Judæi renovarant. Postea trajecit Cæsaream Philippi invitatus ab Agrippa, qui per eum ægras regni partes compescere cupiebat; ibi per dies viginti milite recreato, audiens rebellasse Tyberiada, & Taricheas, (ad regnum Agrippæ utraque urbs pertinebat) opportunum credidit adversus eas ducere exercitum. Tiberias statim deditionem fecit, eamque servatam reddidit Agrippæ, ejus hospitio vicem rependens. Seditiosi confugerunt Taricheas, quæ restitit acriter; sed rebellibus terra marique devictis, eorum octo millibus occisis, urbs direpta est, seniores, & imbelles mille & ducenti trucidati, validissimi juvenes sex mille ad Isthmum Neroni transmissi; cæteri numero triginta mille venditi; sic tota Galilæa in Romanorum potestatem venit, præter Giscalam, quam mox recepit Titus. Joannes dux seditiosorum sub spe pacis nectens moras, noctu profugit, mane facto populus Romanum præsidium recepit. Titus revertitur Cæsaream.

Ib. c. 16.

Joseph. de bell. l. 4. c. 1. & seq.

Singulas Judææ civitates bellum intestinum exagitabat, dum prudentiores, & seniores pacem suadent, & juniores arma parant: eorum prævaluit audacia: sed cum nullo duce, cui parerent omnes, regeretur tanta multitudo; divisi in varias factiones etiam ex suis civibus prædas agebant, conjunctisque turmis per territorium latrocinabantur, crudelitate, & injustitia hostibus terribiliores: donec rapinarum societate undequaque congregati confluunt Hierosolymam, ubi regnabat sola discordia, dum multi dominarum affectantes, nulli subjici volunt. Indiscriminatim omnes recipiebantur tanquam defensores publicæ salutis: quæ quidem res etiam sine dissensione civitatem postea pessum dedit: nam iners, & inutilis multitudo, quæ pugnatoribus sufficere potuissent, alimenta consumpsit. Eleazari milites non modo seditionibus, & publicis rapinis sæviebant, sed nullum atrox facinus intermittebat eorum audacia; palam, & luce nobilissimos quosque adoriebantur, & custodiæ traditos indicta causa interficiebant, ut libertatis proditores, rumore sparso, eos egisse cum Romanis de traditionn civitatis.

Ibid.

CHRISTI AN. 68.

Ibid.

Anaous, natu maximus pontificum, & sapientissimus, tantis malis salutem quærens, populum adversus eos concitat. Illi templum Dei castellum, ac profugium sibi faciunt, adsciscuntque sibi nomen Zelotæ, quasi præ cæteris zelarent legem Dei, publicamque libertatem: experturi animos populi sorte creant novum pontificem; sors obtigit Phano, homini plane rustico, & rerum sacrarum imperitissimo. Populus hanc eorum audaciam non tulit, invadit zelotas, irrumpitque in partem templi exteriorem. Illi in murum interiorem fuga se recipientes mature januas occludunt. Anaous vim inferre noluit propter sanctitatem loci, nec populum introducere nisi prius lustratum. Itaque sex mille e suis custodes in porticibus collocat, designatis qui eis per ordinem succederent. Joannes, qui ex Giscalis effugerat, hoc initium salutis pessum dedit, immoderatam dominationis cupiditatem mente circumsistens, jam dudum rebus communibus moliebatur insidias: eadem quæ populus sentire se simulans, omnibus obsequiis Ananum, aliosque principes fallere studebat, aderat eorum conciliis, quæ statim prodebat zelotis, ad quos eum sub sacramento fidelitatis, legatum de concordia mittunt, in templum intromissus dissensionem accendit, hortatur eos saluti suæ quamprimum consulant, Ananum misisse legatos ad Vespasianum, ut civitatem ei propere traderet, nulla eis superesse spem veniæ. Itaque si habendam vitæ suæ rationem ducerent, externum aliquod petendum auxilium.

Ibid.

Eleazarus Gionis filius, & Zacharias, uterque a sacerdotibus genus ducens, suadent advocandos esse Idumæos, qui ad motus faciles minimisque petentium blanditiis ad bella promptissimi, velut ad festorum solemnitatem, sic ad prælia properant. Scripta igitur epistola, monet se pro libertate diffidentes in templo custodiri, ac nisi mature subveniant, ipsos quidem Anano, & inimicis, civitatem vero Romanis illico esse tradendam. Hanc calumniam effinxerat Joannes. Idumæi prope ad viginti millia congregati cum ducibus quatuor veniunt Hierosolymam; eorum adventum præsentiens Ananus portas claudi jusserat, appositis custodiis. Hi frementes se civitate prohibitos, inopesque consilii prope murum tabernacula propere ponunt. Sed ea nocte incessit horrenda tempestas, non modo ventorum, & imbrium violentia, sed & tonitruis, licet media hyeme, concussa tremebant omnia: civium vigiliæ dilabuntur. Zelotæ opportunam suis consiliis tempestatem suspicati, e templo clam egressi, portam aperiunt, Idumæisque comitibus ad templum revertuntur, armisque conjunctis in custodes imparatos irruunt, effusique in reliquam civium multitudinem, obvios quosque sine miseratione cædunt, brevique templum exterius sanguine redundavit: octo mille & quingentos mortuos dies invenit; nec tamen his Idumæorum ira satiata est, accumulant cædem cæde, domos diripiunt: omissa demum multitudine, pervestigant pontifices, Ananumque, & Jesum comprehensos obtruncant, & insepultos abjiciunt. Aggrediuntur postea nobiles adolescentes, quos detrudunt in carcerem, spe nonnullos eorum posse sibi sociari nece dilata: societatem abnuentes plagis atque tormentis ulceratos jugulant: duodecim millia nobilium hoc modo periere. Tantus apud omnes eorum crudelitatis erat pavor, ut nec flere quidem palam quisque, nec sepelire propinquos auderet; his namque paria lugentes illico patiebantur: exiguam tantum nocte sublatam humum corporibus injiciebant.

Idu-

CHRISTI AN. 68.

Ibid.

Idumæos jam venisse pœnitebat, intelligebant enim se non ad communem libertatem vindicandam, sed, ut tot flagitiorum essent participes, vocatos; imprimis cum nullum reperissent proditionis indicium: itaque excedere Hierosolymis, & ad suos redire statuunt: sed prius duo millia popularium, qui erant in vinculis, solvunt. Eorum discessu crevit zelatorum insolentia: jam nulla erat scelerum mora atque deliberatio: quæcumque placuissent, ipsa cogitatione citius peragebant: maxime in viros fortes, & insignes cædibus sæviebant, hanc optimam rati cautionem, nullum optimatum superesse. Nulla pars plebis erat, cui non ad interitum excogitaretur occasio: unaque maximorum criminum, & mediocrium pœna, mors erat; neque evasit quisquam, nisi ignobilitate, vel fortuna perhumilis. Multi in singulos dies ad Vespasianum confugiebant: erat tamen fuga difficilis, omnes exitus custodibus obsidebantur, & quisquis fuisset deprehensus, ni vitam pecunia redimeret, interficiebatur tanquam transfuga. Tot immanium scelerum artifices legia zelatores dici ambiebant, dum calcant omne jus humanum atque divinum, prophetarumque responsis tanquam fabulis illudunt: eorum tamen prædictiones esse veras exitu probavere.

Ibid.

Ibid.

Zelatorum duces ambiebant dominationem, quam obtinere non poterant incolumi republica, & salvis optimatibus, quorum virtutem, vel potentiam metuebant, vel divitiis inhiabant, ut suos explerent satellites: hinc tot millia hominum immolarunt suæ ambitioni, quæ vel inter ipsos induxit discordiam. Joannes author tot malorum, qui varias factiones calumniis armarat in mutuam perniciem, parem cum similibus honorem habere dedecus existimabat; paulatimque sibi nequiores adjungens, spretis aliorum decretis, sua jussa urgebat imperiosius; & quia manu strenuus erat, satellites non paucos habebat. Positis militum stationibus, quælibet pars suæ securitati consulebat: unum tamen inter eos erat certamen, quis majorem ex populo prædam ageret. Insurrexit foris novus hostis domesticus. Haud procul ab Hierosolymis castellum erat validissimum, quod Messada dicebatur: illud occupaverant sicarii, hi die festo Azymorum Galaas municipium invadunt, fugatisque incolis, interfectisque mulieribus cum parvulis, diripiunt, omnesque vicos, totamque regionem populantur. Vespasiano hæc a transfugis indicabantur: sed Romani hostium dissensionem sibi lucrum esse censebant. Ineunte Martio movit Romanus exercitus, & quarto die Gadara trans-Amnianæ regionis metropolim validissimam occupat. Optimates, ignorantibus seditiosis, legatos ad Vespasianum de traditione miserant: illi crudeliter occiso Doleso principe civitatis, qui legationis author habebatur, diffugiunt: quos Placidus cum equitibus, & tribus peditum millibus insecutos, internecione delevit. Tredecim millia cæsa sunt; alii cum sustinere non possent, in Jordanem sponte desiliunt; quorum tantus fuit numerus, ut Jordanis addensatis cadaveribus pervius non esset. Sic trans fluvium tota regio Romanis cessit, & ubique omnia usque ad Macheruntа perdomita sunt.

Sveton. in Ner. 40. & seq.

Neronis mors.

II. Interea Vespasiano nuntiatur a Nerone defecisse Gallias, duce Julio Vindice, qui tunc eam provinciam pro Prætore obtinebat: hinc remissius urgere cœpit bellum Judaicum; exspectans quonam inter bella civilia vergeret imperium. Neapoli de motu Galliarum Nero cognovit die ipso, quo ante aliquot annos matrem occiderat, adeoque lente, & secure tulit, ut gaudentis etiam speciem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum jure belli opulentissimarum provinciarum. Reipsa fidebat Astrologis, qui destituto vel restitutionem, vel saltem ordinationem Orientis spoponderant. Quin etiam ea fuit ejus amentia, ut citharædicam, cujus artis se principem esse gloriabatur, ad victum sibi privato sufficere diceret. Sed postquam Galbam, & Hispanias descivisse cognovit, & Rufum, qui superiori Germaniæ præerat, oppresso Vindice, acclamatum ab exercitu Imperatorem, colapsus diu sine voce, & prope intermortuus jacuit: utque animum recepit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit. Nec vanum fuit augurium; nam paulo post redditæ sunt literæ de defectione Rubrii Galli, quem contra rebellantes miserat. Desperatione melioris status omnino deficiens, assumpsit secum venenum in auream pixidem conditum, & transiit in hortos Servilianos. Comperit media nocte se a prætorianis etiam militibus esse desertum. Dubitavit num se præcipitaret in Tyberim; Phaetonte liberto offerente suburbanum suum inter Salariam, & Nomentanam viam, circa quartum milliarium, ut erat nudo pede, atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adopertoque capite equum conscendit quatuor solis comitibus.

CHRISTI AN. 69.

Hic in spelunca delitescens, perlatos a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque se hostem a Senatu judicatum. Conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripit, auditoque sonitu equitum appropinquantium, quibus præceptum erat ut vivum eum attraherent, trepidans ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito a libellis. Semianimis centurioni in auxilium se venisse simulanti respondit: sero, & hæc est fides? atque in ea voce defecit, quarto idus Junii, die quo olim Octaviam conjugem interfecerat, agens annum ætatis suæ trigesimum, cum imperasset annos tredecim, & octo menses, anno Christi *69*. Ejus mors tantum gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret. Religionum omnium usquequaque contemptor fuit, sed adeo infensus Christianæ, ut, teste D. Augustino, nonnulli scriptores catholici eum non occisum putarent, vel saltem resurrecturum, futurumque Antichristum, qui mysterium iniquitatis exerceret, " sed, inquit, multum mira est hæc opinantium tanta præsumptio. "

III. Factione militum, suffragantibus deinceps omnibus Ordinibus, in Imperium ei successit Servius Galba, vir consularis ex illustri Serviliorum familia, nulla tamen cognatione contingens Cæsarum genus; quod proinde in Nerone defecit, post quem Cæsar non familiæ, sed dignitatis nomen fuit. Adeo fausta initia eorumdem scelere militum tristem habuere exitum: nam Imperii sui mense septimo, ætatis vero septuagesimo, illud cum vita perdidit, in medio foro, ab equitibus ab Othone missis contrucidatus. Major privato visus, dum privatus fuit, omniumque consensu Imperio dignus, nisi imperasset: pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus. Sylvius Otho, Neroni olim charissimus, conjurationis in Galbam author emptum a militibus arripuit Imperium.

Aug. lib. 20. de civ. Dei cap. 19.

Sub idem tempus Germaniæ inferioris exercitus in Vitellii verba juraverat: quod ubi comperit, ei per literas consortem Imperii, generumque se obtulit. Conditionem ambigua responsione elusit Vitellius, dum Alpium transitus occuparet. Verum haud dubio bello, Valente, & Cæcinna Vitellii ducibus cum copiis quas præmiserat appropinquantibus, iis obviam processit cum exercitu: & tribus quidem mediocribus præliis apud Alpes, & circa Placentiam vicit: sed novissimo maximoque apud Bebriacum fraude superatus est. Adversæ partis audita victoria, Otho Brixelli, ubi substiterat, semet occidit, 38.° ætatis anno, & 95.° imperii die: de Bebriacensi victoria, & Othonis exitu, cum adhuc in Gallia esset, nuntios accepit Vitellius; nihilque cunctatus, quidquid prætorianarum cohortium fuit, ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto. Triumphantis ritu Romam progressus, urbem, contra morem, ad classicum introiit paludatus, ferroque succinctus, inter vexilla, ac delectis commilitonum armis. Imperium non nisi consilio, & arbitrio vilissimi cujusque histrionum administrabat, & maxime Asiatici infamis liberti; luxuriæ sæviæque deditus, omnium Ordinum odium in se concitavit.

Svet. in Oth. & Vitel.

IV. Vespasianus Cæsareæ audita morte Neronis, eique successisse Galbam, ad eum misit Titum filium salutatum, simul & ut de Judæis mandata acciperet: qui dum Achajam prætervehitur, nuntiatur Othonem occiso Galba acclamatum a militibus Imperatorem. Itaque ad Syriam renavigat, & mature Cæsaream venit ad patrem. Hic aliquamdiu suspensi de omnibus, intermisso bello Judaico, rerum eventum operiebantur: paulo post Othonem propria manu occubuisse, victoremque Vitellium imperare diffamatum est. Novum dominum aspernatus Vespasianus, tentavit animos militum: plurimum ejus cœptis contulit jactatum exemplar epistolæ, sive veræ, sive falsæ, defuncti Othonis ad eum, ex-

Vespasianus Imp.

Joseph. de bell. l. 5. c. 6. & 7. & 10.

Svet. in Vesp. c. 6.

CHRISTI AN. 70. trema obtestatione ultionem mandantis, & ut Reipublicæ subveniret optantis. Simul rumor dissipatus, destinasse Vitellium permutare hyberna legionum, & Germanicas transferre in Orientem ad commodiorem militiam. His, & aliis artibus incensos milites vocat ad concionem; urbisque calamitatem commi- Joseph. de bell. l.5.c.10. seratus, de ea liberanda apud eos loquitur. Acclamant omnes, & salutant Imperatorem: resistenti Duces instant, & milites circumfusi mortem minitantur, nisi oblatum ab omnibus nomen acciperet. Judaicus exercitus trium legionum cum octodecim cohortibus apud ipsum juravit, Kalendis Julii, anno Christi 70. Datis literis ad Tiberium Alexandrum Ægypti præfectum, eum sibi conciliavit, primusque duas legiones, quæ versabantur Alexandriæ, populumque ad ejus sacramentum adegit. Berithum deinde veniens invenit Mutianum Syriæ præfectum cum legionibus paratum ad omne obsequium, quem cum exercitu præmisit in Italiam.

Antiochiam reversus dum regum, & præsidum totius Orientis legationes suscipit, unius hominis scelus pluribus Christianis gloriosi martyrii fuit occasio. Antiochus Judæus apostata coram populo accusat patrem, aliosque Judæos, destinasse nocte totam incendere civitatem, & velut hujus consilii partici- Ibid. pes quosdam hospites Judæos tradit. Tam atrox accusatio gentiles in eam rabiem efferavit, ut extructo rogo præsentes vivos combusserint, mox ultionem de cæteris sumpturi. Sed ad facinus impium eos instigat Antiochus: publice paganorum ritu sacrificans, hortatur ut cæteros idem facere cogerent; detrectantes autem certo pro insidiatoribus haberent. Experimentum probant Antiochenses: o- Euf. hist. l.3.c.22. mnibus fere renuentibus, plurimi interempti sunt. Complures Judæos Christianos eodem modo tentatos martyrii coronam tulisse minime dubium est, quos inter numeratur Evodius, primus post Pe- Theodo. dialog. 1. trum illius ecclesiæ episcopus. Successorem habuit Divum Ignatium pariter Apostolorum discipulum, qui de Petri dextera pontificatus gratiam acceperat.

Antiochiæ dum hæc geruntur, Antonius vir manu strenuus, Mœsiæ præfectus, adjunctis aliis co- Joseph. de bell. l.5.c.13. piis legioni, quam secum duxerat in Italiam, internecione delevit Vitellii copias, Romamque veniens se conjunxit Mutiano, commissoque in ipsa urbe prælio, interfectis hostium plusquam quinquaginta millibus, Vitellius captus, post mille contumelias, apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, tandem occisus in Tyberim projicitur, die tertio mensis Octobris, Imperii nono mense vix inchoato, ætatis 56.° Ex Senatus-consulto Flavio Vespasiano omnium consensu decretum est Imperium, & Domitianus ejus filius populi Rector renuntiatur Philostr. l.5.c.36. usque ad patris adventum.

Vespasiano, qui Alexandriæ cum Tito filio opportunam navigationi tempestatem operiebatur, Romæ gesta nuntiata sunt: dum hyemalibus maris procellis hic detinetur, Apollonium consuluit de optimo administrandæ reipublicæ modo. Eo præsente Tacit. l. 4. hist. quædam mira contigisse narrant historici, quibus authoritas, & majestas quædam accessere novo principi. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus ad genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens, monitu, ut ajebat, Serapis, precabaturque principem, ut genas, & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, ut pede Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari; atque illis instantibus, æstimari a medicis jubet, an talia cæcitas, & debilitas ope humana superabiles forent. Medici varia disserere: huic non exesam vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari: denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irritum remedium penes miseros fore.

Vespasianus igitur cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile; læto ipse vultu, quod postulabatur, juste exequitur: statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, inquit Tacitus, qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. Sed vel ex ejus verbis liquet, morbos arte medica non fuisse insanabiles: quid mirum igitur, si dæmonum ope fuerint sanati, instantique temporis oculorum albugo fuerit avulsa, solutumque brachii li- CHRISTI AN. 70. gamen, imprimis cum plurimum arte magica valeret præsens Apollonius? his tamen creditum est divinitus factam Vespasiani electionem. Hanc famam vehementer auxit oraculum toto Oriente divulgatum: pluribus persuasum erat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa, rerum potirentur: quæ ambages? inquit Tacitus, Vespasianum ac Titum prædixerant. Illud Judæi ad se trahentes rebellarunt. Utrumque fatetur Josephus. Im- Joseph. de bell. l.7.c.12. prudens, qui homini gentili adulatus impie, non intellexerit hæc a prophetis prædicta de Messia, cujus Apostoli, iis temporibus profecti Hierosolyma, ejus spirituale regnum per universum orbem propagarunt.

Imperator, exacta hyme, Romam profectus, ur- Svet. in Vesp.c.8. & 9. bem triumphans de Judæis ingressus est. Per totum imperii tempus, quod fuit decennii, nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque rempublicam stabilire primo, deinde ornare; militum licentiam repressit, instauravit Capitolium, Paci Perpetuæ consecravit templum magnificentissimum, cujus aliquæ supersunt inscriptiones; Senatum purgavit atque supplevit; multa sapienter edixit, ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus, instrumentum Imperii pulcherrimum, ac vetustissimum confecit, quo continebantur ab exordio Urbis Senatus-consulta, plebiscita de societate, & fœdere, ac privilegiis cuicumque concessis. Sola est quæ merito culpetur in eo, pecuniæ cupiditas.

V. Titus a patre ad perdomandam Judæam reli- Joseph. de bell. l.6.c.5. & seq. *Jerosolymæ excidium.* ctus, mature Cæsaream profectus, collectis quatuor legionibus, cum auxiliariis Regum copiis parabat obsidionem Hierosolymæ. Judæi vero Romanos principes bellis civilibus, firmandoque Imperio sic occupatos putabant, ut eo anno nihil sibi ab his metuendum pro certo haberent. Itaque non modo imparati ad resistendum, sed etiam in tres factiones divisi mutuis cædibus, & incendiis virium suarum nervos abscindebant. Eleazarus cum paucis zelatoribus interiorem templi partem occupaverat. Simon cum sicariis urbem superiorem cum parte inferioris tenebat. Joannes contra utrumque se communierat in parte templi exteriore; hunc plures zelotæ sequebantur: hi dum frequenter in Simonis socios irruunt, quoties in fugam versos insequuntur, ædes plenas utensilium, atque frumenti, quod non paucis annis sufficere potuisset obsessis, incendunt, ac igne consumunt.

Eleazarus necessariis providens ex rerum sacrarum copia, qui sacrificare cuperent, recipiebat. Sed plerique cum sacerdotibus ante aram cadebant, missilibus occisi a Joanne; qui etiam usus hac opportunitate, plerosque suos satellites sancto azymorum die una cum frequenti populo intromisit in templum interius; arma sub vestibus latentia proferunt, interfectisque plurimis Eleazari sociis, totum templum occupant; atque ita tres factiones ad duas rediere. Joannes templum tenebat cum octo millibus quadringentis Zelotis. Judæorum decem millia, & Idumæorum quinque cum Simone in urbe dominabantur.

Tot malis oppressæ civitati supervenit Titus cum Joseph. de bell. l.6.c.2.& l.7.c.17. Euf. hist. l.3.c.5. ingenti exercitu die 14.ª Aprilis, ipsis feriis paschalibus, occupatoque monte Oliveti, hic castra communiit, innumeramque Judæorum multitudinem, qui ex omnibus regionibus ad festum Paschæ convenerant, Hierosolymis tanquam in carcere conclusit, non sine divina providentia, quæ admissi in Christum sceleris pœnas ab iis repoposcit iisdem diebus, quibus ante quadraginta annos Dei Filium deposcentes ad mortem crucis, judicante Pilato eum justum debere dimitti, ex- Matth. 27. clamarunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

Primo quidem cum alimenta non sufficerent tot Joseph. l.6.c.3. centenis hominum millibus, servataque per vim auferrent seditiosi, dira fames totam civitatem depopulata est. Necessitas ea mandere cogebat quæ ne vilissimis quidem animalibus usui sunt; nec cingulis, nec calceamentis abstinuere, ipsa quoque scutorum coria dentibus avulsa comedebant. In dies cum inopia crescebat eorum furor, hiantes huc illuc tanquam rabidi canes vagi ferebantur

sæpius

Christi An. 70. sæpius in easdem domos unius horæ spatio irruentes, si quid cibi interciperent: sicubi clausam domum conspexerant, eos qui intus essent sumere cibum hoc indicio suspicati, effractis statim foribus irruentes, verberabant senes, mulieres sparsis crinibus raptabant, pavimento allidebant parvulos, ut escam indicare, vel e manibus dimittere cogerent: qui firmæ erant valetudine, eos alimento abundare censebant, quæ nisi statim proferrent, omni genere tormentorum enecabant; imo mors ipsa fidem penuriæ non faciebat, extremum exhalantes spiritum perscrutabantur, ne quis forte cibum in sinu abditum gerens, mori se simularet.

Sed magis horrendum hic facinus, cujus nullum extat exemplum apud barbaros, contigit. Mulier nomine Maria, genere atque opibus illustris, amissis amplissimis opibus, quas abstulerant satellites, & simul quidquid alimenti supererat; urgente vehementi fame, adversus naturam ipsam insurrexit: filium, quem adhuc lactentem habebat, jugulat, coctique partem dimidiam comedit; quod reliquum erat, opertum interim servat. Cum ecce repente superveniunt seditiosi, sceleratissimo nidore naribus hausto, mortem mulieri minantur, nisi cibum, quem sibi paraverat, exhiberet. At illa, bonam ipsis partem se reservasse respondens, reliquias filii sui detexit; meus est, inquit, filius, meum hoc facinus, edite vos, quando & ipsa comedi. Horror confestim stuporque eos invasit, & trementes abscessere, ad hoc unum pavidi, & imbelles. Continuo fama tanti sceleris per totam urbem dispersa est, & quisque facinus illud ante oculos proponens, tanquam a se patratum esset, horrebat.

Exinde augescens fames, per domos, & familias populum depascebatur: tecta quidem ipsa plena erant mulieribus, & infantibus fame consumptis: angiportus vero senibus mortuis pleni: pueri & adulti turgidi velut simulacra quædam per fora oberrabant. Inde teterrima lues grassata est, quæ plurimos singulis diebus absumebat: plerique dum alios sepelirent, ipsi mortem obierunt. Hinc ubicumque quis tabe correptus fuerat, corruebat insepultus; nam multitudine mortuorum, & metu periculi, etiam propinqui ab iis sepeliendis absterrebantur. Seditiosi principio quidem ex publico ærario mortuos humari jusserant, cum cadaverum fœtorem ferre non possent: postea cum iis humandis nequaquam sufficerent, in profundas voragines de muro projiciebant, quas circuiens Titus, ubi oppletas cadaveribus vidit, ingemuit, sublatisque in cœlum manibus, Deum testatus est, facinus illud suum non esse.

Joseph. de bell. l.6. c.16. & l.7. c. 16. & 18. & 24. Kalendis Julii nobiles profugi mortuorum sexcenta millia portis ejecta Tito nuntiarunt: cumque pauperes omnibus efferendis non sufficerent, innumera in ædibus congesta cadavera, fame diffluentia invenere Romani, postquam nonis Septembris urbs vi penitus expugnata est. Mortuorum per omne tempus obsidionis decies centena millia numerat Josephus: captivorum nonaginta septem millia. Seditiosi omnes, cum sese mutuo indicarent, interfecti sunt: Joannes & Simon eorum duces aliquot dies latuere in cloacis; sed oppressi fame semet tradidere, servatique triumpho, sceleratam vitam Romæ virgis cæsi laqueo finiere. Titus Hierosolymam ingressus, miratus est munitiones turrium Hippici, Phaseli, & Mariamnes, quas tyranni per amentiam deseruerant, conspectaque solida earum altitudine, Deo, inquit, plane adjuvante pugnavimus, & detraxit Deus ab his monumentis Judæos: nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ hæc propugnacula dejicere valerent? his itaque servatis, ut firmum ibi haberet præsidium, indicaretque posteris, qualem civitatem Romanorum virtus obtinuisset; jubet totam funditus dirui urbem atque templum, jam semiusta flammis: quæ sic complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent. Judæorum scelus atque impietatem adversus Jesum Christum Deum hujusmodi ultio consecuta est anno Christi 72. Judæi, in Deum contumaces, Apostolos, qui eos jam per 40. annos hortabantur ad pœnitentiam, vel occiderant, vel fugere coactos ubique gentium persequebantur, eo quod docerent Jesum ab iis crucifixum esse Messiam: furore amentes oblatam sæpius a Tito pacem, etiam cum nulla alia superasset spes salutis, superbe respuerant. Contemptores igitur divinæ misericordiæ merito inciderunt in ejus justitiam.

Christi An. 72. Captivorum varia fuit fortuna: quicumque pugnantes venere in Romanorum manus, acti sunt in crucem; quingentos singulis fere diebus crucifixos asserit Josephus. Urbe capta, solos armatos interfici jusserat Titus. Judæorum pervicacia irritati milites, etiam senes ac debiles trucidarunt, cæteram multitudinem in templo concluserunt. Custodes his Titus apposuit, præposuitque Frontonem libertum suum, qui sortem, quam quisque meritus esset, decerneret. Sed dum per aliquot dies secernuntur, duodecim millia fame consumpta sunt. Septingenti juvenes lecti, procero, & formoso corpore reservati sunt triumpho; septemdecim millia, majores decem & septem annis, misit in Ægyptum operibus deputandos; plurimos distribuit per provincias in spectaculis ferro, & bestiis consumendos; alios omnes cum mulieribus sub corona vendidit pretio vilissimo.

Joseph. de bell. l.7. c.13. & 16.

Usque adeo præda satiati sunt milites, ut in Syria dimidio, quam pridem fuerat, pretio pondus auri vænirct. Nec mirum in rebelles, & ad moriendum obstinatos sævitisse Romanos, quibus & cruenta fuit victoria. Titus a Judæis circumfusis extremum bis adiit vitæ periculum: ejus militibus non semel magna strage fugatis, incensis machinis, & turribus, eversis vallationibus, solvisset obsidionem, si Judæorum audaciæ par fuisset concors belli peritia, Deumque scelerum suorum ultorem non habuissent. Hæc ultima templi eversio, & postrema Judæorum captivitas, qua extorres patria, per orbem dispersi cernuntur, quotidie mundo testimonio sunt, non ob aliud eos, quam ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos. Nam sæpe alias cum propter peccata captivitatibus traderentur, numquam tamen ultra septuaginta annos servitutis pœnam pependerunt. Sev. Sulp. lib. 2.

Ib. c. 21. Titus Cæsaream descendit cum exercitu, dum vernum tempus exspectat, quo navigare posset in Italiam: hic fratri suo, postea Berethi natales dies patri suo celebravit magna magnificentia spectaculorum. Numerus captivorum, qui in his, vel cum bestiis depugnarunt, vel inter se gladiatores periere, quinque millia excessit. Inde Syriæ civitates obiens, venit Antiochiam, celeriterque, pertransiit Alexandriam. Hinc prospera usus navigatione, appulit in Italiam, Romamque cum patre de Judæis triumphans ingressus est: devictarum gentium spolia pro more passim ferebantur; eminebant ea quæ in templo Hierosolymitano reperta sunt, mensa aurea pondere talenti magni, & candelabrum pariter aureum, cujus media columna basi inhærebat, Ib. c. 24. tenues ab ea cannulæ producebantur, formatæ ad similitudinem fuscinæ, ad summum quæque in lichni speciem fabricatæ, numero septem, septimi diei indicantes honorem: post hæc portabatur lex Judæorum, novissima spoliorum. Adhuc visitur Romæ ad radices Palatini in arcu triumphali sculptum candelabrum, cum aliis victoriæ insignibus.

Hier. de script. eccl. Josephus Titum Romam secutus, septem libros Judaicæ captivitatis Imperatoribus patri filioque obtulit, qui & bibliothecæ publicæ traditi sunt, & ob ingenii gloriam statuam quoque meruit Romæ. Scripsit & alios viginti antiquitatum libros: in decimo octavo manifestissime confitetur, propter magnitudinem signorum, Christum a Pharisæis interfectum, & Joannem Baptistam vere fuisse prophetam, & propter interfectionem Jacobi Apostoli dirutam Hierosolymam. Scripsit autem de Domino in hunc modum: " Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat autem mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de Judæis, quam de gentilibus sui habebat sectatores, & credebatur esse Christus. Cumque invidia nostrorum principum cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus qui eum primum dilexerant, perseverarunt: apparuit enim eis die tertia vivens. Multa, & hæc, & alia mirabilia carminibus prophetarum de eo vaticinantibus; & usque hodie Christianorum gens, ab eo sortita vocabulum, non deficit. " Hunc textum, quem laudant Eusebius, & Hieronymus, aliique posteriores, repræsentant omnes codices etiam manuscripti.

Joseph. antiq. l.18. c.4. *Josephi testimonium de Christo.*

Euseb. demonst. Evang.

VI Lucilius Bassus missus est ad persequendas belli reliquias: collectaque militari manu cum decima legione, Macherum, natura, & arte munitissimum,

CHRISTI AN. 76.

oppugnare statuit: fortuitus casus adjuvit ejus consilium; captus dolo Eleazarus juvenis fortissimus, dum ejus jussu ducitur ad crucem, obsessi versi in misericordiam, legatos mittunt ad Bassum, qui faciant (Ib. c. 25.) deditionem, si reddatur Eleazarus. Bassus accepit conditionem, Judæos qui erant in arce dimisit liberos cum Eleazaro: inferioris vero civitatis incolas, qui noctu profugere tentarant, assecuti Romani, viros mille septingentos peremere, mulieribus, & parvulis ductis in servitium. His gestis, Imperator scripsit ad Tiberium Maximum Judææ procuratorem, ut omnem Judæorum terram venderet: stipendium quoque ubicumque degerent (Ib. c. 26.) Judæis indixit, duasque dragmas, seu quartam argenti unciæ partem, quas prius templo pendebant, singulis annis deferri jussit in Capitolium.

Mortuo Basso Flavius Sylvius in administratione succedit, collectoque exercitu, movit adversus Messadam castellum, quod unum non parebat Romanis; inexpugnabile, propter situm in altissima, & præruptissima rupe reputabatur. Sylvius in subjecto colle satis amplo solidum ad ducentos cubitos tumulum erigit, cumulatque prægrandibus saxis, imponitque operi præaltum tabulatum, desuper turris quinquaginta cubitis erecta est, tota ferro consepta, unde balistarum jaculis propugnatores e muro disturbat, prægrandique ariete murum saxeum verberans, partem ejus multo labore dejecit; novumque murum ab obsessis excitatum ex longioribus trabibus, quarum intervalla loto repleverant, injectis crebris facibus inflammatum combussit, decrevitque prima luce hostes aggredi.

Eleazarus, qui locum tenebat cum nongentis sexaginta sicariis, hortatur suos, ut Romanorum ultionem honesta morte præveniant. Alacres omnes ad facinus advolant, interfectisque conjugibus ac liberis, universis bonis in unum congestis ignem injiciunt, & decem ex eorum numero sorte electi percussere cæteros. Omnibus occisis, eamdem sortis legem hi in sua quoque morte statuerunt, ut cui contigisset, novem peremptis, semet super eos occideret. Novissimus circumspecta multitudine mortuorum, ne quis forte in multa cæde superesset, qui suæ manus egeret, ubi cognovit omnes peremptos, ignem immittit regiæ; tum magna vi per medium corpus transacto gladio juxta suos occubuit. Hæc calamitas contigit die 15.ª mensis Aprilis, anno Christi 76., qua die tota Judæa debellata venit sub potestatem Romanorum, qui novissimum illud castellum postridie occuparunt. Sicque perfecte completa est ante quingentos annos edita hæc Danielis prophetia: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur* (Dan. 9.) *Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est; & civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio*. Hanc adimpletam confirmat septemdecim sæculorum experientia.

(Joseph. lib. 7. de bell, c. 29. & 30.) Sicarii non pauci in Ægyptum profugi Judæos sollicitabant ad rebellionem: eorum sexcenti comprehensi consilio Optimatum, traditi sunt Romanis: eorum tanta fuit pertinacia, ut gravissimos cruciatus, ignemque sustinere maluerint etiam pueri, quam Cæsarem nominare Dominum. Imperator audito eo motu, præcepit Lupo præfecto Alexandriæ ut Judæorum templum in ea urbe destrueret. Onias pontifex Hierosolymis profugiens, tempore bellorum regis Antiochi, illud extruxerat, annuente Ptolomæo Philometore, qui graves inimicitias cum Antiocho gerebat. Lupus susceptis literis Imperatoris, mitius agendum ratus, templum clausit. Paulinus ejus successor ablatis donariis, sic fecit inaccessum, ut ne vestigium quidem divini cultus in eo resideret.

Sicariorum audacia, veluti morbus, etiam ea quæ circa Cyrenem sunt oppida contigerat. Elapsus ad eos Jonathas, homo nequissimus, imperitam turbam deludens falsis artibus deduxit in solitudinem. Primates Judæorum rem statim ad Catulum Lybiæ rectorem deferunt, qui missis peditibus, & equitibus eos facile oppressit. Jonathas cum pluribus aliis adductus est ad Catulum, apud quem maligne accusavit primores Judæorum fuisse consilii participes. Evidens erat calumnia; hanc tamen avide suscepit Catulus eorum opibus inhians, & opulentos quosque ad tria millia trucidavit. Jonathas Romam vinctus perducitur: hic etiam in alios crimen suum derivare conatus est: sed Imperatoris judicio sunt absoluti; ipse vero damnationis tulit sententiam, virgisque cæsus vivus exustus est. Catuli improbitatem inultam non reliquit divina justitia, terroribus exagitatus, & interno igne consumptus, extis diffluentibus, paulo post mortuus est. Tot malis, quibus gens Judæorum afflicta est prope ad internecionem, cumulus accessit, illata jussu Vespasiani persecutione; quem fama est, inquit Eusebius, post expugnatam Hierosolymam, eos, qui a Davide genus ducerent, perquiri jussisse, ne quisquam ex regia stirpe superesset. (Eus. hist. l.3. c.12.) Sub idem tempus ingens historiæ naturalis opus Tito dedicavit Plinius.

VII. Hierosolyma eversa, variæ sectæ Sadducæorum, Pharisæorum, Hemerobaptistarum, quæ diu apud Judæos viguere, brevi tempore dissipatæ sunt. Sed plerique eorum sectatores professi religionem Christianam, in eam varias invexerunt hæreses. Re quidem ipsa, quo tempore Christiani in Peræa degerent, atque in urbe Pella Potissimum, Ebio, cujus nomen idem sonat, ac pauper, in pago Cocabe, prædicandi pessimi dogmatis initium sumpsit. Docebat Christum simplicem, ac purum esse hominem, ex Josepho, & Maria progenitum, qui profectu virtutis justus factus esset, & Filius Dei. Ejus discipuli, absurdam hanc opinionem refugientes, Christum quidem ex Virgine virtute Spiritus Sancti genitum esse non negabant; sed eum utpote Deum, Verbum ac sapientiam Patris ab æterno substitisse minime fatebantur. En quibus majoribus gloriari possunt Ariani, & Sociniani. Affirmabant præterea legis observantiam saluti omnino necessariam: baptismo tamen initiati observabant diem dominicam, atque ad Christianorum imitationem mysteria quædam celebrabant in panibus azymis, sed ad alteram mysterii partem meram aquam adhibebant. Epistolas Pauli prorsus rejiciendas esse censebant; fingebant eum ex parentibus gentilibus natum suscepisse circumcisionem, amore cujusdam puellæ, a qua passus repulsam, factus esset desertor legis. Solum Matthæi evangelium recipiebant, & quidem adulteratum, reliqua contemnentes. Laudabant tamen Petri circuitus a Clemente conscriptos: sed in cujus libro paucis veris retentis, cætera supposuere, ac de Petro plurima mendacia confinxerunt, ut eum in patrocinium suæ hæresis quoquo modo traherent: quemadmodum Clemens ipse illos redarguit in epistolis circularibus, quæ, inquit Epiphanius, in sacrosanctis ecclesiis leguntur; etenim virginitatem Clemens docuit, illi repudiant, adolescentulosque ante maturam ætatem compellunt ad nuptias, quibus facile dissolutis, ad secundas, & tertias, imo & ad septimas transire permittunt. Ille Eliam, Davidem, omnesque prophetas commendat; detestantur Ebionitæ: ajebant Petrum castimoniæ causa lavisse quotidie; quod facere consueverunt; pariter ab animatis omnibus, & carnibus abstinuisse, a quibus pariter abhorrent. Ebion hos errores in Asia, & Romæ disseminavit.

(Epiph. hær. 29. o. 5. & hær. 30. num. 2. *Ebionis hæresis.* Eus. hist. l.3. c.27.)

Ebionis magister fuit Cerinthus e Judæo pseudochristianus; ejus fabulas superius cum attigerimus, observabimus tantum de Christi regno eum turpius hallucinatum esse, quam millenarios patres: affirmabat enim post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, hominesque Hierosolymis vitam agentes cupiditatibus, & voluptati corporis obnoxios fore, ac mille annos in festis nuptialibus transactum iri. Irenæus se a Polycarpo accepisse testatur, Joannem Apostolum, cum aliquando in balneum lavandi causa introisset, & Cerinthum intus esse didicisset, statim ex eo loco fuga se proripuisse, cum ne tectum quidem cum Cerintho subire sustineret; hortatumque esse comites suos ut idem facerent, ne balneum, inquit, corruat, in quo Cerinthus est veritatis inimicus. Hæc hæresis viguit in Asia minori, & in Galatia. Cerinthum a communione fidelium absciderunt Apostoli.

(Hieron. adv. Lucif. Eus. hist. l.3. c.28. Iren. l.3. adv. hær. Epiph. hær. 28.)

Eadem tempestate Menander, ex vico Caparattæa prope Samariam oriundus, Simonis Magi discipulus atque successor, ad summam magicarum rerum peritiam perinde, ac magister, progressus, pluribus adhuc, & absurdioribus figmentis exuberavit. Asserebat seipsum esse Salvatorem, ad hominum salutem ex ævis invisibilibus destinatum, neminemque posse mundi conditoribus angelis prævalere, & consequenter consequi salutem, nisi qui prius magica disci-

(*Menandri hæresis.* Eus hist. l.3. c.26. ex Iren.)

CHRISTI An. 76.

disciplina, a se institutus, & baptismo, quem ipse tradebat, initiatus fuisset: quem baptismum quicumque suscipere meruissent, eos perpetuam in hoc sæculo juventutem atque immortalitatem adepturos affirmabat. Magnificis adeo promissis paucos tamen seduxit Menander. Fuit hoc diabolicæ calliditatis commentum, inquit Justinus, ut per maleficos homines Christianorum nomen sibi falso vendicantes, magnum illud religionis nostræ sacramentum magicæ artis infamia aspergeret, ecclesiasticaque dogmata de animarum immortalitate, ac de mortuorum resurrectione ludibrio exponeret.

Tertul. l. de anim. cap. 50. Justin. apol. 2.

VIII. Apostolos quoque suos inter gentiles habuit simius divinitatis diabolus. Philosophi plures circumeundo provincias adibant celeberrimas civitates, habebantque de pravis moribus corrigendis ad populum conciones: sic autem in morum corruptelam invehebantur, hortabanturque ad frugem meliorem, ut gentilitiæ avitæ superstitionis cultum retinendum diligentius inculcarent. Præ cæteris eminebant Apollonius Tyanæus, & Euphrates, Apollonio quidem primo amicitia conjunctissimus, deinde ejus adversarius infensissimus: his adde Demetrium Cynicum, Musonium, ejusque generum Artemidorum: ejusdem professionis erant Damis Pythagoreus, Epitectus Stoicus, Dio cognomento Chrysostomus propter eloquentiam, Lucianus Epicureus, sed aliis inferior. Philosophos sic florentes præter Musonium Roma excedere jussit Vespasianus, ob maledicam in omnes licentiam, licet ipse eorum dicteria contemneret; sed inde nascebantur tumultus populares. Diogenes junior cum populum in theatro vexaret contumeliis, virgis cæsus est, & Hiras eam sibi vendicans libertatem capite truncatur.

Dio in vesp.

Christi divina virtus.

Ejusmodi adversarios passi sunt Apostolici viri, adversus quos pariter militabant multa præjudicia. Judæi propter recentem rebellionem in odium venerant omnibus: itaque Apostoli natione Judæi parum æquis auribus audiebantur: inducebant religionem novam a gentium institutis alienam, humanis cupiditatibus contrariam, cujus mysteria humanam superabant intelligentiam, videbanturque repugnare receptis Philosophiæ principiis: quibus nominibus hanc multi rejiciebant, qui Christum hominem Judæum crucifixum adorare ut Deum abhorrebant. Sed in his obicibus superandis enituit virtus crucis, quæ radiis divinitatis effulgens, omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei dejecit, omnemque intellectum redegit in Christi obsequium: ut tanta virtus non esset ex homine, sed ex Deo, qui elegit infirma mundi, ut fortia quæque confunderet. Hinc, inquit Chrysostomus, faciemus demonstrationem virtutis Christi, & ostendemus ipsum Deum. Etenim non est puri hominis in tantis rebus orbem terra marique tam brevi tempore comprehendere, & tam absurdis moribus præventum liberare humanum genus... Insuper quod hæc confecit nulla prælia committens, sed per undecim viros principio ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, persuasit tot hominum tribubus, idque non præsentibus solum, sed & futuris.

ad Rom. 4.

Hermæ liber.

IX. Eadem ætate florebat Hermas Apostolorum discipulus, cujus meminit D. Paulus in epistola ad Romanos: scripsit græce librum, qui Pastor inscribitur; ut canonicus laudatur a quibusdam Patribus, qui ex eo testimonia proferunt: prioribus sæculis publice legebatur in Ecclesiis Orientalibus, Occidentalibus vero prope ignotus. Hunc apocryphum declaravit Gelasius; nullius authoritatis esse dixit D. Prosper; utilem censet D. Hieronymus; depravatum ab hæreticis volunt aliqui Recentiores, sed non probant. Distribuitur in tres partes: 1.ª est de visionibus, 2.ª de præceptis; 3.ª de similitudinibus, a prima parum differt. Hic brevem ejus synopsim subjiciemus, multa enim quæ pertinent ad fidem, & mores complectitur, nonnullasque vitæ authoris circumstantias ex eo condiscimus.

Clem. Alexandr. lib. 1. & 2. strom. Eus. hist. lib. 3. c. 3. Prosp. adv. coll. Hier. de script. eccl. Athan. l. de incarn. L. 1. Past.

Prima, & secunda visio ei facta est sub specie anus, quæ Ecclesiæ typum gerebat, ejus defectus reprehendentis, 1.ª quidem malas cogitationes: "Qui enim nefanda cogitant in cordibus suis, mortem & captivitatem assumunt, maxime ii, qui hoc sæculum diligunt, & gloriantur in divitiis suis: 2.ª negligentem filiorum educationem, quibus erat indulgentior; quod peccatum amissione bonorum temporalium ultus est Deus: "Tu, cum sis amator filiorum, non commovisti domum tuam, sed dimisisti illos conversari violenter; propter hoc infescitur tibi Dominus... propter illorum peccata, & iniquitates consumptus es a sæcularibus negotiis: sed misericordia Dei miserta est tui, & domus tuæ, & conservavit te in gloria (scilicet filiorum Dei). Sed improperas verba hæc filiis tuis omnibus, & conjugi tuæ, quæ futura est soror tua, " per mutuam continentiam, " & ipsa compescat linguam tuam, in qua malignatur, & auditis his verbis, continebis te, & consequetur misericordiam. Remittuntur peccata illis, qui jam pridem peccaverunt, si ex toto corde suo egerint pœnitentiam: sed & illud te salvum faciet, quod non discesseris a Deo vivo, & simplicitas tua, & singularis continentia salvabit te. " Ex his liquet Hermam non graviter deliquisse in iis, quæ modo reprehendit, sed incuriæ cujusdam ac simplicitatis fuisse defectus.

3.ª Visio est de structura triumphantis Ecclesiæ, sub specie turris, cujus ædificationi allaborant diversi operarii. Hæc turris super aquas ædificabatur: "quoniam, (inquit) vita vestra per aquam salva facta est, & fiet: fundata est enim verbo omnipotentis, & honorifici nominis " scilicet unius Dei in tribus personis subsistentis. Ædificandæ turri comportabantur varii lapides ex diversis locis, quorum alii sunt in structura, tales sunt justi: " quidam vero sic rejiciuntur, ut ponantur juxta turrim; & ii sunt qui peccaverunt, & voluerunt pœnitentiam agere: quoniam utiles erunt, si pœnitentiam egerint. „ Qui autem rejecti longe projiciuntur, sunt filii iniquitatis, quoniam non sunt utiles in structura propter nequitias suas, in quibus permanent. Denique divites comparat lapidibus rotundis, qui sola partium quarundam resectione possunt aptari ædificationi. Juxta turrim erant septem mulieres, virtutum Christianarum imagines: " prima vocatur fides, per hanc salvi fiunt electi Dei: alia dicitur abstinentia (scilicet a vitiis); hæc filia est fidei: quisquis ergo secutus fuerit illam, felix fiet in vita sua, quoniam ab omnibus operibus malis abstinebit, credens quoniam sive abstinuerit ab omni concupiscentia, hæres erit vitæ æternæ. „ Aliæ quinque sunt invicem filiæ, ex qualibet enim nascitur virtus altera, dicunturque simplicitas, innocentia, modestia, disciplina, & charitas: hæ virtutes connexæ sunt invicem: " ex fide nascitur abstinentia, de abstinentia simplicitas; de simplicitate innocentia; de innocentia modestia; de modestia disciplina, & charitas: harum ergo opera sancta, & pudica, & recta sunt: quicumque ergo servierit his, in turri habebit habitaculum cum sanctis Dei. „

4.ª Visio est de tentatione, & tribulatione Christianis superventura. Exhibita est ei sub figura prægrandis bestiæ, quadricoloris, ex cujus ore procedebant locustæ igneæ. Illius color niger mundum denotabat: igneus, & sanguinolentus indicabant finem hujus sæculi per ignem, & sanguinem: aurea pars significabat electos, qui effugerunt hoc sæculum nequam: " sicut enim aurum per ignem probatur, sic & vos probamini. „ Immanem hanc belluam effugiemus, si cor nostrum fuerit purum, & sine macula, & reliquos vitæ nostræ dies Deo servierimus sine querela. Testatur Hermas has visiones sibi factas, postquam multos dies jejunasset, & orasset; neque fuere continuæ, sed unius anni intervallo, quandoque se subsecutæ sunt.

Past. l. 2.

Secunda pars 12. mandata complectitur, quæ Hermæ tradidit angelus custos sub habitu pastoris: totum opus nomen inde traxit, & dicitur Pastor. 1.ᵐ mandatum est de fide in unum Deum creatorem omnium: "crede in eum, & time eum, & timens abjice omnem nequitiam, & indue virtutem justitiæ, & vives Deo.. „ 2.ᵐ de fugienda obtrectatione, & de eleemosyna facienda: " simplicitatem habe, & innocens esto, & eris sicut infans, qui nescit malitiam, quæ perdidit vitam hominum: de nullo male loquaris, neque libenter audias male loquentem; alioquin particeps eris peccati male loquentis. Omnibus pauperibus da simpliciter, nihil dubitans cui des; qui accipiunt ficta necessitate, reddent rationem; qui autem dat, innocens erit... „ 3.ᵐ prohibet mendacium.

Quid agendum cum uxore adultera.

4. Præscribit quid marito liceat circa conjugem adulteram. Hermas sic interrogat angelum: " si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc invenerit in adulterio, numquid peccat vir, si convivit cum illa? (Respondet angelus): quamdiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem scierit vir uxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione sua, & convivit cum illa vir, reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis ejus...

CHRISTI AN. 76. dimittat ergo illam vir, & per se maneat: quod si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse
Trid. sess. 57. c. 7. mœchatur. „ En conformis definitioni Concilii Tridentini sententia de vinculo matrimonii permanente post adulterium. Pergit Hermas: " si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur a viro suo? Imo, (inquit Angelus) si non receperit eam vir suus, peccat, & quidem graviter: debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiem egit, sed non sæpe: servis enim Dei pœnitentia una est. Hic actus similis est in viro, & muliere. „ Quod eit, unam esse servis Dei pœnitentiam, intellige publicam, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis, juxta antiquos canones, semel tantum in vita concedebatur. Deinde secundas nuptias epprobat Angelus, sed addit: " si mortua uxore vir sic per se manserit, magnum sibi conquirit honorem apud Dominum... „

5.m Mandatum improbat iracundiam: 6.m docet,
Angeli custodes. cuique homini adesse duos Angelos, unum æquitatis, alterum iniquitatis suasorem: ex bonis, vel malis animi affectibus facile intelligimus, quis horum in corde nostro dominetur: priori obsequendum, fortiter repugnandum alteri. Eam opinionem sic confirmat Gregorius Nyssenus: est sermo ex majorum
Greg. Nyss. de vit. Moys. traditione fidem sibi vendicans, qui dicit, postea quam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum sua providentia minime destituisse, sed Angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad unius cujusque tutelam vitæ, ac præsidium; atque ex adverso naturæ corruptorem pari machinatione contre niti, & pravo quodam ac malefico adjuncto dæmone hujus vitæ perniciem afferre. Porro hominem in amborum medio constitutum, alterius propositum alterius proposito contrarium suapte momento valentius reddere. Sententiam de Angelo custode confirmant hæc
Matth. 18. verba Christi: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.*

7.m Sic habet: " time Dominum, timens enim eum, omnia bona operaberis: hic est timor, quo timere oportet, ut salvus esse possis. Diabolum ne timeas: timens enim Dominum dominaberis illius; quia virtus in illo nulla est.... 8.m dicit declinandum a malis, & bona esse facienda... 9.m est de
Orationis leges. oratione, cujus has leges præscribit: " purifica cor tuum ab omnibus vitiis hujus sæculi, & accipies omnia bona quæ petis, & ex omnibus petitionibus tuis nihil deerit tibi, si sine dubitatione petieris a Domino... omnia autem dubitans homo, si non pœnitentiam egerit, difficile Deo vivet... sed si petas aliquando, & non accipias, noli dubitare, quia non cito acceperis: forsitan enim propter tentationem, aut pro peccato tuo, quod tu ignoras, tardius accipies: sed tu noli desinere petendo, & accipies: si autem cessaveris petendo, de te queraris, non de Deo, quod non dederit tibi... „ 10.m præcipit fugiendam esse tristitiam, quippe quæ omnium spirituum nequissimus est, " & non patitur orationem mundam ascendere ad altare Dei. „ Assignat hoc indicium mali spiritus: pseudo-propheticus spiritus adulatorius est, interrogatusque quærit gratiam audientium, quos implet promissis, & quædam vera falsis miscet, ut decipiat etiam servos Dei, qui dubii sunt... In duobus ultimis mandatis idem argumentum prosequitur: " pseudo-propheta applicat se dubiis, & vacuis, & in angulis, & abditis locis divinat illis, & delectat illos, loquendo secundum omnia desideria cordis eorum: nam in ecclesiam virorum non accedit, sed refugit: homo qui habet spiritum Dei, quietus est, & humilis, & recedit ab omni nequitie, & desiderio vano hujus sæculi, & omni homine se facit humiliorem, & loquitur tantum cum vult Deus. Spiritus autem malus, terrestris, vacuus, & fatuus, virtutem non habens, exaltat se, & vult primam cathedram habere, & improbus est, & verbosus, & in deliciis conversatus, & in voluptatibus multis, & mercedem accipit divinationis suæ... „ non convenit hæc facere Dei Prophetam, qui debet omnem malam abjicere cupiditatem, quam refrenabit, si voluerit.

Mandata Dei non sunt impossibilia. Hunc secundum librum sic concludit Hermas: Angelus dixit mihi: " habes hæc mandata, ambula in his, & audientes homines hortare, ut pœnitentiam agant... Nunc autem dico tibi, si non custodieris hæc mandata, & omiseris, non eris salvus, neque filii tui, neque domus tua, quia ipse judicaveris quod non possunt hæc mandata ab homine custodiri.
Hæc mihi vehementer iracunde locutus est, ita ut CHRISTI AN. 76.
conterreret me valde; & cum vidisset me conturbatum, cœpit loqui moderatius, & hilarius dicens: stulte, & insensate, inconstans, & ignorans majestatem Dei, quam magna, quamque mirabilis sit, qui orbem creavit propter hominem, & omnem creaturam subjecit homini, & omnem potestatem dedit illi ut dominetur horum mandatorum, qui habet Dominum in corde suo. Qui autem habent Dominum in labiis suis, & cor illorum obtusum est, & longe sunt a Domino; illis mandata hæc dura sunt, & difficilia: ponite ergo vobis, qui vacui, & leves estis in fide, Dominum Deum vestrum in corde habere, & intelligetis, quod nihil facilius sit his mandatis, neque dulcius, neque mansuetius, neque sanctius. Et dixi illi: Domine, audi me pauca verba dicentem tibi. Dic, inquit. Homo, inquam, cupit quidem mandata Dei custodire; & nemo est, qui non petat a Domino, ut possit mandata ejus servare: sed diabolus durus est, & potentia sua dominatur in Dei servos. Et dixit: non potest dominari in Dei servos, qui ex totis præcordiis in Dominum credunt: potest autem
diabolus luctari, sed vincere non potest; si enim re- In proœ.
sistitis illi, fugiet a vobis confusus. Hæc omnia præcipit mihi scribere Pastor ille nuncius pœnitentiæ. „

3.a Pars similitudines decem exhibet; abundat etiam l. 3. past.
documentis vitæ idoneis: præcipua breviter attingam. Hæc in 4.a similitudine Hermæ commendat angelus: " Tu ergo fac fructum bonum, ut in æstate (id est in futuro sæculo) cognoscatur fructus tuus; & abstine te a multis negotiis, & nihil delinques: quicumque enim multa negotia agunt, multa delinquunt... „ In 5.a hæc leguntur circa jejunium: " sic ergo facies: peractis quæ supra scripta sunt, illo die quo jejunabis, nihil omnino gustabis, nisi panem, & aquam. „ Angelus Hermæ præcipit xerophagiæ maxime austerum genus, jejunium fortissimum. Pergit: " computata quantitate cibi, quem cæteris diebus comesturus eras, sumptum diei illius, quem facturus eras, repones, & dabis viduæ, pupillo, aut inopi, & sic consummabis humilitatem animæ tuæ, ut qui ex eo acceperit, satiet animam suam, & pro te edeat Dominum oratio ejus. Si igitur sic consummaveris jejunium tuum, quemadmodum præcipio tibi, erit hostia tua accepta Domino. „ Ibidem jejunium vocat stationem more latinorum, quos inter Romæ vivebat Hermas. Mos fuit veterum Christianorum, jejunii diebus mane adire ecclesiam, ibique in oratione, aliisque pietatis officiis præstare usque ad horam post meridiem tertiam.

In septima, Hermæ postulanti liberationem a ve- *Opera satisfactoria.*
xatione, quam patiebatur ejus domus, quamvis ageret pœnitentiam, sic respondet Angelus: " ego scio totis præcordiis eos agere pœnitentiam: numquid ergo protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt pœnitentiam? non proinde continuo; sed oportet eum, qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animo se perstare in omni negotio, & vexationes multas, variasque perferre; cumque perpessus fuerit omnia, quæ illi instituta fuerint, tunc forsitan, qui eum creavit, commovebitur erga eum clementia sua, & aliquod remedium dabit; idque ita, si viderit ejus, qui pœnitentiam agit, cor purum esse ab omni opere nequissimo. Tibi autem ac domui tuæ vexari nunc expedit, & multam vexationem pati necesse est, sicut præcipit nuntius Domini, qui te mihi tradidit. „ En opera pœnalia satisfactoria pro abolitione delictorum... In 8.a agens de variis electorum, & pœnitentium ordinibus, rogat Hermas, quare non omnes agant pœnitentiam. Angelus hanc affert rationem: " quorum viderat Dominus puras mentes futuras, & servituros ei ex totis præcordiis, illis tribuit pœnitentiam: at quorum aspexit dolum, & nequitias, & animadvertit fallaciter ad se reversuros, negavit eis ad pœnitentiam regressum; ne rursus legem ejus nefandis maledicerent verbis. Nonnulli existimarunt in his verbis latere Pelagianismum: eorum censura mihi videtur durior: hæc verba sensum habent legitimum: nempe Deus illis dedit pœnitentiam, quos vidit sic a peccatis recessuros, ut deinceps ei mundo corde serviant per spiritum divinitus concessum, ut supra dixerat Pastor. Pœnitentia vero negatur apostatis, & Ecclesiæ proditoribus, qui inter reliqua sua delicta nefandis verbis Dominum insectantur, nomen ejus negaverunt, quod erat super eos invocatum: hi omnes mortui sunt Deo: atque etiam neminem eorum vides egisse pœnitentiam. „ Quibus verbis indi-

Digitized by Google

Christi An. 80.

indicat hæresiarchas, sectarumque antesignanos. Quam vera sit ejus sententia, manifestum est ex historia ecclesiastica, quæ unum ex tot sectariorum ducibus nobis exhibet Berengarium, qui moriens dederit signa pœnitentiæ.

Ambiguum est, ne dicam erroneum, quod numero 56. dicit, Apostolos post mortem prædicasse justis mortuis baptismum, & fidem in Christum crucifixum, & Redemptorem, unaque cum ipsis descendisse in aquam ut eos signarent sigillo filii Dei. Cum ea differentia, quod Apostoli jam donati lavacro regenerationis, vivi descenderint, & ascenderint; econtra illi descanderunt mortui, & vivi ascenderunt in regnum Dei. Hæc sententia licet intelligatur de gratia baptismali, ut aliqui benignius eam interpretantur, difficilia est & obscura. Septimo idus Maji, D. Hermæ sic meminit Romanum martyrologium: hic digne semetipsum sacrificans, acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarus cœlestia regna petivit.

Svet. in Vesp. cap. 24.

X. Vespasianus Imperator anno Christi 80. sensit tentari valetudinem suam: primi morbi accessione, ut, inquit, puto, Deus fio, irridens apotheosim, qua senatus mortuo decreturus erat divinos honores. Reatina rura petiit, hic eum super urgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ usu & intestina vitiasset; nec eo minus muneribus Imperatoris ex consuetudine fungeretur; ut etiam legationes audiret cubans, alvo repente usque ad defectionem soluta, Imperatorem, ait, stantem mori oportere: dumque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium extinctus est, octavo Kalendas Julii, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum, expleto Imperii decimo. Nullam in Christianos movit persecutionem: legimus tamen sub ejus Imperio D. Apollinarem Ravennatensem episcopum martyrio coronatum. Id contigit fraude sacrificulorum, qui seditionis accusatum, eo quod gentiles averteret ab idolis, cum crudeliter necarunt inscio Imperatore. Ejus imperii anno ultimo Linus Romanæ Ecclesiæ episcopus, cum eam duodecim annis administrasset, Anacleto deinde regendam tradidit, ut docent Irenæus, Tertullianus, Eusebius, eisque posteriores Optatus, Augustinus, Hieronymus, qui Cletum inter Romanos pontifices non recensent, quamvis eorum successionis ordinem recenseant, ut probent Ecclesiæ Catholicæ perpetuitatem & antiquitatem. Econtra in duobus vetustissimis catalogis, & in canone Missæ nulla fit Anacleti mentio, sed solius Cleti, qui post Linum sedisse dicitur. Hinc liquet unum eumdemque esse Cletum & Anacletum, nomine tantum per corruptionem abbreviato, cujus memoria recolitur duobus diebus, scilicet depositionis & translationis; quidquid opponant recentiores. Quod enim supponunt, Hegesippum & Irenæum, qui secundo sæculo Romæ commorati sunt, non certo cognovisse priorum pontificum successionem, probabile non videtur, tunc quippe erant pauci, eorumque nomina in sacris diptycis descripta recitabantur in Missarum solemniis, & erant nota toti clero. Eusebius vero nomina priorum pontificum ex Hegesippo cum successionis ordine descripsit.

Chrysol. hom. de S. Apol. Martyr. Roman. 25. Jul.
Anacletus seu Cletus Papa.
Iren. l. 3. cap. 3. Tert. l. 3. in Marcion. Eus. l. 3. cap. 13. Optat. lib. 2. August. epist. 65. Hier. de script. eccl.

Titus Imperat.

Vespasiano successit Titus ejus filius, qui dictus est amor & deliciæ generis humani; natura quippe benevolentissimus neminem saltem sine spe dimisit: quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quam præstare posset: non oportere, ait, quemquam a sermone principis tristem discedere; atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, mirabilem illam meritoque laudandam vocem edidit: amici, diem perdidi. Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem præstitit: nec author post hac cujusquam necis, nec conscius: quamvis interdum ulciscendi causa non deesset: sed periturum se potius, quam perditurum adjurans. Inter hæc morte præventus est, majore hominum damno, quam suo, non sine suspicione veneni a fratre propinati: extinctus est in eadem, qua pater villa, cum imperasset post patrem duobus annis, totidemque mensibus, & viginti diebus, altero & quadragesimo ætatis anno, Christi 82. mense Octobri.

Domitianus Imp. Svet. in Domit. c. 9. & 10.

Domitianus, mortuo fratre Tito, statim capessivit imperium; inter principatus initia, quædam dedit signa clementiæ, moderationis, & æquitatis, tulitque leges optimas; legem Juliam de adulteris restituit, gravissimasque pœnas decrevit in nobiles fœminas, quæ violatæ pudicitiæ convincerentur; probrosis autem lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata & hæreditates. Eunuchos etiam fieri prohibuit, quod sciret ejusmodi semiviros esse in deliciis dominarum. Sed neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: celerius ad crudelitatem, & rapinas & extorsiones descivit, Nerone nequidem inferior. Primus se Dominum & Deum appellari voluit. Hujus anno nono, Christi 90., Anacletus, quem alii Cletum vocant, 12. pontificatus anno successorem reliquit Clementem; quem Paulus in epistola ad Philippenses appellat adjutorem suum. Tanta fuit apud omnes opinio illius doctrinæ apostolicæ, ut pleraque scripta priorum sæculorum, quorum authores ignorabantur, ei fuerint attributa.

Christi An. 82. & 90.

Eus. hist. l. 3. c. 15. cap. 4.

Clemens Papa, ejus opera.

Utrum sit author Constitutionum Apostolicarum, dubium est: Trullana Synodus, Photius, Græcique posteriores, eas sub ejus nomine laudarunt. Illius operis meminere Patres antiquiores, qui negant illud esse canonicum; de eo sic loquitur Epiphanius: Audiani ad institutum suum quamdam ex Apostolorum constitutione authoritatem accommodant: qui liber tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus; nam in eo quæ ad Ecclesiæ disciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide, ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac decretis contrarium continet. Verum ejusmodi constitutionum libros octo postea impie interpolavit manus hæretica, ut observarunt Patres Trullani, qui idcirco eos rejecerunt. Corruptionem clare demonstrant loca citata tum a D. Epiphanio, tum ab authore operis imperfecti in Matthæum: quorum pleraque nunc non extant, aliaque cum magna differentia verborum & sensuum leguntur. Demum libro sexto constitutionum author jubet eos rebaptizari qui baptizantur ab hæreticis, & passim se prodit Arianum.

Trul. Synod. can. 2. Phot. bibl. cod. 113. Epiph. hær. 70.

Canones apostolici.

XI. Apostolorum Constitutiones sequuntur 85. Canones, qui dicuntur Apostolici, & descripti per Clementem. Hæc autem decreta nec Apostolorum, nec Clementis esse inde evincitur, quod multa nondum Apostolicis temporibus recepta contineant; & nullus e scriptoribus primorum sæculorum illa laudat. Si autem essent Apostolorum, Cyprianus & Firmilianus cum suis episcopis Stephano Papæ objecissent 45^{m}., in quo sic legitur: episcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? Idem canone sequenti statuitur. Victor Papa, Synodique tum Orientis tum Occidentis quintum canonem, quo constitutum est, ne Pascha cum Judæis celebretur, protulissent adversus Asiaticos, qui hunc suum usum contendebant esse Apostolicum. Eorum autem silentium certo probat hos canones Orientali & Occidentali Ecclesiæ tunc fuisse prorsus incognitos; ac proinde necdum fuisse conditos. Primus eorum meminit Nectarius in Synodo Constantinopolitana, anno 394. Centum post annis eosdem canones in Synodo Romana sic proscripsit Gelasius: liber, qui appellatur canones Apostolorum, apocryphus. Dionysius Exiguus non multo post quinquaginta priores suo canonum codici præfixit, præfatus plurimos iis consensum non præbuisse facilem; eos approbavit Trullana Synodus, cujus judicium secuti sunt Græci posteriores, si Photium excipias. Sed ab Ecclesiis Occidentalibus vel ignorati sunt, vel rejecti. D. Isidorus Hispalensis septimo sæculo eos inter apocrypha deputavit, imo contendit suppositos ab hæreticis. Paulatim tamen authoritatem meruerunt, laudati per Pontifices ac Synodos. Aliter actum in reliquis triginta a quinquagesimo: illorum pauci notitiam habuere, idque ad censuram atque contemptum.

Alba-spin. observ. l. 1. c. 13.

Quod spectat ad eorum antiquitatem & originem, Illustrissimus Alba-spinæus episcopus Aurelianensis vetustam hanc canonum collectionem nihil aliud esse contendit, & quidem probabilissime, quam breviarium & epitomen privatorum conciliorum, & rerum a privatis episcopis sancitarum, qui Græcas ecclesias ante Nicænum concilium administrarunt. Hinc a diversis viris collecti videntur, quorum hi plures, alii pauciores recensuerunt. Canones a se collectos alii ecclesiasticos, apostolicos alii nominarunt; non quod ab ipsis Apostolis conscriptos crederent, quos ipsi a conciliis decretos collegerant, sed quod doctrinæ, & traditionibus apostolicis consonos,

consonos,

Digitized by Google

CHRISTI fonos , & n viris apoſtolicis conſtitutos perſuaſum
AN. 90. haberent . Hæc omnia ſub uno eonſpectu proponen-
da dusimus , quæ ſeparatim pro ratione temporum
lectorem effugerent , eamdemque methodum deinceps
in ſimilibus cauſis retinebimus.

Epiph. hær. 30. Clementia vero ſunt decem libri recognitionum ,
opns notum tnti antiquitati , ſed ſtarim depravatum
Phot. ab Ebinnitis ſcribit Epiphanius : infinitia pene , in-
bibl. quit Photius , abundat erroribua . Recognitionum
cod.113. pars eſt circuitus , ſeu itinerarium D. Petri : hioc
Gelaſius eas in concilio Romano reprobans ſic ha-
bet : itincrarium nomine Petri Apoſtoli , quod
appellatur ſancti Clementis , libri decem , apocry-
phum.

Euſ.hiſt. XII. D. Clementis extat epiſtola , quam omnes
l.3.c.16. unn conſenſu recipiunt ut genuinum ejus opns; exi-
&l.5.c 6. mia prorſus atqua mirabilis : hanc nomine Eccleſiæ
Clementis epiſt. ad Corinth. Romanæ ſcripſit ad Corinthinrum Eccleſiam , cum
apud eos gravia eſſet orta diſſenſio , ut eos ad pa-
cem concotdiamque revocaret , illnrumque fidem ,
Iren. l.3. & recens acceptam ab Apoſtolis traditionem reno-
adv. hær. varet . Hanc , inquit Hieronymus , in pleriſque Ec-
cap. 3. cleſiix & noſtra , & ſuperinri memoria palam recira-
Hier. de ri conſueviſſe reperimus. In ea reprehendit Photius,
ſcript. 1°. quod Phœnicis exemplo utatur tanquam veriſſi-
eccl. mo; ſed leviſſimum eſt: 2°. quod pontificem præſi-
Phot. in demque noſtrum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum
bibl. appellans , illas Deo convenientes vnces de eo non
cod.126. proferat . Sed de Chriſti divinitate nulla erat inter
c. 36. & Corinthins quæſtio, & nihil ei contrarium inſinuat.
38. Imo ex ſcriptura probat eum eſſe Filium Dei , ſe-
Edit. dentem ad ejua dexteram: & capite ſecundo memi-
cntel. nit paſſionum Dei. Illius ſtylus eſt dictione ſimplex,
num. 1. ac perſpicuus, accedenſque ad eccleſiaſticam , & in-
elaboratam dicendi formam.

Excuſat 1°. ſi propter adverſos caſus tardius re-
ſcripſerit , " animumque intenderit ad ſceleraram &
impiam ſeditionem , „ quam pauei homines præcipi-
tes ac temerarii ſic inſtammarunt, ut eorum nomen,
omnium laudibus celebratum , jam blaſphemetur . .
2°. In memoriam revocat piam converſationem ,
quæ virtutum omnium ſplendore floreret , dum "
ſubditi præpoſitis ſuis ſeoes reverebantur , juvenes
modeſte & moderate ſe gerere docebant , curabant
ut mulieres obedientes pie & caſte agerent omnia :
tunc ſinceri & ſimplices eratis , atque injuriarum
immemorea invicem , omnis ſeditio, & omnis ſciſ-
ſura vobis abominationi erat : quin etiam de pro-
ximorum delictis lugebatis. „ Adeo verum eſt vin-
culum pacis in Eccleſia eſſe ſubordinationem , quæ
ubi vel ex æmulatione, vel ex inani gloria viola-
tur , diſſenſiones & " ſchiſmata naſcantur neceſſe
eſt . „

Ibidem. Hinc pergit: " omnis gloria & diſtentio data eſt
vobis : hinc æmulatio , & diſcordia , & ſeditio, &
perſecutio , & tumultus: ſic inſurrexerunt inhonora-
ti contra honoratos , inſipientes contra ſapientes ,
juvenes adverſus ſeniorex : ideo procul abſunt juſti-
tia & pax, dum unnſquiſque timorem Dei deſerit ,
& ſecundum pravas ſuas cupiditates incedit , invi-
diam iniquam & impiam aſſumendo, per quam &
mora intravit in mundum. „ Idque confirmat exem-
5. plix veteris teſtamenti & novi, ſcilicet Apoſtolorum,
quotum martyrium imputat æmulationi adverſario-
rum . Quapropter eos hortatur ad pœnitentiam :
7. " fixia oculis reſpiciamus in ſanguinem Chriſti, qui
propter noſtram ſalutem effuſus , tnti mundo gra-
tiam pœnitentiæ obtulit: intueamur diligenter omnes
mundi ætatea, diſcamuſque qnod in ſingulis ætatibus
pœnitentiæ locum dedit Dominua volentibus ad ſe
converti : quare obediamus magnificæ & glorioſæ
illius voluntati ; & ſupplices illius miſericordiæ &
benignitati procidamux , relictis vania operibus ,
contentione , & quæ ad mortem dueit , æmulatio-
ne . „
16. Propoſito deinde ſanctorum exemplo ſuadet , ut
Deo fideliter ſerviant , adhæreantque iis , qui cum
pietate pacem habent ; & non iis , qui cum ſimu-
21. latione pacem volunt: ſiquidem Chriſtua eotum eſt,
qui de ſe humiliter ſentiunt ; cum & ipſe , licet
potena ſit, venerit in humilitate . Unde concludit :
" videte ergo dilecti, ne beneficia ejus plurima no-
bis in condemnationem cedant , niſi digne illo vi-
ventes , bona & placita in conſpectu ejus feccrimus
concorditer . Homines inſipientes & elatos offenda-
mux potius, quam Deum ; Dominum Jeſum Chri-
ſtum , cujus ſanguis pro nobis datus eſt , venere-

mur : præpoſitos noſtros revereamur : ſeniores no- CHRISTI
ſtros honoremus : juvenes doceamus diſciplinam ti- AN. 90.
moris Dei : uxores noſtras ad id quod bonum eſt
corrigamus ; amabiles caſtitatis mores oſtendant ,
ſimplicem ac ſinceram manſuetudinis ſuæ volunta-
tem demonſtrent , linguæ ſuæ moderationem ſilen-
tio manifeſtam faciant . Liberi noſtri diſciplinæ
Chriſti participes ſint ; diſcant quid humilitas apud
Deum valeat ; quid charitaa apud Deum poſſit ,
quomodo timor ejua bonus eſt , ac magnus , & ſer-
vans omnes qui in ipſo ſancte verſantur...„
Infra declarat quantum ſit juſtificationis noſtræ 28.
beneficium , quam operibus noſtris promereri non Ibidem .
poſſumus : " nos igitur , inquit , ex voluntate Dei 32.
in Chriſto Jeſu vocati , non per nos ipſos juſti effici-
mur , neque per ſapientiam noſtram , aut intelli-
gentiam , aut pietatem , aut opera , quæ in cordia
ſanctitate operati ſumus ; ſed per fidem , per quam
cunctos , qui unquam juſti fuerunt , juſtificavit 33.
Deus omnipotens . Quid igitur faciemus, fratres ?
ceſſabimus a bonis operibus , & charitatem derelin-
quemus ? neutiquam hoc a nobia fieri permittit
Dominus : ſed cum diligentia & alacritate feſtine-
mus omne opus bonum perficere ; " idque Chriſti
exemplo probat : ex quo infert : " oportet ergo
nos ad bonum opua faciendum promptos eſſe : ex
hoc enim omnia conſtant , quippe nobis prædicit ,
ecce Dominux , & merces ejus cum illo , ut red- Iſaiæ 40.
dat unicuique ſecundum opus ſuum . „ Tum magis 35.
ac magis eos urget, ut per bona opera nitantur fie-
ri participes beatitudinis æternæ; cujus amplitudinem
declarat , tum ex ſcriptura , tum ex bonis , quæ
Deus in hac vita largitur electis ſuis: eaque ſic ex-
plicat : „ quam beata ſunt, & mirabilia dona Dei,
dilecti ? vita in immortalitate , ſplendor in juſtitia ,
veritas in libertate, fides in confidentia, continentia
in ſanctitate . Quænam igitur ſunt quæ præſtolanti-
bus apparantur , (ſcilicet in cœlo ?) nos igitur
ſummo ſtudio contendamus in numero exſpectantium
eum reperire , ut participes fiamus donorum repro-
miſſorum . Quomodo autem eveniet iſtud , dilecti ?
ſi mens noſtra in Deum fide ſtabilita fuerit : ſi pla-
cita illi & accepta exquiſierimus : ſi perfecerimus
quæ ad inculpatam ejus voluntatem pertinent , &
ſecuti fuerimus viam veritatis ; abjicientes a nobis
omnem injuſtitiam , & iniquitatem , avaritiam ,
contentiones , malignitates , & fraudes , ſuſurros ,
& obtrectationes , odium Dei , ſuperbiam & oſten-
tationem , inanem gloriam , atque amorem vanita-
tis . Qui enim iſta faciunt , odioſi ſunt Deo : ne-
que ſolum qui ea faciunt , ſed etiam qui conſen-
tiunt illis. . . Hoc eſt iter, chariſſimi , in quo ſa-
lutare noſtrum invenimus Jeſum Chriſtum , pontifi-
cem oblationum noſtrarum , infirmitatis noſtræ pa-
tronum , & auxiliatorem . „ Hæc omnia probat
multis ſcripturæ authoritatibus.
Demum eos hortatur ut ad ſalutis viam redeant 38.
per mutuam concordiam , quæ in partium ſubje-
ctione conſiſtit ; illius neceſſitatem variis inſinuat
exemplix , ſcilicet exercitus , & corporis humani ;
illiuſque praxim ſic præſcribit : " ſervetur itaque
totum corpus noſtrum in Chriſto Jeſu, & unuſquiſ-
que proximo ſuo ſubjiciatur , juxta gratiæ donum
ipſi aſſignatum ; fortis ne contumelia afficiat im-
becillem ; imbecillis vero fortem revereatur . Dives
pauperi largiatur ; pauper vero gratias agat Deo ,
quod dederit ei per quem inopia ejus ſuppleatur .
Sapiens oſtendat ſapientiam ſuam , non in verbis ,
ſed in bonis operibus: humilis non ſibi teſtimonium
ferat, ſed ſinat ut alter ipſi perhibeat teſtimonium.
Qui carne paſſus eſt , ne inſoleſcat , ſciens alium 44.
eſſe qui ei continentiam donet. „ Inculcat eamdem
ſubordinationem in eccleſiaſtica Hierarchia neceſſa-
riam ; ideo Deus unicuique ſuum aſſignavit offi-
cium, ut omnis æmulationis & contentionis occaſio
præſcinderetur : " Apoſtoli noſtri , inquit , cogno-
verunt per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ,
quod futura eſſet contentio de nomine epiſcopatus :
ob eam ergo cauſam , accepta perfecta præcognitio-
ne , conſtituerunt ſupra dictos , (ſcilicet epiſco- *1. Regula ſucceſſionis in epiſcopis.*
pos , & diaconos ,) & deinceps futuræ ſucceſſio-
nis regulam tradiderunt ; ut cum illi decederent ,
miniſterium eorum ac munua alii viri probati ex-
ciperent. „ Itaque, ſecundum D.Clementem , ipſi-
met Apoſtoli tradidere regulam ſucceſſionis in epi-
ſcopatu, quæ prioribus ſæculis obſervabatur, ſcilicet
ut per Clerum fieret electio , præſentibus compro-
vincia-

Digitized by Google

CHRISTI vincialibus episcopis, qui populo consentiente eam
AN. 90. confirmarent, electum consecraret Metropolitanus.
" Constitutos, inquit, ab illis vel deinceps ab
eliis viris eximiis, consentiente & comprobaate
universa Ecclesia : qui inculpate ovili Christi mini-
straverunt cum humiliteste, quieta, nec illiberaliter,
quippe longo tempore ab omnibus testimonium præ-
elarum reportarunt, hos putemps officio injuste deji-
ci; neque enim leve erit peccatum nostrum, si
eos, qui citra querelam, & sancte offerunt dona,
episcopatu priveverimus. Videmus eutem quod vos,
nonnullos pie viventes, ex administratione, quam
inculpate ec honorifice exequebantur, transduxistis :
contentiosi estis fratres, & in rebus, quæ ad salu-
tem non pertinent, æmulatores : diligenter inspicite
45. scripturas, Spiritus sancti vera oracule; non inve-
nietis justos ab hominibus senctis depulsos : persecu-
tionem passi sunt justi, sed ab iniquis.... Ut
46. quid inter vos sunt contentiones, iræ, dissensiones,
schismata & bellum? nonne unum Deum habemus,
& unum Christum? atque unus est Spiritus gratiæ
qui effusus est super nos, & una vocatio in Chri-
sto? cur deducimus & distrahimus membra Christi,
& contra proprium corpus seditionem facimus, eo-
que vesaniæ devenimus, ut alios aliorum membra
esse obliviscamur? Schisma vestrum multos pervertit,
multos in enimi dejectionem, multos in vacillatio-
nem, omnes nos in tristitiam conjecit : & seditio
vestra persistit. Sumite epistolam B. Pauli Apostoli :
quid primum vobis in principio Evangelii scripsit?
profecto in spiritu ad vos literas dedit, de seipso,
& Cepha, & Apollo : quia etiam tum in diversa
studia scissi eratis; sed veria illa animorum incli-
netio minus peccetum vobis intulit : propendebatis
enim in Apostolos testatæ sanctitatis, & in virum
nb illis probatum. Nunc vero quinam sunt qui
vos perverterint, animadvertita. Turpia sunt, di-
lecti, & Christiena conversatione indigna, eudiri
firmissimam & antiquem Corinthiorum Ecclesiam,
propter unum eut alterum hominem, contre presby-
teros seditionem movere. Auferamus igitur hoc
48. celeriter, & Domino accedemus, & plangamus
orantes eum, ut propitius factus reconcilietur nobis,
atque in decoram & castam fraterni amoris viam
nos reducas & restituat; hæc enim est porte justi-
tiæ ad vitam eperta. "
Seditionis authores admonet, ut omni ope,
etiam suo discessu, si necesse sit, pacem con-
cordiemque procurent. Hanc epistolam deferendam
curavit per viros sapientes qui dissensiones compe-
scerent, ut ex ejusdem epistolæ clausula colligi-
tur : " missos e nobis, inquit, Claudium, Ephæ-
bum, & Valerium, Vitonem cum Fortunato, in
pace cum gaudio, ad nos brevi remittite, ut ci-
49. tius optabilem oobisque desideretissimam pacem &
concordiam nonuntient : quo & nos de vestra tran-
quillitate ocyus gaudeamus. " Scripturæ testimo-
niis abundat hæc epistola; circa finem desiderantur
aliquæ paginæ.
Eus. hist. Extat etiam fragmentum 2.ᵃ ad Corinthios epi-
l.3.c.38. stolæ : verum, inquit Eusebius, hanc non perin-
de receptam eique approbatam fuisse pro certo ha-
bemus : quandoquidem vetustiores ejus testimonio
nequaquam ulos esse comperimus. A veteribus re-
pudiatam scribit Hieronymus. Hanc legitimam esse
Hier. de contendunt eliqui recentiores post Photium : ex ea
script. opinionum diversitate certo inferimus dubium es-
eccl Epi- se Clementis opus, licet plurium Clementis epi-
ph. hær. stolarum meminerit Epiphanius. Sed ab omnibus
30. ut notha rejicitur longa illa disputatio D. Petri &
Appionis nomen præferens. Cætera vero Clemen-
tina, ut epistolæ & homiliæ, nugis & erroribus
scatent, a semi-christiana philosophie, & hæresi
Liturgia. profectis, præcipue Ebionitice. Excipe ejus litur-
Procl. de giam, temporum quidem injurie deperditam, vel
trad. div. valde depravatam, cujus sic meminit Proclus :
Mis. multi quidem & elii divini pastores, qui Apostolis
successerunt, sacrorumque illius divinæ Missæ my-
steriorum retionem explicentes scriptis mandatam
tradiderunt. In quibus est B. Clemens .... qui
sacrosancta illa mysteria a senctis Apostolis sibi re-
Greg. M. velata in lucem edidit. Apostolorum quidem mos
lib. 7. fuit, ut ad ipsam solummodo orationem domini-
epist. 63. cam oblationis hostiam consecrarent, quemadmo-
Honor. dum tradunt Gregorius Magnus & Honorius Au-
gem. gustodunensis. Postea jusserunt in hujus sanctificatio-
anim. c. 86. 1. nis præparatione fieri preces, obsecrationes, postu-

lationes, gratiarum actiones pro omnibus homini- CHRISTI
bus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate AN. 96.
sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in ad Tit. 2.
omni pietate & castitate. Tunc etiam in longam Aug. ep.
doctrinam convertebantur, ut referunt Chrysosto- 149. alias
mus & Augustinus. Hæc autem omnia certo ordi- 59. Chry-
ne disposuere, quem eorum successores scripto tra- sost. hom.
didere. Præcipuæ partes usu continuo ad hæc usque 27. in 1.
tempora permansere : his quidem additæ sunt quæ- ad Cor.
dam orationes & ceremoniæ, quæ ad sacrificii sub-
stantiam non pertinent.
Clementis pontificatus anno 4.ᵃ, primus post
D. Marcum Alexandrinorum Ecclesiæ episcopus Ana-
nius abiit e vita, cui secundus ordine successit
Avilius, sedemque tenuit tredecim annis.
XIII. Domitienus cum multa in multos crude- Eus. hist.
litatis suæ specimina edidisset, nec paucos nobiles, l.3. c.17.
atque illustres viros injuste interemisset : elios præ- *Domitiani perse-*
terea innumerabiles summæ dignitatis viros licet *cutio.*
insontes exilio & bonorum proscriptione mulctasset; Chronic.
ad extremum Neronianæ impietatis, bellique, & Alexand.
odii adversus Deum, successorem seipsum professus, Tertul.
secundam persecutionem in Christianos concitavit. Bru- præscrip.
tius narrat magnam Christianorum copiam 14.° Do- cap. 36.
mitiani anno sublatam & martyrio affectam. Orig. in
In hac persecutione Joannes Apostolus calumniis Matth.
insimulatus, ejus jussu Ephesо Romam perducitur : hom. 12.
hic missus in ferventis olei dolium, purior & ve- *Apocal.*
getior exivit quam intraverat; in insulam Patmum cap. 1.
relegatus est. Hic, ut ipse testetur, fuit in spiritu
die dominice, & *audivit vocem magnam quasi tu-
bæ dicentis : quod vides, scribe in libro, & mitte
septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* Earum ange-
los seu episcopos alloquitur : vitia tamen, quæ re-
prehendit, magis ad ipsas Ecclesias, aut ad ple-
bem, quam ad episcopos pertinere videntur, nisi
quando nonnullam in iis agnoscit negligentiem. Hæc
eutem ut scriberet jussus est.
XIV. *Angelo Ephesi Ecclesiæ hæc scribe : scio ope-* cap. 2.
*ra tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia
non potes sustinere malos; & tentasti eos, qui se
dicunt Apostolos esse, & non sunt; & invenisti eos
mendaces : & patientiam habes, & sustinuisti pro-
pter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo ad-
versum te, quod charitatem tuam primam reliquisti :
memor esto itaque unde excideris, & age pœniten-
tiam, & prima opera fac : sin autem, venio tibi,
& movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœni-
tentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Ni-
colaitarum, quæ & ego odi.* Cujus tunc regebat Photius
hanc Ecclesiam, successeratque D. Timotheo, quem cod. 254.
ferunt post multos pro Christo agones; cum horte-
retur Ephesios ne execranda & cruenta gentilium
festa & ludos celebrarent, populari tumultu lapidi-
bus obrutum martyrii honorem obtinuisse sub Do-
mitiano, sed nondum sæviente ejus persecutione.
Hæretici post ejus discessum tentarunt vastare hanc
ecclesiam, sed irrito conatu : fideles tamen aliquid
de fervore suo remiserant, quos sub horrende com-
minatione ad pœnitentiam compellit D. Joannes.
Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ (scilicet Policarpo)
*scribe : scio tribulationem tuam, & paupertatem
tuam, sed dives es; nihil horum timeas quæ passu-
rus es : ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in
carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem
diebus decem : esto fidelis usque ad mortem, & da-
bo tibi coronam vitæ.* Domitiani persecutionem per
Orientem grassatam esse ex his certo colligitur;
easque Ecclesias vexationem passas a Nicolaitis hæ-
reticis .... atque tot inter tentationes adeo forti-
ter se gessisse fideles smyrnæos, ut laudes, quibus
eos cumulat, nulla reprehensione temperet æterna
veritas .... *Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe :
scio ubi habitas, ubi est sedes satanæ,* (quippe hic
erat templum Æsculapii celeberrimum) *& tenes no-
men meum, & non negasti fidem meam, & in die-
bus illis Antipas testis meus fidelis : qui occisus est
apud vos. Sed habes tenentes doctrinam Nicolaitarum,*
(qui promiscuum usum mulierum permittebant.)
*similiter pœnitentiam age .... Et angelo Thyatiræ
Ecclesiæ scribe : novi opera tua, & fidem, & cha-
ritatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam,
& opera tua novissima plura prioribus.* Ejus vero
nimiam coarguit indulgentiam erga mulierem po-
tentem e secta Nicolaitarum, quæ populum falsis
doctrinis, & revelationibus seducebat; gravesque
minas intentat iis, qui pœnitentiam non egerint.
Quem

CHRISTI An. 96.

Quam periculosum sit hæreticorum sermonibus aures præbere, sæpius inculcat dilectus Apostolus prophetico spiritu futura prævidens: cum enim non post multos annos huc venissent Priscilla & Maximilia Montani Prophetissæ, oppidum universum ad suam hæresim traduxerunt.

Epiph. hær. 51.

Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es, nempe in multis membris Ecclesiæ tuæ: *esto vigilans, & confirma cætera*, alioquin moritura; *non enim invenio opera tua plena*, seu perfecta *coram Deo meo: in mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pœnitentiam age. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulant mecum in albis, quia digni sunt.* Sardicenses in fide minus firmi, & moribus minus integris fuisse videntur . . . . . *Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: scio opera tua, ecce dedi coram te ostium apertum* ad prædicationem Evangelii, *quod nemo potest claudere*: & quosdam ex synagoga dabo tibi, qui ad pedes tuos provoluti me adorabunt; *quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis. Ecce venio cito, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam . .*

Et angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: scio opera tua; quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis: quod dives sum & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus! suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, intellige charitatem tribulationis igne purgatam, *ut locuples fias, & vestimentis albis induaris. Ego quos amo, arguo, & castigo: æmulare ergo, & pœnitentiam age: ecce, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Hic loquitur de interiore gratia: cui proinde consentire, vel non consentire, ut ait

Aug. lib. de spirit. & litt. cap. 34.

Augustinus, propriæ est voluntatis. Hæc sunt salutis monita quæ Joannes Christi nomine misit septem Asiæ Ecclesiis: ex quibus intelligimus, cuilibet Christiano semper enitendum, ut mores in melius emendet per studium pœnitentiæ laboriosæ; simulque, qualis tunc fuerit earum ecclesiarum status, cognoscimus.

Apocal. revelationes.

Post hæc, inquis, *vidi, & ecce ostium apertum in cœlo*: signum erat Deum ei aperire cognitionem futurorum: reipsa statim incipiunt Joannis Prophetiæ, quæ sunt instar historiæ, sed mysticis conscriptæ figuris, quibus Ecclesiæ futuræ persecutiones, & victoriæ prænunciantur. Roma domina gentium, &

Illust. Bossuet.

velut centrum idololatriæ, instar Babylonis, sub cujus figura describitur, populum Dei sub jugo captivitatis tenebat, eique infensissima per trecentos annos fecit innumeros martyres: digna igitur erat quæ justitiæ divinæ foret toti mundo spectaculum: insigne hoc Dei opus, mirabilisque Christi de inimicis suis victoria, in ipsius Romæ, & idololatriæ eversione, in augmento Ecclesiæ, quæ diffusa est per totum orbem terrarum, quod deinceps toti mundo palam futurum erat, Joanni ostenditur. Ejusmodi revelationum liber inscribitur Apocalypsis.

Recens scriptor Apocalypsim ex historia ecclesiastica sic interpretatur. 1.º supponit illud D. Augustini principium: liber Apocalypsis totum hoc tempus complectitur, quod a primo Christi adventu usque in finem sæculi, quo erit secundus adventus, excurrit. Elapsis autem jam septemdecim sæculis,

August. l. 20. de civ. Dei. cap. 8.

plures illius prophetias fuisse completas necesse est. Idque probat hac analysi: supradictas Ecclesiarum laudes & reprehensiones sequitur apparatus ad revelationes mox secuturas. Antiquus dierum Joanni apparet sedens supra thronum; in ejus dextera est liber sigillis septem signatus: arcana quippe Dei judicia, seu mundi fata continebat; hunc solus agnus occisus, seu Christus, potuit aperire. *Iris*,

cap. 4.

(symbolum spiritus sancti) *erat in circuitu sedis, & viginti quatuor seniores*, (prophetæ scilicet & Apostoli,) *sedentes super thronos, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & quatuor animalia plena oculis ante & retro*, seu quatuor Evangelistæ qui præterita nobis enarrant, & futura prænuntiant; *& in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo*: figura mundi stantis in

cap. 5.

conspectu sui judicis, cujus oculis omnia sunt pervia & clare exposita. Aderant septem angeli divinorum decretorum executores. *Hi omnes procidebant ante thronum, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.*. Cumque agnus aperuisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: quas proinde Deo offerunt, & laudem dederunt Christo redemptori, quibus concinebant omnes cœlites. En veluti divinarum revelationum præludium.

CHRISTI An. 96.

Ecclesiæ septem ætates, seu status post hæc exprimuntur variis figuris: potiores sunt septem tubæ, quibus personant septem angeli, & septem sigilla libri. Agnus unum sigillum aperit, & prima tuba personat; *& ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit ut vincens vinceret.* En symbolum victricis Ecclesiæ per martyres, qui sui sanguinis effusione & patientia, triumpharunt de persecutoribus, & terrarum orbem Christi fide impleverunt. Hæc prima ætas ad Constantini tempora producitur. (cap. 6.)

Et cum aperuisset sigillum secundum, & secunda tuba personasset . . . *exivit equus rufus; & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficerent.* En hæreses & schismata, quæ per quatuor sequentia sæcula turbarunt Ecclesiam. Aperto tertio sigillo, prodit equus niger; ejus sessorem comitabatur fames, designans barbaros qui Romanum vastaturos Imperium, direptaque Roma, plures ejus provincias occuparunt. Et cum aperuisset sigillum quartum, *ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.* En Mahumetismus, qui Orientis Imperium schismate & multiplici hæresi debilitatum evertit, & occupat, ejusque dominatio extenditur ad quatuor terræ partes, quas bello, fame, & morte vastavit. Quintus angelus tuba canit; *& stella cadens aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, &* (cap. 9.) *aer de fumo putei . . . exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, & præceptum est illis ne læderent fœnum terræ . . . nisi tantum homines, qui non habent sigillum Dei in frontibus suis.* Hæreses scilicet quinta ætate grassantur, & graviter affligunt Ecclesiam, quam conservat Deus, donec impleatur numerus electorum, quemadmodum aperto quinto sigillo revelatur sanctis, qui divinum adversus tot hostes implorent auxilium.

Sigilli sexti aperitionem sequuntur signa calamitatum, quæ præcedent judicii diem. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus; & luna tota facta est* (cap. 6.) *sicut sanguis. Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram . . . . & cœlum recessit sicut liber involutus . . . & Reges terræ, & Principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium. Et dicunt montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni . . . . quoniam venit dies magnus iræ ipsorum; & quis poterit stare?* Judæorum conversio capite 7. insinuatur. Sigillum 7.um reseratur. Antichristi regnum tunc adveniet, & judicii dies, & finis omnium. *In diebus igitur* (cap. 10.) *vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.* Itaque signa quæ sigillorum aperitionem, & tubarum clangorem sequuntur, eadem præsagiunt.

Joannes, postquam capite undecimo adventum Eliæ & Enochi, & Antichristi insinuavit, videtur ad priora redire tempora, & jussu angeli fata regum & nationum prædicere. *Videt de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, &* (cap. 13.) *super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ.* Hæc bellua Romanum repræsentat Imperium, & septem ejus Imperatores, qui variis modis impugnarunt Ecclesiam, & promoverunt idololatriam, quæ sub specie mulieris amictæ purpura Joanni exhibetur. Decem vero cornua sunt decem reges, qui oppugnant Ecclesiam, excisaque Roma, Romanum evertunt Imperium. Iidem postea victorem agnum seu Christum adorant; quemadmodum in barbararum nationum conversione contigit. Barbaris gentibus ad Christi fidem conversis, agni nuptiæ celebrantur: qui oris sui spiritu hominem peccati, seu Antichristum interficit, eumque

eum

[CHRISTI An. 96.] eum satana & angelis ejus mittit in abyssum. Sancti vero cum Christo regnaturi sunt in æternum.

Multa sunt in eodem libro, quæ, ut priora, postea declarabuntur eventu. Hoc opus sic concludit D. Joannes: [cap. 22.] *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Apocalypsis liber quinto sæculo nondum ab omnibus Orientis ecclesiis habebatur ut canonicus. Quidam post Dionysium Alexandrinum a Joanne presbytero scriptum putarunt. Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, aliique sancti Patres, & Synodi eum laudarunt ut divinitus inspiratum, & talis semper habitus est ab ecclesiis Occidentis, quibus suffragatur Orientalis ecclesia, communique consensu, ut opus canonicum ab Apostolo Joanne conscriptum recipitur.

[Eus. hist. l. 3. c. 20.] Eadem sæviente persecutione, Domitianus, qui se Deum & Dominum dici volebat, non minus quam Herodes de adventu Christi sibi metuens, universos, qui a Davide generis sui originem ducerent, jussit interfici. Nepotes Judæ Apostoli, qui secundum carnem frater Christi vocabatur, delati sunt, quod ex regia Davidis stirpe essent oriundi, ipsiusque Christi propinquitate fulgerent. Evocatus eos ad Cæsarem perduxit, interrogatique ab illo, utrum genus suum ex Davide rege ducerent? id verissimum esse confessi sunt: deinde sciscitatus est ex illis Domitianus, quantas possessiones, quantumve pecuniæ haberent? illi novem tantummodo denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars singulis competeret: eas vero facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum, novem scilicet ac triginta soli jugerum, ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent: simulque manus ostendere cœperunt, duritiemque cutis, impressumque alte manibus callum ex laboris assiduitate, in testimonium operis sui proferentes. Postremo interrogati de Christo, & regno illius, cujusmodi id esset, & quando, quibusve in locis appariturum? responderunt, non hujus mundi, nec terrarum imperium illud esse, sed angelicum & cœleste, quod in fine sæculorum futurum esset: tunc Christus adveniens cum gloria, vivos simul ac mortuos judicabit, & unicuique suorum operum mercedem tribuet. His auditis, Domitianus nihil adversus illos decrevit asperius, sed hominum vilitatem aspernatus, liberos abire jussit. Illos ecclesiis postea præfuisse narrant.

[Svet. in Domit. cap. 12. Dio. l. 67. *Martyres sub Domitiano.*] Judæi, quo nomine comprehendebantur Christiani, Romæ duram patiebantur exactionem: plurimi Romani delati sunt transisse ad mores Judæorum, & nullos recipere Deos. Gentiles enim Atheismi accusabant Christianos: quorum alii occisi sunt, alii spoliati facultatibus. Paucorum nomina & in sequentibus persecutionibus ad nostram pervenere notitiam: illorum actus vel barbarorum inundatione periere, vel persecutione Diocletiani, vel falsariorum improbitate sic depravati sunt, ut quid in iis verum sit, quid falsum, vix conjecturis assequantur critici. Notiores sunt post D. Joannem Apostolum, 1.° [Chronic. Atinen.] Marcus Atinensis episcopus, D. Petri discipulus, qui dum fidem Christianam populis Campaniæ Romanæ prædicat, ab iis occisus est cum duobus presbyteris. Leo ejusdem urbis episcopus anno Christi 1053. sacrum ejus corpus invenit in ecclesia, in qua olim colebatur ejus memoria, sed quæ temporum & bellorum injuria penitus conciderat, ita ut vix extarent ruinæ: separatim repertum est sacrum ejus caput, duobus clavis adhuc ei inhærentibus, quos tempore passionis iosiaerant gentiles: utrumque non sine multis miraculis translatum est in cathedralem ecclesiam. [Sveton. ibidem.] 2.° Inter martyres illius ætatis maxime celebris est D. Hermes: illius expresse meminit D. Gregorius in suo sacramentario. 3.° Flavium Clementem virum consularem, patruelem suum, cujus filios etiamnum parvulos successores palam destinaverat, & abolito priori nomine, alterum Vespasianum appellari jusserat, alterum Domitianum; eo nomine accusatum [Usuard. & Ado, in martyrol.] tantum non in ipso consulatu interemit Domitianus; suamque neptem Flaviam Domitillam in Pontiam insulam deportari jussit, illato ambobus crimine impietatis. D. Dinnysium Areopagitam sub eo passum referunt ex apologia Aristidis.

[CHRISTI An. 97. *Domitianus occiditur.*] Domitianus jam dudum omnibus exosus ob nimiam crudelitatem, hoc maxime facto maturavit sibi exitum. Stephanus Domitillæ procurator, & tum interceptarum pecuniarum reus, cunctantibus conspiratis consilium operamque obtulit. Itaque [Sveton. in Domit. c. 17.] nifltro brachio velut ægro lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem involuto, ad ipsam horam dolum interjecit; professus enim conspirationis indicium admissus est: legenti traditum a se libellum, & attonito suffodit inguina: saucium ac repugnantem plures alii adorti vulneribus septem contrucidarunt: occisus est 14. Kalendas Octobris, anno ætatis 45., imperii 15. absoluto, Christi 97.

[Dio. in Nerv. *Nerva Imperat.*] XV. Cocceius Nerva vir consularis ex senatus & militum consensu factus est Imperator. Ejus egregias laudes mirifice prædicant historici. Ubi primum Imperii habenas suscepit regendas, acta Domitiani rescidit, exules, imprimis ob causam religionis, in patriam reduxit, edictoque vetuit, ne liceret aut [Eus. hist. l. 3. c. 23.] impietatis, aut Judaicæ sectæ quemquam dehinc insimulari. D. Joannes paulo post ex insula Patmo reversus: Ephesina Ecclesia, quæ a Paulo quidem fundata est, eam sic habuit præsidentem, ut totas [Iren. l. 3. cap. 3.] Asiæ regeret ecclesias. Itaque vicinas provincias obiit rogatus, partim ut episcopos constitueret, partim ut ecclesias integras disponeret, atque firmaret; partim etiam ut homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum seponeret.

[*Joannis in peccatorem misericord.*] Cum ad quamdam urbem venisset, haud procul Epheso, intuitus adolescentem egregia corporis statura, & ferventi indole, conversus ad episcopum, hunc, inquit, coram universa ecclesia, & sub testimonio Christi studiose tibi commendo; eademque mandare, & contestari non destitit: post hæc regressus est Ephesum. Episcopus adolescentem sibi traditum in domum suam suscipiens educavit, fovit atque continuit; tandemque sacramentum baptismi ei tradidit. Deinceps de pristina cora paulatim remisit, securum satis eum reputans ex virtute sacramenti. Illum igitur libertate præmatura potitum sibi adjungunt æquales flagitiosi, ac primum quidem conviviis illiciunt, egressique noctu secum educunt ad obvios spoliandos: inde ad majora scelerum societatem cohortantur; sic ille sensim assuevit pravitati, & tanquam generosus & effrenis equus a recto tramite abreptus, frenumque commordens, quanto majori animi indole præditus erat, tanto acrius in præceps ferebatur. Postremo abjecta spe salutis, quam in Deo posuerat, assumptis iisdem sodalibus, & instituto latronum collegio, ipse prompto animo dux eorum effectus, violentia, cædibus, atque atrocitate cunctos superabat.

Aliquanto post negotiorum necessitate iterum in eam urbem accitus est Joannes: qui cum venisset, & cuncta, quorum gratia venerat, ordinasset: agedum, inquit, episcopo, redde nobis depositum, quod & ego & Christus tibi commendavimus sub testimonio ecclesiæ, cui præsides. Ad hæc episcopus primo quidem mirari, cum existimaret pecuniam, quam non accepisset, a se per calumniam repeti: & sicut adhibere fidem non poterat reposcenti ea, quæ minime haberet, ita nec Joanni diffidere audebat: sed ubi Joannes, juvenem, inquit, & animam fratris reposco, tum senex demisso vultu suspirans atque illacrymans; is, ait, mortuus est. Quomodo, inquit Joannes, & quonam mortis genere? Deo mortuus est, ait ille; malus quippe evasit & perditus, & ad extremum latro: itaque nunc pro ecclesia montem occupavit cum sui similibus commilitonibus. His auditis, Apostolus scissa veste, & cum ingenti gemitu caput feriens, bonum, inquit, animæ fratris custodem reliqui: sed jam equus mihi præsto sit, & aliquis ductor itineris.

Inde ab ecclesia, ita ut erat, profectus, conscenso equo properavit: cumque ad locum venisset, ab iis, qui excubias agebant, latronibus capitur, non ille fugam parans, nec veniam deprecans, sed vociferans, ad hoc ipsum veni, deducite me ad ducem vestrum. Is vero, ut erat armatus, interim exspectabat: sed ubi accedentem propius agnovit Joannem, præ pudore se convertit in fugam. Joannes autem concito cursu hominem persequi instituit, oblitus ætatis suæ, identidem clamans: quid me patrem tuum fugis, fili, inermem & senem? miserere mei, fili, noli timere: adhuc superest tibi spes salutis; ego pro te satisfaciam Christo, tua de causa libenter mortem excipiam, quemadmodum pro

nobis

Christi An. 96.

nobis Dominus mori sustinuit, animam meam pro tua vicariam dabo: sta modo, & mihi crede: a Christo missus sum. His ille permotus, primum quidem vultu in terram demisso substitit: deinde armis abjectis, tremens in lacrymas effusus est; & accedentem complexus senem, gemitu & lamentis, quantum maxime poterat, veniam rogabat, & lacrymis quasi altero quodam baptismo expiabatur. Apostolus tum spondens se veniam ipsi a servatore impetravisse, ipsum reduxit in Ecclesiam.

Exinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis una cum juvene jejuniis simul decertans, omnibus denique verborum illecebris animum ejus demulcens, non prius abscessit, quam illum Ecclesiæ restituisset, magnumque sinceræ pœnitentiæ exemplum, & iteratæ regenerationis documentum, & conspicuæ resurrectionis trophæum omnibus ostendisset. Imitanda prorsus omnibus Christi ministris Apostoli charitas & prudentia: peccatorem sollicite quærit, benigne allicit, & excipit pœnitentem; prudenter tamen scelestibus assuetum Eucharistiæ participationi non restituit, quin prius orationibus & jejuniis expiatum aliquandiu probaverit, atque confirmaverit.

Eus. hist. l. 3. c. 18. Sozom. hist. l. 7. cap. 26.

Joannes Ephesum redux claruit miraculis: inter quæ præcipue memoratur, mortuum ab eo divina virtute suscitatum. His prodigiis fidem discipulorum confirmabat, ne seducerentur præstigiis Apollonii, qui magicis artibus sic dementarat Ephesios, ut tanquam Deus coleretur: sed eodem anno e vivis abiit, quo genere mortis, ignoratur. Insignis impostor finem suum voluit ignotum esse, ut immortalis & ad superos translatus crederetur. Ejus vitam post centum viginti annos scripsit Philostratus Sophista: hanc tragœdiam vocat Lucianus: reipsa fabulosam hanc narrationem adornavit, ut Christiani nominis gloriam obscuraret, foveretque, si posset, jam expirantem idololatriam, cujus veteres fabulas, nisi joco temperatas tueri vel pudebat ethnicos philosophos.

Lucian. in Alex. *Joannis evangel.* Eus. hist. l. 3. c. 24. Epiph. hær. 51. Hieron. prolog. in Matt. Hier. de script. eccl. Iren. l. 3. cap. 11.

Apostolus Joannes licet nonagenario major, hactenus sola voce verbum Domini prædicaverat: verum discipulorum suorum, & vicinarum Ecclesiarum precibus adductus, postremus omnium Ephesi græce scripsit evangelium, præmissis publicis orationibus ac jejuniis. Hieronymus scribit, post longam extasim dictasse divinas hasce voces: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Sic divinam Christi naturam edisserens ab exordio, quippe quæ a Spiritu sancto ipsi tanquam præstantiori fuisset reservata. Duo potissimum in eo opere sibi proposuit: 1.° ut Cerinthi, & Ebionis, qui Christo divinitatem detrahebant, impios errores refelleret; 2.°, ut ea, quæ Christus primo suæ prædicationis anno gesserat, ab aliis omissa suppleret: quapropter ab æterna Verbi generatione illud orditur: deinde paucis verbis sic exponit ejus Incarnationem, ut omnes pene hæreses circa divinam, & humanam Jesu Christi generationem penitus everterit. Tres quoque epistolas paucis ante obitum annis scripsit adversus easdem hæreses.

Possid. in ind. Aug. cap. 9. *Epist. 1. Joannis.* cap. 1.

XVI. Prima omnium consensu semper recepta est, quæ olim inscripta Parthis legebatur: sive his populis Christum prædicaverit Joannes, sive directa sit ad solos fideles Judæos, qui in eorum imperio commorabantur. Potissimum in ea commendat amorem Dei & proximi, proposita summa erga homines Dei charitate in beneficio Incarnationis Verbi divini; quod erat vita æterna abscondita apud Patrem, & nobis apparuit, ut sanguine suo nos a peccatis emundaret, si tamen ea sincere confitemur: *ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi:* non enim partem emit, ut observat Augustinus, sed totum judicare habes, quia pro toto pretium dedit.

cap. 2.

Aug. in Psal. 95.

Et in hoc scimus quoniam cognoscimus eum, si mandata ejus observamus: qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est; & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus: unde concludit: *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex Patre, sed ex mundo est: & mundus transit, & concupiscentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* En tres radices, quibus pullulant omnia vitia & cupiditates: voluptas sensuum, inanis divitiarum & rerum visibilium cupiditas, libido excellendi, quæ & dignitatum ambitionem includit, & laudum humanarum aucupium.

Christi An. 99.

cap. 3.

Ab his ut revocet fideles, atque in fide confirmet adversus hæreticos, declarat excellentiam illius spiritualis nativitatis, quam in baptismo recepere: *videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii nominemur, & simus.* Inde vehementer hortatur, ut se invicem vere diligant, non tantum verbo, sed operibus: *nam qui non diligit proximum, manet in morte. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui ergo habuerit substantiam hujus mundi; & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Igitur amor proximi debet esse efficax & beneficus: idem argumentum in sequenti capite prosequitur. *Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.* Tres insignes sunt charitatis proprietates, ex Deo emanat, Dei filios efficit, & veram Dei cognitionem ingenerat. Pergit: *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum: in hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

cap. 4.

Ibidem fideles admonet, ne credant omni spiritui, seu iis omnibus, qui se loqui nomine Spiritus sancti profitentur, sed probent spiritus, si ex Deo sint; eosque ex duobus indiciis cognosci posse docet: *omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Hunc spiritus veritatis characterem assignat adversus Judæos & suæ ætatis hæreticos eorumque sectatores. Quapropter aliam universaliorem indicat regulam, quæ valeat ad quemlibet errorem evitandum. *Nos*, ait, *ex Deo sumus, qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos; in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* Ac proinde qui audit Apostolos, vel per se, vel per suos successores loquentes, sequitur spiritum veritatis: & qui eos non audit, habet spiritum erroris.

cap. 5. *Christus Deus & homo.*

Demum Christi divinitatem, ejusque Incarnationis mysterium adstruit authoritate trium testium: *quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei: hic est qui venit per aquam & sanguinem, ut mundaret nos a peccatis nostris: & spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo*, scilicet de divinitate Christi; *Pater*, per oracula Prophetarum, & per vocem cœlitus emissam, dum Christus baptizaretur; *Verbum*, scilicet miraculis & ipsa Christi resurrectione; *& Spiritus sanctus* effusione donorum suorum: *& hi tres unum sunt*, unitate testium, sive naturæ, & consensu testimonii. *Et tres sunt qui dant testimonium in terra* de veritate humanæ Christi naturæ: *spiritus* quem moriens emisit; *& aqua*, quæ ex ejus latere fluxit; *& sanguis*, quo redempti sumus; *& hi tres unum sunt*, scilicet unitate humanæ in Christo naturæ, cujus sunt partes, & testimonii, dum verum hominem esse demonstrant. Hic versiculus deest in græcis codicibus; sed hunc erasum ab Arianis docent Hieronymus, & Socrates; legitur in græcorum lexionario, & in antiquis manuscriptis latinis; eumque laudarunt Tertullianus, & D. Cyprianus, & D. Fulgentius adversus Arianos, aliique plures. Epistolam suam concludit hisce verbis: *scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero ejus filio. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Prioribus Ecclesiæ sæculis de authore secundæ & tertiæ epistolæ fuit aliqua controversia: quidam Patres Joanni Presbytero, cujus Papias meminit ut Apostolorum discipuli, utramque tribuunt. Patres vero 4.i, & 5.i sæculi utramque in canone novi testamenti reponunt. Secunda inscribitur Electæ, & ejus filiis, quos hortatur ad mutuam charitatem, & ad rectam de Christo fidem retinendam, monetque ne ave quidem hæreticis esse dicendum. In 3.a laudat Cajum propter hospitalitatem, quæ virtus est christiana: Demetrio ab omnibus laudato testimonium perhibet. Diotrephen vero ut ambitiosum, & calumniatorem, &

Hieron. in prolog. epist. can. Socrat. hist. l. 7. c. 32. Tertul. lib. adv. Prax. c. 25. Cypr. lib. de unit. Eccl.

2. & 3. ep. Joan.

durum

Digitized by Google

durum in fratres reprehendit: plerique putant eum fuisse hæreticum, Cajum vero Ephesi Episcopum. Utramque sic concludit: *multa habeo tibi scribere: sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi: spero autem te protinus videre, & os ad os loquemur*. Igitur multa sunt, quæ non scripserunt Apostoli, sed tantum viva voce docuerunt, quæ ad nos pervenere per traditionem.

Hieron. in epist. ad Galat.

Iisdem temporibus cum vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur Joannes, propter summam senectutem, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud solebat per singulas proferre collectas, nisi hoc: *filioli, diligite alterutrum*. Tandem discipuli, & fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: magister, quare semper hoc loqueris? qui respondit dignam Joanne sententiam: *quia præceptum Domini est: & si solum fiat, sufficit*. Paulo post Ephesi moritur anno Christi centesimo primo, seu, ut habet Hieronymus, sexagesimo octavo post passionem Domini, & juxta eamdem urbem sepultus est.

Eus. l. 4. c. 24. Hier. de script. Eccl.

XVII. Judas Taddæi cognomine, frater Jacobi minoris, ultimam epistolam canonicam scripsit ad omnes fideles: ejus stylus figuratus idem fere, qui secundæ D. Petri epistolæ, cujus est velut epitome: adversus eosdem hæreticos invehitur, nempe Nicolaitas, & Simoniacos. In ea meminit pugnæ Michaelis archangeli cum diabolo de Moysis corpore; quam historiam desumpsit ex libro apocrypho de ascensione Moysis in monte: assumit etiam testimonium ex libro Enoch, qui apocryphus est. Idcirco utrum esset genuina, nonnulli dubitarunt; sed ætate D. Hieronymi jam authoritatem vetustate & usu meruerat, atque inter sacras scripturas computabatur. Reipsa Patres pene omnes quarti sæculi eam ut canonicam agnoverunt; & nihil propter apocryphas citationes de ejus authoritate decedit. In libris enim apochryphis quædam vera sunt, quæ aspirante Spiritu sancto Judas a fabulis sejunxit: imo quidam libri legitimi postea fuere proscripti, propter absurda quædam, quæ eis inserta sunt: liber enim quatuor modis dicitur apocryphus: 1.° quia est extra canonem librorum sacrorum, in quorum numero quidam eum recensebant: 2.° quia suppostitius est: 3.° quia non est authoris, cujus nomen præfert: 4.° quia hæreticorum errores continet.

Epist. Judæ.

Imprimis in ea fideles monet, ut in tradita semel fide firmi perseverent, nec ab hæreticis, vel impiis se seduci sinant, quos affirmat reservatos æterno supplicio. *Vos autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi: qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus: hi sunt qui segregant semetipsos* a doctrina, vel etiam a cœtu Pastorum Ecclesiæ, *animales, spiritum non habentes. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam: & hos quidem arguite judicatos*. Judam & Simonem Apostolos etiam ut martyres veneratur Ecclesia 28. Octobris. Catholicarum septem epistolarum scopum sic exponit Augustinus: "Apostolicæ epistolæ Petri, Joannis, Jacobi & Judæ, eo maxime dirigunt intentionem, ut vehementer astruant fidem sine operibus non prodesse; sicut etiam ipse Paulus, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: *& fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur*. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: *si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum*. Hinc eas epistolas contra Simonis discipulos scripsisse Apostolos colligunt interpretes.

Aug. lib. de fide, & oper. c. 14. — ad Gal. 5. — ad Cor. 1.

XVIII. Recensuimus hactenus quæ certo nobis comperta sunt de Apostolis, qui cum essent vita quidem ac moribus castigatissimi, & omnibus virtutibus ornati; sermone vero rudes; freti divina & mirifica virtute ipsis a Servatore concessa, artificioso verborum ornatu Magistri sui præcepta exponere neque noverunt, neque conabantur: sed adjuvantis ipsos Spiritus sancti demonstratione, & virtute Christi, quæ per ipsos plurima perpetrabat miracula, tantummodo utentes, notitiam regni cœlorum orbi terrarum nuntiabant. Neque curæ illis erat libros scribere, quippe qui longe præstantiore ministerio, & supra humanas vires posito fungerentur. Paulus, qui inter omnes & verborum apparatu, & sententiarum pondere facile præstabat, præter quatuordecim epistolas nihil omnino scriptum reliquit; tametsi innumera mysteria exponere potuerit: soli ex cunctis Domini discipulis Matthæus & Joannes scriptos nobis rerum commentarios reliquerunt: quos quidem necessitate quadam ad scribendum impulsos fuisse perhibent. Marcus & Lucas evangelia sua seorsim ediderunt.

Eus. hist. l. 3. c. 24. & 25.

Alios plurimos Apostolorum nomine libros evulgarunt hæretici, qui Petri, Matthiæ, Thomæ, & quorumdam aliorum evangelia, Andreæ quoque, Joannis, aliorumque Apostolorum actus continent: quos quidem libros nullus unquam, qui continuata ab Apostolis successione in Ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est. Sed & ipsum dicendi genus longe ab apostolica simplicitate discrepat: sensus quoque ipse, & quæ ibidem traditur fides, cum a vera & catholica doctrina plurimum aberret; hæc hæreticorum hominum figmenta esse manifeste coarguit. Quocirca ne quidem inter spurios collocandi sunt hi libri, sed tanquam absurdi & impii prorsus repudiandi. Circumferuntur quædam alia scripta, vel de rebus ab iis gestis, & de eorum interitu, quæ inter apocrypha merito recensentur. Verumtamen eorum aliqua nullam erroris, vel impietatis notam merentur: quin imo ad ædificationem Ecclesiæ pertinent: sed eorum non sunt, quorum titulis prænotantur; hinc vacillat eorum fides.

In eo genere reponi debet epistola, quæ sub D. Barnabæ nomine laudatur ab antiquis: hanc canonicam dixerat Clemens Alexandrinus; sed re diligentius considerata, mutavit opinionem: eamque suppresso quidem honoris causa nomine impugnavit. Pro spuria habendam esse testantur Eusebius & Hieronymus. Et certe vix credi potest, quod adeo eximius Apostolus, vir plenus Spiritu sancto, ea scripserit, quæ præfata complectitur epistola, coactas nimirum allegorias, enarrationes scripturarum minus verisimiles, fabulas de animalibus: sed illud præ cæteris absurdum in ea legitur, Apostolos fuisse nequissimos hominum, quando vocavit eos Christus, & super omne peccatum peccatores. Hic itaque valeat hæc regula, qua utitur Augustinus, ut apocrypha sub nominibus Andreæ Joannisque scripta rejiciat: si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia.

Lib. 2. Strom. l. 2. pædag. c. 10. Eus. hist. l. 3. c. 25. Act. 11. Hier. l. 13. comment. in Ezech. cap. 43. Aug. l. 1. contra adverf. legis & prophet. cap. 20.

Ejusdem generis sunt acta passionis Andreæ, quæ scripta dicuntur ab Achajæ presbyteris circa medium primi sæculi: eorum tamen nullus veterum meminit, nec ante nonum sæculum innotuere. Idcirco negandum non est hunc Apostolum pro Christo passum esse apud Patras Achajæ civitatem. D. Thomam Calaminæ in India apostolatus honorem martyrii corona decorasse tradunt Theodoretus & D. Gregorius Magnus. Demum Titus Pauli discipulus ex Dalmatia in Cretam redux, in adjacentes insulas evangelii lumen intulit, senioque confectus ad Deum remuneratorem transiit.

Hippolit. l. de 12. Ap. Theod. serm. 1. Greg. M. l. de glor. martyr. cap. 32.

XIX. Imperator Nerva, cum, ob senectam ætatem orbatam filiis, amissa reverentia, omnibus contemptui quodammodo esset, in Capitolium ascendit, & Marcum Ulpium Trajanum genere Hispanum adoptavit; moxque in curia Cæsarem designat: ad quem imperii jura atque insignia misit in Germaniam, cui præerat. In hoc bonitas Nervæ, & studium in rempublicam maxime apparuit: nulla intercedebat cum adoptato cognatio; imo vero propinquos & cognatos quamplurimos habebat: publicæ tamen utilitati, atque saluti societatem sanguinis postposuit: virtutem hominis, non genus aut patriam spectari oportere existimavit. His confectis, Nerva moritur anno vitæ 66., Imperii secundo quatuor mensibus inchoacto, Christi 99. ineunte, scilicet mense Februario.

Dio in Nerv.

Trajanus factus Imperator Ælianum & prætorianos milites, qui seditionem adversus Nervam fecerant, quasi operam ab iis posceret, ad se vocavit, confestimque velut importunos dimisit. Romam ingressus multa in emendationem publicorum negotiorum, & beneficium bonorum, quos vehementer amplexabatur, constituit: sodalitia prohibuit. Hinc popularis per singulas

Dio in Trajan. — Eus. hist. l. 3. c. 32.

CHRISTI AN. 101.

Martyrolog. 15. Sept. Miss. Gelas. Martyrol. 7. Maji.

gulas civitates adversus Christianos excitata est persecutio, eo prætestu, quod de more conventus suos agerent. Ea tempestate D. Filicula Romæ gloriosa morte duplicem virginitatis & martyrii palmam obtinuit: ejus corpus in eloacam projectum extraxit & sepelivit D. Nicomedes, & propter pium illud opus conjectus in carcerem ut Christianus, plumbatis cæsus in eo martyrio animam Deo reddidit. Altinre consilio Flavia Domitilla neptis Domitiani, incenso ejus cubiculo, flammis præsuffucata est una cum Euphrosina, & Theodora ejus cubiculariis. Eutiches, Victorinus & Mam ejus domestici christiani varie necati sunt. Nereus & Achilleus ejus eunuchi multa propter Christum passi, capitis abscissiooe martyrii coronam promeruera. Illud scelus, non inscio Imperatore, cui proderat, tentatum fuisse verisimillimum est.

Eus. hist. l. 3. c. 21. & 22.

XX. Eodem anno, Avilius, qui per tredecim annos Alexandrinam rexit ecclesiam, mortuus est: in ejus locum successit Cerdo, tertius hic ab Ananio ejus civitatis antistes fuit. Apud Antiochiam secundus ejus episcopus florebat Ignatius. Hierosolymis quoque Simeon; sed post quatuor annos martyrio vitam finiit. Extinctis omnibus discipulis, qui Christum Dominum viderant, solus ad hæc usque tempora superstes vixerat. Aliqui Judæi semi-christiani, seu hæretici, eum accusarunt apud Atticum præfectum Syriæ pro-consularem, quod Christi cognatus esset & discipulus, & ex familia regia Davidis oriundus. Romani verebantur, ne Davidis posteri aliquando bella judaica renovarent. Itaque comprehensus in jus vocatur coram Attico, damnatus & per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus, Christi fidem constantissime professus est: adeo ut consularis ipse, & omnes qui aderant, magnopere mirarentur, qua ratione vir centum ac viginti annos natus, tot tormenta perferre potuisset. Tandem sententia judicis cruci suffixus est. Simeonis accusatores, cum tunc temporis omnes ex regia Judæorum tribu oriundi sollicite investigarentur, convicti sunt, quod ex ea stirpe ducerent originem: atque ita divina eorum scelus ulciscente providentia, inciderunt in foveam quam foderant sancto episcopo; sed longe dispari exitu, siquidem inde ad æterna supplicia transiera.

Eus. hist. l. 3. c. 32.

Ib. c. 33.

Simeoni suffectus est Justus natione Judæus, quippe iis temporibus innumerabiles ex circumcisione ad Christi fidem transierant. Romæ vero Clemens summus pontifex anno Trajani tertio, Christi tot. abiit e vita, Evaristo sacerdotium relinquens, cum novem totos annos prædicationem verbi divini procurasset. Nominis ejus memoriam tanquam martyris usque hodie Romæ extructa ecclesia custodit; cum pro Christo multa passum esse constat in exilio. Ejus corpus sedente Nicolao primo ex Chersoneso Romam relatum est. Sed utrum pro eo animam posuerit, controversum est: negantibus favet Irenæi silentium: martyrio consecrasse fidem suam affirmat Papa Zozimus: episcopalem a D. Petro consecrationem receperat. Apostoli tunc pluribus hunc gradum deferebant, quo facilius diffunderetur lux Evangelii: unus tamen in singulis civitatibus episcopalem obtinebat jurisdictionem, ac regebat ecclesiam.

Zozim. epist. 2. Tertul. præscript. c. 32. Ib. c. 33. *Persecutio.*

XXI. Prohibitorum sodalitiorum occasione, odioque Judæorum, quos suspectos habebant Romani, tum propter ultimam rebellionem, tum propter sparsa quædam oracula de Messia, quæ male de temporali imperio interpretabantur; tam gravis plerisque in locis adversus Christianos persecutio tunc sæviebat, ut Plinius secundus, inter provinciarum rectores celeberrimas, motus martyrum multitudine, ad principem retulerit de numero eorum, qui fidei causa obtruncabantur. Ejus epistolæ exemplar descripsimus, suppeditat enim nobis præclarum de Christi divinitate, & de multitudine & innocentia martyrum testimonium.

Plin. lib. 10. ep. 97.

" Solemne mihi est, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre: quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio quid, & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet & teneri nihil a robustioribus differant? deturne pœnitentiæ venia? an ei, qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit? nomen ipsum etiamsi flagitiis careat, an flagitia, cohærentia nomini puniantur? interim in iis qui ad me tanquam Christiani deferuntur, hunc sum secutus modum: interrogavi ipsos, an essent Christiani? confitentes, iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus; perseverantes duci jussi; neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos. Mox in ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine authore multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse; cum præsente me deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent; prætcrea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani, dimittendos putavi. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt, & mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quoque: omnes & imaginem tuam, & deorum simulacra venerati sunt, & Christo maledixerunt. "

" Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hæterias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam & immodicam; ideoque dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum; multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus vocantur in periculum, & vocabuntur: neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti, passim venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus. "

Trajani epist.

XXII. Plinii consultationi sic respondit Trajanus. " Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerunt, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, præscribi potest. Conquirendi non sunt: si deferantur, & arguantur, puniendi sunt; ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine authore vero propositi libelli in nullo crimine locum habere debent; nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est. " O sententiam, inquit Tertullianus, necessitate confusam! negat inquirendos, ut innocentes: mandat puniendos, ut nocentes; parcit, & sævit; dissimulat, & animadvertit: quid teipsum censura circumvenis? si damnas, cur non inquiris? si non & inquiris, cur non absolvis?

Tertul. apolog.

Eus. hist. l. 3. c. 33.

Hoc tamen decreto persecutionis incendium restinctum quidem ex aliqua parte videbatur. Iis tamen, qui Christianos maligne & fraudulenter aggredi vellent, non minor opportunitas suppetebat; interdum populo, interdum præsidibus provinciarum adversus Christianos insidias comparantibus; adeo ut si non palam & publice, locales tamen in aliquot provinciis persecutiones exardescerant, & plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subirent, Ecclesiaque in omni loco ob eam, quam habet dilectionem, multitudinem martyrum præmitteret ad patriam. Notiores sunt ex antiquis monumentis, Romæ D. Hyacinthus, cui cum extrema supplicia minaretur Leontius consularis, ni diis sacrificaret, respondit: pœnæ vestræ diversæ esse possunt, æternæ esse non possunt: itaque cum non tam diver-

Iren. l. 4. cap. 64. *Martyres.*

Bolland. 26. Jul.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 107.

diversa ego supplicia timeam, quam æterna; nec te audio jubentem, nec tuum principem comminantem; hodie enim ira vestra & exardescit, & evanescit, & cum eritis vincti functi, deinceps nihil eritis. Judicis jussu gladio percussus est. Terracinæ Cæsarius diaconus pro Christo dedit animam suam. Edeessæ in Syria Sarbelius cum Barbea sorore martyrio coronatus est: latini & græci eorum memoriam celebrant 29. Januarii: dies sequens celebris est martyrio D. Barsimei Episcopi.

Martyrolog. antiq. 1. Nov. 29. Jan.

D. Ignatii martyr. Theod. dialog. 1. Act. Martyr. ex bibl. Colbert.

XXIII. Ignatius, Apostoli Joannis discipulus, vir in omnibus apostolicus, qui per D. Petri dextram pontificatus gratiam susceperat, tunc summa cura regebat Antiochenam ecclesiam: delectabatur quidem ecclesiæ tranquillitate; animo tamen perturbabatur, quod nondum veram erga Deum charitatem, neque perfectum discipuli ordinem esset assecutus, siquidem secum cogitabat confessionem, quæ fit per martyrium, ipsum Domino posse proximiorem reddere. Exinde paucos adhuc annos perseverans in ecclesia, & divinæ instar lucernæ singulorum mentes sacrarum scripturarum expositione illuminans, ea quæ optabat tandem consecutus est.

Ibid.

Trajano nono sui Imperii anno insolescente ob victoriam, quam adversus Scythas & Dacos, aliasque multas gentes reportaverat, & existimante solam superesse Dei cultricem Christianorum societatem, quæ nondum ei integre subjiceretur, eis comminatus est, ni dæmonum cultum cum omnibus gentibus amplecterentur, gravem passuros persecutionem. Timor omnes pie viventes vel sacrificare, vel mori cogebat. Tunc igitur pro Antiochena Ecclesia pertimescens generosus Christi miles, sponte ductus est ad Trajanum, qui tunc temporis circum Antiochiam agebat, atque in Armeniam & ad Parthos properabat. Ut vero in conspectu Trajani Imperatoris adstitit: quis es, inquit Imperator, o cacodæmon, qui nostra mandata transgredi eniteris? quin etiam aliis, ut idem agant, suades, quo nempe misere pereant. Ignatius dixit: nemo Theophorum appellat cacodæmonem: abscedunt enim dæmones a servis Dei. Christum enim, qui cœlestis Rex est, habens, illorum insidias dissolvo. Trajanus dixit: & quis est Theophorus? Ignatius respondit: qui Christum habet in pectore. Trajanus dixit: an igitur tibi videmur deos in mente non habere, quibus etiam propugnatoribus adversus hostes utimur? Ignatius dixit: gentium dæmones deos errans appellas. Unus est enim Deus, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in ipsis continentur, atque unus est Christus Jesus, Filius Dei unigenitus, cujus regno utinam potiar. Trajanus dixit: illum dicis, qui sub Pontio Pilato crucifixus est?.... Deinde sententiam pronuntiavit: Ignatium, qui in seipso crucifixum ferre dicit, præcipimus vinctum a militibus duci in magnam Romam, cibum bestiarum ad populi delectationem futurum. Qua sententia audita, sanctus martyr cum gaudio exclamavit: Tibi gratias ago, Domine, quia me perfecta erga te charitate honorare dignatus es, qui me cum Apostolo tuo Paulo ferreis vinculis vinciri permittis. His dictis, vinculisque cum gaudio acceptis, postquam pro Ecclesia orasset, ac eam cum lacrymis Domino commendasset, a ferocibus militibus raptus est, feris sanguivoris in cibum Romam adducendus.

Ibid.

Itaque cum magna alacritate & gaudio, patiendi ardore, Antiochia Seleuciam descendit. Inde navem conscendit, multumque post laborem ad Smyrnam urbem applicuit, ubi multa cum lætitia e navi descendit, & ad videndum sanctum Polycarpum Smyrnæ episcopum, suum condiscipulum, properavit: (fuerant enim discipuli sancti Joannis Apostoli.) apud quem diversatus, spiritualium charismatum ipsum participem fecit, suisque vinculis gloriatus, illum hortabatur, ut se in suo proposito adjuvaret. Omnes Asiæ ecclesias, quæ per episcopos, presbyteros, & diaconos eum salutarunt, idem orabat. Mercedem rependens, misit ad illas litteras gratias agens... Convenerunt eum, Onesimus Ephesiorum episcopus, Croco, Burro, Euplo, & Frontone comitibus; Damas Magnensis una cum Basso & Apollonio suis sacerdotibus, & Sotione diacono: & Polybius Trallensis: quorum ecclesiis gratias egit per litteras, quarum stylus est quidem simplex, & parum accuratus, sed gravis & apostolicus, & ubique summam spirans charitatem.

XXIV. Prima est ad Ephesios: Christi divinam & humanam naturam in ea prædicat adversus hæreticos illius temporis. Ephesiorum pietatem, mutuam charitatem, obedientiam erga Onesimum sanctissimum eorum episcopum summe laudat; hortatur ut unionem cum Ecclesia diligenter retineant; patientia, humilitate, & frequenti oratione stent firmi in fide adversus omnes hæreticorum insidias: sic incipit: "Ignatius, qui & Theophorus, benedictæ in magnitudine Dei Patris, & plenitudine, prædestinatæ ante sæcula, ut esset semper in permanente gloris, immutabilis, unita, & electa, in vera passione, per voluntatem Patris, & Jesu Christi Dei nostri, ecclesiæ merito beatæ, quæ est Ephesi in Asia, plurimam in Jesu Christo, & immaculata gratia salutem.... Numerosam multitudinem vestram in nomine Domini suscepi in Onesimo, inenarrabilis charitatis viro, vestro autem in carne episcopo, quem obsecro ut juxta Jesum Christum ametis, utque vos omnes illius similes sitis... Decet vos omnibus modis glorificare Dominum Jesum Christum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis perfecti, eademque mente, eademque sententia idem dicatis de eodem omnes; ut subjecti episcopo & presbyteris, per omnia sanctificati sitis.... Utile itaque est in immaculata unitate vos esse, ut & semper participetis Deo.... Nemo erret, nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet; quanto magis illa quæ episcopi est, & totius ecclesiæ? Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, & seipsum separavit, atque judicavit; scriptum est enim, *superbis Deus resistit*... Studeamus igitur Episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo...

Ignat. epist. 1. *edit.* Cotel.

1. ad Cor. 1. *Schisma vitandum.*

1. Petr. 5.

Ipse quidem Onesimus supra modum laudat vestrum decentem divinumque ordinem, quod omnes secundum veritatem vivitis, & quod inter vos nullus est hæresi locus: sed neque auditis aliquem amplius, quam Jesum Christum, qui loquitur in veritate. Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre, sed patrant quædam indigna Deo: quos oportet vos ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes, quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborante. Medicus autem unus est, & carnalis, & spiritualis, factus, & non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo, primum passibilis, & tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster.... Novi nonnullos hic transiisse, qui habent perversam doctrinam; quos non permisistis seminare inter vos... Quapropter exulto, quod dignus habitus sim per ea, quæ scribo, colloqui vobiscum, & simul gaudere, quia ratione alterius vitæ habita, nihil diligitis nisi solum Deum.

Christi divinitas.

Sed & pro aliis hominibus indesinenter oratis. Est enim ipsis spes pœnitentiæ, ut Deum nanciscantur. Permittite itaque ipsos, saltem ex operibus, a vobis erudiri: sitis vos adversus eorum iras mites; adversus magniloquentias eorum humiles; eorum maledictis opponite vos preces; adversus errorem eorum vos firmi permanete in fide: adversus efferos mores illorum vos mansueti sitis, fratres eorum inveniamur per benignitatem... imitatores autem Domini studeamus esse; unusquisque majorem injuriam patiatur, unusquisque defraudari se sinat, unusquisque contemni, ut non herba aliqua diaboli in vobis inveniatur: sed in omni puritate, & temperantia maneatis in Jesu Christo.... aut enim futuram timeamus iram, aut præsentem gratiam diligamus: unum ex duobus, modo in Christo Jesu inveniamur, ad veram vitam vivendam: sine ipso nihil vos deceat: in quo vincula circumfero, spiritales margaritas, in quibus erectum mihi stare contingat oratione vestra, cujus me opto semper fieri participem.... sed eorum nihil vos latet, si perfecte habueritis in Jesum Christum fidem & charitatem, quæ initium vitæ & finis sunt: principium quidem fides, finis vero charitas... (demum sic concludit....) orate pro ecclesia, quæ est in Syria, unde vinctus Romam abducor, novissimus fidelium eorum, qui ibi sunt, quemadmodum ad honorem Dei inveniri dignus habitus sum. Valete in Deo Patre, & in Jesu Christo, communi spe nostra." Ignatium secundo scripsisse ad Ephesios nullum exstat indicium.

Epist. ad Magnes.

XXV. Aliam quoque scripsit epistolam ad Magnesianos, quorum civitas sita est ad Meandrum: illius argumentum idem ac superioris; sed distinctius

CHRISTI AN. 107.

Hierarchia Eccl.

sic esplicat ecclesiasticam hierarchiam, cojus primum dignitatis & authoritatis locum tenet episcopos, cui omnes subjecti sint oportet. " Hortor ut hoc sit vestrum studium, jo Dei concordia omnia agere, episcopo præsidente Dei loco, & presbyteris loco senatus Apostolici, & diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesa Christi, qui ante secula apud Patrem erat, & in fioe apparuit: omnes igitur acceptis iisdem divinis moribus, vos mutuo revereamini, & nemo secondum carnem spectet prosimum: sed in Christo Jesu vos invicem sempet diligite: nihil sit in vobis, quod vos possit dirimere: sed unanimi episcopo, & præsidentibus, in typum & doctrinam iocorroptionis. Quemadmodom igitur Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus, neqoe per seipsum, neque per Apostolos; ita neque & vos sioe episcopo & presbyteris quidquam agite: neqoe operam detis ut aliquid vobis seorsim rationi videatur consentaoeum; sed in uoum convenientibos ona sit oratio, una deprecatio, ona mens, una spes in charitate, in gaudio ioculpato; unus est Jesus Christos, quo nihil præstantius. Omoes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad onum Jesum Christum, qui ab uoo Patte prodit, & in uno existit, in onum revertitur. Ne seducamini alienis doctrinis, oeque veteribos fabulis, quæ sunt inutiles. Si namque adhuc juxta legem Judaicam viserimus, confitemur nos grasiam non accepisse... (Cerinthi sectatores hic impugnat.) Christianismus enim non in Judaismum credidit: sed Judaismus in Christianismum, ut omnis lingua credens ad Deum aggregaretur... Studete igitur ut confirmemini in dogmatibus Domini & Apostolorum, ut omnia, quæ facitis, prospere vobis succedant carne & spiritu, fide & charitate, in Filio & Patre, & Spiritu saocto.... Memores estote mei in orationibus vestris, ut Deum assequar.... valete in concordia Dei, spiritum possidentes iosepatabilem, qui est Jesus Christus.

Subjectio præpositis cum unione.

Epist. ad Trall.

Subjectionem erga præpositos pariter inculcat in epistola ad Trallianos. Sed illud observatione dignum de diaconis, quorum sacrum ordinem declarat hisce verbis: " oportet autem & diacooos, mysteriorum Jesu Christi ministros, omni modo omnibus placere: non enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri: oportet igitur ut sibi caveant a criminibus, tamquam ab igne.„ Esinde post grasiarum actiones pro exhibita sibi charitate per Polybium eorum episcopum, cujus pietatem laudat & mansuetudinem, ostendit quanta humilitate Dei dona custodiri debeant. " Multa sapio io Deo: sed meipsum metior, ne gloriaodo peream. Nunc enim plus mihi timendom est, nec animus illis intendendus qui me inflant: qui enim me laudant, flagellant me: Diligo quidem pati, sed nescio an dignus sim: zelus qoidem multis non apparet, me vero majorem io modum impugnat: opus itaque mihi mansuetudine, qoa princeps sæculi hojus destruitur....„

Deinde monet eos ut sibi a pravis hæreticorum opinionibus timeaot, quæ tuoc primom in lucem emergere eum cœpissent, copiosius pullulabaot, hortaturqoe ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhæreaot. " Obturate, inquit, aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jeso Christo, qui ex genere Davidis, qoi ex Maria, qui vere natus est, edit, & bibit, vera persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus & mortuus est, videotibus cœlestibus, terrestribus, & subterraneis, qui & vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsom Patre ipsius, secundum similitodinem, qua & oos ipsi credeotes, ita resuscitabit Pater ipsius in Christo Jesu, sioe quo veram vitam non habemus, si vero, ut quidam Athei, hoc est infideles ajunt, ipsum secundum apparentiam esse passum, ipsi secundum apparentiam esisteotes. Hic loqoitor de Docetis, seu phaotasiasticis hæreticis, Simonis Magi discipulis, qui phantasma Domioi corpus asserebant, quos Aotichristos D. Joannes vocat in prima epistola. Ignatius eorum errorem confutat ex eo principio, quod tuoc nostra spes io Christo foret vana. Has epistolas Smyrnæ fuisse scriptas osteodit clausula; *saluto vos*, inquit, *e Smyrna.*

Hieron. adv. Lucif.

XXVI. Quartam scripsit ad Romanam Ecclesiam, qua fideles deprecatur ne procureot ejus solutionem, nec retardent ejos coronam. Hæc multa pietate plena est, & sine lacrymis vix legi potest, verba enim sunt mentis estasim divini amoris patientis: quapropter hic eam prope integram descripsimus, omissis salutationibus, in quibos Jesum Christum semel atque iterum vocat Deum. " Quandoqnidem precatus Deum obtinui ut Deo dignos voltus vestros ceroerem, & plusquam petebam acciperem; vinctus io Christo Jesu spero me vos amplexaturum, siquidem voluntas Dei sit, ut dignus habear qui ad finem pervcoiam. Recte enim dispositom est priocipium, si gratiam consequar sortem meam sine impedimento accipiendi. Namque vestram charitatem timeo, ne mihi ipsa noceat: vobis enim facile est quod vultis facere: mihi vero difficile est Deum assequi, siquidem vos mihi parcatis: oolo enim vobis tanquam hominibus placere, sed Deo placere, quemadmodum & vos placetis. Nam ego nunquam tale attiogam tempos, quo Deum assequar; neque vos, si silueritis, meliori operi inscribi poteritis. Si eoim de me siloeritis, ego Dei fiam: si aotem carnem meam amaveritis, denuo cutreodum erit mihi. Plus mihi non præbueritis, qoam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est, ut in charitate chorus effecti caoatis Patri in Christo Jesu, quod episcopum Syriæ dignom Deus jodicaverit, qoi in Occidentem ab Oriente accersitus inveniretur. Bonom est a muodo ad Deum occidere, ot in ipso oriar. Nulli unquam iovidistis, alios docuistis: ego vero volo ot & illa firma siot quæ docendo præcipitis. Vires tantum mihi internas & esternas petite, ut non solum dicam Christianus, sed & inveniar. Si enim inventus soero, & talis dici porero, & tunc fidelis esse valebo, com muodo amplius non apparebo. Nihil quod apparet æternum est: *quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ vero non videntur, æterna sunt.* Namque ipse Deus noster Jesus Christus io Patre existens magis apparet.„

Act. mart. ex bibl. Colb.

CHRISTI AN. 107.

Epist. ad Rom.

2. ad Cor. 4.

" Ego ecclesiis scribo, omnibusqoe mando, quod pro Deo ultro & libens morior, si vos oon impediatis. Obsecro vos ne intempestivam mihi benevolentiam eshibeatis: sioite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumeotum sum Dei, & per ferarum dentes molar, ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blaodimini, ut mihi sepulcrum fiant, nihilque mei corporis relioquant, ne postquam obdormiero, gravis alicui fiam. Tunc vere Christi discipulus ero, cum neque corpus meom mundus videbit. Christo pro me supplicate, ut per hæc organa hostia inveniar.... a Syria Romam usque terra marique, noctu & interdiu cum bestiis pugno, decem leopardis alligatos, qoæ est militum turma, qui etiam beoeficio accepto pejores fiunt. Verum illorum injoriis magis erudior, *sed non propter hoc justificatus sum.* Utinam fruar bestiis mihi præparatis, qoas & opto mihi promptas inveoiri, quibus & blandiar, ot cito me devoreot, non ot quosdam veritæ ooo tetigeruot. Si autem illæ repugnaotes ooluerint, ego vi impellam: veoiam mihi date: quid mihi prodest, ego novi. Nonc iocipio discipulus esse: nihil visibilium & invisibilium mihi æmuletur, ot Jesum Christum conseqoar. Ignis & crux, ferarum catervæ, lacerationes, distractiones, disjunctiones ossium, concisio membrorum, totius corporis cootusiones, dira diaboli tormeota in me veniaot: solummodo ut Jesum Christum consequar.„

1. ad Cor. 4.

" Nihil mihi proderuot moodi voluptates, neque hujus sæculi regna: præstat mihi in Christo Jesu mori, quam finibus terræ imperare. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* illum quæro, qui pro nobis mortuos est: illum volo qui propter oos resurresit: hoc mihi lucrom & fœnus impendet. Igooscite mihi, fratres, oe me vivere impediatis, ne velitis me mori, qui Dei volo esse.... sioite me purum lumen percipere: ubi illoc advenero, homo Dei ero. Concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei. Si quis illum in seipso habet, cogitet quid volo, & conscius eorum quæ me coarctant, mei commiseretur.„

Matt. 16.

„ Prioceps hojus sæculi rapere me vult, meamque erga Deum voluotatem corrumpere. Nemo ergo vestrom, qui adestis, illum adjuvet. Mei potius, hoc est Dei, efficiamini.... neque si presens vos oro, credite mihi; his potius quæ vobis scribo credite. Vivens scribo vobis, mori desiderans: meus amor crocifixus est, Nec est in me ignis materiæ amaos, sed vivens & loquens aqua in me est, mihi interius diceos: veni ad Patrem. Non delector corru-

Christi An. 107. corruptionis alimento, neque hujus vitæ voluptatibus. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, quæ est caro Jesu Christi Filii Dei, qui posteriori tempore ex semine David & Abraham factus est: & potum Dei volo sanguinem ipsius, qui est charitas incorrupta, & perennis vita. Nolo amplius secundum hominem vivere; quod quidem futurum est, si vos volueritis. Id ergo vobis placeat, ut & vos placeatis ... Pro me petite, ut ego consequar .... si patiar, voluistis: sin rejiciar, odistis. Memores estote in vestris precibus ecclesiæ Syriæ, quæ mei loco Deo pastore utitur: solus Jesus Christus illam vice episcopi reget, atque vestra charitas. Ego autem erubesco ex eorum numero dici: neque enim dignus sum, utpote qui sim ultimus eorum & abortivus. Verum misericordiam consecutus sum, ut essem aliquis, si Deum consequar .... Hæc e Smyrna per Ephesios laude dignos scribo vobis, Augusti die 23. Mecum etiam est cum multis aliis Crocus, desideratum mihi nomen ... valete in finem in patientia Jesu Christi. „

Eucharistiæ veritas.

Eus. hist. l. 3. c. 36. XXVII. Urgentibus militibus Smyrna profectus Troadem, quo cum venisset, ad Philadelphenses literas dedit, & ad Smyrnensem ecclesiam, privatimque ad Polycarpum ejus episcopum. Philadelphenos hortatur ut pacem & unionem, tum inter se, tum cum episcopo retineant, & diligenter schisma devitent: postremo rogat, ut ad Antiochenam Ecclesiam delegent diaconum, qui cum fidelibus congaudeat, & Deo gratias referat de pace, quam illis redditam audierat. Qua ratione sic statim cessarit persecutio, non liquet. Aliqui volunt Trajanum accepta relatione Tiberiani primæ Palestinæ præsidis, qui scripserat, se defatigatum in occidendis Christianis, qui seipsos ad supplicia offerrent, mandasse præfectis provinciarum Orientalium, ne punirent Christianos. Id ex Joanne Malela Antiocheno affirmat Constantinus Porphyrogeneta. Fortassis etiam Trajanus cum movisset in Persidem, tanti belli periculis deterritus, internos tumultus sedare voluit.

Num. 10.

Suid. in Lexico.

Epist. ad Philadelph. Epistolæ ad Philadelphenses illustriora fragmenta pro more subjicimus. " 1.º Laudat eorum Episcopum, quem, inquit, cognovi non a seipso, neque per homines obtinuisse ministerium spectans ad commune per inanem gloriam, sed in charitate Dei Patris, & Domini Jesu Christi; cujus obstupui modestiam: qui tacitus plus potest, quam qui vana loquuntur; coaptatus est enim mandatis, ut cordis cithara: cognosco illum virtutibus ornatum esse, & perfectum: illius immobilitatem atque lenitatem iræque vacuitatem in omni mansuetudine Dei viventis. Filii itaque lucis & veritatis fugite divisionem & pravas doctrinas. Ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini. Multi enim lupi, fide digni habiti, eos qui in Dei stadio currunt, perniciosis voluptatibus illectos, captivos ducunt. Verum in vestra concordia non habebunt locum ... Quotquot enim Dei & Jesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo. Quotquot autem pœnitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, & isti Dei erunt; ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei: si quis schisma facientem sectatur, regni Dei hæreditatem non consequitur. Si quis in aliena sententia ambulat, iste passioni non consentit. Operam igitur detis, ut una Eucharistia utamini: una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus calix in unitatem sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio, & diaconis conservis meis: ut quod facitis, secundum Deum faciatis....

In schismate non est salus.

" Clamavi cum interessem, locutus sum magna voce, voce Dei: episcopo attendite & presbyterio & diaconis. Quidam autem suspicati sunt, me, ut præscium divisionis quorumdam, hæc dicere. Testis autem mihi is est, in quo vinctus sum, quod ab homine non cognoverim, sed spiritus annuntiavit, hæc dicens: sine episcopo nihil facite. Carnem vestram ut Dei templum custodite, unitatem amate, dissidia fugite, imitatores estote Jesu Christi, sicut & ipse Patris ipsius. „ Hæc demonstrant, aliquas inter Philadelphenses fuisse divisiones, quas ut averteret, non parum laborabat Ignatius. Sic concludit hanc epistolam: " De Philone diacono Cilice, viro laudatissimo, qui & nunc in verbo Dei mihi ministrat, una cum Rheo Agatopode, viro electo, qui a Syria me comitatur, sæculo renuncians; qui & de vobis testificatur: & ego gratias ago pro vobis, quod illos suscepistis, sicut & vos Dominus. Qui vero illos ignominia affecerunt, liberentur per gratiam Jesu Christi. Salutat vos charitas fratrum, qui sunt in Troade, unde & scribo vobis per Burrhum, qui missus est mecum ab Ephesiis & Smyrnæis honoris causa. Honoret ipsos Dominus Jesus Christus, in quem sperant carne, anima, spiritu, fide, charitate, concordia.

Christi An. 107.

XXVIII. Smyrnæis scripsit, ut eos præmuniret adversus hæreticos, qui carnis Christi veritatem negabant, quorum secta in Oriente grassabatur: docet Christum esse vere Deum & hominem, cujus mysteria non sunt meræ apparentiæ & figuræ. " Glorifico Jesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit. „ Deinde declarat veritatem illius carnis, passionis, & resurrectionis. " Ego & post resurrectionem eum in carne novi, & credo esse .... quando ad eos, qui cum Petro erant, venit, ait ipsis: *apprehendite, palpate me, & videte quod non sim dæmonium incorporale*, (id est, spiritus sine vero corpore:) & confestim eum tetigerunt, atque crediderunt, convicti carne ipsius & spiritu. Propter hoc etiam mortem contempserunt... Post resurrectionem cum illis comedit & bibit, ut carnalis, quamvis spiritualiter unitus Patri... Nemo erret, & super cœlestia, & principes visibiles & invisibiles, si non credant in sanguinem Christi, etiam illis judicium est: qui capit, capiat. Locus neminem efferat, totum namque est fides & charitas, quibus nihil prælatum est.

Epist. ad Smyrn.

" Considerate eos, qui alienam opinionem tuentur, contra gratiam Jesu Christi, quæ ad nos venit, quomodo contrarii sunt sententiæ Dei: de charitate non est cura ipsis, ab Eucharistia & oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. Qui autem contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. „ Prioribus sæculis Eucharistiam esse ipsammet Christi carnem, quæ pro nobis passa sit, negarunt ii tantum hæretici, qui Christum habuisse veram carnem negabant. E contra Patres ex doctrina catholica circa Eucharistiam eorum errores revincunt. Præterea monet ut in perfecta unitate subditi sint episcopo; " nam qui clam eo aliquid agit, diabolo præstat obsequium. „ Post hæc gratias eis agit pro exhibita sibi beneficentia: & addit: " quod Philonem & Rheum, & Agatopodem, qui me secuti sunt in verbo Dei, ut Christi Dei ministros excepistis, bene fecistis. Qui & Domino pro vobis gratias agunt, quod omnibus modis illos refecertis. Nihil vobis utique deperibit: vice animarum vestrarum meus spiritus sit, & vincula mea, quæ non fastidistis, nec erubuistis: nec de vobis erubescet vera fides, Jesus Christus ..... Salutat vos caritas fratrum, qui sunt in Troade: unde & scribo vobis per Burrhum, qui omni modo me refocillavit: atque utinam omnes illum imitarentur, qui est exemplar divini ministerii: remuneret ipsum gratia per omnia. Saluto Deo dignum episcopum, & Deo decorum presbyterium, & conservos meos diaconos .... Saluto Taviam cum domesticis, quam opto solidari fide & charitate corporali atque spirituali: saluto Alceo desiderabile mihi nomen, & Daphum incomparabilem, & Eutecnum, omnesque nominatim: valete in gratia Dei. „

Eucharistia est caro Christi.

Iren. l. 4. c. 33.

Eus. hist. l. 3. c. 36. XXIX. Privatim scripsit ad Polycarpum Smyrnæorum episcopum: quem cum Apostolicum virum esse plane cognosceret, ipsi tanquam bonus & fidelis pastor gregem Antiochenæ ecclesiæ commendavit, rogans ut omni cura & diligentia illum fovere vellet. Ac primo quidem ut senior & nobilioris sedis episcopus ei præscribit officia, quæ adimplere debet bonus episcopus. " Obsecro te, in Dei gratia, qua indutus es, ut ad cursum tuum adjicias, omnesque adhorteris ut salventur: tuere locum tuum, in omni cura carnali & spirituali: unitatis curam habe, qua nihil melius: omnes perfer, quo & te Dominus: omnes tolera per charitatem, sicut & facis: precibus vaca perpetuis: postula intellectum ampliorem, quam habes: vigila, insomnem spiritum possidens: singulis juxta adjutorium Dei loquere: cunctorum ægrotationes porta, sicut perfectus athleta: ubi plus laboris, magnum lucrum est: bonos discipulos si amaveris, nulla tibi est gratis; potius pestilentiores in mansue-

CHRISTI AN. 107.

tudine subjice: prudens esto sicut serpens in omnibus, & simplex ut columba ... caute te gere ut Dei athleta, proposita corona est incorruptis, & vita æterna, de qua & tu persuasus es. Qui videntur fide digni, & aliena docent, non te perterrefaciant: sta firmus ut incus quæ percutitur: magni athletæ est cædi & vincere... Maxime vero propter Deum omnia nos sustinere oportet, ut & ipse nos sustineat .... „

“ Viduæ non negligantur; post Dominum tu earum curator esto; nihil sine tua voluntate fiat: neque tu quidquam sine Dei voluntate agas; quod nec facis, cum sis constans: crebrius conventus fiant .... Decet vero ut sponsi & sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant: quo nuptiæ sint secundum Dominum, & non secundum cupiditatem. „ Clandestina matrimonia semper detestata est Ecclesia; vel a primis temporibus matrimonium ut esset Christianum, illud sua benedictione ratum habuit episcopus, qui tunc per se publice sacramenta dispensabat. Hinc, juxta Augustini regulam, institutionem Apostolicam putamus. Denique rogat eum ut aliquem e suo clero jubeat proficisci Antiochiam, qui visitet hanc ecclesiam, eamque confirmet, vicinasque ecclesias ad idem pietatis officium invitet per literas: “ quoniam, inquit, nequivi illis scribere, quod repente navigaverim a Troade Neapolim: saluto omnes nominatim, ... saluto Attalum mihi carum, & Alcen. Opto vos manere semper in Deo nostro Jesu Christo, in quo permaneatis in unitate Dei & visitatione. „

Act. martyr. *Ignatii martyrium.*

Itaque Troade profectus ..... Dyrrachium; in maritimis locis nave inventa, Adriaticum pelagus enavigavit ...., ostensisque sancto viro Puteolis, ipse quidem exire festinabat, Apostoli Pauli vestigiis incedere cupiens. Verum per vehementem ventum irruentem non licuit; sic ultra navigavit. Itaque uno die & nocte eadem, secundis ventis usus ... Cum portum Romanorum navigando attigisset, finisque immundi spectaculi immineret; nam agebantur festa sigillaria, milites moram ægre ferebant. Episcopus vero gaudens urgentibus parebat, (jam fama sancti martyris percrebuerat) timore & gaudio fratribus, qui cum ipso erant, repletis ... Aliquibus etiam in silentio & secessu degentibus suum adventum nuntiavit, qui oratione fervebant, & ajebant se compescere populum, ne virum justum ad necem quærerct. Qui statim ea re spiritu cognita, omnibus salutatis, veram charitatem ab illis petiit, pleraque his, quæ epistola scripserat, disseruit, & suadere conatus est, ne sibi ad Dominum festinanti inviderent. Sicque genuflexis omnibus fratribus, Filium Dei obsecravit pro ecclesiis, pro persecutionis cessatione, pro mutua fratrum in se invicem charitate. Quo facto, ad amphiteatrum cum festinatione ductus est, confestimque immissus juxta pridem datum Cæsaris mandatum, fine spectaculorum imminente ....

Chrys. in serm. de S. Ignat. tom. 5. Hier. de script. eccl.

ita feris crudelibus juxta templum expositus est, ut illico sancti martyris Ignatii desiderium impleretur ... quomodo propriam consumptionem fieri prius in epistola optaverat. Solæ enim duriores sanctarum ejus reliquiarum partes relictæ sunt, quæ Antiochiam delatæ sunt, thesaurus sane inæstimabilis ob martyris gratiam ecclesiæ relictus: Ignatium Romæ universa civitate spectante, immissis in eum bestiis, martyrium periisse confirmant D. Chrysostomus, & Hieronymus.

CHRISTI AN. 108.

Hæc autem gesta sunt 13. Kalendas Januarias, hoc est vigesima die mensis Decembris, qua Græci festum ejus celebrant, exeunte anno Christi 108. Horum nos ipsi spectatores facti, cum lacrymis domi vigilem noctem duximus, & genibus flexis, multis precibus Dominum orabamus, ut nos infirmos de iis quæ facta fuerant certos faceret. Postea cum paululum obdormissemus, alii quidem illum subito adstantem nosque complectentem videbamus: alii rursus nobis orantem beatum Ignatium cernebamus: alii vero sudore stillantem, tanquam ex multo labore advenientem, & Domino assistentem intuebamur. Cum ergo multo cum gaudio ista vidissemus, & somniorum visa contulissemus, Deum datorem bonorum laudavimus, & sanctum beatum diximus, vobisque diem & tempus indicavimus; ut tempore ejus martyrii convenientes, athletæ & generoso Christi martyri communicemus. Verisimillimum est Philonem Tarsensem diaconum, & Agathopodem Antiochenum, fideles ejus socios ac ministros, exhibuisse quoque supremum hoc pietatis officium, eosdemque conscripsisse acta illius martyrii: ex quibus liquet,

Martyrol. Rom. Eus. l. 3, cap. 35.

sanctorum martyrum reliquias & memoriam venerari vel a primo nascentis Ecclesiæ sæculo consuevisse fideles. Iidem sancti diaconi eamdem gratiam postea consecuti sunt, eorumque memoria celebratur die 23. Aprilis. Plurimi ex fidelibus in eadem persecutione multiplicis martyrii certamen subire.

CHRISTI AN. 108.

Hæc pauca de tanto viro pervenerunt ad nostram notitiam: quantis autem virtutibus fulserit interius, ex ejus litteris satis intelligitur; elucet enim in iis sincera fides, ardens charitas, contemptus rerum omnium temporalium, vehemens pro Christo patiendi desiderium; sollicitudo pastoralis, odium adversus hæreses, pacis & unitatis conservandæ zelus indefessus, pro qua etiam multum laboravit: his adjuncta erat ut fidelis custos profunda humilitas, cum summa in divina bonitate fiducia. Epistolas ejus septem, quarum insigniora loca recitavimus, esse genuinas constat ex antiquissimis monumentis: harum expresse meminere Eusebius, Athanasius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, & Damascenus: viros tantæ eruditionis inconsiderate transcripsisse textum Eusebii, nemo prudens dixerit, præsertim cum ipsi, aliique patres antiquissimi Irenæus & Origenes plura ex iis testimonia protulerint, quæ prorsus consentanea sunt textui editionis ultimæ, quam procuravit Isaacus Vossius, qui in medicæa bibliotheca reperit vetus epistolarum Ignatii græcum manuscriptum, quod demonstravit conforme duobus latinis exemplaribus in Anglia repertis ab Usserio. Ex iisdem Patrum excerptis apparet Ignatii epistolas veteris editionis interpolatas; quod etiam planum faciunt non pauca, quæ neque antiquitati, neque sententiæ D. Ignatii congruunt.

Ignatii virtutes & doctrina. Athan. de Synod. Hieron. de script. eccl. Eus. hist. l. 3. c. 36. Theod. dialog. immut. Iren. l. 3. c. 28. Greg. hom. 6. in Luc. ad Magnes. ad Smyr. Rom. & Trall. ad Philadelph. ad Ephes. in omn. epist. ad Magnes. ad Polycarp.

Præcipui fidei articuli, quales eos recipit Romana Ecclesia, leguntur in iisdem epistolis; scilicet personarum Trinitas in Deo uno, Christi divinitas, ejusdem incarnationis, passionis, mortis, & resurrectionis veritas, & non secundum apparentiam; mortuorum resurrectio; Eucharistia est vere & realiter corpus & sanguis Christi: sola fides sine charitate justum non efficit; ecclesiastica Hierarchia secundum divinam institutionem constat ex episcopis, presbyteris, & diaconis: subdiaconi & inferiores ministri nondum erant instituti: episcopis omnes in perfecta unione subditi esse debent; nam in schismate non est salus: diaconi sunt Christi mysteriorum ministri; Christianum matrimonium sine sententia episcopi fieri non debet, ut sit secundum Deum. Hæc igitur omnia semper credidit, ut nunc credit Ecclesia; ac proinde quisquis ab his dissentit, novator est.

Pretiosum illud antiquitatis monumentum conservavit D. Polycarpus Smyrnæ episcopus rogatus a Philippensibus, ut Ignatii litteras ad eos transmittere dignaretur; quascumque reperire potuit, se misisse testatur, scripta præclara epistola: ex qua & ejus fidei characterem, & prædicationem veritatis, qui volunt & habent curam suæ salutis, possunt discere: etenim multis referta est admonitionibus, cum perspicuitate & simplicitate, juxta ecclesiasticam interpretationis formam. Prioribus sæculis in publico Asiæ conventu legebatur; præcipuas ejus partes hic subjicimus.

Polycarpi epistola. Iren. l. 3. c. 3. Phot. in bibl. cod. 126. Hier. de script. eccl.

XXXI. “ Magnopere gratulatus sum vobis, in Domino nostro Jesu Christo, quod veræ charitatis exemplaria suscepistis, & quod prout decuit vos, deduxistis alligatos vinculis, quæ sanctis conveniunt, quæque diademata sunt eorum, qui vere sunt a Deo, & a Domino nostro electi; & quod firma fidei vestræ radix ab antiquis temporibus annunciata, usque adhuc permanet, ac fructum affert in Domino nostro Jesu Christo, *qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem devenire: quem resuscitavit Deus, solutis doloribus inferni, in quem non videntes creditis.* Is vero qui suscitavit ipsum a mortuis, & nos suscitabit, si fecerimus ipsius voluntatem, & ambulaverimus in mandatis ejus, atque dilexerimus ea, quæ dilexit, abstinentes ab omni injustitia, fraudatione, avaritia, obtrectatione, falso testimonio; non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Memores autem eorum, quæ dixit Dominus docens, *nolite judicare, ne judicemini: dimittite, & dimittetur vobis: misereminі, ut misericordiam consequamini: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis .... „*

Edit. Cotel. Act. 2. 1. Pet. 1.

Deinde epistolarum D. Pauli lectionem eis consulit: sacræ scripturæ lectio pro laicis res est disciplinæ, quam pro variis temporum circumstantiis vel eis concedere, vel restringere, vel prohibere possunt episcopi, ut docet praxis Ecclesiæ. Prioribus sæculis hanc

Lectio S. scripturæ utilis, non necessaria.

fact-

Christi An. 108.

facilius consulebant episcopi, quippe qui singulis dominicis scripturæ libros publice exponereot: ac proinde vix ullum erat erroris periculum. Postea laicis quandoque prohibita, vel non nisi sub certis conditionibus permissa est; quippe saluti non est necessaria, quemadmodum docet Augustinus: homo fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. Ita que multi per hæc tsia etiam in solitudine sine codidibus vixerunt. Fidclibus utilem esse tradit Polycarpus: " ea lectione ædificari poteritis in fide, quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum, subsequente spe, præcedente charitate in Deum, in Christum, & in proximum. Si quis enim intra hæc fuerit, mandatum justitiæ implevit: nam qui habet charitatem, longe est ab omni peccato. Principium autem omnium malorum est cupiditas habendi, „

Aug. l. de doct. christ. cap. 39.

" Scientes quod nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid valemus, armemur armis justitiæ, & doceamus nos ipsos primum ambulare in mandato Domini: deinde & vestras uxores in sibi tradita fide, & charitate, & castitate, amantes viros suos in omni veritate, ac diligentes cunctos æqualiter in omni continentia, & erudire filios suos in disciplina & timore Dei: tum viduas, circa fidem Domini prudentes, interpellantes sine intermissione pro omnibus, longe recedentes ab omni calumnia, detractione, falso testimonio, avaritia, & omni malo... similiter diaconi in conspectu justitiæ ejus inculpati esse debent, sicut ministri Dei & Christi, non autem hominum, non calumniatores, non bilingues, nec avari: verum continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes juxta veritatem Domini, qui factus est omnium minister: cui si in hoc sæculo placuerimus, recipiemus & futurum, quemadmodum pollicitus est nobis. Simili modo & juvenes in omnibus inculpabiles sint, ante omnia castitati consulentes, ac se ab omni malo refrænantes; bonum quippe separari a mundi desideriis: quia omnis concupiscentia militat adversus spiritum: & neque fornicatores, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt: neque qui faciunt absona ... virgines vero oportet in immaculata & casta continentia vivere. Presbyteri sint ad misericordiam proni, misericordes erga cunctos, reducentes eos qui aberrant, visitantes omnes infirmos, non negligentes viduam aut pupillum, aut pauperem: sed semper providentes bonum coram Deo & hominibus, abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, judicio injusto, longe recedentes ab omni avaritia, non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in judicio, scientes nos omnes debitores esse peccati. „

Et infra, "qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque neque resurrectionem, neque judicium esse; hic primogenitus est satanæ. „ (quibus verbis perstringit omnes, qui scripturam explicare volunt secundum propriam suam interpretationem...) & paulo post. " Itaque vos omnes obsecro ut obediatis verbo justitiæ, & omnem patientiam exerceatis, quam spectastis non solum in beatis Ignatio, Rufo, & Zosimo: (hi duo pro Christo passi sunt Philippis imperante Trajano) sed etiam in aliis vestris civibus, & in ipso præcipue Paulo, cæterisque Apostolis: pro certo habentes, quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, sed in fide & justitia, & in locum a Domino sibi debitum pervenerunt, cum quo & passi sunt: neque enim præsens sæculum dilexerunt, sed eum qui pro nobis mortuus est. In his ergo state, & Domini exemplar sequimini...

Eus. hist. l. 3. c. 36.

Postremo hæc subjicit: " scripsistis ad me vos & Ignatius, ut si quis forte in Syriam proficisceretur, vestras litteras & deferret: quod quidem perficiam, si tempus opportunum nactus fuero, vel ego ipse, vel per alium quempiam, cui id munus, vestra causa delegabo. Epistolas omnes Ignatii, quas ad me scripsit, & quascumque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandastis, ad vos misimus, quas quidem huic epistolæ subjecimus: ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit; continent enim fidem, patientiam, & cætera, quæ ad augendum Domini cultum pertinent. Si quid certum cognoveritis de Ignatio, & de iis, qui cum eo sunt, significate mihi. (necdum audierat eum consummasse martyrium.) Hæc vobis scripsi per Crescentem, quem in præsenti commendo vobis, conversatus est enim nobiscum inculpabiliter. „ Aliquot post diebus Syrorum reditu mors sancta D. Ignatii toti Orienti innotuit. Hero Antiochenæ Ecclesiæ diaconus constituitur episcopus. Fideles cum honore sacras Ignatii reliquias sub terram deposuerunt, extra portam Daphniticam, in cœmeterio ecclesiæ.

Eus. hist. l. 3. c. 36. Hier. de script. eccl.

Christi An. 108.

XXXII. Trajanus subactis Armenia & vicinis regionibus, hyemabat Antiochiæ: illuc milites frequentes, & duces copiarum convenerant, aliique plurimi ex nationibus, quæ Romano parent Imperio: quum atrox terræ motus vastavit urbem, & oppressit homines innumeros. Hunc antecessere fulmina: venti insoliti & peregrini spiravere vehementius: tum magno & repentino oborto fragore, maria fervescere, & fluctus intumescere, terra omnis succuti, domus & ædificia contrario ictu quassari, dissilire alia, & superne assultantia tecta concidere, crepitus audiebatur ingens & horribilis· mœnia contrario pulsu, modo huc, modo illuc nutantia confringi & ruere: pulvis densus atque concretus excitari, tantaque obducta caligo cuncta oppresserat, ut alterum videre, alloqui, & audire, nemini cuiquam, imo spirare, ingruente vento & pulvere vix liceret. Multi præcipites tectis erumpebant, qui prope omnes seu a præcipiti loco disjecti, elisi sunt; alii mutilato corpore abiere. Ingentem turbam prostrata tecta, & subversi muri obruere. Sic diutius noctu & interdiu terra contremuit. Hinc quanquam fornices & concamerata, & vacua loca quosdam a morte servassent, hi tamen omnes durante motu, fame & inedia, priusquam opem quisquam ferre posset, confecti fuere.

Antiochia subversa Dio in Nerv.

Trajanus a tanto periculo per fenestram domus, quam inhabitabat, vix ablatus est incolumis. Nihilominus appetente vere Parthorum imperium invadit, enervatumque bellis civilibus redegit in suam potestatem. Sed eo recedente, barbaræ gentes rebellarunt, partim ejectis, partim interfectis Romanorum præsidiis. Itaque cum eas in officio contineri diu non posse intelligeret Trajanus, Parthis regem dare constituit, propiusque Ctesiphonta regni caput profectus, in patentes campos Romanos simul & Parthos in concionem vocat, atque ex suggestu multa præfatus super iis quæ egisset, Parthenaspatem regem Parthis diademate imposito designat.

XXXIII. Circa hæc tempora Cerdoni mortuo sufficitur Primus, quartus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus. Hierosolymis vero tanta fuit vis persecutionis, ut intra tredecim annos sex episcopos habuerit hæc ecclesia. Justo successit Zachæus, post quem sedit Tobias, tertius Benjamin, quartus Joannes, quintus Matthias, sextus Philippus. Eorum sessionis tempora, res gestæ, & mortis genus ignorantur. Omnes fuisse Hebræos memorant, atque episcopali officio dignissimos. Romæ anno Christi centesimo nono, cum Evaristus annos octo in Pontificatu exegisset, ejus episcopatum suscepit Alexander, quintum a Petro successionis obtinens locum.

Christi An. 109. Eus. l. 4. c. 5. ibid. c. 1.

Epistola decretalis ad episcopos Africæ sub ejus nomine circumfertur: hanc autem, aliasque præcedentium & subsequentium Romanorum Pontificum usque ad Syricium supposititias esse, atque confictas ab Isidoro mercatore, quisquis ille sit impostor, nunc fatentur communi consensu periti critici: ut pleraque omittam argumenta suppositionis, hæc pauca satis sit indicare. Scripturæ textus in iis leguntur secundum versionem D. Hieronymi, quæ longe posterior est: sæpe fit mentio primatum, archiepiscoporum, aliorumque rituum, qui hisce temporibus prorsus erant incogniti. Pleræque diriguntur ad omnes episcopos orbis Christiani, vel alicujus provinciæ, & tamen nullus veterum earum meminit ante octavum sæculum. Præterea consutæ sunt ex laciniis legum imperialium, & scriptorum ecclesiasticorum, quorum authores, duobus tribusve sæculis vixere post pontifices quibus tribuuntur ejusmodi decretales. Denique Leo quartus de his consultus rescripsit ad Episcopos Angliæ, Sedem Apostolicam admittere regulas præsulum Romanorum Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini ... isti omnino sunt, & per quos judicant episcopi, & per quos episcopi simul judicantur. Nullius igitur pontificis ante Syricium agnovit decretales literas nisi Sylvestri: nonnullæ tamen excipiendæ, quas ut legitimas laudant & recensent sancti Patres. Eas nobis excidere non patiemur, cum se dabit opportunitas.

priorum Pontificum decretales Bona l. de rit. Marca lib 3. de concord. c. 5. Pag. ad an. Christi 100. Ant. August. Epi. Tarrac. in notis ad cap. Hadr.

XXXIV. Eadem ætate florebat Papias Hierapolitanus episcopus, Aristionis & Joannis presbyteri auditor, & sodalis Polycarpi. Multa, quæ ab iis didi-

Eus. hist. l. 3. c. 39.

Christi An. 109.

didicerat, ipsorum nominatim mentione facta, in commentariis suis retulit: in quorum procemis, se quidem sanctorum Apostolorum spectatorem atque auditorem fuisse non dicit, sed ab eorum familiaribus normam fidei se accepisse testatur. Nec pigebit, inquit, ea quæ a senioribus didici, ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur: non enim, ut plerique solent, eos unquam sectatus sum qui verbis affluerent, sed eos potius qui verum docerent; nec eos, qui nova quædam & inusitata præcepta, sed illos qui Domini mandata in figuris tradita memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar quænam essent seniorum dicta? quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri discipuli Domini dicere soliti essent? quidnam Aristion & Joannes presbyter discipuli Domini prædicarent? neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce. Papias hic meminit duplicis Joannis: quorum prior fuit Apostolus, alter presbyter & Christi discipulus; eique præponit Aristion.

Papias scripsit quinque libros de interpretatione oraculorum Dominicorum: iis inseruit novas quasdam Salvatoris parabolas, ac prædicationes, aliaque fabulis propiora, inter quæ & mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dixit, quo regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus esse videtur ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea, quæ arcano sensu, & exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset: fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet: pluribus tamen post ipsum ecclesiasticis scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate sententiam suam tuentibus: inter sanctos annumeratur.

Martyrolog. Rom. Eus. hist. l. 4. c. 3. Dio in Trajan.

XXXV. Ecclesia Christi magis ac magis in dies efflorescens, continuis incrementis augebatur. Judæorum autem calamitates novis subinde cladibus cumulabantur. Anno Trajani decimo octavo, Alexandriæ, & per totam Ægyptum ac Cyrenaicam, velut a violento quodam & seditioso dæmone exagitati, adversus græcos & gentiles, qui una cum ipsis habitabant, tumultum excitare cœperunt: & quodam Andrea duce constituto, Romanos & Græcos sine discrimine obtruncant: nec cæde contenti, humanis carnibus vesci cœpere, horum intestinis stillante adhuc sanguine cincti: tum pellibus obvoluti multos per medium dissecuere ad verticem, plures bestiis dilaniandos objecere, alios inter se digladiari coegerunt: ita ut ducenta & amplius hominum millia eo furore interierint. Nec minore clade Cyprios afflixerunt: siquidem in ea insula duce Artemione conspirantes, circiter ducenta & quadraginta capitum millia trucidarunt. Qua facti atrocitate, Judæus legibus & pœnis Cyprum attingere prohibetur: si vel vi tempestatis, vel per errorem illuc delatus fuerit, ceu capite damnatus statim morte mulctatur.

Anno sequenti bellum non mediocre conflarunt. Lupo tunc temporis totius Ægypti præfecturam gerente certatum est; & primo quidem conflictu Judæi superavere gentiles, qui mox Alexandriam confugientes, Judæos, qui in ea urbe degebant, captos interficiunt. Horum igitur auxilio destituti Judæi Cyrenenses, duce Lucua, quem regem constituerant, Ægyptum prædationibus ac latrociniis infestare cœperunt. Itaque Imperator Marcium Turbonem adversus eos misit cum pedestribus ac navalibus copiis, & cum equitatu. Hic multis præliis consertis, belloque in longum tempus protracto, infinita Judæorum millia, qui partim ex Cyrene, partim ex Ægypto Lucuæ regi opem laturi confluxerant, neci dedit. Imperator veritus ne Judæi, qui Mesopotamiam habitabant, incolas perinde aggrederentur, mandavit Lucio Quieto, ut eos extra provinciæ fines deportaret. Qui profectus adversus eos cum exercitu, ingentem eorum multitudinem prostravit. Ob eam victoriam Judææ legatus est ab Imperatore designatus.

Trajani mors. Epitom. Dion.

XXXVI. Trajanus valetudinem suam graviter tentari sentiens, Ælio Adriano in Syria cum legionibus relicto, ipse in Italiam navigare cœpit; sed cum gravior morbus oppressit in itinere. Suppresso namque sanguine, qui per inferiorem partem quotidie profluere solitus erat, incidit in paralysim, mox intercute aqua repletus, apud Selinuntem Ciliciæ urbem, quæ postea Trajanopolis cognominata est, defertur: ibique statim extinctus, anno vitæ 64., Christi 118., idibus Augusti, cum imperasset annos undeviginti, menses sex, & dies quindecim. Virtutes civiles, & militares, enormibus vitiis fœdavit, imprimis scelere sodomiæ, & persecutione in Christianos, quanquam novas leges adversus eos non tulerit. Quapropter quæcumque narrantur de ejus animæ ab inferis liberatione, quam ajunt concessam precibus D. Gregorii, hæc merito inter fabulas recensentur: imprimis cum repugnent huic apertæ Christi sententiæ, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. 3.

Christi An. 118.

Dio in Adrian. Eutrop.

Illius mors per aliquot dies in occulto fuit, donec ordinarentur a Plotina, ejus uxore, quæ spectabant ad adoptionem Adriani, quem adamabat. Hunc quidem Trajanus, quanquam consobrini filius, vivens non adoptarat: utrum in extremis positus successorem designarit, dubium est. Nam in literis ad senatum ea de re datis, non ipse, sed Plotina subscripsit, quod in alio nullo negotio factum fuerat. Adrianus tunc quidem magnis copiis præerat. Itaque senatus, quod negare non poterat, ei confirmavit Imperium. Initio sui principatus plurimos præstantes viros ex causis levissimis interfecit. Superstitiosus supra modum vaticinationibus & omnigenis magicarum artium nugis utebatur, fidemque eis habebat. Trajani cineres in urna aurea Romam relati, & sub ejus columna condisi: solus intra urbem in foro sepultus est. Provincias, quas subjugaverat, rebellantes dimittere coactus est ejus successor. Parthenaspatem a Parthis expulsum eis regem dedit. Solam retinuit Daciam.

Adrian. Imperat. Suidas.

Eus. hist. l. 4. c. 7.

XXXVII. Vigente per omnes nationes fide in Dominum, & Servatorem nostrum Jesum Christum, malignus ille dæmon, humanæ salutis hostis semper infensissimus, omnes machinas adversus Ecclesiam movens, prius quidem eam externis persecutionibus oppugnaverat; deinde quibusdam improbis hominibus, tanquam instrumentis, utens ad exitium & perniciem animarum comparatis, alias belli artes tentavit per hæresiarchas. Ex Menandro Simonis discipulo exorti, duarum hæreseon inter se discrepantium duces, Saturninus Antiochenus, & Basilides Alexandrinus; quorum ille quidem in Syria, hic apud Ægyptum impiæ doctrinæ scholas condidit. Saturninus docuit unum esse patrem ignotum, qui virtutes, principatus, & potestates creaverit; angelos a superiore virtute descivisse, ex quibus septem mundum condiderant, partemque terrarum orbis quemque angelum divisione sortitum: hominem angelorum opus esse .... addebat impostor duos homines principio esse factos, bonum unum, alterum malum, a quibus duplex hominum genus, bonum scilicet & malum proseminatum est. Affirmabat etiam Christum umbratiliter apparuisse, non carnem hominis veram, & animam accepisse: Deum Judæorum unum ex angelis esse: ad bonos sublevandos ope sua, malosque cum dæmonibus profligandos, advenisse Salvatorem, quem proinde negabat passum pro salute omnium hominum. Uxores ducere, liberosque gignere a diabolo esse dicebat. Quamobrem plerique ex ejus discipulis ab animatorum usu abstinebant, ut affectato illo vitæ sanctioris genere, alios in suum errorem pellicerent. Prophetias Judæorum Deo, angelis mundi opificibus, & sathanæ tribuebat.

Iren. l. 1. cap. 22. Epiph. hær. 23.

Philast. cap. 3.

Basilides, Menandri quoque auditor, ut figmenta sua magis commendaret, Glauciam Petri interpretem sibi adscribebat magistrum: imo se Matthiæ opinionem adducere gloriabatur, errores mendacio tegens, ut solent hæretici. Docuit, ingenitum unum esse principium, qui solus est omnium parens: ab eo procreatam esse mentem, a mente verbum, a quo esset prudentia, quæ parens est virtutis & sapientiæ: ab utraque prodiisse principatus, potestates, & angelos, a quibus plures alii angeli, & 365. cœli procreati: angelos quoque mundum condidisse, eorumque principem esse qui Judæorum putatur Deus. Christum specie tenus apparuisse, nec esse passum, sed sibi vicarium Simonem Cyrenæum substituisse, cui figuram suam dederat, assumptaque ejus effigie, mox invisibilem factum ad superos esse subvectum.

Basilid. hæresis. Clem. Strom. lib. 7. Epiph. hær. 24.

Hinc

[Christi An. 118.] Hinc inferebat in crucifixum nec corde, nec ore esse credendum; quo principio innixi ejus discipuli, persecutionum tempore fidem abnegabant; comedebantque victimas idolis immolatas, spernebantque martyres. [Iren. l. 1. cap. 25.] Veteris testamenti prophetias ab angelis editas esse prædicabat, legem autem ab eorum principe, qui Israelitas ex Ægypto eduxerat. Pythagoræ Metamphycosim amplexus est; negabatque resurrectionem corporum: ajebatque animam, quæ prius peccaverat in alia vita, hic pati supplicium, animæque rationali addictos esse quosdam spiritus, qui ejus passiones & perturbationes excitarent, quibus semper obsequendum erat.

[Clem. 4. Strom. Theod. l. 1. hær. fab. Clemen. 4. Strom. Hieron. præf. in Matth. idem in c. 3. Amos.] Sectatoribus suis illud frequenter inculcabat; date operam ut omnia cognoscatis, nemo vero vos cognoscat. Rigidam prima specie disciplinam profitebatur, docens sola dimitti peccata involuntaria, & quæ fiunt per ignorantiam. Quatuor & viginti libros in Evangelium scripsit Basilides, quin & ausus fuit scribere Evangelium, & suo illud nomine titulare: prophetasque sibi confinxit, Barcabam, & Barcoph, omnipotentemque Deum appellavit Abrasax, quod hebræum est nomen, ac idem sonat, ac Pater præcipuus: eumdemque secundum græcas literas, quæ 365. efficiunt, & annui cursus numerum, dicebat in solis circulo contineri. Salvatorem nostrum vocabat Caulacuam, quæ vox ex duabus hebræis constat, quæ significant redemptorem fortem: filium habuit nomine Isidorum, qui paternæ impietatis hæres fuit, & propagator. [Hier. de script. eccl.] Adversus Basilidem primus scripsit Agrippa Castor. Eadem tempestate Chocibas dux Judaicæ factionis plurimos Christianos variis suppliciis enecavit.

[*Carpocrat. hær.* Clem. Alexand. 3. Strom. Theod. l. 1. hær. fab. Epiph. hær. 26. & 27. Matt. 5. Euf. hist. l. 4. c. 7.] Coætaneus iisdem prope fuit Carpocrates, impurissimus hæresiarcha. Docebat Christum ex Josepho Mariaque procreatum esse, & sola virtute aliis hominibus superiorem; mundum ab angelis conditum. Sed illud impiæ moralis erat caput: animas, quæ peccaverint, mitti in corpora, ut rite expiarentur: ac proinde omnia experiri oportere, ne si aliquod facinus, vel voluptatem prætermisissent, rursus in alia corpora relegarentur. Hoc vero ipsum esse quod in Evangelio dicitur, esto consentiens adversario tuo, dum adhuc es in via cum ipso, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris; *amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimam quadrantem*. Uxores censebat secundum Platonem debere esse communes. Præstigias magicas publice tractabat. Philtris arte magica curiose elaboratis, paredrisque, & somniorum immissionibus, aliisque hujusmodi maleficiis gloriabantur ejus sectatores, qui priusquam admitterentur ad infanda ejus mysteria, ut turpissima quæque perpetrarent oportebat: quoniam, ut ajebant, hujus mundi principes ac rectores aliter evitare non possent, nisi unicuique debita munera per obscœnissimam libidinem persolvissent.

Dum conveniebant, si quæ mulier esset prægnans, informem adhuc fœtum ex utero detractum, contusumque in mortario, pipere & aromatibus conditum singuli delibabant. Pudor vetat ne cæteras eorum spurcitias, præsertim in publicis conventibus, attingam. Quid inausum vel inexpertum potuit esse hominibus, quibus erat instar primi principii, nullas actiones esse natura mala, sed tantum opinione hominum. Et quantumvis traditi essent in reprobum sensum, Gnostici, quasi scientia excellentes, dici volebant. Quod nomen affectarunt plures alii hæretici. [Iren. l. 1. cap. 24.] Jejunia condemnabant Carpocratiani; imaginesque quasdam depictas, & quasdam de reliqua materia fabricatas habebant, quas dicebant esse formam Christi factam a Pilato: eas coronatas proponebant cum imaginibus philosophorum, scilicet Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis: & reliquam observationem circa eas similiter ut gentes faciebant, adorabantque ritu gentilium. Christiani quidem honorem deferunt sacris imaginibus, sed gentilium ritu eas non colunt, & multo minus adorant, ut manifestum est ex actis septimæ Synodi & Tridentinæ.

[Clem. 3. Strom.] Carpocrates ex uxore Alexandria filium suscepit Epiphanem, qui cum anno ætatis 17. excessisset Samæ, quæ urbs est Cephaloniæ, ut Deus est honore affectus: in eoque loco templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, musæum ædificatum est, & consecratum. Singulis noviluniis convenientes Cephalenei, quo tempore natus est, & in deos relatus, sacrificabant, libantesque convivabantur, & hymnos canebant. Si per ætatem licuisset, patrem suum impietate superasset Epiphanes: librum reliquit de justitia Dei, quam definiebat, communitatem cum æqualitate perfecta: unde inferebat rerum omnium communitatem esse juris naturalis atque divini. [Epiph. hær. 27.] Solebant Carpocratiani quos ad suam sectam fraudulenter pellexerant, illis candente ferro vel novacula, vel acu notam quamdam imprimere ad auriculam. Hinc forte nata est de Christianis opinio, quasi occultis notis sese noscerent. Quam sic refellit Minutius Felix: nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ & modestiæ signo facile dignoscimus.

[Euf. hist. l. 4. c. 7.] Hoc hominum genus ad Ecclesiæ Dei probrum, & offendiculum adornasse ac submisisse satanas videtur. Quippe hi omnes sibi Christianorum nomen usurpabant: quod gentibus a fide nostra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Evangelii materiam subministravit; dum ab illis primum orta infamia ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur: atque hinc factum est ut absurda quædam & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis spargeretur, quasi nefario concubitu cum sororibus & matribus misceri, & Thyesteis dapibus vesci soleremus, execrandisque libidinibus nos pollueremus in publicis conventibus. Sed hæ dæmonis artes nequaquam in diurnum tempus ei processere; quippe cum veritas seipsam astrueret, atque commendaret, progressuque temporis clarius in dies elucesceret, adversariorum inventa a semetipsis confutata statim extincta sunt: aliis super alias exorientibus sectis, cum priores assidue diffluerent, & in multiplices ac multiformes errorum species vario quæque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quæ sola vera est, semperque sui similis & constans, novis quotidie incrementis augebatur, gravitate, sinceritate, ac libertate, modestia denique & sanctitate vitæ omnium oculos perstringens. Simul etiam extincta est temporis lapsu calumnia illa, quæ universæ religioni nostræ afficta fuerat. Alexander Romanæ urbis episcopus 2. Adriani anno fatis functus est, cum decem annos administrationis explesset. Ei successit Xistus, anno Christi 119.

[Euf. hist. l. 4. c. 8.] XXXVIII. Populares etiam persecutiones tunc præsertim in Oriente grassabantur. Gentiles clamoribus Christianos ad mortem sæpe deposcebant, quorum votis annuebant præsides: putabant enim id gratum fore Imperatori, quem idololatriæ superstitionibus addictissimum noverant; ita ut Antinoo formoso adolescenti, quo abutebatur ad infandas voluptates, mortuo templa erexerit, ac sacrificari jusserit. [*Scriptores eccl.*] Sed veritas plures sui patronos in medium produxit, qui non solum viva voce, sed etiam scriptis disputationibus adversus impias hæreses decertarunt pro ecclesiastica Apostolicaque doctrina. Agrippæ Castoris scriptoris ea ætate nobilissimi adversus Basilidem confutatio imprimis laudatur ab antiquis; hominis præstigias & fraudes in ea detegebat, erroresque in lucem protractos validissime coarguebat. Hæc opera periere injuria temporum.

[Euf. hist. l. 4. c. 3. Hieron. epist. 83. alias 84.] Quadratus Apostolorum discipulus, illustris gratia prophetiæ, qui Publio Athenarum episcopo, ob Christi fidem martyrio coronato substitutus, hanc ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregavit, Adriano tunc Athenis agenti, ubi sacra Eleusina susceperat, obtulit orationem, quam pro defensione religionis Christianæ scripsit: ejus ingenii lumen, & recta Apostolicæ fidei doctrina perspicue in ea agnoscebatur: illius fragmentum nobis conservavit Eusebius, quo demonstrat, quantum miracula Christi differant ab impostorum præstigiis: Salvatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quæ vera essent: ii scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant: qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore: nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt: adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint.

[Euf. hist. l. 4. c. 9. *Persecutiones populares compescit*] Aristides quoque vir fidelis & eloquentissimus apologeticum pro fide Adriano obtulit contextum philosophorum sententiis; quod penitus excidit. Sapientiores etiam inter gentiles improbavere tumultus populares, quibus vexabantur Christiani. Clarissimus Serenius Granianus proconsul ad Imperatorem de-

dit

CHRISTI AN. 129. *Adrianus.*

dit litteras, quibus monebat iniquum videri, Christianos, nullo objecto crimine, tumultuosi vulgi gratificandi studio, indicta causa occidere. His acceptis rescripsit Minucio Fundano Asiæ proconsuli, ne quis post hac sine objectu criminis, & legitima accusatione condemnaretur. Illius epistolæ exemplar latino ut erat sermone conscriptum exhibet Justinus in apologia a.ª

Ibid.

" Ælius Adrianus Augustus Minucio Fundano proconsuli salutem. Accepi litteras ad me scriptas a Serenio Graniano viro clarissimo decessore tuo: nec sane mihi videtur res ista absque diligenti inquisitione prætereunda, ne forte & Christiani homines turbentur, & delatoribus calumniandi occasio præbeatur: quod si provinciales pro sua postulatione quidquam vere ac manifeste afferre, affirmareque poterunt, quo pro tribunali justo judicio convincantur, eo se solum convertant & spectent. Verum ut multitudinis solum petitionibus clamoribusque morte mulctentur, nullo modo permitto. Imo vero multo magis par est, si quis cuiquam crimen velit intendere, ut tu de illo diligenter discernas: & si a quoquam Christiani homines in judicium vocentur, ostendaturque aliquid contra leges designasse, tu ita, prout criminis ratio, & modus postulat, decidas, statuasque. At mehercule si quispiam, quo eos calumnietur, id tentaverit, tu ejusmodi hominem pro nequitia, & crudelitate severe coarguito; atque adeo sedulo prospicito, ut debitas pœnas luat. „ Hoc rescriptum persecutionis vim compescuit, sed eam non restinxit. Novas accusationum causas facile comminiscebantur infideles; quibus faciles se præbebant præsides suadente avaritia. Ex his, aliisque supra laudatis monumentis liquet plurimos esse martyres, quorum gloriosa certamina prorsus ignoramus.

SS. Hesperi & Zoes martyr. Bolland. a. Maji.

Deus, qui infirma mundi elegit, ut fortia quæque confunderet, memoriam quorumdam, qui in servili conditione morte fortiores gloriosum fecere martyrium, nobis conservavit. Attaliæ in Pamphilia sancti Hesperus & ejus uxor Zoe, servi cujusdam Catali divitis idololatræ, cum filios Syriacum & Theodulum christiane educassent, die quadam dixerunt ipsi pueri: quare servimus istis impiis, & non potius Christo, ac percamus eum illis? Catalus enim ad eos sæpe mittebat sportulas de sacrificiis idolorum, ut comederent: audiens hæc mater ipsorum dixit: resilite ei qui emit corpora nostra, & martyrium pro Christo sustinebimus. Tunc accedentes ad Catalum, Christum, ajunt, Jesum habemus Dominum animarum nostrarum; fortuna autem quadam factum est, ut corpora nostra tuæ subjicerentur potestati: potiorem interim ducimus Christi servitutem; quia Deo magis obedire oportet, quam hominibus. Obstupescens ad hæc Catalus, tunc quidem illos misit in Tritonium ad Patrem suum Hesperum. Postea vero accersens patrem & matrem cum filiis, verberari eos & torqueri vehementer jussit, quia noluerunt celebrare natalitia filii sui, atque gustare de vino & carnibus quæ eis miserat: (erant quippe reliquiæ sacrificii, quod pro vita filii idolis obtulerat Catalus) præcepit deinde accendi clibanum, eique injici sanctos, qui in illo animas suas tradiderunt Deo. Non multo post jus mortis in servos dominis abstulit Imperator: Xistus etiam multa pro fidei propagatione passus, cum episcopatum urbis Romæ decem annis obtinuisset, septimus ab Apostolis, Telesphorus in ejus locum successit, Anno Christi, 129.°

Eus. hist. l. 4. c. 4.

XXXIX. Athenis profectus, per Asiam iter faciens, Adrianus templa sui nominis consecravit superba impietate: sed dum obit provincias, procuratores & præsides pro factis affecit suppliciis. Antiochiæ consistens circumcidere filios suos Judæos prohibuit; subversisque paucis ædificiis, quæ e prima clade Jerosolymæ supererant, vel postea instaurarant Judæi, vel etiam Christiani, qui & parvam quamdam ecclesiam in monte Sion construxerant, in eodem loco, in quem discipuli posteaquam Salvator in cœlum subvectus est, sese recipientes cœnaculum conscenderant. Jussit justa rudera veteris Hierosolymæ novam urbem ædificari, in eo loco ubi extra portam Dominus fuerat crucifixus, quam Æliam Capitolinam vocavit. Circa idem tempus Herone mortuo quartus Antiochiæ episcopus constituitur Cornelius.

io. in Adr. *novam Jerusal. ædificat. Adrian.* Epiph. de pond. & mens. Greg. M. hom. 39.

Antiochensibus subinfensus Cæsar Arabiam peragravit, & exeunte anno venit in Ægyptum, ut eam provinciam tumultibus agitatam componeret: inde reversus in Syriam, Æliam novam conditam gentilium coloniæ habitandam dedit, creavitque septem magistros, qui singulis vicis præessent. In eodem loco, ubi templum Dei steterat, alterum in honorem Jovis excitavit, equestremque suam statuam in ipso sancto sanctorum loco posuit, & in fronte ejus portæ, qua Bethleem egredimur, sus sculptus in marmore proeminens significabat Romanæ potestati subjacere Judæos: Veneris quoque simulacrum in monte Calvariæ dedicavit. Ipsa vero vetus Hierusalem tanquam pomorum custodia effecta est, & cucumariis ille locus repletus est; impletamque tradit Cyrillus Michææ prophetiam: *Sion tanquam ager arabitur.*

Euseb. in chron.

CHRISTI AN. 129. & 136.

Hieron. epist. 49. alias 13. & in c. 4. Matth. Cyril. catech. 16

Bellum grave & diutinum inde natum est, Judæis hæc omnia gravissime ferentibus. Quievere tamen ab armis & cædibus Adrianum veriti, qui per ea tempora viciniis in locis constiterat. Nihilo tamen secius inter se ea studiose fabricare non cessabant, quibus, quoties belli necessitas posceret, uti possent. Postquam vero longius abfuit Adrianus, palam in arma vertuntur, quamquam aperta acie cum Romanis congredi non ausi sint: auxilia tamen sumebant, muro & cavernis subterraneis specus fodientes, atque cuniculis omnia munientes, ut liberos haberent ad fugam exitus: dux & author belli fuit quidam Barcochebas; quod nomen stellam significat: vir alioquin cruentus, & latrocinandi avidus; sed qui nomine suo auditoribus utpote vilissimis mancipiis fucum faciebat, quasi sidus e cœlo delapsum esset, ut ipsis ærumnarum mole oppressis lucem afferret. Christianos acerbissimis tormentis cruciari jussit, nisi Christum abnegarent, & maledictis incesserent, adversusque Romanos sibi ferrent subsidium.

Eus. demonst. l. 8. c. 8. Id. hist. l. 4. c. 6. & 8.

Judæorum clades.

Impetus eorum primum contempsere Romani: verum postquam universa provincia tumultuata est, & qui ubique gentium erant cum iis conspiraverunt, tunc Rufus legatus Judææ, auxiliis sibi ab Imperatore submissis, eos acerbissime ultus est, cæsa innumerabili hominum multitudine cum conjugibus ac liberis, agroque illorum jure belli in populi Romani ditionem redacto: sed & ipsi Judæi multa mala in Romanos partim clam, partim aperte edebant, eisque prædæ & lucri cupiditate se conjungebant plurimi. Adrianus tunc minime cunctatus præcipuos Romanorum duces adversus eos misit: quorum primus Julius Severus ex Britannia in Judæam vocatus minime ausus est prælium committere: nam & multitudine longe impar erat ad decertandum, & Judæi de salute desperaverant. Igitur divisos adortus, carptim, ut quosque poterat comprehendens, tum ab alimentis & commeatu interclusos, tardius quidem, sed cum minore periculo oppressit. Pauci admodum evasere, atque a cæde superfuerunt: arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ sunt: vici ad nongentos & octoginta quinque direpti, & mox igne consumpti sunt: viri in excursionibus, & in præliis ad quingenta millia cæsi fuere: fame, morbis, ac igne ingens multitudo absumpta est. Ipse rebellionis author pœnas dedit. Sic fere omnis Judæa desolata est. Non fuit incruenta victoria Romanis.

Dio in Adr.

Eus. ibid.

Sulpit. Sev. l. 2. cap. 45.

Ex eo deinceps tempore universa Judæorum gens in regionem circum Hierosolymam sitam pedem inferre prohibita est lege Imperatoris: adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis liceret. Quod quidem Christianæ fidei fuit utile; quia tunc pene omnes Judæi Christiani in Christum Deum sub legis observatione credebant. Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus a libertate fidei, atque Ecclesiæ tolleretur. In hunc igitur modum cum civitas gente Judæorum nudata esset, post hæc alienigenis eo confluentibus, urbs & colonia civium Romanorum effecta est. Et cum ecclesia ejusdem loci ex gentibus coaluisset, primus post episcopos ex circumcisione sacerdotium illius civitatis suscepit Marcus. Quindecim ejus prædecessores fuere natione Judæi.

Eus. hist. l. 4. c. 5.

XL. Judaicum bellum finitum est anno 18. Imperii Adriani, Christi 136. Anno sequenti Eumenes Alexandrinæ ecclesiæ administrationem sextus ordine suscepit, cum decessor ipsius Justus annos undecim præfuisset. Suspicati sunt aliqui ex Adriani literis ad Severianum, illis temporibus Alexandrinum episcopum appellatum esse patriarcham: sic enim

[Christi An. 137.] enim in iis legitur: " illi qui Serapin colunt Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui se episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex. Ille ipse patriarcha, cum in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. „ Hanc falsam opinionem ei injecerant Ægyptiorum sacerdotes, quo superstitioso Imperatori magis commendarent suum Serapidem, quem tunc apparuisse fabulabantur. [*Patriarcha Judæorum, quis.*] Loquitur autem Adrianus de patriarcha Judæorum, quem eversis Hierosolymis Tiberisdem habitasse ferunt. Illius dignitatis mentionem facit Origenes: [Orig. de princip. lib. 4.] completa est, inquit, prophetia, quæ dixerat, per dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa ..... Dicunt Judæi, permanere adhuc principem ex Judæ genere, istum videlicet, qui est generis eorum princeps, quem nominant patriarcham. Hæc epistolæ verba, cum Ægyptum venerit, cogitur adorare Christum, [Theod. dialog. 1.] nullatenus possunt intelligi de Alexandrino præsule, qui incolebat Ægyptum, & ultro Christum adorasset. Ejusmodi patriarchæ Judæorum permanserunt usque ad annum 420.

XLI. Adrianus Æliæ ædificandæ præfecerat Aquilam Ponticum Synopensem, religione gentilem: [Epiph. de mens. num. 25. *Aquilæ versio.*] hic consuetudine Christianorum, qui miraculis & pietate clarebant, vehementer animo commotus, Christianam religionem amplectitur. Tum aliquanto tempore interjecto, Christianæ professionis sigillum, uti petierat, obtinet. Verum cum a priore usu, moribusque non discederet, & vanissimis mathematicorum artibus, quas apprime callebat, nimium tribueret, adeoque genesim, atque horoscopum suum observaret in dies: cum ob id a magistris objurgatus ac reprehensus, emendare sese nollet; imo vero pervicaciter obluctans, falsa quædam, minimeque cohærentia tueri vellet, ut puta, fatum, & quæ cum eo connexa sunt; rursus ab Ecclesia, tanquam ad salutem minime idoneus, ejectus est. Qua ignominia vehementer exacerbatus, Christianam professionem ejurat, & inter Judæorum proselytos adscriptus, ac circumcisus est. Inde totum se hebraicis literis ediscendis vehementi cum animi contentione tradidit. [Hier. ep. 33. alias 101.] Quas cum egregie penitusque percepisset, usus magistro Akiba pharisæo, ad interpretandum scripturas se contulit. Contentiosus est interpres, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est; [Epiph. ibid.] adversus septuaginta duos interpretes impetum omnem conatumque dirigens. Hinc jure projicitur a nobis ut scripturarum depravator: imprimis expressa de Christo testimonia aliter edidit.

XLII. A catholica veritate pariter recedens Valentinus Ægyptius, [*Valentini hær.*] prioribus hæresibus retentis, easdem cum Hesiodo, [Epiph. ibid.] mutatis duntaxat nominibus, fabulas ad circumveniendum humanum genus invenit. Vir fuit acris ingenii, [Epiph. hær. 31.] nec vulgaris eloquentiæ, græcorum artibus eruditus Alexandriæ, auditor quoque Theodadis, qui Pauli fuit discipulus: [Clem. 7. Strom.] elatior autem factus postmodum, his dotibus abusus est in suam & multorum perniciem. [Tert. in Valent. cap. 4.] Speraverat episcopatum, quia ingenio poterat & eloquio; sed alium ex martyrii prærogativa loco potitum indignatus, ut solent animi proprio ratu exciti præsumptione, ultionis desiderio accendi, ad expugnandam conversus veritatem, errores variis in locis disseminavit: Romam venit sub pontificatu Hygini; [Euseb. l. 4. c. 11.] sed ejectus Ecclesia resipuisse videbatur: verum ad vomitum reversus, in Cypro prolapsus est in extremum impietatis. [Iren. l. 2. vet. edit. c. 14. nov. 59.] Legis & prophetarum quædam probans, & quædam improbans, scripturas interpretatus est pro arbitrio, iis accommodans ideas Platonis, mysteria numerorum, Antipharis poetæ comici Theogoniam, aliorumque philosophorum figmenta circa rerum productionem: atque ex iis omnibus male consutis amplificat figmentum Basilidis in hunc modum.

Principio in illis sublimitatibus, quæ neque visu percipi, [Epiph hær. 31.] neque appellatione ulla comprehendi possunt, perfectus inerat quidam Æon, primus rerum omnium pater, universa in semetipso continens, omniaque complexus, nulla re ipse comprehenditur. Hinc Bytus, seu abyssus nominatur, sempiternus, & ingenitus, in quiete & otio infinitis perseveravit seculis. Huic inerat mens, quæ & gratia, & sige, seu silentium vocatur. Fuit tempus aliquando cum Bythus omnium ex sese primordia producere voluerit, eorum semina in Sigen [Christi An. 137.] æqualem & comparem suam quasi matricem infudit; quæ peperit Num filium unigenitum æqualem parenti suo; cujus magnitudinem solus caperet, essetque rerum omnium principium: quocum una procreata est veritas. Hæc erat prima & princeps Pythagoreorum quadriga, quam universorum radicem appellabant Valentiniani. Postea Nus, seu Intelligens produxit sermonem & vitam, sequentium omnium parentem. Ex sermone autem & vita par unum exortum esse dicebant, hominem atque Ecclesiam. Ita primigeniam esse conflatam Ogdoadem, quæ quatuor paribus constat; quodlibet autem par marem & fœminam continet: quamvis Æones suos angelis magis spirituales prædicaret Valentinus. Postea sermo & vita decem alios Æones genuerant ad gloriam patris sui procurandam. Homo vero & Ecclesia procrearunt duodecim Æones: quorum præcipui, Paracletus, fides, spes, charitas, perfectus, & sapientia. Hi sunt illorum opinione conficti Æones triginta, qui simul constituebant pleroma, seu spirituale & invisibile complementum. Atque hanc ipsam esse causam statuit, cur Salvator, quem Dominum appellare nolunt, tricenos annos palam egerit nihil: ut hoc Æonum mysterium indicaret.

Æones quidem primum authorem suum expertem [Epiph. Ibid.] principii cognoscere cupiebant, sed moderate: sapientia vero omnium natu minimus immoderatius. Verum frustra laborabat; siquidem eam rem concupierat, quæ nullo modo obtineri posset. Itaque cum in summa anxietate & contentione versaretur, nihil esse propius factum, quam ut in universam absorpta naturam, ac resoluta evanesceret, nisi in eam virtutem incidisset, cui corroborandorum, & inexplicabilem extra magnitudinem conservandorum omnium munus erat attributum. Eam virtutem Horum, seu terminum appellabat. Hæc sapientiam ægre confirmavit, vix ei persuadens primum parentem non posse comprehendi. Sed priorem illam cogitationem, quam sine Theleti, seu perfecti conjugis copulatione in se susceperat, exuens, peperit informem quamdam substantiam fœminam; quam ut vidit imperfectam, dolens, occultare voluit. Sed verita ne vel ipsa esse omnino desineret, recurrit ad parentem: intercessere Æones. Tum Horos, seu terminus, purgatam sapientiam pristino Theleti conjugio restituit. Substantiam vero, quam ea ignorantia & dolore, & metu, & stupore ediderat, relegatam in cruce suffixit.

Ne quid simile post hac alicui Æoni contingeret, [Ibid.] fulciendo, firmandoque pleromati novum par dicebat ab unigena, seu filio productum, Christum scilicet ac spiritum sanctum: quorum opera Æones ordinatos ac compositos esse. Quippe Christus docuit patrem neque circumscribi spatio locorum, neque cogitatione percipi, nec visu vel auditu contrectari, nisi per unicum filium. Quod autem pater sit incomprehensibilis, id causam esse cæteris, cur in sempiternum tempus permaneant. Quod autem comprehendatur a filio, ortus eorum ac formationis esse causam: persuasitque ea notitia esse contentos. Spiritus autem sanctus omnes ad æqualitatem redactos perdocuit gratias habere patri, ac in perfecta pace tranquillam agere vitam ... communi vero omnium decreto ac sententia, suffragante Christo & Spiritu, Patre vero comprobante, factum ut singuli pleromatis Æones, quod in se præstantissimum haberent, id in medium afferrent, & contribuerent: quibus omnibus scite compositis, eleganterque contextis, novum quemdam fœtum ad Bythi decus & gloriam protulisse, scilicet Jesum perfectum pleromatis fructum, qui & Salvator sit dictus, & Christus, & Verbum. Sed & honorarios ejus satellites, ejusdem cum illo generis angelos eodem tempore productos.

Quæ extra pleroma sunt, sic constituit Valentinus. [Ibid.] Enthymesis, seu Achamot filia sapientiæ extra lumen ac pleroma velut abortus quidam informis constiterat: hujus misericordia permotus Christus, per crucem suam formam naturalem ei tribuit, non autem cognitionem, ut sentiret se miseram, & exturrem a pleromate, & melioris conditionis cupiditate teneretur; sed ab Horo prohibitam nihil consequi potuisse. Hinc variis perturbationibus affectam, scilicet

dolore,

Digitized by Google

CHRISTI AN. 137.

dolore, metu, consilii inopia, dum majora mala formidat, factam esse substantiam, ex qua mundus coaluerat. Etenim ex ipsa ejus conversione ad parentem omnes animæ sunt progenitæ, e lacrymis humidum omne, ex dolore & stupore alia elementa manarunt. Dum vero sit lætior ex memoria luminis, ex ejus risu lucidum omne procreatum est. Cum jam omnia perturbationum genera percurrisset, ægre tandem emersa est ad illud lumen, a quo destituta fuerat. Tunc Christus, qui in pleroma conscendetat, descendere gravatus, submisit vicarium sibi Paracletum, quem & Salvatorem vocat: cui pater & Æones tradidere virtutem condendi visibilia & invisibilia. Hic Achamot largitus est scientiam, & remedia passionum, quæ cum usu jam occalluissent, deleri funditus non poterant; ergo secretas densavit, convertitque in materiam corpoream, cujus pars esset mala, eo quod constaret malis affectionibus: altera vero pars, scilicet anima, iis tantum subjaceret, ortumque haberet a conversione. Achamot ab omni perturbatione libera, complexa est angelos, & fœtum spiritualem iis similem parturiit. Sic triplex constituta est substantia, scilicet spiritualis, quæ ex natura sua esset bona, & corruptionis incapax; animalis, obnoxia quidem corruptioni, sed quæ pro diversa vel ad bonum, vel ad malum conversione, fieret particeps salutis, vel interitus: demum materialis corruptibilis & necessario peritura. Achamot quidem erat spiritualis, sed ex animali substantia formaverat Demiurgum, seu conditorem eorum omnium, quæ post eum exstiterunt, & regem universorum, ac Deum omnium, quæ extra pleroma constituuntur. Ajebat ab eo septem cœlestes orbes fuisse fabricatos, quorum quartus dicebatur paradisus. Tum ex reliquo perturbationum genere procreatum esse diabolum mundi rectorem, in quo versaretur cum aliis dæmoniis, quæ etiam superiora intelligerent, utpote spirituales substantiæ.

Ibid.

Absoluta mundi fabrica, dicebat luteum hominem a conditore fictum ex invisibili materia, qui materialem animam ei inspiraverat; ac proinde eum fecerat ad imaginem suam, & similitudinem: postremo tunica pellicea, seu carne eum circumdedit. Hæc autem omnia, cœlos, mundum, dæmones, hominem formaverat Demiurgus, quid ageret prorsus nesciens; qui præterea cum ad spiritualia cognoscenda foret imbecillior, solum se esse Deum arbitratus, per prophetas edixit: *Ego Deus, præter me nullus alius.*

Isai. 46.

Eo pariter inscio spiritualem animam homini infudit Achamot: atque ad illud animal Salvatorem esse delapsum, quo ei libertate prædito afferret salutem. Salvatorem corpus sensibile, licet nihil commune haberet cum materia, e cœlo detulisse fingebat, ac tanquam aqua per fistulam, sic per Mariam transiisse virginem. Neque vero eum primum verbum esse censebat, neque proximum ab eo Christum; qui in cœlo supremus inter Æones residet, sed ejus unius causa productum, ut in terras delapsus, spiritale genus, quod e cœlo ducit originem, liberaret: ac propterea in ipsum, dum baptizaretur, sub columbæ specie descendit alter ille de pleromate Salvator, qui evolavit, dum ductus est ad Pilatum, & solus animalis Christus est passus.

Negabat hoc ipsum corpus resurgere, sed aliud spirituale, eorumque duntaxat qui spirituales sunt, quidquid in vita egerint: eorum etiam, qui licet animales sint, juste vixerint. Etenim tres hominum ordines constituit; spiritualium, animalium, atque carnalium. Ex quibus primum ordinem se suosque facere dicebat, qui neque laboris ullius indigeant, præterquam cognitionis, & appellationis mysteriorum, quæ penes illos sunt, & quidvis impune pro arbitrio facere possint: fieri enim non posse, quin eorum ordo, utpote spiritualis, salutem obtineat, eorumque animæ angelis in matrimonio collocentur. En fides justificans sine operibus, & peccata gravia, quæ prædestinatis non imputantur. Secundum hominum ordinem vocabat animalem, quales esse Catholicos volebat, quos negabat salutem assequi posse, nisi laboribus recteque factis eam sibi vindicarent, mererenturque in quodam medio loco perfrui societate conditoris. Tertius, qui materialis hominum ordo dicitur, ne quidem cognitionis est capax: ac proinde totus, tam anima, quam corpore penitus interit, seu in nihilum redigitur; nullam enim aliam pœnam æternam agnoscebat.

Ex his principiis manifestum est, quam corruptis moribus fuerint Valentini discipuli, qui nullo se scelere corrumpi, nulla impietate excludi a salute confiderent. Re quidem ipsa illicita omnia licenter perpetrabant, & dum in voluptatibus corporis ac libidinibus assidue volutabantur, carnalia se carnalibus, & spiritualia se spiritualibus reddere profitebantur. Clam stupra cum mulierculis disciplinæ suæ alumnis exercebant; quod pleræque ab illis deceptæ, & postremo ad Ecclesiam Dei reversæ, inter alios errores persæpe confessæ sunt. Hæc autem publica declaratio non fuit confessio sacramentalis: sed eum usum tunc prudenter observabant episcopi, ut qui ab hæresi redirent ad Ecclesiam, publice declararent prava dogmata, quæ apud eos audierant, morumque corruptelam, quam apud eosdem viderant; ut sic impii hæretici, qui latere cupiebant, melius innotescerent omnibus fidelibus, qui diligentius ab his caverent. Martyrii necessitatem pariter eludentes ajebant, Christum quidem pro nobis esse mortuum, ne periremus; ipsum vero, cui nihil prodest nostra mors, eam non exigere; attestante scriptura, Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat: hinc persecutionum tempore religionis dissimulationem morti se eripiebant.

CHRISTI AN. 137.

Ibid. *Valent. mores impii.*

Eus. hist. l. 4. c. 11.

Quoscumque seduxerant, variis modis initiabant suis mysteriis. Quidam eorum nuptialem thalamum adornabant, & verba quædam super initiatos immurmurantes peragebant mysterium; easque spirituales nuptias esse dicebant, ad formam & exemplum cœlestium conjugiorum. Alii vero initiandos adducebant ad lavacrum, & mergentes hæc verba proferebant: in nomine ignoti omnium Patris: in veritate omnium matre: in eo qui descendit in Jesum. Alii rursus hebraica quædam nomina pronuntiabant, ut majorem initiandis pavorem incuterent. Alii demum eos oleo aquaque permixtis perfundentes, baptismum respuebant ut inutilem. Valentini fabulam theologicam paulo fusius prosecuti sumus, ut palam omnibus innotesceret, quam profunde aberrent viri etiam periti & ingeniosi, dum rejecta infallibili regula Ecclesiæ, authoritate propria scripturas interpretantur.

Clem. 3. Strom. Iren. l. 3. c. 4.

Orig. in Joan.

Valentinus scripsit homilias, psalmos, & alios duos libros: priori, *Sophia* nomen erat; alteri, *Veritatis Evangelium*: horum fragmenta refert Clemens Alexandrinus. Diu vixit: increvit sub Pio, & permansit usque ad Anicetum. Valentinianis in pretio quoque fuit Evangelium secundum Ægyptios, quo Julius Cassianus sectæ hujus homo utebatur. Heracleon Valentini familiaris scripsit commentarios in Evangelium Joannis, cujus textus in Gnosticorum figmenta detorquet: illius fragmenta refert Origenes atque confutat. Ex Valentini schola prodierunt alii hæretici, qui ejus deliria vel amplificarunt, vel aliter exposuerunt. Præcipui fuere: 1.° Ptolomæus, qui legem in tres partes dividens, decalogum Deo, quædam Moysi admixta injustitiæ, alia sacerdotibus tribuebat. 2.° Marcus insignis magicis artibus, & libidinibus. 3.° Colorbasus, qui summum universorum parentem, ac primum principium esse hominem effutiit; ac idcirco Salvatorem se nominasse Filium hominis. 4.° Euphates, author sectæ Ophitarum. Sic dicti sunt, quod serpentem, qui decepit Adamum & Evam, Christum arbitrantes venerarentur. Nutriebant verum colubrum, qui incantante sacerdote egressus de spelunca, adrepebat ad altare superpositum, eorumque oblationes lambebat involvens, tum regrediebatur ad speluncam; ipsi vero has oblationes dividebant ut eucharistiam a Christo serpente sanctificatam. Neminem admittebant in suum sodalitium, nisi prius Jesum fuerit execratus.

Ophitæ hæretici
Epiph. hær. 41.
Aug. lib. de hær. c. 17.
Orig. l. 6. adv. Celsum.

Epiph. hær. 41. *Cerdon. hær.*

XLIII. Iisdem temporibus floruit Cerdon Hæresiarcha, natione Syrus, e Simonianorum ortus disciplina: duo principia statuit, seu duos Deos; bonum alterum & ignotum omnibus, quem & patrem Jesu nominavit; alterum creatorem, malum & cognitum, qui prophetis apparuit, & in lege locutus est. Hinc rejiciebat vetus testamentum. Negavit Christum ex Maria genitum esse, vel veram habuisse carnem, & consequenter rejecit resurrectionem corporum: Hygino sedente, in Urbem se contulit homo subdolus, & cum ad ecclesiam venisset, erroremque suum confessus esset, ita deinceps perseveravit, interdum occulte docens, interdum rursus confitens errorem. Demum convictus impiæ doctrinæ, eoque nomine a fratrum conventu rejectus est. Ex quibus colligere licet, hæreticos, qui post confessionem,

Eus. hist. l. 4. c. 11.

& ab-

CHRISTI AN. 137. & abdicationem erroris sui ad pristinum dogma iterum redissent, quos nunc relapsos vocamus, tunc temporis ad secundam pœnitentiam admissos fuisse. Cerdon Romæ suum Marcionis virus aspersit, quem etiam successorem habuit.

Tertul. de præsc. c. 47. XLIV. Ecclesia non solum intus impugnabatur ab impiis hæreticis, & philosophis, sed etiam foris a principibus: Celsus Epicureus infamiam ei inurere tentavit, editis duobus libellis, quos inscripsit, *sermo verus*: reipsa erant farrago quædam objectionum adversus religionem Judaicam & Christianam, quas non probe noverat; hinc multa confundit Adrianus, cum superstitioni supra modum esset deditus, & crudelis in eos, quos suspectos habebat: idolorum pontificum calomniis, nec non bello Judaico, quod Sulp.Sev. l. 2. c. 46. tunc ingravescebat, exacerbatus in Christi cultores, qui ex Judæis potissimum putabantur, movit persecutionem. Sed ubique victrix Ecclesia martyrum sanguine purpurata plures Deo filios peperit. Antiquiora martyrologia plures commemorant, quorum notissimi sunt, Eusthatius cum uxore Theopista & duobus filiis; D. Sophia, & tres ejus filiæ, Pistis, Mabil. itin. Italic. Elpis, & Agage; Eleutherus episcopus, ut ferunt, Aquilejensis, cum matre Antia; & Marcus præfectus militum, ut constat ex ejus epitaphio, quod exeunte 17. sæculo Romæ e subterraneis locis erutum est.

D. Seraphiæ martyrium. XLV. Persecutio brevi deſævirt per totam Italiam; D. Seraphia virgo, & Sabina vidua in Umbria Christum gloriosa morte glorificarunt: earum passionis acta, licet aliquas difficultates patiantur, prudenter tamen respui non possunt; elucet enim in iis simplex antiquitas, laudanturque a viris gravissimis: hic ea referemus compendiose. D. Seraphia Baluz. miscel. tom. 2. virgo Antiochena, sed tunc apud oppidum Vendinensium erat in domo Sabinæ, quam Christi fidem edocuit. Virillus Umbriæ præses misit ut ambæ apparerent ad tribunal; quas cum ad se venisse audiit, ingressus est in porticum prætorii honorans, & dicens Sabinæ: quid tibi ipsa derogas, aut quare temetipsam vilem reddis? conjunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos, & memoriam tanti viri, cui fuisti juncta, & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Reverte magis in domum tuam, & dimitte illam nefandam, quæ maleficiis te demultavit a deorum cultura. Sabina respondit: illius sanctæ puellæ maleficiis utinam & tu suadearis, sicut & ego ab ea juste suasa sum, ut ab immundis recederem idolis, & verum, & certissimum agnoscerem Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Præses tunc quidem reveritus illam recepit se in prætorium: illa autem cum sancta virgine reversa est in domum suam.

Ibid. Præses post tertium diem jussit officio ut adduceretur Seraphia, quam Sabina pedibus secuta est; sed ab ingressu prohibita, recepit se in domum suam cum magno fletu. Præses vero jussit sisti sanctam Seraphiam, dicens illi: sacrifica diis immortalibus. Seraphia respondit: timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit cœlum & terram, & quæ sunt in eis: nam deos quos jubes me adorare, non sunt dii, sed sunt dæmones; & non licet mihi adorare eos, quia christiana sum. Præses dixit: accede igitur, & sacrifica Christo tuo. Seraphia respondit: ego quotidie illi offero sacrificia, adorans illum & deprecans die ac nocte. Præses dixit: & ubi est templum Christi tui, vel quod sacrificium illi offers? Seraphia respondit: ut me ipsam mundam exhibeam per castam conversationem, & ut alias adducam ad illam professionem per ipsius misericordiam. Præses dixit: ergo tu es ipsa templum Dei tui, ut dicis? Seraphia respondit: si ipso adjuvante munda permansero, illius sum templum. Præses dixit: si ergo violata fueris, desines esse templum Dei tui?... jussit ergo duobus juvenibus lascivis Ægyptiis eam tradi, ut ea per integram noctem abuterentur.

Quam suscipientes horridi juvenes, perduxerunt eam in locum secretum, ubi erat cubiculum obscurissimum. Tunc stans sancta Seraphia orabat dicens: Sancte, Sancte, Sancte, te invoco Domine Jesu Christe, qui es verus custos & conservator: adesto nunc deprecor mihi miseræ & peregrinæ ancillæ tuæ Seraphiæ, & libera me a sordida contagione juvenum istorum... Confunde impudentiam eorum, & munda me a coinquinatione carnis, & ad te me jube transire... Domine Jesu Christe, exaudi me, qui es benedictus & gloriosus & superlaudabilis Filius cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Et cum memorati juvenes circa horam primam noctis cœpissent contra propositum virginis Christi accedere, subito sonus magnus factus est, & terræ motus horribilis, ita ut per totum oppidum sentiretur. Juvenes autem illi tremefacti ceciderunt exanimes in terram, membris omnibus dissolutis. Sancta vero Dei ancilla videns adesse cœleste auxilium, extensis ad cœlum puris manibus pernoctavit deprecans Dominum.

Diluculo autem properaverunt missi a profanissimo præside ut vocarent juvenes, & si præcepta implessent. Ingressi autem invenerunt sanctam Dei virginem orantem, juvenes vero dejectos in terram velut mortuos, penitus non habentes potestatem erigendi se: sed neque loqui poterant, sed tantummodo oculi eorum erant aperti. Concursus autem factus est non modicus. Præses autem cum audivisset, jussit præparari tribunal, & produci sanctam Dei ancillam: & cum ducta fuisset, Præses dixit: quibus maleficiis juvenes enervasti? Seraphia respondit: nobis Christianis non licet esse maleficos: nam quos per maleficia vestra interficitis, noster & omnium Dominus Jesus Christus invocatus vivificat eos. Præses dixit: si ergo superat Christus tuus omnes malas artes, invoca eum propter juvenes illos, ut reddatur illis sanitas pristina. Ego certissime scio quia ideo quibusdam illos maleficiis dementes fecisti, ne te de turpitudine tua detegerent. Seraphia respondit: Deus, cujus ancilla sum, omnipotens est, & apud eum nihil impossibile. Præses dixit: igitur si apud Deum tuum nihil impossibile est, fac ut juvenes illi ad se redeant & loquantur: & tunc videbimus integritatem tuam. Seraphia respondit: ut non alii fraudentur miraculo, aut male sentiant sicut & tu, jube eos huc perduci in conspectu omnium. Et jussit Præses perduci juvenes: quos portantes manibus perduxerunt ad tribunal .... erant enim membris omnibus resoluti.

Sancta Seraphia extendens ad cœlum manus Deum deprecata est ..... ut relevaret juvenes istos in conspectu omnium, ... ut cognoscant, inquit, quia tu es Deus solus, qui facis mirabilia, & non est alius præter te: & accedens tetigit juvenes illos dicens: in Nomine Domini nostri Jesu Christi erigite vos in statu vestro. Qui mox audierunt, & steterunt in pedibus suis, & cœperunt loqui. Et cum hæc vidisset populus, & miraretur, Præses dixit: videtis quia non implebat artem maleficii sui nisi eos manibus perpalpasset. Et ait Preses juvenibus: quid faciendo hæc mulier vos dementes fecit? juvenes dixerunt: domine præses, nos secundum præceptum sublimitatis tuæ mox ut ad illam accessimus, ingressus est quidam juvenis decoræ miræque magnitudinis, & totus splendebat sicut sol, & stetit inter nos & puellam hanc, & præ claritate illius tremor & caligo, & defectio nos comprehendit, & exinde non habuimus sensum usque modo. Præses dixit: dic mihi, Seraphia, genus maleficiorum, quibus artibus hæc facis, & mox te dimittam. Seraphia respondit: ego maleficia odi: sed omnes qui Christiani sunt, Christum nominantes maleficia ad nihilum redigunt, & non valebunt nocere eis. Præses dixit: ecce jam nunc videamus si valebit ars tua; & si non sacrificaveris, caput tuum faciam incidi. Seraphia respondit: fac quod vis, non sacrifico dæmoniis; nec faciam voluntatem patris tui satanæ, quia Christiana sum. Et jussit ei Præses apponi duas lampades ardentes. Et cum applicatæ fuissent lampades mox extinctæ sunt. Et qui lampades tenebant, ceciderunt retrorsum. Sancta autem Seraphia elevans oculos suos ad cœlum dicebat: Domine Jesu Christe, erubescant & conturbentur nimis omnes inimici mei, avertantur retrorsum, & confundantur valde velociter. Præses dixit: sacrifica diis, ut non moriaris. Seraphia respondit: ideo non sacrifico dæmoniis vestris, ne moriar morte vestra .... Præses autem jussit eam fustibus cædi. Et cum cæderetur, subito terræ motus factus est magnus, & quasi assula de fustibus unde cædebatur Dei virgo, attigit dextrum oculum præsidis, & post triduum amisit. Tunc repletus furore Præses, dedit sanctæ Dei capitalem sententiam dicens: quoniam Seraphiam non solum imperialia præcepta contemnentem, verum etiam istis deprehensam maleficiis gladio jussi percuti.

CHRISTI AN. 137. Passa est sancta Seraphia tertio nonas Septembris. Sabina colligens ejus reliquias, ut thesaurum sempiternum reposuit in monumento suo, quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Et non cessabat ex eo die facere eleemosynas multas, confidens in nomine Christi Jesu, & permanens in fide, quam ei tradiderat sancta virgo Seraphia. Studebat autem quotidie visitare infirmos, & in carceribus inclusos, præstans eis omnia quæ necessaria erant abunde.

Ibid. *S. Sab. passio.* XLVI. Veniente præfecto Helpidio, præses indicavit ei Sabinam, & omnia quæ gesta fuerant. Quam cum exhibuissent, introduxerunt in prætorium, & videns eam præfectus interrogavit dicens: tu es Sabina uxor Valentini illustrissimæ memoriæ, & filia Herodis? Sabina respondit: ego sum. Præfectus dixit: quare oblita es tui, & sociasti te Christianis, quorum mors est, & non adoras deos, & non honoras quos adorant & Augusti nostri? Sabina respondit: ego gratias ago Jesu Christo Domino, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Seraphiam de multis sordibus & potestate dæmonum liberare dignatus est, ut non amplius errarem, sicut vos video errare, adorando dæmones. Præfectus dixit: ut tu dicis, non solum nos, sed Domini & Augusti nostri dæmones adorant, & non Deum .... & protulit in eam sententiam dicens: Sabinam diis inobedientem, Dominos quoque & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decrevimus, atque omnes facultates ejus publicis titulis præsignari. Amputato igitur capite sanctæ & venerabilis Christi martyris Sabinæ, Christiani cum gaudio magno corpus ejus sustulerunt, & posuerunt in monumento ipsius. Passa est quarto Kalendas Septembris.

Id unum in his actis maxime reprehenditur, quod præses & præfectus tunc fuisse plures Augustos insinuare videantur, semper enim dicunt Dominos & Augustos nostros. Romanus autem orbis duos Cæsares simul imperantes non vidit ante Marcum Aurelium, & Lucium Verum. Hæc brevis sit responsio: nusquam dicitur tunc regnasse plures Imperatores; & magistratuum verba facile explicantur de Imperatoribus, qui hactenus deos coluerant, & animadverterant in Christianos. His adde Adrianum jam fortassis adoptasse & designasse successorem suum.

Bolland. 18. Apr. XLVII. Illustrem quoque martyrii palmam sub eodem Imperatore adepti sunt quinque athletæ magno amicitiæ mutuæ vinculo conjuncti: quorum passio, quam certa est ex antiquis martyrologiis, tam incertæ sunt circumstantiæ. *Faustini & sociorum martyrium* Horum primi fuere Brixienses fratres per ecclesiam universam nobilissimi, Faustinus sacerdos, & Jovita diaconus; tertius D. Marcianus Dertonensis episcopus, qui curavit ex carcere pacem suam portari fratri suo in Christo Calocero; quartus vocatur Secundus urbis Astiensis vir primarius; quintus D. Calocerus, qui Albingæ passus est. Sardinia pariter D. Antiqui episcopi sui, & Gabinii, & Crispuli martyrio nobilitata est.

Insignis imprimis fuit passio sanctæ Symphorosæ, & septem ejus filiorum; quam circa hæc tempora contigisse communis est opinio. Horum sanctorum neci occasionem dedit vicina celeberrimi illius palatii, quod in villa Tiburtina ab Adriano ædificatum est. Imperator regiam hanc domum, quam sibi ad delicias construxerat, peculiaribus quibusdam cæremoniis lustrari jussit. act. martyr. sinc. Sacerdotes idolorum arripuere hanc occasionem accusandi Symphorosam, affirmaruntque deorum nomine nihil eis placiturum esse, ni prius Symphorosa Christiana vel ipsis sacrificaret, vel ipsa cum filiis sacrificaretur. Adrianus igitur jussit eam teneri cum filiis, & blandis eos sermonibus hortabatur, ut ad sacrificandum idolis consentirent. Cui *S. symphorosæ passio.* beata Symphorosa dixit: vir meus Getulius cum fratre suo Amantio, tribuni tui cum essent, pro Christi nomine passi sunt diversa supplicia, ne idolis immolarent, & quasi boni athletæ dæmones tuos moriendo vicerunt; elegerunt enim magis decollari, quam vinci.... Adrianus Imperator dixit: elige tibi unum ex duobus; Martyr. 10. Julii. sacrifica diis meis, aut malo interitu finieris. B. Symphorosa respondit: tu existimas quod possit animus meus aliquo terrore mutari, cum ego desiderem cum viro meo Getulio, quem pro Christi nomine interfecisti, requiescere. Tunc Adrianus Imperator jussit eam duci ad fanum Herculis. Ibi alapis cæsa, & capillis suspensa permansit in bono proposito. Itaque jussit eam alligato ad collum ingenti saxo in flumen præcipitari: cujus corpus colligens frater ejus Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, in suburbano ejusdem civitatis sepelivit. CHRISTI AN. 139.

Alia vero die jussit Adrianus Imperator simul omnes septem filios ejus sibi præsentari. Quos cum ad sacrificandum idolis provocaret, & nullo pacto eos videret suis minis atque terroribus consentire, jussit circa Herculis templum septem stipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi, gladioque percuti. Primus, Crescens in gutture transfixus est; secundus, Julianus in pectore, tertius, Nemesius in corde percussus; quartus, Primitivus in umbilico vulneratus; quintus, Justinus aversum per dorsum perforatus gladio; sextus, Stacteus in latere vulneratus; septimus vero, Eugenius a summo usque deorsum fissus. Altera vero die veniens Adrianus Imperator ad fanum Herculis, jussit corpora eorum simul auferri, & projici in altam foveam: & imposuerunt pontifices nomen loco illi, ad septem Biothanatos, id est, affectos supplicio. Post hæc quievit persecutio anno uno & mensibus sex: in quo spatio omnium martyrum honorata sunt corpora, & constructis tumulis condita cum omni diligentia. Hæc acta eorum passionis sincera, ut communis fert opinio, scripsit Julius Africanus scriptor celeberrimus.

XLVIII. Adrianum post biennium vita functum ex iisdem actis colligitur: adoptaverat Cejonium Commodum Verum, invitis omnibus, eumque Ælium Verum Cæsarem appellavit. Sed vix rediens e provincia, ut patri gratias ageret, Kalendis ipsis Januarii periit. Severianus graviter tolerat Veri adoptionem: hunc nonagenarium, quasi affectasset imperium, mori coegit. Hic antequam jugularetur, ignem poposcit, deinde incenso thure, vos, inquit, dii immortales, quos habeo innocentiæ meæ testes, hoc unum rogo, ut Adrianus, cum mortem obire cupierit, non possit. Occisus est una cum eo Fuscus nepos ejus annos octodecim natus. Imperator anceps quid circa successorem statueret, tandem Arrium Antoninum adoptavit, qui factus est patri, & in imperio proconsulari, & in tribunitia potestate collega; ejusque jussu Commodi filium, Lucium Verum, & Marcum Aurelium Antoninum fratris uxoris suæ filium adoptavit.

Adrianus interim nimio sanguinis defluxu phtisi, Ibid. mox tabescente corpore hydropisi corripitur: magicis quidem artibus, & incantamentis aquam omnem intercutem eduxit, qua rursus celeriter repletus est. Postquam igitur morbus auctus est, & utcumque adhibitis remediis in dies deficiebat, mori decrevit. Sæpe aut venenum, aut gladium postulabat, & frustra quidem, nullus enim porrigebat. Posteaquam autem promissa pecunia, & data venia nemo ei obtemperat; conquerebatur, quod nullam potestatem haberet, nec sibi mortem consciscere posset: demum consilio medicorum abstinuit cibo & potu, qui non ad salutem, imo ad morbum exaugendum faceret: mortuus est eodem idibus Julii, dicens illud in populo vulgatum, turba medicorum interfecit Regem.

Vixit annos duos & sexaginta, & quinque menses, Capitol. imperavit annos viginti, menses undecim. Insensissimum omnibus cædes fecerant. Superstitiosissimus fuit, Suid. & vaticinationibus & omnigenis magicarum artium nugis utebatur. Cum vellet omnes in omnibus studiis regibusque superare, illos, qui aliqua re, vel arte præstabant & excellebant, odio prosequebatur, non solum viventibus, sed etiam mortuis invidens. Hæc vitia compensabat diligentia, prudentia, dexteritate & magnificentia, multis enim rebuspublicis, tum privatis hominibus multa largitus est. Nullum bellum excitavit, & exorta sedavit.

XLIX. Arrius Antoninus, anno Christi 139. ei suc- *Antoninus Imperat.* cessit, annos natus duo & quinquaginta, forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, placidus ingenio, singularis eloquentiæ; præcipue sobrius, mitis, liberalis, alieni abstinens; & omnia hæc cum mensura, & sine jactantia. Pius cognominatus est a senatu, tum ob pietatem erga parentem utrumque; providit enim ne Adrianus sibi manus inferret, & benigne suasit reluctanti senatui ut ei divinos honores decerneret: & simul eos, quos per ultimam ægritudinem morte damnaverat, conservavit. Pacis adeo cupidus erat, ut diceret, malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. Aurum coronatum, quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat, Italicis totum, dimidium provincialibus reddidit: tanta diligentia subjectos sibi populos rexit, ut omnia & omnes, quasi sua essent, curaret. Provinciæ sub eo cunctæ floruerunt.

In

Christi An. 140. & 144.

Euf. hist. l. 4. c. 20.

In regimine ecclesiastico facta est etiam quædam commutatio. Cornelius Heronis successor, qui tredecim annis præsederat ecclesiæ Antiochenæ, diem extremum obiit, quem deinde excipiens Eros, quinto ab Apostolis loco eamdem ecclesiam rexit. Alexandriæ vero cum Eumenes tredecim annos explesset, Marcus in ejus locum antistes designatus est: quo deinde post decem pontificatus annos mortuo, Alexandrinæ ecclesiæ administrationem Celadion accepit. D. Telesphorus Papa anno Christi 140. vitam martyrio finit anno sui episcopatus undecimo, ut scribit Irenæus. Verisimillimum est, eum Adriani jussu habitum in vinculis, qui cum nulla sæculari dignitate fulgeret, Antonini benignitati subductus, infidelium odio ducitur ad supplicium. Jejunii quadragesimalis institutor a quibusdam dicitur ex decretali prorsus apocrypha; antiquiores vero Patres docent illud esse institutionis Apostolicæ. D. Leo: quod ergo in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc sollicitius est & devotius exequendum, ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur. Profecto tantus pontifex leges Ecclesiæ, & majorum instituta non ignorabat. Idem in Oriente tradidit D. Chrysostomus: nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus. Pontificatum Romanæ urbis sortitus est Hyginus.

Euf. hist. l. 4. c. 10.
Jejunium quadrag. institutionis Apostolicæ.
Leo ser. 6. de quadrag.
Chrys. ep. 54. ad Marcel.

L. Tranquillior fore status Ecclesiæ videbatur sub Antonino principe mitissimo; cum novum hostem, qui eam late diuque vastaret, ei suscitavit diabolus. Is fuit Marcion, genere Ponticus, ex oppido Synope, vir ardentis ingenii, multæque literaturæ, parente natus catholicæ communionis episcopo: initio vixit in solitudine castitatem præ se ferens; postea cum virginem quamdam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vitæ cœlestis illam ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum ab ecclesia ab ipso parente pulsus est, viro imprimis religioso, & in episcopalis muneris administratione præstanti. Cui cum Marcion diu multumque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc a patre precibus nullis obtinuit. Suorum ergo popularium probra ac ludibria non sustinens, Romam se contulit, adiensque seniores, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur ab iis frustra petiit. Extimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne ecclesiæ quidem aditum obtinuisset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.

Hier. in c. 10. Ose.
Epiph. hær. 42.
Marcionis lapsus

Tertullianus refert eum cum ducentia sestertiis, quæ ecclesiæ intulerat, in perpetuum dissidium relegatum. Ex quibus hæc tria colligimus: 1.° vacasse sedem: siquidem a Romano presbyterio admitti in communionem ecclesiæ Marcio postulavit, ibidem affectans principem locum: 2° eadem verba indicant eum non tantum laicam communionem, sed restitutionem in gradum, ita ut fieri posset episcopus, postulasse: 3° eum pecunia tentasse Romanorum presbyterorum integritatem, a quibus voluit emere absolutionem; ac proinde minime sinceram fuisse ejus pœnitentiam. Rejectus, iterum tamen convenit sacerdotes, ac palam eos alloquens, cur me, inquit, recipere noluistis? responderunt illi: nobis injussu venerandi patris tui facere istud non licet, una siquidem fides est, & animorum una consensio: neque contra spectatissimum collegam patrem tuum moliri quidpiam possumus. Is fuit prioribus sæculis disciplinæ vigor, ut ne Romanus quidem pontifex legitime excommunicatum sine consensu proprii episcopi reciperet. Hunc morem sic aperte tradit canon 25. Apostolorum: si quis presbyter, aut diaconus ab episcopo segregatus sit, hunc ab alio recipi non liceat, præterquam ab eo, qui eum segregavit, nisi forsitan qui segregavit illum, mortuus fuerit. Ille vehementius excandescens, superbiaque in præceps abreptus, ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam; quod ille revera nec mediocre quidem injecit: non ita tamen, ut ecclesiam, sed ut se potius ac suos discinderet. D. Hygino post quartum episcopatus annum mortuo, tunc Romanæ ecclesiæ sacerdotium suscepit Pius, anno Christi 144.

Ter. lib. de præscript. cap. 30.

Euf. hist. l. 4. c. 11.

LI. Cerdonem magistrum suum secutus Marcion, duo quoque principia constituit: unum bonum, qui Deus esset supremus, invisibilis & incomprehensibilis: alterum malum, qui Deus esset Judæorum, author veteris testamenti, mundi creator. Duplicem Christum pariter admisit; unum, qui Tiberii tempore sub hominis externa specie, sed veram non habens carnem, apparuit: hic a vero Deo missus descendit ad inferos, ac homines etiam sceleratissimos, & gentiles, quibus ignotus fuerat Judæorum Deus, secum eduxit ab inferis; patriarchas vero & prophetas, quorum pietas laudatur in veteri testamento, illic reliquit: quoniam Judæorum Deum agnoverunt, ejusque leges secuti sunt. Creator autem promisit alterum Christum, qui Judaicum statum restitueret. Testamentum vetus prorsus abjecit ut opus mali Dei: novum recepit, sed pro arbitrio mutilatum. Nonaginta novem textus ab eo depravatos recenset Epiphanius. Scripsit antitheses, seu oppositiones veteris testamenti cum novo; ut ex diversitate sententiarum utriusque testamenti inferret diversitatem deorum. Baptismum verbis Evangelicis non consecrabat. Theodoretus testatur se decem millia, & amplius Marcionitarum in sua diœcesi ad fidem adduxisse, & baptizasse. Peccatoribus tertium baptisma concedebat: qua arte tegere voluit sceleris sui infamiam, se novo baptismate restitutum innocentiæ prædicans: imo vivos pro mortuis baptizari permisit: econtra conjugatos arcebat a baptismate, in odium carnis, quam dicebat a malo Deo conditam. Hinc prædicabat virginitatem & martyrium, quibus caro destruitur, & negabat carnis resurrectionem, solisque animabus concedebat salutem. Postmodum pœnitentiam confessus, cum conditioni sibi datæ occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est. Hæc hæresis, inquit Epiphanius quinto sæculo, non modo Romæ & in Italia hodie reperitur, sed Ægyptum & Palæstinam, nec non Arabiam ac Syriam, Cyprum ac Thebaidem, imo etiam Persidem, aliasque regiones longe lateque pervagata est.

Epiph. hær. 42.
Marcion. heres.

Christi An. 144.

Tertul. adv. Marc. l. 1. cap. 19.
Theod. ep. 145.
Chrys. hom. 40. in 1. ad Cor.
Tertul. præscript. cap. 30.

LII. Marcionitarum secta brevi in diversas scissa est sententias, ut fieri solet in omnibus sectariis, quorum posteriores non concordant cum magistro suo, & a se invicem dissident. Alii perinde ac Marcion, cum divisionem rerum æque ac ille reperire non possent, duo rerum principia nude & absque ulla demonstratione pronuntiarunt: alii rursus ab his tanquam tempestate in pejus abrepti, non duas solum, sed tres naturas principales posuerunt, quorum princeps & antesignanus fuit Syneros: Deum bonum ajebat præesse Christianis, conditorem Judæis, malum gentibus.

Euf. hist. l. 5. c. 15.

Famosus ex illorum grege præ cæteris fuit Apelles auditor Marcionis, sed lapsus in fœminam, ab oculis magistri Alexandriam secessit: inde regressus non melior, impegit in alteram fœminam, scilicet virginem Philumenem, quæ postea immane fuit prostibulum, cujus energumatæ circumventus, quas ab ea didicit Phaneroses scripsit, oracula divina libris maledicentissimis insectatus, adversus legem Mosaicam impie locutus est, prophetarum oracula ex adversario spiritu profecta docens. Econtra affirmabat Philumenem esse divinitus inspiratam ad futura prænuntianda: præsagiis ejus secretim solitus erat præmoneri. Philumenæ sub habitu pueri apparebat phantasma quoddam, aliquando Christum, aliquando Paulum se esse dicens: ab eo sciscitabatur quæ respondere soleret. Apelles fatebatur unum esse principium, qui quidem Deus unus & bonus, nullam eorum, quæ in mundo geruntur, curam suscipit: sed alium produxit Deum, a quo hæc universa condita sunt. Sed hic minime bonus evasit, ejusque opera omnia non bene facta, sed pro mala illius mente ab eo fabricata sunt. Agnoscebat postremis temporibus affuisse Christum supremi & boni Dei Filium, ejusque Spiritum sanctum, ad eorum salutem qui ad ipsius notitiam pervenirent, & re vera carnem sumpsisse, non tamen ex virgine Maria; sed e cœlo delapsus in terram corpus sibi ex quatuor elementis effinxit, cœlestiumque rerum scientiam homines docuit, ut conditorem aspernarentur, ejusque opera abnegarent: deinde revera crucifixus est, postea resurgens carnem ostendit discipulis, sed in cœlum rediens unicuique elemento quod proprium erat restituit: atque ita corpore resoluto solus spiritus ascendit in cœlum. Hinc carnis resurrectionem negabat, in aliis cum Marcione sentiebat.

Tertul. de præscript. cap. 30.
Aug. l. de hær. cap. 24.
Euf. hist. l. 5. c. 13.
Epiph. hær. 44.

Christi An. 144.

Justini conversio. Justin. in dialog. cum Triph.

LIII. Marcioni coætaneus fuit D. Justinus martyr, Prisci Bacchii hominis græci atque gentilis filius, oriundus ex urbe Sichem in Palæstina, quæ Neapolis Flaviæ tunc nuncupabatur propter Vespasianum, qui Græcorum coloniam eo deduxerat. Cum philosophiæ cupidus esset, Stoico se tradidit excolendum; sed cum ab eo de Deo, quem ignorabat, nihil didicisset, ad Peripateticum se contulit, quem deseruit, eo quod mercedem flagitasset. Conversus ad Pythagoricum magni nominis, ab eo quoque discedere coactus est, utpote musicæ, astronomiæ & geometriæ ignarus, quas disciplinas exigunt Pythagoræi. Itaque Platonico sese addixit, multum delectatus hac philosophia, quæ in spirituum idearumque contemplatione versatur, de Deo cognoscendo spem certam concipiens; ad cujus notitiam quomodo pervenerit, sic ipse narrat.

Justin. in apolog. 1.

" Nam & ego, qui Platonis doctrinam amplexus fueram, cum Christianos calumniis appeti audirem, eosque adversus mortem, & cætera quæ formidabilia habentur, fortes atque intrepidos viderem; sic apud me reputabam fieri non posse ut iidem voluptatibus & vitiis dediti essent. Quis enim voluptatibus deditus, aut intemperans, & humanis carnibus vesci pro deliciis habens, mortem ipsam possit libenter amplecti, quæ suas ipsi cupiditates ereptura sit? ac non potius omnibus modis contendat, ut in hac vita perpetuo degat, & magistratus ipsos lateat: nedum se ipse necandum ultro prodat ac deferat. "

Justin. in dialog. cum Triph.

" Animo sic affectus statui solitudine uti prolixius; proinde locum quemdam mari proximum petii, e quo cum non multum abessem, vetulus quidam senex, aspectu minime contemnendus, lenes simul & graves præ se ferens mores, me consequitur. " Ubi cum sene Justinus instituit colloquium, ab eo didicit philosophos non recte sentire de Deo, neque de anima rationali, quæ immortalis est, " nullosque esse vere sapientes, nisi prophetas, qui Spiritu sancto inspirati futura cecinere, patravere miracula, exaraveruntque scripta, quibus vera scientia continetur, & prædicaverunt verum Deum universorum conditorem, & Christum ejus filium annuntiaverunt. " Quibus addidit bonus ille senex: " at tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta; neque enim ab aliquibus ea percipiuntur, præterquam si cui Deus & Christus ejus concesserint intelligentiam. His dictis abiit, eumque, inquit Justinus, postea non vidi. Confestim vero in animo meo ardor excitatus est, & amor me invasit prophetarum, & illorum virorum, qui Christo chari sunt & amici; & mecum revolvens illius disputationem, hanc ipsam solam comperi esse certam, atque utilem philosophiam. " Haud dubium est, quin scripturas diligenter evolverit, viam aperiente viro catholico. His inductus rationibus, ut ipse narrat, cum esset jam annorum triginta, fidem amplexus est, quam sub habitu philosophi postea prædicavit, propugnavitque scriptis voluminibus.

LIV. Frequentes Judæorum rebelliones, quos per præsides contudit Antoninus, corruptissimi mores hæreticorum, quorum aliqui magiam exercebant, & tamen Christiano nomine censebantur, dederant ansam multarum calumniarum adversus Christianam

D. Felicitatis martyrium. Act. Symmar.

religionem. Hinc odio gentilium, avaritia præsidum, & sacrificulorum, quorum lucra non parum crescebant proscriptione fidelium, populares persecutiones passim fecere multos martyres. Romæ seditione pontificum, Felicitas illustris fœmina cum septem filiis suis Christianis tenta est; quæ in viduitate permanens, Deo suam voverat castitatem, die noctuque orationibus vacans, magnam de se ædificationem castis mentibus dabat. Videntes autem pontifices præconia Christiani nominis per eam profecisse, suggesserant de ea Antonino Augusto dicentes: contra salutem vestram mulier hæc vidua, cum filiis suis, diis nostris insultat; quæ si non veneratæ fuerit deos, sciet pietas vestra deos nostros sic irasci, ut penitus placari non possint.

Imperator Antoninus tunc injunxit præfecto urbis Publio, ut eam compelleret cum filiis suis deorum iras sacrificiis mitigare. Publius itaque jussit eam privatim adduci, & blando colloquio ad sacrificium eam provocans, minabatur pœnarum interitum. Cui Felicitas dixit: nec blandimentis tuis resolvi potero, nec terroribus tuis frangi; habeo enim Spiritum sanctum, qui me non permittit vinci a diabolo; & ideo secura sum, quia vivens te superabo; & si interfecta fuero, melius te vincam occisa.

Christi An. 150.

Publius dixit: misera, si tibi est suave mori, vel filios tuos fac vivere. Felicitas respondit: vivent filii mei, si non sacrificaverint idolis: si vero hoc tantum scelus admiserint, in æternum ibunt interitum.

Alia die Publius sedit in foro Martis, & jussit eam adduci cum filiis suis, cui & dixit: miserere filiis tuis juvenibus bonis, & flore primo juventutis florentibus. Respondit Felicitas: misericordia tua impietas est, & exhortatio tua crudelitas est. Et conversa ad filios suos dixit: videte, filii, cœlum & sursum aspicite: ibi vos exspectat Christus cum sanctis suis: pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete. Audiens hæc Publius, jussit eam alapis cædi, dicens: ause es me præsente ista monita dare, ut Dominorum nostrorum jussa contemnant? tunc vocavit septem ejus filios, Januarium, Felicem, Philippum, Sylvanum, Alexandrum, Vitalem, Martialem, divisosque multis promissis & minis sollicitat; quos cum fortes in fide invenisset, omnia gesta suggessit Imperatori, qui misit eos ad diversos judices; a quibus unus primum fratrem plumbatis occidit: alter secundum & tertium fustibus mactavit: alius quartum præcipitio interemit: alius quintum, sextum, & septimum capitalem fecit subire sententiam: alius matrem illorum capite truncari jussit. Et ita diversis suppliciis interempti, omnes effecti sunt victores & martyres Christi, & cum matre triumphantes ad præmia in cœlis percipienda convolatunt. Illustrissimam hanc fœminam summis laudibus extulere sancti Patres, Gregorius Magnus, & Petrus Chrysologus.

Greg. M. hom. 3. in evang.

Justini apologia.

LV. Justinus tot calamitatibus aliquod afferre remedium vel sui capitis periculo non dubitavit: itaque pro Christianis scripsit apologiam, quam Imperatori nuncupavit anno Christi 150. ut ipse scribit. Hæc licet in ejus operibus dicatur posterior, revera prior est, eumque locum habuit apud veteres. Quæ vero nunc prioris nomen habet, est posterior; siquidem oblata est Marco Aurelio Antonini Pii successori. Ista vero ipsimet Antonino inscribitur, quem cum filiis sic alloquitur: ... " Hæc scripsi, non ut adulationibus præoccuparem vestram gratiam, sed ut postularem judicium secundum exactam rationem ..... oramus, ut quæ Christianis objiciuntur crimina inquirantur: si probata fuerint, pœnas non deprecamur. Si vero nihil deprehendatur quod merito coargui possit, a ratione alienum est insontes injuria afficere .... Nostrum igitur erit vitæ & doctrinæ nostræ inspiciendæ omnibus facere potestatem; ne socordiæ nostræ deputentur supplicia scelerum, quæ nobis inferuntur per ignorantiam: vestrum autem, ut audita causa boni judices inveniamini. " Ostendit deinde Christiani nomen loco sceleris haberi non posse absque malefactis: unde concludit: iniquum esse, eos, qui tanquam rei deferuntur, si voce negent se Christianos, absolvere; si fateantur, condemnare. " Cum potius & in profitentis, & in negantis vitam esset inquirendum, ut ex operibus qualis quisque esset appareret. "

Ibid.

Justini fides circa Trinit.

Atheismi accusationem diluit expositione Christianæ religionis: " Athei cognominamur: profiteor quidem nos gentilium deos non venerari, qui sunt dæmones; sed verissimum illum Deum, Patrem justitiæ & castitatis, & virtutum aliarum, & hunc ipsum qui ab eo venit, & ita nos docuit, Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes. " En personarum divinarum Trinitas .... " sempiternam namque & puram vitam concupiscentes, ad consuetudinem cum Deo parente & opifice universorum vivendi aspiramus; credentes hanc eos consequi posse, qui ab omni pravitate abstinentes, recte factis probant Deo, quod eum sincere inquirant, amentque ejus consuetudinem. Plato quidem dicit Rhadamantum & Minoem cuilibet flagitioso pœnas infligere promeritas: nos autem dicimus id factum iri a Christo, qui iniquorum corpora animabus iterum sociata æternis addicet cruciatibus ... Nos exspectare regnum audientes, illud terrenum esse statim opinamini, cum loquamur de regno Dei, in quo cum eo regnaturi sumus. Etenim nos esse Christianos coram judicibus profitemur, quamvis mortis supplicium professis propositum sciamus: si vero regnum exspectaremus humanum, inficiaremur utique, ne occideremur,

CHRISTI AN. 150.

remur. Sed quia spes nostra non in rebus præsentibus fixas habemus, nihil moramur, cum sciamus nobis esse moriendum. Ad pacem vero publicam conservandam vobis præ cæteris adjutores sumus, qui docemus nullam actionem, sive bonam, sive malam latere Deum, & unumquemque ad æternam vel pœnam, vel salutem pro factorum suorum meritis contendere. Hæc si omnibus hominibus nota forent, nemo, vel per breve tempus, vellet esse malus, ad perennem ignis condemnationem ire se sciens; sed potius modis omnibus se cohiberet, & virtutibus ornaret, ut ea, quæ a Deo proveniunt, bona consequeretur, & suppliciorum tormenti liberaretur. „

Ibid.

Quam sapienter Christum, licet crucifixum, ut Dei Filium adorent, atque ut doctorem sequantur Christiani, demonstrat ea sanctitate legis Christianæ, quam opponit vitiis gentilium. “ Qui olim, inquit, scilicet dum essemus gentilea, stupris lætabamur, nunc castitatem solam complectimur; qui magicis artibus utebamur, æterno & bono Deo nos consecramus; qui pecuniarum fructus adamabamus, nunc ea quæ habemus cum indigentibus communicamus; qui mutuis odiis & cædibus inter nos grassabamur, nunc & pro inimicis oramus; & qui nos iniquo persequuntur odio, suasione flectere conamur, ut secundum honesta Christi præcepta vitam agentes bonam, eadem quæ nos præmia sperare possint. . . . . Non tantum qui reipsa committit adulterium, sed etiam committere volens a Christo rejicitur; non enim opera solum, verum etiam cogitationes manifestæ sunt Deo. Plerique apud nos a puero usque ad summam senectutem in perpetua castitate vixerunt. Quid autem dicam innumerabilem eorum multitudinem, qui ea intemperanti luxuria ad frugem bonam conversi sunt, ubi primum instituta nostra perdidicerunt? „ Hæc omnia confirmat relatis Christi sententiis, quibus vitia proscribit, virtutesque præcipit: quas

Matth. 5.

inter hanc sic recenset: *qui repudiatam a viro alteram duxerit, adulterium committit.*

“ Qui non ita vivere comperiuntur, sicut Christus docuit, certum est indicium eos non esse Christianos, quamvis doctrinam Christi lingua profiteantur . . . . quos a vobis puniri rogamus. „ Hæc dixit propter hæreticos, quorum mores erant perditissimi. “ Vectigalia & collationes vestri exactoribus ubique inferre præ cæteris contendimus, dicente Chri-

Matth. 22.

Christi divinit.

sto: *reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Proinde Deum solum adoramus, vobis in rebus aliis læti inservimus ut veris Imperatoribus. Jesus Christus unus & solus proprie Filius Deo genitus, qui nimirum ratio & Verbum ejus, & primogenitus, & virtus est, atque de consilio ejusque voluntate, instaurandi & restituendi generis humani causa homo factus est, nos ita docuit . . . . „ Et infra. “ Qui Filium Patrem esse dicunt, comperiuntur neque Patrem scire, neque Filium esse Patri universorum nosse; qui quod Verbum & primogenitus Dei sit, Deus etiam est. „ Egregium plane divinitatis Christi testimonium. “ Nunc autem Imperii vestri temporibus ex Virgine homo genitus, juxta Patris consilium & voluntatem, propter salutem credentium, semetipsum exinaniens passionem sustinuit, ut moriens, & resurgens, mortem vinceret. „

Ibid.

Religionis Christianæ veritatem deinde probat ex prophetiis, quas in libris per ipsos propheta compositis Judæi conservant a multis sæculis: quæ prophetiæ Christi Filii Dei nativitatem ex Virgine, miracula, passionem, & resurrectionem, in cœlos ascensionem prænuntiant, nec non & gentium conversionem, quæ fieret per prædicationem Apostolorum. Tum refert præcipuas de Messia prophetias, quas in Jesu Christo completas docet . . . . & paulo post sebdit: “ cæterum ne aliqui ex his, quæ protulimus, autument ex fati necessitate nos dicere fieri quæ fiunt, eo quod prædicta sunt, atque decreta habean-

Libertas arbitrii.

tur: id etiam refellemus . . . . nam si fatale sit hunc quidem esse bonum, illum vero malum: neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus: ac nisi libero arbitrio & ad turpia fugienda, & ad honesta deligenda facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in culpa qualiumcunque factorum ...., sed enim nos libero delectu recte per virtutem vivere, tum per peccatum labi, ad hunc demonstramus modum: homo tunc non posset in contraria mutari; & tunc verum esset, nullam esse virtutem, neque vitium: & opinione tantum bona, vel mala existimari . . . . Quæ profecto, ut vera declarat ratio, summa est impietas & injustitia. „ Hæc probat iis scripturæ testimoniis, quibus utuntur Catholici, ut astruant liberum arbitrium. Ex quibus liquet, Justinum fatalem necessitatem sic amovere ab homine lapso, ut doceat eum esse liberi arbitrii, ratione cujus e duobus propositis unum, prout vult, eligit.

Post hæc conqueritur aliis licitum esse, feles, crocodilos, & arbores adorare: imo & Simoni viro Samaritano propter magicas artes Romæ erectam statuam, cum hac inscriptione latina, *Simoni Deo sancto:* Christianos vero proscribi, morteque damnari, quia Christum Dei Filium colunt, & alios deos non venerantur . . . . Infra perstringit nefandas Romanorum voluptates, infantium expositiones, quos alii etiam masculos alebant in cultum meretricium. “ Nos autem, inquit, ab hujusmodi sceleribus admittendis longe absumus, eorumque architectum vocamus satanam & diabolum, quem una cum hominibus eum sequentibus in ignem missum, & per æternitatem excruciandum demonstravit Christus. „ Ibid.

Exponit demum Christianæ religionis mysteria, quæ prodere gentilibus nefas ducebant sancti Patres. Cur ea divulget, hanc rationem affert Justinus: “ ne si hoc prætereamus, maligne quidquam, & dissimulanter agere in hac oratione videamur. Quicumque crediderint vera esse quæ tradimus, atque ita se vivere posse receperint, eos orare jejunantes, atque a Deo petere peccatorum remissionem docemus, unaque cum illis oramus, & jejunamus. Deinde deductos ad aquam eos regeneramus, dum in aqua eis facimus lavacrum, in nomine Patris rerum omnium, & Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti; nam Christus ipse dixit: *nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum* Joan. 3.
cœlorum. „ Hujus exclusionis a regno Dei hanc ab Apostolis traditam affirmat rationem, scilicet originale peccatum; quod ex carnali generatione trahimus: de eo tamen subobscure loquitur. “ Aliorum quoque peccatorum remissionem consequimur in aqua . . . . Hoc lavacrum vocatur illuminatio, quia fidelium mentes illuminantur. Ablutione peracta, novum fidelem ad fratrum cœtum deducimus, qui communes preces & supplicationes, & pro se ipsis, & pro illuminato, & pro illis omnibus, qui ubique gentium sunt, intento animo peragunt, ut, agnita veritate, tanquam fideles administratores per mandatorum observantiam, nos in bonis operibus exercentes æternam salutem consequamur. Precibus finitis, nos invicem osculo sancto salutamus. „

Eucharistiæ sacramenti & sacrificii celebrationem sic explicat, ut qui doctrinam Catholicam in ejus verbis non agnoscit, opinione prava præoccupatus cæcutiat necesse sit. “ Ei, inquit, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum vini & aquæ, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii & Spiritus sancti offert, eucharistiamque, seu gratiarum actionem pro eo, quod nos hisce suis donis dignatus sit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, omnis populus, qui adest, fausta approbatione acclamat dicens, amen. Præsidens postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eum comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi, distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Hic cibus apud nos appellatur Eucharistia, quem nulli alii participare licitum est, quam credenti veram esse nostram doctrinam, & per lavacrum in remissionem peccatorum regenerato, atque viventi, quemadmodum Christus tradidit. Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eumdem modum hanc alimoniam, in qua per verbi preces actæ sunt gratiæ, ex qua sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse docti sumus.

Justini fides circa eucharist.

“ Hæc deinceps in memoriam revocamus, & qui habent, indigentes adjuvant, quibuscum assidue versamur: atque in his omnibus, quas offerimus, oblationibus, benedicendo laudamus Factorem omnium, per Filium ejus Jesum Christum & Spiritum sanctum. Solis qui dicitur die (seu dominico) omnium, Ibid.

Christi An. 150. & 59. qui vel in oppidis, vel ruri degunt, conventus fit in eumdem locum. Hic Apostolorum commentaria, & scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur: ubi lector legendi finem fecit, præsidens quæ lecta sunt recolens & explicans, ad earum imitationem exhortatur. Postea consurgimus omnes & oramus: precibus absolutis panis offertur & vinum & aqua; & præpositus, quantum potest, fundit preces, & gratiarum actiones, & populus fauste acclamat, amen: & cuique præsenti fit distributio eorum, in quibus actæ sunt gratiæ, eisque quisque communicat: absentibus autem per diaconos mittitur. Fideles igitur secundo sæculo singulis dominicis diebus recipiebant Eucharistiam.

Ibid. " Qui copiosiores sunt, pro arbitrio conferunt eleemosynas, quæ deponuntur apud præpositum, qui pupillis, viduis, ægrotis, aliave de causa egentibus subvenit, peregrinorum, hospitum, eorum qui in vinculis sunt, omnium demum indigentium is curam habet . . ." Hinc usus invaluit per plura sæcula, ut bonorum omnium ecclesiasticorum administratio esset penes episcopum, qui per se, vel per œconomum illa dispensabat. Hunc usum aperte tradunt canones Apostolorum: trigesimus primus sic habet: omnium rerum ecclesiasticarum curam habeat episcopus, easque administret tanquam Deo inspiciente. Non liceat autem ei quidquam ex ipsis sibi vindicare, vel quæ Dei sunt donare propinquis. Quod si pauperes sint, veluti pauperibus suppeditet, sed ne occasione eorum vendat quæ sunt Ecclesiæ. Et canon 34.: præcipimus ut episcopus potestatem habeat rerum Ecclesiæ . . . ut ex ejus authoritate omnia per presbyteros & diaconos egentibus administrentur, & cum timore Dei, omnique cautione ac

Trid. sess. 25, cap. 1, pietate suppeditentur . . . . possitque ea sumere, quibus indiget, (si tamen indiguerit) ad usus necessarios sibi, & fratribus, qui hospitio suscipiuntur. Tridentinum, bonorum ecclesiasticorum divisione servata, hos canones observari præcipit.

Ibid. Pergit Justinus: " Solis die communiter omnes conventum agimus, quandoquidem is primus dies est, quo Deus omnia creavit, & Jesus Christus Salvator noster eodem die surrexit a mortuis: nam pridie Saturni crucifixus est, & postridie, qui solis est dies, Apostolis & discipulis apparuit, eaque docuit, quæ modo retulimus. Quæ si rationi & veritati consentanea vobis videntur, illis honorem habete: sin pro nugis habetis, contemnite: nec tamen idcirco adversus insontes, qui nihil in leges peccarunt, capitis supplicium statuatis: nam in ea injustitia perseverantes non evadetis divinum judicium: nos acclamabimus, quod Deo gratum placitumque est, idipsum obtineat & fiat. Nos quidem ut judicia fieri juberetis, ex Maximi & Illustrissimi Cæsaris Adriani parentis vestri epistola postulare potuimus; causæ nostræ æquitate confisi jus nostrum repetimus. Attamen epistolæ Adriani exemplum, ut subjicimus, in eo quoque nos verum dicere intelligatis." Hanc supra

Oros. l. 7. cap. 14. Eus. hist. lib. 4. c. 26. descripsimus. Antonius hac Christianorum defensione factus est erga eos benignior. Quin etiam interpellatus ab aliis fratribus in Asia commorantibus, qui omni injuriarum genere vexabantur a provincialibus, pro iis rescripta dedit nominatim ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Græcos: præcipiens ne contra Christianos tumultus concitarent. Hac pace, quæ per duodecim annos perseveravit, strenue usi episcopi fidem Catholicam multum propagavere. Anno Christi 159. Romæ cum Pius anno episcopatus sui decimo quinto vitam cum morte

Ib. c. 11. commutasset, Anicetus illius ecclesiæ antistes factus est.

Eus. hist. l. 4. c. 14. & l. 5. c. 23. *Polycarpum de die paschæ dissidentem honorifice suscepit Anicetus.* Iren. l. 3. cap. 3. & in ep. ad Vict. LVI. Polycarpus Smyrnensis episcopus sub eo pontifice Romam venit, ob quamdam quæstionem, quæ de pascha inciderat. Omnes per Asiam provinciam ecclesiæ vetusta traditione nixæ, quartadecima luna salutaris paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent; eaque omnino luna, *in quemcumque diem septimanæ incidisset*, finem jejuniis imponendum esse statuebant; cum tamen reliquæ totius orbis ecclesiæ alio more uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quam resurrectionis dominicæ die jejunia solvi liceat; nec ullo alio quam dominico die mysterium resurrectionis Domini celebretur. Polycarpus cum Aniceto de ea re colloquium habuit; & cum inter illos etiam de quibusdam aliis rebus fuisset modica controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt; de hoc capite non magnopere inter se contendentes. Neque enim Anicetus Christi An. 159. & 62. Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret; quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum aliis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut secum observaret; cum Anicetus eorum, qui ante fuerant, presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem, & Anicetus in ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa se præsente concessit. Is honor peregrinis episcopis tunc ubique deferebatur, diuque permansit in Ecclesia; tandemque cum pace a se invicem discesserunt; tam iis, qui observabant, quam illis, qui minime observabant usum celebrandi pascha luna decimaquarta, pacem communionemque totius Ecclesiæ retinentibus.

D. Polycarpus adhuc Romæ agens, cum ei Marcion aliquando occurrisset, dixissetque, agnoscis nos? respondisse fertur: agnosco te primogenitum diaboli; adeo religiose cavebant Apostoli, eorumque discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum qui veritatem adulterant: quemadmodum & Paulus dixit; *hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita*. Vir ille prorsus Apostolicus si quod verbum a veritate Catholica dissentiens audiret, obturatis auribus suis exclamabat continuo; Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem? atque ex loco statim effugiebat, in quo seu stans, seu sedens ejusmodi sermones audisset. Sed & Marcellina iisdem diebus Romam veniens, & Carpocratianæ doctrinæ virus evomens, multos illic errore suo depravatos in exitium impulit. Valentinus pariter ibidem perseverans plures seduxerat. Polycarpus vero multos ex supradictis hæreticis ad Ecclesiam Dei revocavit; hanc unam & solam veritatem se ab Apostolis accepisse prædicans, quæ ab Ecclesia traderetur. Eus. hist. l. 4. c. 14. *Polycarpus multos hæreticos ad fidem reducit.* ad Tit. 3. Eus. hist. l. 5. c. 20. Epiph. hær. 27. Eus. ib.

Iisdem temporibus Romam venit Hegesippus, natione Judæus, professione Christianus, omnes, a passione Domini usque ad suam ætatem, ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici; ut quorum vita sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Romam proficiscens plurimos episcopos adiit, testaturque se ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam. Corinthi non paucos dies versatus, familiariterque collocutus cum Primo ejusdem urbis episcopo, mutuam ex recta fide cepere consolationem, intellexitque hanc ecclesiam ad hæc tempora servasse fidem illibatam. Quin etiam affirmat, in singulis episcoporum successionibus, & per singulas urbes eadem mansisse quæ per legem ac prophetas, & a Domino ipso prædicata sunt. Eleutherum, qui tum Aniceti diaconus erat, vidit pontificem. Ibique proinde diu commoratus pontificum successionem facile cognovit. In sanctorum album relatus est ab Ecclesia. Ejus operum tantum fragmenta quædam apud Eusebium supersunt. Romanorum pontificum subsequentium successionem, de qua nonnulla est controversia, sic enumerat Hegesippus, qui præsens eos viderat. Post obitum Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherus. Huic consentit Irenæus, qui secundo sæculo floruit; eoque ordine, quem secuti sumus, numerat Romanos pontifices. Hier. de scrip. eccl. Eus. hist. l. 4. c. 22. Iren. l. 3. cap. 3.

LVII. Anno Christi 162. Imperator Antoninus Pius non sine ingenti omnium dolore obiit die septima mensis Martii: post Adriani mortem imperavit annos viginti duos & menses septem. A Senatu divus appellatur, cunctis certatim adnitentibus, cum omnes ejus pietatem, clementiam & ingenium laudarent: decreti etiam sunt omnes honores, qui optimis principibus antea delati sunt. Anno superiore legem renovaverat de adulteriis, quam sic laudat Augustinus: isti, quibus displicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur, & potius eligunt, maxime in hac causa, mundi legibus subditi esse, quam Christi; quoniam jura forensia non iisdem, quibus fœminas, pudicitiæ nexibus viros videntur astringere; legant quid Imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit: ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cum moribus suis non præbuit castitatis exemplum; Capit. cap. 12. *Antonini lex de adulter.* Aug. l. 2. de Adult. conjug. cap. 8.

CHRISTI AN. 162.

plum ; ita ut ambo damnentur , si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit. Nam supradicti Imperatoris hæc sunt verba : " sane , meæ literæ nulla parte causæ præjudicabunt ; neque enim si penes te culpa fuit , ut matrimonium solveretur , & secundum legem Juliam, Eupasia uxor tua nuberet , propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit , nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere , an, cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi author fuisti. Periniquum enim mihi videtur , ut pudicitiam vir ab uxore exigat , quam ipse non exhibet : quæ res potest & virum damnare , non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere : „ si hæc , inquit Augustinus , observanda sunt propter decus terrenæ civitatis , quanto castiores quærit cœlestis patria , & societas angelorum ? Marcus Aurelius , qui etiam Antoninus dictus est, ejus filius adoptivus & gener, ei successit, cum Lucio Vero filio Lucii Ceijonii Commodi , quem pariter adoptarat Antoninus. Tunc primum Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit.

CHRISTI AN. 162.

Marc. Aurel. Imperat. ejus mor. Capit.

TEXTUS GRÆCI
LIBRI TERTII.

NUm. XII. D. Clem. Pap. Ep. 1. ad Cor. 46. .... Ἵνα τί ἔρεις, ϗ θυμοὶ, ϗ διχοστασίαι, ϗ σχίσματα, πόλεμός τε ἐν ὑμῖν; ἢ οὐχὶ ἕνα Θεὸν ἔχομεν ϗ ἕνα Χριστόν; ϗ ἓν Πνεῦμα τῆς χάριτος τὸ ἐκχυθὲν ἐφ᾽ ἡμᾶς; ϗ μία κλῆσις ἐν Χριστῷ; ἵνα τί διέλκομεν, ϗ διασπῶμεν τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ, καὶ στασιάζομεν πρὸς τὸ σῶμα τὸ ἴδιον, καὶ εἰς τοσαύτην ἀπόνοιαν ἐρχόμεθα, ὥστε ἐπιλαθέσθαι ἡμᾶς ὅτι μέλη ἐσμὲν ἀλλήλων; ...... τὸ σχίσμα ὑμῶν πολλοὺς διέστρεψε, πολλοὺς εἰς ἀθυμίαν ἔβαλε, πολλοὺς εἰς δισταγμὸν, τοὺς πάντας ἡμᾶς εἰς λύπην· ϗ ἐπίμονος ὑμῶν ἐστιν ἡ στάσις.

Ibid. 46. Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου· τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου ἔγραψεν; ἐπ᾽ ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν, περὶ αὐτοῦ τε ϗ Κηφᾶ ϗ Ἀπολλὼ, διὰ τὸ ϗ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι· ἀλλ᾽ ἡ πρόσκλισις ἐκείνη ἥττονα ἁμαρτίαν ὑμῖν προσήνεγκε. Προσεκλίθητε γὰρ Ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, ϗ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ᾽ αὐτοῖς. Νυνὶ δὲ κατανοήσατε τίνες ὑμᾶς διέστρεψαν.... Αἰσχρὰ, ἀγαπητοί, ϗ λίαν αἰσχρὰ, ϗ ἀνάξια τῆς ἐν Χριστῷ ἀγωγῆς, ἀκούεσθαι τὴν βεβαιοτάτην ϗ ἀρχαίαν Κορινθίων ἐκκλησίαν, δι᾽ ἓν ἢ δύο πρόσωπα στασιάζειν πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους......

Ibid. 48. Ἐξάρωμεν οὖν τοῦτο ἐν τάχει, ϗ προσπέσωμεν τῷ Δεσπότῃ, ϗ κλαύσωμεν ἱκετεύοντες αὐτὸν, ὅπως ἵλεως γενόμενος ἐπικαταλλαγῇ ἡμῖν, ϗ ἐπὶ τὴν σεμνὴν τῆς φιλαδελφίας ἁγνὴν ἀγωγὴν ἀποκαταστήσῃ ἡμᾶς, πύλη γὰρ δικαιοσύνης ἀνεῳγυῖα πρὸς ζωὴν αὕτη, καθὼς γέγραπται.

N. XXIV. D. Ignat. Epist. 1. quæ est ad Ephes. ἐπεὶ οὖν τὴν πολυπληθίαν ὑμῶν ἐν ὀνόματι Θεοῦ ἀπείληφα ἐν Ὀνησίμῳ τῷ ἐν ἀγάπῃ ἀδιηγήτῳ, ὑμῶν δὲ ἐν σαρκὶ Ἐπισκόπῳ, ὃν εὔχομαι κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ὑμᾶς ἀγαπᾷν, ϗ πάντας ὑμᾶς αὐτῷ ἐν ὁμοιότητι εἶναι .... πρέπον οὖν ἐστὶν κατὰ πάντα τρόπον δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν δοξάσαντα ὑμᾶς, ἵνα ἐν μιᾷ ὑποταγῇ ἦτε κατηρτισμένοι τῷ αὐτῷ νοΐ, ϗ τῇ αὐτῇ γνώμῃ, ϗ τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἵνα ὑποτασσόμενοι τῷ Ἐπισκόπῳ, ϗ τῷ πρεσβυτερίῳ, κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι ..... Χρήσιμον οὖν ἐστὶν ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι εἶναι, ἵνα ϗ Θεοῦ πάντοτε μετέχητε.... μηδεὶς πλανάσθω· ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ, εἰ γὰρ ἑνὸς ϗ δευτέρου προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, πόσῳ μᾶλλον ἥτε τοῦ Ἐπισκόπου, ϗ πάσης ἐκκλησίας; ὁ οὖν μὴ ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὗτος ἤδη ὑπερηφανεῖ, ϗ ἑαυτὸν διέκρινεν· γέγραπται γάρ· ὑπερηφάνοις ὁ Θεὸς ἀντιτάσσεται· σπουδάσωμεν οὖν μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ Ἐπισκόπῳ, ἵνα ὦμεν Θεοῦ ὑποτασσόμενοι.

Num. XXV. Idem Epist. ad Magnes. Παραινῶ ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου τοῦ Ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων, ϗ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ Πατρὶ ἦν, ϗ ἐν τέλει ἐφάνη. πάντες οὖν ὁμοήθειαν Θεοῦ λαβόντες, ἐντρέπεσθε ἀλλήλους, ϗ μηδεὶς κατὰ σάρκα βλεπέτω τὸν πλησίον, κλεπτέτω τὸν πλησίον, ἀλλ᾽ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ ἀλλήλους διαπαντὸς ἀγαπᾶτε· μηδὲν ἔστω ἐν ὑμῖν, ὃ δυνήσεται ὑμᾶς μερίσαι, ἀλλ᾽ ἑνώθητε τῷ Ἐπισκόπῳ, ϗ τοῖς προκαθημένοις εἰς τύπον, ϗ διδαχὴν ἀφθαρσίας. ὥσπερ οὖν ὁ Κύριος ἄνευ Πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν ἡνωμένος ὢν, οὔτε δι᾽ αὐτοῦ, οὔτε διὰ Ἀποστόλων· οὕτως μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ Ἐπισκόπου, καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε· μηδὲ πειράσητε εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν· ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸ αὐτὸ μία προσευχὴ, μία δέησις, εἷς νοῦς, μία ἐλπὶς, ἐν ἀγάπῃ, ἐν τῇ χαρᾷ τῇ ἀμώμῳ. εἷς ἐστὶ Χριστὸς, οὗ ἄμεινον οὐδέν ἐστιν.

Ibid. Epist. ad Trallian. Δεῖ δὲ ϗ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωμάτων, ϗ ποτῶν εἰσὶν διάκονοι· ἀλλ᾽ ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται· δέον οὖν αὐτοὺς φυλάττεσθαι τὰ ἐγκλήματα ὡς πῦρ.

Num. XXVI. Idem Epist. ad Rom. Ἐκεῖνον ζητῶ, τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα· ἐκεῖνον θέλω τὸν δι᾽ ἡμᾶς ἀναστάντα· ἐκεῖνος κέρδος ἐμοὶ παράκειται ..... οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς, οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου. ἄρτον τοῦ Θεοῦ θέλω, ὅ ἐστι σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἐκ γένους Δαβίδ· ϗ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος.

Num. XXVIII. Idem Epist. ad Philadelph. Ὅπου δὲ ὁ ποιμήν ἐστιν, ἐκεῖ ὡς πρόβατα ἀκολουθεῖτε· πολλοὶ γὰρ λύκοι ἀξιόπιστοι ἡδονῇ κακῇ αἰχμαλωτίζουσι τοὺς θεοδρόμους· ἀλλ᾽ ἐν τῇ ἑνότητι ὑμῶν οὐχ ἕξουσι τόπον ..... ὅσοι γὰρ Θεοῦ εἰσὶν, ϗ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτοι μετὰ τοῦ Ἐπισκόπου εἰσίν· ϗ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, οὗτοι Θεοῦ ἔσονται, ἵνα ὦσιν κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ζῶντες· μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου· εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομεῖ· εἴ τις ἐν ἀλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, οὗτος τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται. σπουδάζετε οὖν μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι· μία γὰρ σὰρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ϗ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ· ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς Ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ, ϗ διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου· ἵνα ὃ ἐὰν πράσσητε, κατὰ Θεὸν πράσσητε.

Num. XXVIII. Idem Epist. ad Smyrn. Ἐγὼ γὰρ ϗ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα· ϗ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· λάβετε, ψηλαφήσατέ με, ϗ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον· ϗ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, ϗ ἐπίστευσαν κρατηθέντες τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ϗ τῷ πνεύματι· διὰ τοῦτο ϗ θανάτου κατεφρόνησαν, ηὑρέθησαν δὲ ὑπὲρ θάνατον. μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς ϗ συνέπιεν, ὡς σαρκικὸς, καίπερ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ Πατρί ..... Μηδεὶς πλανάσθω· ϗ τὰ ἐπουράνια, ϗ ἡ δόξα τῶν Ἀγγέλων, ϗ οἱ ἄρχοντες ὁρατοί τε, ϗ ἀόρατοι, ἐὰν μὴ πιστεύσωσιν εἰς τὸ αἷμα Χριστοῦ, κἀκείνοις κρίσις ἐστίν· ὁ χωρῶν χωρείτω· τόπος μηδένα φυσιούτω· τὸ γὰρ ὅλον ἐστὶ πίστις ϗ ἀγάπη, ὧν οὐδὲν προκέκριται· καταμάθετε δὲ τοὺς ἑτεροδοξοῦντας εἰς τὴν χάριν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσαν, πῶς ἐναντίοι εἰσὶν τῇ γνώμῃ τοῦ Θεοῦ. περὶ ἀγάπης οὐ μέλει αὐτοῖς..... εὐχαριστίας, ϗ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ Πατὴρ ἤγειρεν· οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ Θεοῦ, συζητοῦντες ἀποθνήσκουσιν.

Num. LV. Justin. Martyr. Apol. (paulò post initium) Ἄθεοι κεκλήμεθα· καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ᾽ οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης ϗ σωφροσύνης ϗ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας Θεοῦ. ἀλλ᾽ ἐκεῖνόν τε, ϗ τὸν παρ᾽ αὐτοῦ Υἱὸν ἐλθόντα ϗ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα ..... Πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα ϗ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες.

Idem infrà. Ἰησοῦς Χριστὸς, μόνος ἰδίως Υἱὸς τῷ Θεῷ γεγέννηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων ϗ πρωτότοκος, ϗ δύναμις· ϗ τῇ βουλῇ αὐτοῦ γενόμενος ἄνθρωπος, ταῦτα ἡμᾶς ἐδίδαξεν, ἐπ᾽ ἀλλαγῇ ϗ ἐπαναγωγῇ τοῦ ἀνθρωπείου γένους. Et sub finem Apologiæ: οἱ γὰρ τὸν Υἱὸν Πατέρα φάσκοντες εἶναι,

ἐλέγ-

ἐλέγχονται μήτε τὸν Πατέρα ἐπιστάμενοι, μήθ' ὅτι ἐστὶ Υἱὸς τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων γινώσκοντες, ὃς Λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει.

Idem infrà. Ὅπως δὲ μή τινες ἐκ τῶν προλελεγμένων ὑφ' ἡμῶν, δοξάσωσι καθ' εἱμαρμένης ἀνάγκην φάσκειν ἡμᾶς τὰ γινόμενα γενέσθαι, ἐκ τοῦ προειπεῖν προεγνωσμένα, καὶ τοῦτο διαλύσομεν ..... εἰ γὰρ εἵμαρται τὸν δέ τινα ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τὸν δὲ φαῦλον, οὔθ' οὗτος ἀπόδεκτος, οὐδ' ἐκεῖνος μεμπτέος. καὶ αὖ εἰ μὴ προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ, καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ, δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἀναίτιόν ἐστι τῶν ὁπωσδήποτε πραττομένων. ἀλλ' ὅτι ἐλευθέρᾳ προαιρέσει καὶ κατορθοῖ καὶ σφάλλεται, οὕτως ἀποδείκνυμεν. τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον τῶν ἐναντίων τὴν μετέλευσιν ποιούμενον ὁρῶμεν. εἰ δὲ εἵμαρτο ἢ φαῦλον ἢ σπουδαῖον εἶναι, οὐκ ἄν ποτε τῶν ἐναντίων δεκτικὸς ἦν, καὶ πλειστάκις μετετίθετο. ἀλλ' οὐδ' οἱ μὲν ἦσαν σπουδαῖοι, οἱ δὲ φαῦλοι, ἐπεὶ τὴν εἱμαρμένην αἰτίαν φαύλων, καὶ ἐναντία ἑαυτῇ πράττουσαν ἀποφαινοίμεθα. ἢ ἐκεῖνο τὸ προειρημένον δόξαι ἀληθὲς εἶναι, ὅτι οὐδέν ἐστιν ἀρετὴ οὐδὲ κακία, ἀλλὰ δόξῃ ἢ ἀγαθὰ ἢ κακὰ νομίζεται. ὅπερ, ὡς δείκνυσιν ὁ ἀληθὴς λόγος, μεγίστη ἀσέβεια καὶ ἀδικία ἐστίν.

Idem sub finem Apologiæ: ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων, διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ Ἁγίου ἀναπέμπει. καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, ἀμήν.... εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι, ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.

LIBER QUARTUS.

Imperante Marco Aurelio, recrudescit persecutio. Apologias pro Christianis scribunt Atenagoras & Justinus martyr. Persecutionis vis dum remittitur, inter populares vexationes propagatur Ecclesia. Idololatriam & hæreses expugnant viri magni nominis, Teophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertullianus. Eorum operum synopsim referemus, initiumque contentionum inter Episcopos occasione jejunii festique Paschalis.

CHRISTI AN. 162.

Capitol. *Marci mores.*

I.  Arcus Aurelius fuit a prima infantia gravis; & ubi primum egressus est annos qui nutricum foventur auxilio, magnis præceptoribus traditus ad philosophiæ scita pervenit. Magistros suos semper plurimum coluit, & plerosque ad magnos honores provexit: sed multum ex his detulit Frontoni oratori celeberrimo, cui statuam in senatu petiit. Proculum vero grammaticum usque ad consulatum promovit: Junium Rusticum philosophum consulem iterum designavit. Honoribus in se receptis philosophiæ operam vehementer dedit: Apollonium Chalcedonium Stoicum philosophum habuit magistrum: tantum autem studium in eo philosophiæ fuit, ut adscitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii discendi causa veniret. Octavo ætatis anno in Saliorum collegium relatus est: fuit in eo sacerdotio & præsul, & vates, & magister, & multos inauguravit atque exauguravit, nemine præeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset. Hinc ortus superstitionis amor, quo supra modum capiebatur, fatentibus vel ipsis ethnicis: in eum enim id accepimus dictum: albi boves, Marco Cæsari, si vincit, omnes perimus.

Marcel. l.25. c.4.

Superstitionis igitur, quam pene cum lacte hauserat, alumnus, Christianos ut impios odio habebat: nullam tamen in eos legem tulit, sed populares persecutiones, quibus multi periere, dissimulavit, quamvis in aliis magnam præ se ferret clementiam & æquitatem. Hoc veræ pietatis odium inflammabant philosophi, quibus familiariter utebatur. Christianos ut impios & profanos acrius insectabatur Crescens Cynicus, qui Romæ nidum suum fixerat, fœdis puerorum amoribus, & avaritiæ super omnes mortales deditus. Doctrinam Christianam, quam penitus ignorabat, maligne sugillabat; quo gratiam captaret non tantum plebeculæ, sed & Imperatoris, a quo sexcentos in annum aureos, seu nummos mille & ducentos accipiebat.

Eus. hist. l.4. c.16.

Peregrini inconstantia & mors.

II. Peregrinus alter Cynicus, qui & Proteus dictus est, natus in Pario urbe Hellesponti, quam stulta sit hominum vanitas, qui viam veritatis relinquunt, exitu suo patefecit. Econtra ejus vitæ cursus summam Christianorum commendat charitatem. Hic e patria sua profugus, ut supplicio sceleribus suis debito se subtraheret, aliquandiu erravit per varias provincias: substitit tandem in Palæstina, ibique religionem Cristianam suscepto baptismate professus est; omnibus ignotus, ingenio & scientia brevi claruit, ac inter rerum sacrarum principes locum obtinuit. Quin & fidei causa detrusus in carcerem, fideles ejus libertatem redimere tentarunt, quod cum non successisset, eum omnibus prosequebantur officiis. Summo mane frequentes confluebant ad ostium carceris: divites, corruptis pecunia custodibus, cum eo pernoctabant, solabanturque piis colloquiis; inferentes simul quæcunque ad victum erant necessaria. Quin & pleræque Asiæ civitates ad eum misere legatos, qui non parvam pecuniæ summam deferrent. Hac arte Peregrinus sub prætexto vinculorum collegit multas pecunias. Syriæ præfectus admiratus mortis contemptum, quem præ se ferebat, eum propter philosophiæ studium dimisit liberum. Reversus in patriam, civibus suis donavit patrimonium, atque ita scelerum impunitatem redemit. Peregrinationibus iterum se dedit, certus Christiani nomen sibi sufficientissimum fore viaticum: sed brevi, qualis esset infamis veterator deprehensus est: immiscens enim se conviviis gentilium, vescebatur carnibus immolatis. Quapropter statim ab ejus commercio se subtraxere fideles. Rerum inopia pressus, Cynicorum more, maledictis impudenter lacerabat omnes: quibus artibus famam utcunque sustentabat apud imperitam plebeculam. Senior factus famam novo mortis genere quæsivit: Olympico quinquennali certamine, sub Græciæ conspectu totius, ascenso rogo, quem ipse construxit, flammis absumptus est. Ejus historiam multis fabulis, & maledicentiis in Christianos aspersit Lucianus irrisor omnis religionis.

Lucian. de obit. Peregr.

CHRISTI AN. 162.

Persecutio popularis.

III. Asiæ & Græciæ civitates a Judæis & a philosophis concitatæ persecutionem in Christianos renovarunt, quæ sensim per universum orbem grassata est violentior, cœloque dedit innumerabiles martyres, ut testatur Eusebius, probatque ex actis eorum passionis, quæ suo operi de martyribus inseruerat: sed periit adeo præclarum fortitudinis Christianæ monumentum. Pauci sunt, quorum nomina pervenerunt ad nos conservata in antiquis martyrologiis. Heracleæ in Thracia pro fidei confessione glorioso exitu coronata est D. Glyceria, quæ postea multis miraculis claruit: illius meminit vetus martyrologium Ægyptiacum. Pergami in Asia Carpus episcopus Thyatirensis, Papilus diaconus, ejusque soror Agathonica, Agathodorus quoque eorum famulus, post varios cruciatus pro beatis confessionibus martyrio coronati sunt. Hermias miles tormentis superior pro Christo fortiter occubuit. Comanes in Cappadocia. Victor etiam miles cum Corona militis alterius conjuge Damasci palmam martyrii tulit. Martyribus pariter annumerantur Alexander episcopus; ejus sedes ignoratur; Lazarus diaconus, & Ponticus; hic quidem in Phrygia, ille in Istria; denique Julianus Astinensis. Spoleti B. Concordius presbyter omni sanctæ scripturæ doctrinæ eruditus martyr cum D. Pontiano in confessione Domini emisit spiritum. Ejus passionis acta multos habent caracteres antiquitatis, sed etiam nonnulla in iis leguntur aliena a moribus illius ætatis, quibus non parum infirmatur eorum authoritas. Alii plurimi in eadem persecutione suas animas pro Christo posuere, ut constat ex multiplicibus apologiis, quas pro Christianæ religionis defensione scripsere plures episcopi, & philosophi Christiani.

Eus. hist. l.4 c.15.

Antiq. martyr.

Bolland. 13. Maji.

13. Apr. 31. Maji. 14. Maji.

1. Jan.

IV. Christianorum causam suscepit Athenagoras philosophus Atheniensis, religionem Christianam in ipso quoque pallio professus. Hic, ut refert Philippus Sidetes, cum in animo haberet Christianos ante Celsum oppugnare, lustrans ea mente scripturas, ut susceptam oppugnationem instrueret accuratius, ita captus a Spiritu sancto est, ut, ad exemplum magni Pauli, ex persecutore doctor effectus sit illius fidei quam fuisset persecutus. Opus suum vocat legationem: hanc obtulit Imperatoribus Marco Aurelio Antonino, & Lucio Aurelio Commodo. "Nationes omnes, inquit, quæ vestro subsunt Imperio, legibus ac moribus omnino diversæ sunt, nec ulla tamen vel pœnæ metu, vel lege, quominus patrios ritus etiamsi ridiculos colat, absterretur .... Hæc per vos omnibus licent .... Clementiam vestram & æquitatem pariter omnes experiuntur .... Universus denique hic terrarum orbis vestræ prudentiæ beneficio altissima pace perfruitur. Nostri tantum, qui Christiani vocamur, nulla vobis cura est: sinitis nos, qui piissime justissimeque cum erga Deum, tum Imperium vestrum nos gerimus, exagitari, rapi, fugari, nomen duntaxat nostrum plerisque impugnantibus .... proinde vos obsecramus, ut aliquam nostri curam suscipiatis. Non movet nos damnum, quod facultatibus nostris adversarii moliuntur: non quod existimatio famæ, integritasque honoris nostri imminuatur; non si quid aliud etiam majus est, metuendum id nobis videtur; quippe hæc, etiamsi

Epiph. hær. 64. Phot. cod. 234. *Athenagoræ apologia.*

vulgo

Christi An. 163. vulgo maximi fiant, contemnere solemus. Si vapulamus, regerendis verberibus abstinere, & iis qui nos invadunt, nostraque diripiunt, litem nullam intendere didicimus .... sed vitæ nostræ insidiantur adversarii, & criminum acervos adversus nos deblaterant; quæ neque in mentem nobis venerunt .... si quis alicujus criminis nos convicerit, non deprecamur supplicium; sed si propter solum nomen accusamur .... vestrum fuerit maximi sapientissimique Imperatores ab hac injuria nos legibus vindicare. „

Ibid. Ostendit deinde hanc legibus esse præscriptam, atque semper servatam judiciorum formam, ut qui tanquam rei accusantur, ex solis factis judicentur. Unde concludit: " Ergo vestram hanc in omnes æquabilitatem nos quoque imploramus, & ne quis idcirco, quod Christiani dicimur, odio statim pœnaque dignos existimet, petimus. Quin potius sistamur judiciis, ut a criminibus, quæ nobis intentantur, aut absolvamur, aut si convicti fuerimus, puniamur. „ Et infra. " Trium flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur: impietas, quæ deos tollat: epulæ Thyesteæ: concubitus incesti. Quæ si vera sunt, nulli sexui, vel ætati parcite ..... si vero inanes calumniæ sunt ..... & nihil injuste a nobis committi vos ipsi testes esse possitis, vestrum jam fuerit inquirere de vita nostra, de opinionibus, de studio & obedientia erga vos: atque ita demum tantundem juris & æquitatis, quantum adversariis nostris, concedere. „ Ejusmodi criminationibus occasionem dederant infames Gnosticorum conventus; quas sic diluit Athenagoras.

Ibid. " Primum igitur nos negare divinam naturam, calumnia est. Nos quidem Deum a materia separamus, Deum unum ingenitum æternumque asserentes, eumque prædicamus conditorem hujus universi, qui omnia verbo suo creavit. „ Hanc divinitatis ideam confirmat ex poetis & philosophis, qui unum agnovere supremum spiritum rerum omnium corporearum conditorem, & providum administratorem, ac proinde reipsa de divinitate idem senserunt cum Christianis .... " Qui fit igitur ut illis impune pro arbitrio de Deo tum scribere, tum loqui liceat, nobis vero adversetur lex? qui tamen unicum esse Deum nos recte sentire, & jure credere, signis atque rationibus verissimis astruere possumus. „ Hic unum esse Deum ratione & authoritate demonstrat .....

Trinitas in Deo. Ibid. " Quin & Dei Filium mente complectimur. Nec est, quod aliquis ridiculum putet, Deo Filium a me attribui: non enim ut poetæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus suos deos faciunt, vel de Deo & Patre, vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est Verbum Patris in idea & efficacia; ab ipso enim, & per ipsum facta sunt omnia, quum Pater & Filius unum sit; ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio, per unionem & potentiam Spiritus: siquidem mens & Verbum Dei Filius Dei est. Jam si vobis, qui intellectus subtilitate excellitis, altius repetendum vobis videtur, quidnam sibi velit hic Dei Filius paucis dicam. Primogenia hic est Patris Progenies, quæ non ut facta, nam a principio Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso Verbum habet; quum rationalis ipse sit: sed ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progressa est .... „

" Et ipsum Spiritum sanctum agentem in prophetis ita a Deo emanare, ad ipsumque reflecti dicimus, ut emissi a sole radii reciprocant. Quis igitur non miretur, nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios, & sine Deo homines vocari? „ En fidelium secundi sæculi fides circa mysterium Trinitatis omnino nostræ persimilis. " Sed etiam magnum numerum angelorum & ministrorum Dei esse fatemur: quos opifex & architectus mundi Deus verbo suo tanquam in classes ordinavit, ut elementa, cœlos, mundum, & quæ in mundo sunt, vicesque & ordines omnium moderarent. „

Moralem Christianam post hæc exponens, ostendit quantum præcellat præceptis philosophorum. " Quæ

Ibid. Matth. 5. sunt, inquit, illa placita, quibus nos assuefacimus? *dico vobis diligite inimicos vestros: orate pro iis, qui vos insectantur, ut fiatis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit bonis & malis, & pluviam dimittit justis ac injustis.* Quis unquam philosophus hæc docuit discipulos suos? opifices apud nos & aniculæ, si nullam dicendo professionis suæ utilitatem exhibere queant, rebus ipsis & operibus declarant: orationes compositas non recitant, sed actiones honestas, & virtutum exempla præbent; dum percussi non repercutiunt, petentibus largiuntur, proximos tanquam seipsos amant. An vero, nisi Deum genus humanum respicere, eique præesse crederemus, adeo puritati & innocentiæ studeremus? „ Christi An. 163.

Deinde idololatriam erudite confutat: tum differit de libero hominis arbitrio: sicque concludit hanc partem. " Respondebo ad objecta nobis facinora: etiamsi vobis, sapientissimi Principes, ex iis, quæ hactenus dixi, satis ea esse dissoluta videri possint. Neque enim dubitare vos puto, homines illos, quorum vita omnis ad Deum veluti normam & regulam dirigitur, ut inculpatum & irreprehensibilem unusquisque ei se præbeat, ne cogitatione quidem vel minimum crimen ullum admissuros: si enim solum hanc præsentem vitam nos victuros crederemus, suspicioni foret locus, nos carni indulgentes sequi concupiscentiam & avaritiam. Nos vero, qui omnibus factis & cogitationibus nostris semper Deum adesse scimus, eumque totum esse lumen, & quæ in cordibus nostris latent videre, & post hanc vitam longe meliorem, nempe cœlestem nos victuros, vel deteriorem in ignis suppliciis, si aliorum malefacta sequamur; probabile non est nos sponte malos esse, & velle nos magno Judici tradere puniendos. „

Quod spectat ad obscœnas libidines, huic accusationi respondet, eas damnare non posse gentiles, quin oderint Jovem, qui ex Rhea matre & filia Ibid.
Proserpina liberos genuit. " Nos autem, inquit, tantum a promiscua illa Venere absumus, ut ne intuitus quidem nobis lascivior, aut libidini conjunctus permittatur. *Nam qui mulierem*, inquit Magister noster, *vel aspectu sibi desideravit, jam adulter est in corde suo.* Matth. 5.
Quomodo igitur nos non castos aliquis suspicabitur, quibus lascivius intueri adulterii instar est .... summa lex est apud nos tradita, quæ justitiæ modum, & exemplar in nobis ipsis requirit, & transfert ad proximum. Alios pro filiis & filiabus, alios pro fratribus & sororibus habemus. Illorum igitur, quos tanquam fratres & sorores, aut alio cognationis nomine conjunctos nobis ducimus, inviolata & integra manere corpora maximi apud nos fit. Nos enim nostra religio docet, si quis osculum suæ cupiditatis causa repetierit, vel hæc salutatio parum impura cogitatione inquinata fuerit, hoc a vita æterna nos alienat: ergo spe vitæ æternæ freti præsentem hanc, ejusque delicias, & sensuum animæque non puras voluptates contemnimus ..... Invenias multos e nostris in utroque sexu, qui in cœlibatu consenescant: quod in hoc statu Deo conjunctiores se futuros sperent. „ Non accurate loquitur de secundis nuptiis, quas improbat.

Tertium accusationis caput, scilicet Christianos vesci humanis carnibus, sic diluit. " Tanta calumniatorum est frequentia, ut proconsules & præfecti, a vobis in diversas provincias missi, causis audiendis non sufficiant. (Hinc liquet, quam atrox fuerit persecutio.) Eorum fama traducitur, quibus, cum verberantur, non licet non præbere seipsos: & cum maledicuntur, non benedicere non licet. Quis igitur non amens in hoc vivendi studio nos homicidas appellet? non enim carnes hominum gustare licet, quin prius aliquis occidatur. Jam vero si quis ab eis rogitet, an viderint ipsi quæ dicunt? nullus eorum adeo impudenter mendax est, ut se vidisse fateatur. Atqui servos aliqui nostrum possident, quos ea quæ facimus latere non possunt: verum nec ex illis quidem ullus adversus nos tale quicquam vel mentitus est .... Vos igitur, undequaque in omnibus natura simul & disciplina boni, moderati, benigni, & Imperio digni Principes, mihi, obsecro, qui crimina nobis objecta dissolvi, capitibus regiis annuite. Nos pro vestro Imperio preces ad Deum fundimus, & ut filius, quod justissimum est, in regno quondam succedat parenti, utque vestrum Imperium magis ac magis augeatur; denique omnia ex animi sententia vobis eveniant, oramus: quod & nobis salutare fuerit, ut quietam tranquillamque vitam degentes, vobis interim ad quælibet imperata prompte inserviamus. „ Hæc

Chri-

CHRISTI AN. 164. Chriſtianorum defenſio, quantumvis reverens & gravis, nihil obtinuit. Imperator a puero addictiſſimus Romanis cæremoniis, quarum author ferebatur Numa, cui ſuam referebat originem, nihil remiſit de ſeveritate legum in eos qui novam inveherent religionem. Itaque quiſquis ſe Chriſtianum fatebatur, ducebatur ad ſupplicium. Aliud etiam opus de reſurrectione mortuorum ſcripſit Athenagoras, quam poſſibilem, & decentem oſtendit, poſtquam rationes, quibus impugnatur, refellit. Hunc ait idem Philippus primum præfuiſſe ſcholæ Alexandrinæ, ejuſque diſcipulum fuiſſe Clementem Alexandrinum.

Euſ. hiſt. l. 4. c. 15. Hier. in Catal. V. Horribilis perſecutionum procella anno ſequenti, Chriſti 164. Aſiaticas vexavit eccleſias: qua vir apoſtolicus Polycarpus cum multis aliis vitam martyrio conſummavit. Ejus ſociorumque paſſionis hiſtoriam ad Ponti eccleſias ſcripſit Smyrnenſis eccleſia, quam per ſeptuaginta annos rexit epiſcopus a B. Joanne conſtitutus. Illius præcipuas circumſtantias referemus.

D. Polycarpi martyrium. Scripſimus vobis, fratres, tum de reliquis martyribus, tum de B. Polycarpo, qui martyrio ſuo, velut ſignaculo quodam perſecutioni finem impoſuit ..... Euſ. ib. Beata quidem ac generoſa fuiſſe fatendum eſt cuncta martyria, quæ ex Dei arbitrio & voluntate geſta ſunt. Loquuntur de iis, qui ſe ipſos ultro non offerunt .... Certe magnitudinem animi illorum ac tolerantiam, & erga dominum fidem ac benevolentiam quis non maxime admiretur? qui cum flagris ita conſciſſi eſſent, ut tota corporis compages ad intimas uſque venas & arterias aſpectaretur, nihilominus ſuſtinuerunt: adeo ut omnes qui aderant, miſeratione capti ingemiſcerent: ipſi vero tanta fortitudine præditi eſſent, ut nemo illorum ſuſpirium vel gemitum ediderit .... Chriſti gratia fulti ac ſuſtentati, hominum tormenta ſpernebant, unius horæ ſpatio ſe ab æternis cruciatibus redimentes ..... Sed & hi qui ad beſtias erant condemnati, cum diutiſſime in carcere detinerentur, graviſſimos cruciatus pertulerunt; partim muricibus eorum corpori ſubſtratis, partim aliis cujuſque modi ſuppliciis excruciati; ut, ſi fieri poſſet, tormentorum aſſiduitate eos tyrannus ad negandam Chriſti fidem adduceret. Multa quidem adverſus illos excogitavit diabolus; ſed juvante Chriſti gratia nihil contra cunctos proficere valuit.

Ibid. Fortiſſimus Germanicus tolerantiæ ſuæ magnitudine cæterorum imbecillitatem roborabat: qui quidem illuſtri certamine adverſus beſtias depugnavit. Nam cum proconſul verbis flectere eum vellet, moneretque ut ſuam ipſe ætatem miſeraretur; ille beſtiam ultro ad ſe attraxit, cogens illam ac provocans, quo ſcilicet ex hoc impio atque injuſto ſæculo velocius emigraret. Exinde univerſa populi multitudo fortitudinem piæ ac religioſæ Chriſtianorum gentis magnopere admirata, acclamavit: tolle impios; Polycarpus requiratur. Quidam vero oriundus e Phrygia Quintus nomine, qui nuper e patria huc advenerat, cum beſtias vidiſſet, pavore concuſſus eſt. Hic porro erat qui alios pepulerat, ut ultro ſecum ad tribunal judicis pergerent. Hunc proconſul blandis perſuaſionibus illectum eo adduxit, ut juraret ac ſacrificaret. Nos itaque fratres, non probamus eos qui ultro accedunt, ac ſemetipſos produnt; cum aliter præcipiatur in Evangelio.

Ibid. Admirabilis autem Polycarpus, primum quidem nullatenus commotus eſt, cum iſta geri audiret: ſed in urbe permanere decreverat. Plures tamen ei perſuaſerunt, ut ſecederet ..... ſeceſſit ergo in agellum quemdam haud procul a civitate. Illic cum paucis comitibus morabatur, diu noctuque orationibus intentus ..... Triduo vero antequam comprehenderetur, inter orandum oblata eſt ei cœlitus viſio, videbat enim cervical ſuum igne conſumi. Et mox converſus ad comites ſuos, prophetico ſpiritu dixit: vivum me cremari oportet. Porro cum intrarent qui illum requirebant, migravit in aliam villam; ſtatimque advenerunt illi, qui illum indagabant: cumque illum non reperiſſent, duos ſervulos comprehenderunt, quorum alter tormentis ſubditus latebram ejus indicavit .... Drogmitæ, ſeu levis armaturæ milites & equites, aſſumpto puero egreſſi ſunt feria ſexta ſub horam cœnæ, ipſum quidem repererunt in ſolario quodam jacentem: unde cum in alium locum facile migrare poſſet, id tamen præſtare noluit, dicens: fiat voluntas Domini.

CHRISTI AN. 164.

Ibid. Cum ergo illos introiſſe cognoviſſet, deſcendit e cœnaculo, & collocutus eſt cum eis. Cum autem admirarentur omnes ætatem illius atque conſtantiam, quidam ex iis dicebant: cur tantum adhibetur ſtudium, ut hujuſmodi ſenex comprehendatur? ille confeſtim cibos cum potu eis apponi juſſit, quantum ipſi voluiſſent: petiitque ab eis horæ ſpatium, quo libere & abſque impedimento oraret: quod cum ipſi conceſſiſſent; ſtans ille oravit plenus gratia Dei, adeo ut ipſe quidem duarum horarum ſpatio ſilere non poſſet ..... Finita oratione, in qua omnium qui cum ipſo unquam verſati fuiſſent, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ mentionem fecerat; cum jam adeſſet hora proficiſcendi, aſino eum imponentes in civitatem duxerunt, die magni ſabbati, ſeu in Profeſto paſchæ .... Pergenti fortuito occurrit ei Herodes Irenarcha, ſeu judex pacis, & pater ejus Nicetes, qui cum vehiculo ſuo eum accepiſſent, aſſidentes ei perſuadere conabantur ejuſmodi verbis: quidnam mali eſt dicere: Domine Cæſar, & ſacrificare, atque ita incolumem evadere? Quibus initio nihil reſpondit. Inſtantibus illis: nunquam, ait, faciam quod ſuadetis. Tum illi cum perſuadere Polycarpo minime poſſent, convicia in eum jacientes, hominem e curru deponunt tanto cum impetu, ut tibiam læderet. Nullatenus ille commotus, perinde ac ſi nihil mali paſſus eſſet, alacri animo pergebat ad ſtadium, deducentibus illum ſatellitibus.

Chron. Alexand.

Ibid. Hic tantus erat tumultus, ut nemo poſſet audiri: vox e cœlo delapſa ad eum pervenit hujuſmodi: fortis eſto Polycarpe, & viriliter age. Is quidem, qui hanc vocem ediderat, a nemine eſt viſus, ipſa vox a pleriſque noſtrorum exaudita eſt .... Accedentem interrogat proconſul, ipſene eſt Polycarpus? cum ille fateretur, ſuadere cœpit proconſul ut Chriſtum negaret ... dicens: jura, & dimitto te: dic convicia adverſus Chriſtum. Polycarpus reſpondit: ſex & octoginta annos ei miniſtravi, nec ulla me unquam affecit injuria: & quomodo poſſum impie loqui adverſus Regem meum, authoremque ſalutis meæ? urgente rurſus proconſule: jura per genium Cæſaris: Polycarpus dixit: ſiquidem ambitioſe contendis, ut ego per genium, quem vocas Cæſaris, jurem, ſimulans te ignorare quis ſim, audi libere profitentem: Chriſtianus ſum. Quod ſi Chriſtiani cultus rationem cupis agnoſcere, da mihi diei ſpatium, & audies .... Tunc proconſul: præſto ſunt, inquit, beſtiæ, quibus te objecturus ſum, niſi ſententiam mutaveris. Polycarpus dixit: arceſce eas: neque enim mentem a melioribus ad deteriora mutamus. Ad hæc proconſul: quando beſtias ſpernis, ſaxo ut incendio domeris, niſi ſententiam mutes. Ignem minaris, ait Polycarpus, qui ad horæ ſpatium ardet, & ſtatim extinguitur. Ignoras ſcilicet illum futuri judicii æternæque damnationis ignem, qui impiorum ſupplicio reſervatur. Sed quid ceſſas? profer quodcunque volueris ..... Proconſul attonitus, miſit præconem, qui ter in medio ſtadio proclamavit: Polycarpus ſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt. Quo audito, ſtatim univerſa multitudo gentilium atque Judæorum incredibili furore clamavit: hic eſt doctor Aſiæ & pater Chriſtianorum, noſtrorum deorum everſor, qui multis præcepit ne ſacrificent, neve deos immortales adorent .... Polycarpus vivus comburatur: neceſſe enim erat ut viſio illa, quam in cervicali viderat, impleretur.

Ibid. Hæc autem a populo citius peracta ſunt, quam pronuntiata, cunctis ligna & ſarmenta partim ex officinis, partim ex balneis incredibili celeritate comportantibus, præſertim Judæis alacri animo, ut ſolent, operam ſuam in id conferentibus. Extructo igitur rogo, Polycarpus depoſitis omnibus veſtimentis, ſolutoque cingulo, calceos etiam ſibi detrahere tentabat: quod quidem antea facere non conſueverat: quippe ſinguli fidelium quotidie inter ſe ambitioſe certabant, quiſnam prior ipſius cutem contingeret. Semper enim etiam ante canitiem, ob ſanctioris vitæ honeſtatem, ab omnibus cultus fuerat. Mox circumjecta ſunt ei inſtrumenta, quæ ad feralem rogum apparata fuerant. Cumque eum clavis affigere etiam vellent; ſinite me, inquit, qui enim mihi vires dat ad ignis ſupplicium fortiter ſuſtinendum, idem dabit ut immotus rogo inſiſtam: itaque omiſſis clavis, eum vinculis duntaxat

aſtrin-

CHRISTI AN. 164.

astrinxerunt. Hic vero manibus post tergum positis, & ad palum revinctus, cœlum contuitus dixit: Domine Deus omnipotens, Pater unigeniti & benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus .... benedico te, qui me in hunc diem, & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio martyrum, & in calice Christi tui, in resurrectionem vitæ æternæ animæ simul & corporis, in incorruptione Spiritus sancti: inter quos quæso suscipiar hodie in conspectu tuo tanquam hostia pinguis & accepta, quemadmodum præparasti, adimplens ea, quæ præmonstrasti verax Deus. Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, cum sempiterno, & cœlesti Jesu Christo dilecto Filio tuo; cum quo tibi & Spiritui sancto gloria nunc & in sæcula sæculorum.

In græco legitur Σὺν τῷ αἰωνίῳ in græco est μεθ' ὧ. Ibid.

Cum amen clara voce insonuisset, precationemque complesset, ministri rogum accendunt. Cumque ingens flamma exarsisset, grande miraculum vidimus, quibus spectare concessum fuit. Ignis fornicis speciem præbens, tanquam velum navis ventorum flatu sinuatum circum corpus martyris stetit: quod quidem in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed velut aurum, vel argentum, quod in fornace excoquitur; odoremque suavissimum quasi thuris alteriusve pretiosi aromatis naribus nostris inhalantem hauriebamus. Ipsimet impii & profani homines cernentes corpus flammis non posse consumi, confectorem bestiarum propius accedere, ensemque alte in corpus adigere jusserunt. Quod cum ille fecisset, tanta vis sanguinis effluxit, ut ignis protsus extingueretur, plebsque universa miraretur tantum esse discrimen inter infideles atque electos; quorum ex numero hic certe fuit, maxime admirandus martyr Polycarpus; qui nostra ætate apostolicus & propheticus doctor extitit, atque Catholicæ Smyrnensis ecclesiæ episcopus. Quidquid enim ille ore suo unquam protulit, aut impletum jam vidimus, aut scimus implendum.

Verum invidus ille atque nequissimus dæmon, ... operam dedit ne corpus illius a nostris auferretur: tametsi multi inter nos essent, qui id agere magnopere cupiebant; & sacro illius corpori communicare. Suggessit ergo Nicetæ, Herodis patri, ut proconsulem adiret, moneretque ne cadaver illius donaret; ne forte, inquit, relicto crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent ..... stulti qui ignorarent nos nec Christum unquam posse relinquere, qui pro salute omnium quotquot ex genere humano salvi futuri sunt mortem pertulerit, nec alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium Dei adoramus: martyres vero tanquam discipulos & imitatores Domini, merito amore prosequimur, ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga Regem ac Magistrum suum declararunt .... nos enim non dicimus sanctos martyres fuisse deos, sed illos omni veneratione prosequi solemus, eorumque loculos honoramus.

Cyril. adv. Julian. l. 6.

Cultus Sanctorum antiquitas.

Centurio pertinaciam Judæorum advertens, corpus in medio collocatum, ut moris est ipsis, concremavit. Atque ita demum nos ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos. Secundo igitur sæculo viventibus primis Apostolorum discipulis usus jam erat ab omnibus receptus, ut fideles martyrum memoriam annua festivitate venerarentur, atque in eorum martyriis sacros conventus peragerent, & per sacras reliquias eis communicarent. Cultus ille civili quidem major erat, ut patet, sed latria, quæ soli Deo convenit, longe inferior; ordinatur ad sanctas eorum animas, quibus iterum conjungi debent in gloria, & sistit in Deo, qui in sanctorum suorum honoribus honoratur. Hunc plurimis miraculis a Deo confirmatum ex Ambrosio & Augustino infra demonstrabimus. Illius praxin laudarunt antiquiores Patres. D. Gregorius Nyssenus: sacras attingere reliquias quam optabile sit, norunt quicunque experti sunt. Hi enim tanquam vivum ipsum corpus & florens videntes osculantur, & ad omnes sensus admovent, deinde martyri, quasi integer esset ac præsens, supplicant, ut pro ipsis intercedat. Theodoretus affirmat fideles compotes illorum fieri, quæ cum fide postulant, ut palam testantur illorum donaria curationem indicantia ..... Ex porro virtutem sepulchrorum prædicant, & eorum virtus ipsorum Deum, verum Deum esse demonstrat. Bonum est igitur & utile sanctorum reliquias venerari, eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per ejus Filium Jesum Christum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Quod pietatis officium fideles sibi invicem exhibent absque ulla Dei vel Christi injuria. Equidem in honorem & memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas celebrare consuevit Ecclesia, nec tamen illis sacrificium offerre docet, sed soli Deo, cui de illorum victoriis gratias agit, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Nullam autem perfectionem vel operationem Deo propriam sanctis attribuimus, sed solum jus intercessionis, quod nulli fidelium denegare possumus. In eo sanctorum cultus si quis abusus subrepat ex hominum improbitate vel ignorantia, hunc penitus removendum præcipit Ecclesia.

Ambr. ep. 54. Aug. l. 22. de civ. Dei cap. 8. Gregor. Nyss. in orat. in Theodor. martyr. Theodor. orat. 8. adv. Gent. Trid. sess. 25.

CHRISTI AN. 164.

sess. 22. cap. 3.

Ejusdem cultus antiquitatem ostendit honor exhibitus reliquiis D. Polycarpi, qui cum duodecim Philadelphensibus apud Smyrnam martyrio coronatus est, die 2.a mensis Xanthici, seu septimo Kalendas Aprilis, magno sabbato, hora octava .... Agebat annum vitæ septimum supra octogesimum .... In veteribus Græcis exemplaribus, quæ sequuntur, adscripta reperiuntur. Hæc ex libro Irenæi discipuli beati Polycarpi descripsit Cajus, qui etiam cum Irenæo versatus est. Ego vero Socrates Corinthi ex Caji exemplari scripsi. Gratia sit cum omnibus. Post hæc ego Pionius ex supra dicto descripsi, cum exemplaria diu quæsivissem, & Polycarpus per visionem ea mihi revelasset: cum autem vetustate & longinquitate temporis prope corrupta essent, collegi ea, ut me quoque cum electis suis colligat Dominus noster Jesus Christus, cui cum Patre & sancto Spiritu gloria in sæcula sæculorum. Ex his, imprimisque ex oratione D. Polycarpi patet quam antiquus sit hymnus, quo eadem Patri & Filio & Spiritui sancto gloria tribuitur: ac proinde profitemur trium unam esse majestatem. Nec immerito affirmat Basilius fideles eum didicisse ab Apostolis. Ex D. Polycarpi scriptis sola superest ad Philippenses epistola. Certum est eum plures alias scripsisse partim ad vicinas Ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus. Quin & Victor episcopus Capuæ fragmenta quinque refert ex responsionum capitulis B. Polycarpi. D. Carpus & Papulus, & mulier Agathonica sub idem tempus martyrium passi sunt.

Euf. hist. l. 4. c. 15.

Iren. ep. ad Flor. Euf. hist. l. 5. c. 20.

Tyranni in Christianæ religionis cultores sic in Oriente sæviebant, ut plerique D. Polycarpi discipuli fuga pervenerint in Gallias. Irenæus petiit Lugdunum; ejus ecclesiæ episcopus tunc erat Photinus ..... Andochius sacerdos, & Thyrsus diaconus, & Felix Augustodunum, Benignus sacerdos penetravit ad castrum Divionis, quibus in locis omnes gloriosum obiere martyrium, ut infra dicemus. Ex his constat exeunte primo sæculo, vel saltem initio secundi fundatas in Galliis ecclesias, quæ etiamnum perseverant.

VI. Celeberrimus quoque inter reliquos ejus temporis martyres fuit Pionius. Cujus singulas confessiones, ac libertatem in dicendo, utque coram populis ac præsidibus pro fidei nostræ defensione peroraverit; concinnes item de institutione fidei, præterea cohortationes, atque invitationes ad eos qui persecutionis tempore capti fuerant, allocutiones etiam & consolationes, quas in carcere positus adeuntibus ipsum fratribus adhibuit; quæ super his tormenta, quantosque dolores sustinuerit; mirabilem in medio rogo constantiam, mortem denique ipsam, quæ cuncta illa miracula subsecuta est, si qui volunt cognoscere, illos remittimus, inquit Eusebius, ad epistolam de illius martyrio uberrime conscriptam, quam nos in opere de priscis martyribus, quorum passiones collegimus, ordine suo inseruimus. Sed pretiosissimus ille liber periit: ex eo tantum colligimus martyrum acta fuisse scripta diligenter; sed pauca nunc supersunt venerandæ illius antiquitatis monumenta; quæ vera sunt a falsis & adulteratis secernere, profundioris est criticæ. B. Pionii passionis acta plura circumferuntur,

Euf. hist. l. 4. c. 15. Hier. in chron. martyrol. lat.

CHRISTI AN. 164.

tur, quæ propter suam antiquitatem & simplicitatem magis probantur peritis, hic summatim referemus. In ea mendum irrepsit ex Menæis Græcorum, in quibus legimus Polycarpum & Pionium in persecutione Deciana comprehensos, igne consummasse suum agonem. Evidens est error de Polycarpo. De Pionio autem magis credimus Eusebio, & Hieronymo, qui passionis ejus acta authentica legerunt, affirmantque eum passum sub Marco Aurelio, quam quibusdam recentioribus, qui ejus passionem referunt ad tempora Decii.

Acta syncer. Itaque die sabbati majore, quo natale Polycarpi martyris celebratur, Genuinum, Pionium, Sabinam, Asclepiadem, Macedoniam quoque & Lemnum presbyterum Catholicæ Ecclesiæ, vis persecutionis invenit, sed divinitus præmonitos. Facta ergo oratione solemni, cum sanctum panem & aquam degustassent, Polemon templi idolorum æditues advenit stipatus satellitibus, & Pionium sic alloquitur: scitis manifeste Principis esse præceptum, quod sacrificia celebrare vos jubeat? Respondit Pionius: scimus quidem præcepta, sed illa sola, quæ Deum nos venerari jubent. Æditues dixit: venite ad forum, ut perNoscatis vera esse quæ dixi .... Sabina vero & Asclepiades clara voce dixerunt: nos Deo vero obedimus .... Ut ad forum ventum est, repente immensa multitudine, quidquid spatii in medio fuit, & superposita paganorum ædicula tecta completa sunt ...., tum martyribus in medio constitutis, Polemon ait: bonum est, Pioni, & te sicut cæteros obedire, & sic declinare supplicia. Sed beatus martyr læto & alacri vultu respondit ..... Audio quod irrideatis eos qui ad sacrificandum, aut sponte prosiliunt, aut alio cogente non renuunt; & in illis levitatem pectoris, in his spontaneum damnetis errorem, cum oporteret vos Homero concivi & magistro vestro potius obedire, qui hominum interitu lætari pium negat ..... Unde ego mori malo, atque omnia perferre supplicia, & in quaslibet ærumnas deductus immensos sentire cruciatus, donec non pervertam aut illa quæ didici, aut illa quæ docui. Tum invehitur in Judæos, qui nulla violati injuria, insectabantur Christianos; monetque eos immerito insultare lapsis, cum eorum majores a Deo vero per apostasiam toties defecerint. Tum sermonem convertens ad Gentes, argumentum ducit ex montibus flammivomis, quæ sunt veluti inferorum spiracula. Unde, inquit, prædicimus vobis de judicio per Verbum Dei Jesum Christum, qui per ignem venturus est. Propterea deos vestros non adoramus.

Ibid. Hactenus omnis populus loquentem attente audierat: sed cum iterum clamasset, deos vestros non adoramus, eum cum sociis duxerunt in atrium. Ibi circumstans vulgus cum Polemone sic hortabatur B. martyrem: Pioni, obtempera nobis, multa sunt enim propter quæ te vivere & valere conveniat. Dignus es enim vita, & morum tuorum meritis, & tua mansuetudine. Pionius ait: ego dico quia vivere bonum est, & usum lucis haurire, sed illius quem desideramus. Aliud est lumen illud, quod nos cupimus, & hæc Dei munera non obliti deserimus: sed reliquimus majora cupientes, & præ melioribus ista contemnimus .... Alexander, vir malignus de populo .... B. martyris irridens catenas, ait: quid sibi hæ catenæ volunt? ille respondit: ne, dum per civitatem ducimur, a quibusdam ad sacrificandum ire credamur: aut ne, & nos, sicut & cæteros, ad templa ducatis: .... hæc enim vincula sibimet injecerant. Sed cum populus in obsecratione & persuasione duraret, iterum respondit: decrevimus, & certum est in eo quod diximus, permanere. Cumque circumstantes vehementer argueret, Alexander ait: quid opus est sermonibus vestris? cum potestas vivendi vobis esse non possit, quin imo sit necessitas pereundi magna.

Ibid. Polemon timens tumultum, martyres ad theatrum perducere noluit, licet populus id postularet. Itaque Pionio dixit: si sacrificare abnuis, ad templum veni. Ille respondit: non expedit delubris vestris ut nos ad templa veniamus ..... Inter hæc Sabinam aspexere ridentem: ad quam quasi minantes terribili voce dixerunt: rides? illa respondit: rideo, sic Deus vult, quia Christiani sumus. Tum illi, passura es, inquiunt, illa quæ non vis. Nam quæ non sacrificant, lupanaribus deputatæ præstant meretricibus collegium, & lenonibus supplementum. Illa respondit: sancto Deo id erit curæ .... Et iterum Pionius ad Polemonem ait: si autem persuadere jussus es, aut punire, necesse est ut punias, eum persuadere non possis. Tum Polemon sermonis hujus asperitate permotus, sacrifica, inquit. Respondit Pionius: non faciam, quia Christianus sum ..... Polemon dixit: vel Imperatori sacrifica. Ille respondit: ego homini non sacrificabo .... Relicto Pionio, ad Sabinam Polemon verba convertit. Hanc præmonuerat Pionius, ut se Theodotam diceret, ne iterum in manus impiæ dominæ traderetur. Cui Polemon ait: quæ diceris? illa respondit: Theodota & Christiana, Ecclesiæ Catholicæ. Quem colis Deum? illa respondit: Deum omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, quem cognovimus per Verbum ejus Jesum Christum. Post hæc ab Asclepiade quæsivit, quis diceretur? respondit: Christianus, Ecclesiæ Catholicæ. Polemon: quem Deum colis? respondit: Christum. Polemon: quid ergo? iste alter est? respondit: non: sed ipse quem & ipsi paulo ante confessi sunt. Potuitne expressius confiteri Christum esse verum Deum cœli & terræ creatorem omnipotentem?

Christi divinitas.

Ibid. His dictis atque transactis ducebantur ad carcerem, immensa populi copia prosequente... Qui cum ingressi fuissent, Pionio & cæteris intromissis, invenerunt presbyterum Catholicæ Ecclesiæ, Lemnum nomine, & mulierem nomine Macedoniam, & quemdam ex vico Carena, e secta Phrygum seu Montanistarum; jam enim grassabatur hæc hæresis. Qui cum simul esse cœpissent, & devoti Deo famuli convenirent; carceris custodes agnoverunt Pionium, quæ offerebantur a fidelibus, certa cum suis voluntate respuere. Quamobrem irati eos in interiore carceris parte clauserunt. Hic Deum hymnis benedicebant, adeo ut carceris præfectus admiraretur; quin & voluit eos reducere in priorem locum. Illi vero ibidem permanentes, clara voce dixerunt: gloriam tibi Domine sine intermissione fundamus. Accepta ut agerent quæ vellent libera potestate, diem noctemque lectionibus & orationibus occuparunt. Plures Pionium invisebant, quos inter aliqui per vim tracti fuerant ad sacrificandum. Illi lacrymas imbrium more fundebant, ut nulla temporis quantite respirarent, & repetitis singultibus novus semper quasi luctus oriretur. Hos ut vidit Pionius in jugi luctu, & dolore maximo constitutos, lacrymans & ipse dixit: novum suppliciorum genus patior, & ita excrucior, quasi videam me divulsa membrorum compage lacerari, cum adspicio margaritas Ecclesiæ porcorum pedibus subjacere, & stellas cœli draconis cauda usque ad terram fuisse pertractas .... nemo vestrum æstimet, o filii, Deum evanuisse, sed nos evanuimus. Ejus manus ad liberandum non est lassata. Nostra nos a Deo peccata distringuunt, & ut non exaudiat, facit hoc non Christi inclementia, sed nostra perfidia.... Audio enim quod quosdam ex vobis Judæi ad synagogam vocent. Videte quia majus accidit cuique ex tali voluntate peccatum, ne quis inconcussum, nec amplius remittendum, quod ad blasphemiam sancti Spiritus pertinet, crimen admittat... comperi enim Judæos nefando ore scelesta verba proferre, eo quod jactent, Dominum Jesum Christum, sicut hominem, ad mortem vi esse compulsum. Dicite, quæso: cujus hominis discipuli, qui sit per vim mortuus, dæmones per tot annos ejecerunt, & ejiciunt? Pro cujus magistri nomine per vim mortui, tot discipuli, totque alii libenti animo pertulere supplicia? quid memorem & alia mirabilia, quæ in Catholica Ecclesia contigerunt. Eodem argumento usi sunt sancti Patres, ut ab hæreticorum sectis distinguerent Ecclesiam, nempe quod in ea sola multa mirabilia fierent. Pergit Pionius. Nesciunt autem eum esse ita mortalem, ut propria voluntate animam egerit. Dicunt præterea Christum necromantiam exercuisse, ejusque vi post crucem fuisse suscitatum; & scripturas, quas nobiscum habent communes, & Christo Domino reddunt testimonium, in blasphemiam sacrilego sermone commutant. Nonne qui hæc loquuntur, perfidi sunt, nonne iniqui? Judæorum vero figmentum de Christi resurrectione sic confutat: Pythonissa, quam consuluit Saul, non potuit excitare Samuelem, cujus anima in sinu Abrahæ quiescebat: alioquin injustitia plus potuisset, quam justitia: sed ei illusit dæmon improbus. Quanto minus ergo credi potest,

Justin. apolog. 1. Iren. l. 2. adv. hær. c. 57. & 58. Cypr. de idol. vanit.

Christi An. 164. Dominum Christum, quem in cœlum recipi viderunt discipuli, pro cujus confessione libenti animo mortem pertulerunt, de sepulchro magicis carminibus excitatum..... Nolite illis assentiri, & animos despondere, sed resipiscite fratres, & pœnitentiam agite, & ad Christum, qui benignus est, vosque iterum suscipiet, confugite.

Ibid. Illo sic disputante, supervenit Polemon cum multa turba, terribili voce proclamans: jam sacrificavit Eudemon, qui vobis præerat (fuit ergo successor Polycarpi); vosque ad templum magistratus celeriter venire præcipit. Cui Pionius ait: eos, quos carcer incluserit, mos est adventum consulis operiri. Quid rem alteri debitam illicita temeritate præsumitis? post hanc repulsam regressi, rursus ad carcerem cum turba majori redierunt. Tunc Hyparchus, seu legatus proconsulis, subdolo Pionium sermone compellat. Nos, quos esse cernis ingressos, proconsul destinavit, jussitque ut Ephesum pergeretis. Et Pionius ait: qui missus est, veniat, & incunctanter ingredimur. Ad hæc Hyparchus: si præceptis obedire detrectes, senties quid potestatis possit habere Turmarcha. Dum hæc loquitur, tam fortiter Pionii colla connexuit, ut præcluso gutture spiritum haurire non posset: atque apparitoribus tradidit ad ducendum hominem, quem ita adstrinxerunt, ut non haberet nec recipiendi, nec exhalandi spiritus facultatem. Trahebantur itaque ad forum & cæteri & Sabina, magna voce clamantes: Christiani sumus: & ut solent inviti, se humi abjiciebant, ut eo tardior corporum tractus, quo ad templum difficilior esset accessus. Pionium namque sex apparitores portabant pariter & trahebant. Cumque fessi lassatis humeris in utraque parte jam cederent, latera ejus jam calcibus verberabant, ut aut leve onus præberet, aut victus dolore sequeretur. Sed nihil horum profecit asperitas, nec effectum habuit injuria. Nam ita immobilis erat, quasi ejus corpori pondus apparitorum calcibus adderetur. Quem postquam tam immobilem nisui suo viderunt esse, auxilia poposcerunt, ut vel numero vincerent, quia virtute jam cesserant. Abreptum itaque Pionium cum magna exultatione portantes, juxta aram, tanquam victimam collocarunt, ubi adhuc adstabat Eudemon, qui idolis sacrificaverat.

Ibid. Tunc judices severa voce dixerunt: . . . cur non sacrificatis? illi responderunt: quia Christiani sumus. Alter putens ait: noli clamare Pioni. Cui ille respondit: noli esse violentus, sed rogum construe, ut in flammas sponte pergamus. Dixit alius: sciatis etiam alios, ne sacrificent, istius sermone & authoritate firmari. Post hæc coronas, quas sacrilegi gestare consueverunt, Pionii capiti conabantur imponere, quas in frusta concisas ille projecit. Tunc sacerdos repentia verubus exta circumferens, tanquam Pionio daturus advenerat. Sed repente conterritus, cum ad nullum ausus fuisset accedere, funestas nefando pectori dapes coram omnibus solus ingessit. Illis autem, Christiani sumus, clara voce dicentibus, inopes consilii judices, eos ad carcerem reduci jusserunt: quo inter multas contumelias regressi sunt. Ingredienti Pionio carcerem unus ex apparitoribus caput inlisit; sed percussoris manus & latera sic inflammata sunt, & intumuerunt, ut respirare vix posset. Ingressi vero carcerem, hymnum Domino dixere cum gratia, qua in ejus nomine in Catholica fide & religione durassent.

Ibid. Post paucos dies Smyrnam proconsul, ut mos erat, rediit; oblatumque Pionium sic cœpit audire: Quis vocaris? respondit: Pionius, Catholicæ Ecclesiæ presbyter. Rursus proconsul: tu doctor eorum eras? rursus ille: docebam. Rursus proconsul: stultitiæ præceptor eras? respondit ille: pietatis. Rursum proconsul: cujus pietatis? ille respondit: pietatis illius quæ ad Deum pertinet, illum qui fecit cœlum, & terram & mare. Rursum proconsul: sacrifica ergo. Ille respondit: ego Deum vivum adorare didici. Proconsul: . . . statim eum jussit appendi, & quod verbis non poterat, voluit extorquere tormentis: postea ergo quam cœperat subjacere suppliciis, ait proconsul: sacrifica. Ille respondit: minime. Rursus proconsul: multi sacrificaverunt; declinantes tormenta luce potiuntur. Sacrifica. Et ille respondit: non sacrifico . . . . . . post hanc B. martyris fixam firmamque sententiam, proconsul diu habitis cum consiliatore sermonibus, rursus ad Pionium verba convertit: perstas in proposito, & pœnitentiam nec sero testaris? respondit ille: minime. Tunc proconsul: quoniam festinas ad mortem, vivus passurus es incendium. Et recitari jussit ex tabula: Pionium sacrilegæ mentis virum, qui se Christianum esse confessus est, ultricibus flammis jubemus incendi, ut & hominibus metum faciat, & diis tribuat ultionem. Christi An. 164. & 166.

Ibid. Ibat itaque vir tantus futurus Christianis in exemplum, sacrilegis voluptati. Nec, ut ituris ad mortem solet, labebant vestigia; sed alacer corpore, mente securus ferebatur ad mortem. Cumque ad stadium pervenisset, priusquam commentariensis juberet, corpus suum ipse nudavit. Et ad cœlum convertens oculos, Deo gratias egit, quod ita purus fuisset sua pietate conservatus. Impositus pyræ, quam gentilis extruxerat furor, ut clavis trabalibus figeretur, membra sua ipse composuit . . . . Sed cum aliatis lignis, ac subditis nutrimentis vires ignis accperet, & per ardentem pyram fortiter populatrix flamma crepitaret, clausis Pionius oculis, Deum suum, ut bene quiesceret, tacita oratione poscebat. Nec multo post vultu læto ignem respexit, & amen dicens, commendansque spiritum ei qui meritam vicem redderet . . . . placide expiravit. Metrodorus presbyter, e secta Marcionitarum, cum eo flammis consumptus interiit. Sed, ut observat Augustinus, non supplicium, sed causa facit martyrem. Quid de aliis confessoribus B. Pionii sociis actum sit, prorsus incompertum est.

Ibid. Hic finis B. Pionii . . . . . Cum ignis extinctus esset, nos, qui præsentes eramus, talem ipsum vidimus, quale vigentis ornatique pugilis corpus existit. Habebat erectas aures, meliores crines, barbam florentem, atque ita erat omni membrorum mole compositus, ut juvenis crederetur; & corpus post ignem quasi in minorem ætatem redactum ostenderet, & illius meritum, & resurrectionis exemplum. Mira præterea gratia de vultu ejus arrisit, & multa angelici decoris signa fulserunt, adeo ut Christianis fiducia, metus gentibus adderetur. Nec inanis fuit timor; nam intra biennium Smyrnensibus immissa est clades gravissima, eorumque civitas ingenti terræ motu penitus conquassata est. Hanc senatori prætura functo instaurandam mandavit Aurelius. Circa idem tempus D. Sagaris episcopus Laodiceæ martyrium perpessus est, Servilio Paulo Asiæ proconsule. Itemque Thraseas Eumeniæ episcopus, martyr fuit Smyrnæ, ubi sepultus est. Denique in urbe Asiæ Pergamo, Carpus & Papulus, & mulier quædam Agathonica, post multas atque illustres fidei nostræ confessiones glorioso exitu consummati sunt. Eus. hist. l. 4. c. 15. & c. 26. & l. 5. cap. 18.

VII. Hæreses eadem tempestate grassabantur. Ex Valentinianorum schola prodiit secta Cajanorum: magnificabant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Quin & Judam proditorem venerabantur, quem divinum aliquid esse prædicabant; asserentes eum præscivisse, quantum esset humano generi Christi passio profutura. Hinc cum potestates hujus mundi nollent pati Christum, ne hominibus per mortem ipsius salus pararetur, omnium saluti consulens Judas, ideo Judæis Christum tradidit. Sodomitas, Core, Dathan, & Abiron aliosque sceleratos magnis laudibus efferebant: blasphemabant legem & Deum legis authorem. Carnis resurrectionem negabant, & baptismum ad salutem esse necessarium. Impie impuri fuerunt ejusmodi hæretici. Ex eadem Valentini schola prodiere Marcosiani, quorum auctor dictus est Marcus: hic nefariis voluptatibus & magiæ deditus, præstigiis suis illudebat sensibus, animosque hac arte seducebat. Poculum vino temperatum gratiarum actionem simulans, & solemnem precationis formulam longiorem adhibens, purpurea rubraque ut appareant effecit, adeo ut Christus ad illius invocationem suum in illud vas sanguinem instillare putaretur. Tum aliud poculum a muliere ut plurimum divite benedictum, & longe capacius proferens, liquorem e minore in illud transfundens, ita præfabatur: gratia Dei, quæ ante omnia est, neque animo concipi potest, interiorem tuum hominem compleat, ac suam in te cognitionem augeat, granum sinapis in bonam terram dimittens: Tert. de præsc. c. 47. *Cajanorum secta.* Aug. de hær. c. 18 Epiph. hær. 38. Iren. l. 1. nov. edit. cap. 13. vet. 8. *Marcosiani.*

tum

CHRISTI An. 166.

tum repente liquor in majori poculo sic intumescebat, ut sese superfunderet. Prophetiæ spiritum cum mulieribus sese communicare gloriabatur, certis invocationibus adhibitis. Diaconi, qui eum in Asia hospitio exceperat, conjugem egregia forma animo corporeque corrupit. Impurum illum magum diu sectata est, donec ad meliorem frugem a presbyteris conversa, reliquum vitæ tempus traduxit in pœnitentia.

Aug. de hær. c. 14.

Marcus duo principia sibi contraria & plures Æones admisit: negavit Christum esse vere passum, & carnis resurrectionem: baptismi formam prorsus immutavit. Ejus discipuli baptizantes proferebant quædam nomina barbara, quorum interpretatio talis est: Messia non divido animam, & virtutem altiorem cœlis ac misericordem: utinam propitiationem obtineam: impera & libera me Servator fidelis. Qui autem sacrabatur, respondebat: confirmatus sum & redemptus, & redime animam meam ab Æone hoc, & omnibus quæ sunt in nomine Jao, qui redemit animam ejus in redemptionem, in Christo vivente. Huc & illuc concursabat Marcus, ut plures ad sua scelera pertraheret. Illius discipuli in iis provinciis quæ Rhodano adjacent, seduxere multas nobiles fœminas, quæ partim publice pœnitentiam egerunt, partim cum id facere præ pudore non sustinerent, ac tacite quodammodo de vita Dei desperarent, vel prorsus a fide defecerunt, vel certe dum in utramque partem propendent, nec foris, nec intus fuerunt. Theodoretus Marcosiis adjungit Ascodritas hæreticos, atque Archonticos. Hi penitus abjiciebant divina mysteria, quæ sunt invisibilium signa: qua propter baptismum rejiciebant, perfectam redemptionem in cognitione reponentes. Archontici habuere confictos libellos, quos appellabant revelationes prophetarum: numerabant septem cœlos, quorum singulis præesset unus Archon, sive princeps, iisque varias animalium formas affingebant: ajebant Deum Sabaot in supremo cœlo exercere tyrannidem, ab eoque progenitum esse diabolum, qui ex matre Eva genuit Cainum & Abelem: novos prophetas finxere, Marciadem & Marcianum, quos in cœlum raptos post triduum descendisse mentiebantur. Hi hæretici vitam agentes solitariam, rerumque omnium abdicationem præ se ferentes seduxere plurimos. Verum, juxta Christi promissionem, portæ inferorum, scilicet tyrannorum furor, & malitia hæreticorum, non prævaluerunt adversus Ecclesiam. Plures insignes pietate viros ei providit Deus, quorum alii cruciatus invicta patientia superarunt, alii hæreses doctrina sua debellarunt.

Iren. ib.

Theod. hær. fab. l. 1. c. 10.

Orig. l. 6. adv. Cels.

Eus. hist. l. 4. c. 18.

Justinus plurima ingenii sui doctrinæque, & intenti in res divinas studii monumenta nobis reliquit plena multiplicis utilitatis. Laudavimus primam ejus apologiam ad Antoninum Pium. Præterea composuit dialogum adversus Judæos, quem apud Ephesum habuit cum Tryphone, omnium tunc temporis Judæorum celeberrimo: in eo narrat ingenue, quemadmodum per divinam gratiam ad veræ fidei doctrinam impulsus sit; narrationem suam sic concludit: "Percupiam vos omnes eamdem animo mecum inire rationem, & cognoscere Christum Dei, nec esse alienos a doctrina Salvatoris, quæ ducit ad perfectionem, & ad veram beatitudinem." Hæc cachinnis exceperunt amici Tryphonis. Ipse vero subridens ait: "Quæ de teipso prædicas, ut ad veri Dei cognitionem perveneris, laudo & approbo. Sed mallem te Philosophum, quam Christianum: tunc enim reliqua tibi foret spes melioris conditionis: sed postquam, Deo relicto, spem tuam in homine collocasti, quæ tibi potest esse salus? itaque si meum recipis consilium, suscepta quamprimum circumcisione, legem Moysis observabis: tunc fortassis tui miserebitur Deus. Christus enim etsi natus, latet incognitus sibi & omnibus, nec quicquam potest, donec veniens Elias eum unxerit, & manifestarit hominibus. Vos vero falsam de Deo concipientes opinionem, frustra illius causa miseri vivitis." Apparet hic Judæos prophetiarum veritate convictos, Messiam venisse non ausos inficiari, sed ejus regnum falsis obscurasse interpretationibus, quas sine ullo idoneo fundamento pro temporum opportunitate excogitant. Justinus eum castigans verbis, promittit se fidei suæ rationem redditurum; tum breviter diluit calumnias, quibus gentiles infamabant Christianos: quas Tryphon fatetur ex Evangelii lectione se cognovisse falsas; sed

Justini dialog. cum Tryph.

contendit eos spem salutis nullam habere posse, qui incircumcisi legem Moysis non observant, & sperant in homine crucifixo. Hoc præcipuum est argumentum totius dialogi, & omnis controversiæ cum Judæis, quibus, ut ait Apostolus, Christus crucifixus est scandalum.

CHRISTI An. 166.

Quæstionem hanc ut solvat Justinus, profitetur primo nos eumdem cum Judæis adorare Deum, "in quem solum speramus, non per Moysem, vel legem: siquidem antiquata est per novum Christi testamentum, quod Deus per Prophetas repromisit." Idque probat authoritate Isaiæ & Jeremiæ. Inde concludit: "itaque, si Deum novum testamentum se dispositurum prædixit, si homines ab idolis atque omni genere iniquitatis conversos ad Deum accedere cernimus, idque fieri per nomen Jesu Christi crucifixi, & veram pietatem colere, in eaque usque ad mortem perseverare; facile quivis intelligere potest, hanc esse novam legem, & testamentum recens, expectationemque eorum, qui ex nationibus conversi a Deo bona expetunt. Nos enim verum sumus & spirituale Israeliticum, Abrahæ filii secundum fidem." Adventum Christi, passionem, resurrectionem, gloriam, gentium vocationem ab Isaia prædicta fuisse demonstrat. Inutilemque esse circumcisionem probat exemplo sanctorum Abrahamo antiquiorum, qui omnes Deo placuere, licet incircumcisi. Addit, Judæis a Deo præscripta sacrificia, postquam adorarunt vitulum aureum, ut sic eos averteret ab idololatria: "nullatenus enim opus habet his oblationibus; (quemadmodum declaravit per prophetas Amos atque David) imo prædixit abolendas, dicens per Malachiam: non est mihi voluntas in vobis, & sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris: propterea quod ab ortu solis ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium purum: quia honorificabitur nomen meum in gentibus, dicit Dominus: vos autem prophanatis illud. De nostris vero gentium quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem prophanare." Ergo, teste Justino, Eucharistia est verum sacrificium, quod prædixit Malachias, & in omni loco offertur a Christianis: secundoque sæculo ea erat fides Ecclesiæ.

Ibid.

Isai. c. 11 Jerem. c. 11.

Isai. c. 52 55. & 56

Malach. cap. 1.

Eucharistia est sacrificium.

Quærenti Tryphoni, utrum qui secundum legis Mosaicæ præscriptum vixere, vivent pariter cum Noemo & Jobo in resurrectione mortuorum, respondet Justinus: eos salvos fore per Christum, in quem crediderunt; "Sed si qui nunc velint servare legem Moysis, & credant in Jesum crucifixum, confitentes eum esse Christum Dei, omnium judicem, & regnum ejus esse sempiternum, possuntne salutem consequi? ait Tryphon." Justinus observat multa præcepisse Moysem, quæ nunc observare Judæis non licet, nempe paschalem agnum, aliasque oblationes offerre in terris gentium. Deinde respondet: "si quis Judæus cætera legalia nunc servet, & credat in Christum, ut mihi videtur, salvus erit, dummodo conversos ad Christum ex gentibus in suam abducere sententiam non annitatur, docens eos non esse salvandos, nisi hæc custodierint. Fideles autem ex gentibus si cum professione christiana conjungant legis cæremonias, eos non salvari puto; Judæos vero, qui ex præscripto legis vivunt, atque in Christum non credunt ante finem vitæ, salvos non fore judico."

Ibid.

Hic Tryphon: quod ais Christum ante sæcula fuisse Deum, & deinde factum hominem nasci sustinuisse, & quidem non hominem ex homine; non modo admirabile, & præter fidem esse mihi videtur, verum etiam stultum." Justinus ostendit prophetas prædixisse duplicem Christi adventum; alterum, cum passioni subditus & inhonoratus apparebit; alterum, cum Judex omnium aderit: secundi præcursor erit Elias: Joannes in spiritu Eliæ primo præivit. Christum jam venisse ut redemptorem probat ex prophetia Jacobi; affirmatque eum prælusisse suæ incarnationi, dum antiquis patriarchis sæpius sub humana specie apparuit: tuncque eum Dominum ac Deum vocat divinus spiritus: unde concludit, "Christum esse vere Dominum & Deum a Patre genitum:" confirmatque ex illis Davidis verbis. "Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabel-

Ibid.

Christi divinit. Psal. 44.

CHRISTI AN. 166. bellum pedum tuorum . . . in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Et Trypho: " rem incredibilem & prope impossibilem demonstrare moliris, Deum nasci, & hominem fieri sustinuisse. Si humanis, (inquit Justinus,) doctrinis & argumentis hoc probare suscepissem, minime me vos ferre oportuit: sin tot scripturas in hoc promulgatas iterum repetens, vos ut eas cognoscatis rogo, profecto discordes ad mentem voluntatemque Dei intelligendam estis. „ Ista legenti mens Justini circa Christi divinitatem dubia videri non potest.

Ibid. Post hæc Judæis exprobat quod multos scripturæ textus ex versione septuaginta interpretum sustulerint, " ex quibus diserte hic ipse, qui est crucifixus, ostenditur esse prænunciatus ut Deus & homo, & in crucem sublatus: „ observat infra hos textus fuisse nuper erasos, & adhuc legi in quibusdam exemplaribus; & tantum quatuor indicat. Recenset præterea, quod cum Christus vivens promisisset se eis daturum signum Jonæ Prophetæ " exhortans ut vel post resurrectionem ejus a mortuis agerent pœnitentiam; audita ejus resurrectione non modo non resipuerint: quin etiam quosdam lectos homines in omnes orbis partes emiserint, qui dicerent sectam impiorum Christianorum exortam esse, authore Jeso Galilæo seductore, quem crucifixum discipuli ejus noctu e monumento furtive sustulerant, & postea homines in errorem abduxerint, asseverantes eum a mortuis excitatum esse, atque in cœlum ascendisse: quique calumniose spargerent illum ea docuisse, quæ impia & impora apud omne genus hominum jactarent adversus illos, qui eum Christum, & Doctorem, & Filium Dei esse profitentur. „ Deinde describit varias persecutiones, quas patiebantur Christiani. " Sed inquit, dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & bestiis objicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis plectimur & excruciamur, quod a professione nostra non discedamus, satis constat; & quanto magis in nos expediuntur tormenta, tanto plures alii fideles, & veræ religionis per nomen Jesu fiunt cultores . . . plantata est enim a Deo, & a Christo Servatore vitis populus ejus. „

Ibid. Infra rejicit opinionem eorum, qui dicebant virtutem quamdam a Patre provenientem, & ab eo prorsus indistinctam apparuisse patriarchis: quæ virtus pro diversis officiis nomina varia sortiretur, & nominaretur homo, quatenus sub ea specie conspiciebatur; & Verbum, quia Patris sermones ad mortales perferebat; eamque comparabant solis radio, quem sol emittit, vel ad se retrahit. " Virutem illam, inquit Justinus, quam Deum sermo propheticus vocat, ut pluribus probatum est, non ita, ut solis lumen nomine tantum nominari; verum numero quoque aliud quiddam esse, ratione exquisita superius explicui: virtutem hanc dicens de Patre genitam ipsius virtute & voluntate, non per recisionem, velut ab essentia Patris dispertitam. „ En unitas naturæ Patris & Filii cum numerica personarum distinctione. In eo dialogo sæpius observat, supernaturalia dona prophetiæ, sanitatum, aliorumque mirabilium operum ætate sua viguisse in Ecclesia, fidelesque sæpissime per nomen Christi crucifixi sibi subjicere dæmones, quos e corporibus abigebant. Ibidem impegit in fabulam Millenariorum.

Justini apologia 2. IX. Justinus sæviente persecutione Romam venit; hic Christianam philosophiam, quam profitebatur, suo sanguine confirmavit: sed prius eam iterum defendit secunda apologia, cui occasionem dedit illustre D. Ptolomæi martyrium, quod in eadem

Eus. hist. l. 4. c. 17. sic refert. Mulier quædam virum habebat intemperantem, ipsa quoque prius quidem lascive admodum se gesserat. Sed postquam salutarem Christi doctrinam accepisset, statim modestior facta, viro etiam persuadere studuit, ut castius viveret: Christiana præcepta illi ingerens, & ignis æterni supplicium paratum iis, qui obscœne & sine recta ratione vixissent. Verum ille in eadem semper lascivia perseverans, ea agebat quæ uxoris animum penitus ab ipso alienarent. Mulier enim nefas esse existimans cum eo viro, qui contra naturæ leges præterque jus undecumque vias libidinis exquireret, tori consortio jungi, discedere ab illo constituit. Verum propinquis mulieris consulentibus ut in conjugio adhuc permaneret, spemque ei facientibus virum ad meliorem frugem tandem reversurum, consiliis eorum obtemperans mulier, ac sibi ipsa vim faciens mansit cum viro. Sed posteaquam vir ipsius Alexandriam profectus gravioribus adhuc flagitiis sese inquinare nunciatus est; illa verita ne scelerum atque impietatis particeps fieret, si in conjugio ejusdem permaneret, victusque & thori consors existeret, misso ei repudio discessit . . . . Ille mulierem, quæ idcirco ab eo discesserat, quod recta suadenti ipsi obtemperare nollet, accusavit, & Christianam esse detulit. Et illa quidem libello tibi oblato, sacratissime Imperator, postulavit, ut prius rei familiaris procurandæ atque administrandæ sibi facultas daretur, ac deinde rebus domesticis recte constitutis, accusationi se responsuram esse pollicita est. Idque mulieri tu permisisti. CHRISTI AN. 166.

Maritus, qui tum quidem nihil adversus illam dicere poterat, in Ptolomæum quemdam, qui mulierem Christianæ religionis præceptis imbuerat, impetum suum vertit hoc modo. Centurioni cuidam amico suo persuasit, ut Ptolomæum comprehenderet, eumque in vincula conjiciens, hoc unum interrogaret, essetne Christianus? eumque Ptolomæus Christianum se confessus esset, eum centurio custodiæ mancipavit, diuque in carcere afflixit. Oblatus tandem Urbicio judici Ptolomæus, id unum similiter interrogatus est, utrum esset Christianus? ille vero, qui per Christi doctrinam cuncta se bona consecutum esse intelligeret, illam cœlestis ac divinæ virtutis institutionem iterum confessus est ... Cum vero Urbicius Ptolomæum ad supplicium duci jussisset, Lucius quidam, qui & ipse Christianus erat, adeo injustam audiens sententiam, sic Urbicium allocutus est: quid causæ est ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nominis dumtaxat Christiani vocabulum confitentem condemnaveris? hujus formam judicii non convenit temporibus Imperatoris Pii, nec Philosophi Cæsaris filii, nec senatui Romano. Tum Urbicius nullo alio responso hominem dignatus, sic eum alloquitur: tu quoque Christianus esse mihi videris. Cumque Lucius ita esse respondisset: jussus est itidem ad supplicium duci: statimque magnam gratiam Urbicio se debere professus est, quippe cui hujusmodi malis dominis liberatus, ut ajebat, ad optimum Patrem Regemque esset migraturus. Sed & tertius quidam cum accessisset, eodem supplicio condemnatus est. Ibid.

Totius rei seriem postquam sic exposuit, ut injusta magistratuum inquisitio in Christianos palam innotesceret, hæc subjicit: " neque quisquam dicat, vobismet afferte manus, & sic ite ad Deum, & nobis molesti non sitis. Ideo enim id non facimus, & tamen inquisiti intrepide profitemur, quod sciamus hunc mundum propter homines a Deo conditum, qui amat accedentes ad eum per imitationem suorum operum: irascitur vero peccatoribus, qui voluntatem ejus verbo vel opere violant: cui repugnaremus nosmet occidentes: interrogati tamen non negamus, quia nullius mali conscii, putamus impium in rebus omnibus non vera dicere, id quod gratum esse Deo novimus. „ Digrediens ad idololatriam, ejus authores ait fuisse dæmones, quos male dixit ex malis angelis & mulieribus progenitos. Mulierculas, servos, pueros ad tormenta pertractos conqueritur; ut per horrendos cruciatus eorum scelerum, quæ sermonibus vanis atque fabulosis ferebantur, veritas inquireretur: " quorum flagitiorum rei manifeste tenentur eorum adversarii, authoresque dii gentium habentur. Quoniam autem ejusmodi disciplinam improbamus, & qui talia faciunt & æmulantur, fugere suademus, multis modis oppugnamur: sed nihil id curamus, cum Deum ingenitum & ineffabilem testem etiam cogitationum habeamus. „ Ibid.

Denique sic concludit: " rogamus vos ut senatus consulto permittatur hic libellus, ut res nostræ veniant in omnium notitiam, & Christiani falsa suspicione liberentur. Insita est enim omnibus notio honestatis & turpitudinis: cum audierint nos damnare flagitia, quæ nobis imputant, & renuntiasse diis, quia eis se coinquinarunt, & ab aliis exigunt: intelligent ejusmodi scelerum artifices, se proprio judicio damnatos esse, dum nobis innocentibus, quasi eorum rei teneremur, mortis pœnam inferunt . . . . Doctrina & præcepta nostra sunt quidem humana sapientia longe superiora, sed minime turpia sane de iis judicanti videbuntur, & nullo

modo

CHRISTI AN. 169.

modo similia Sotodiis, Philænidiis, Epicureis, aliisque poeticis institutionibus, quorum tamen authorum libros quamvis turpissimos legere permissum est omnibus. „

Eus. hist. l.4. c.16. *D. Justini martyrium.*

Secundam hanc apologiam pro fidei nostræ defensione cum Justinus Imperatoribus obtulisset, martyrii lauream obtinuit solum machinationibus Crescentis philosophi, qui vivendi rationem prorsus convenientem Cynicæ appellationi æmulabatur; quem cum ille disputans audientibus plurimis convicisset, tandem veritatis illius, quam prædicaverat, præmium martyrio consecutus est. Hunc vitæ exitum in eodem apologetico aperte, prout erat illi propediem eventurus, prædicit his verbis: " ego etiam exspecto ut ab aliquo eorum, qui philosophi appellantur, insidiis appetar, & in nervum compingar, ab ipso forsitan Crescente veræ philosophiæ ignaro, & vanitatis potius, quam veritatis amatore .... neque vero illud vos ignorare velim, Augustissimi Imperatores, me, cum multas interrogationes ei proposuissem, deprehendisse illum nihil scire in nostra religione: atque ut sciatis a me verum dici, paratus sum, si forte disputationes illæ ad vestram non pervenerunt notitiam, coram vobis iterum interrogationes proponere. Neque id ab Imperatoria majestate alienum erit. „ Justinus a Crescente delatus ut Christianus, cum sex aliis, qui cum eo comprehensi sunt, adductus est ad præsidem Rusticum. Eorum nomina sunt, Chariton, Evelpistus, Hierax, Pæon, Liberianus, Christiana mulier, omnes in fidem bene animati, cupidique cœlestis gloriæ.

Act. syncer.

X. His ante tribunal constitutis, Rusticus præses dixit Justino: age, esto diis obediens & Imperatoris edictis. Justinus respondit: nemo unquam reprehendi, aut condemnari poterit, qui Salvatoris nostri Jesu Christi præceptis obedierit. Tum Rusticus: in cujusnam, inquit, eruditionis ac disciplinarum genere versaris? cui Justinus: omne disciplinarum genus discere conatus sum, omnem eruditionem expertus, postremo Christianorum disciplinæ adhæsi, quamvis illa non placeat his, qui falsæ opinionis errore ducuntur... At præfectus: qualenam est illud dogma? Justinus respondit: rectum dogma quod Christiani homines cum pietate servamus, hoc est, ut Deum unum existimemus factorem atque creatorem omnium, quæ videntur, quæque corporeis oculis non cernuntur; & Dominum Jesum Christum Dei Filium confiteamur, olim a prophetis prænuntiatum, qui & humani generis Judex venturus est, salutis præco, & Magister iis, qui ab illo bene didicerint. Ego quidem ut homo imbecillis sum & longe minor, quam ut de infinita illius Deitate aliquid magnum dicere possim, prophetarum munus hoc esse fateor: illi enim hujus ipsius, quem Dei Filium esse dixi, in orbem terrarum adventum multis antea sæculis prædixerunt .... Quæsivit præfectus, quem in locum Christiani convenirent? cui respondit Justinus: eo unumquemque convenire quo vellet, ac posset. An, inquit, existimas omnes in eumdem locum convenire solitos? minime res ita se habet, quoniam Christianorum Deus loco non circumscribitur, sed cum invisibilis sit, cœlum & terram implet, atque ubique a fidelibus adoratur, & ejus gloria collaudatur. Tunc præfectus, age, inquit, dicas quem in locum conveniatis, & discipulos tuos congreges? Justinus respondit: ego prope domum Martini cujusdam ad balneum cognomento Timiotinum hactenus mansi. Veni autem in urbem Romam secundo, neque alium quemquam locum, nisi quem dixi, cognosco: ac si quis ad me venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam. Ergo Christianus es tu, inquit Rusticus. At Justinus: maxime, Christianus ego sum. Christianis igitur tunc nullæ erant ecclesiæ; sed in ædes privatas, vel in loca subterranea ad sacra mysteria peragenda conveniebant, locumque sæpe mutabant, ne ab infidelibus deprehenderentur ..... Alii sex pariter confessi sunt se esse Christianos .... An, inquit præfectus, Christianos vos fecit Justinus? responderunt omnes se a parentibus hanc bonam accepisse confessionem ...

Ibid.

Præfectus conversus ad Justinum dixit: audi tu, qui eloquens esse diceris, & putas te veram disciplinam tenere: si a capite per totum corpus flagellis cæsus fueris, persuasumne habes fore ut in cœlum ascendas? cui Justinus, spero, inquit, me habiturum quod habent qui Christi dogmata servaverint, si hæc ipsa, quæ dicis, perpessus fuero. Scio enim omnibus, qui sic vixerint, divinam gratiam conservari, quoad totus mundus consumatur. Ad hæc præfectus: ergo futurum opinaris ut in cœlos ascendas, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Justinus, sed scio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem. Rusticus dixit: veniamus deinceps ad id quod propositum est, & nos urget: convenite simul, & uno eodemque animo diis sacrificate. Ad hæc Justinus: nemo, qui recte sentiat, pietatem deserit, ut in errorem atque impietatem dilabatur. Rusticus dixit: nisi jussis nostris parere volueritis, cruciatus sine ulla misericordia patiemini. Justinus autem: maxime nos in votis habemus propter Dominum Jesum Christum cruciatus perpeti, ac salvari; hoc enim nobis salutem & fiduciam conciliabit ante ejusdem Domini ac Salvatoris nostri terribile illud tribunal, cui totus mundus divino jussu assistet. Idem & reliqui omnes martyres dixerunt, hoc addentes: fac cito quod vis, nos enim Christiani sumus, & idolis non sacrificamus. Hæc audiens præfectus, talem sententiam pronuntiavit: qui diis sacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagellis cæsi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt: itaque sancti martyres Deum collaudantes, ad consuetum locum perducti, post verbera securi percussi sunt, & in Salvatoris confessione martyrium consummarunt. Posthæc quidam fideles clam illorum corpora sustulerunt, & in loco idoneo condiderunt. Justini Philosophi martyrium celebrarunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius & Hieronymus, & cum eis Eusebius.

Epiph. hær. 46. Iren. l.1. cap. 31. Tertul. adv. Valent.

Eus. hist. l.4. c.18.

Amplissimis eruditionis pietatisque suæ monumentis memoriam nominis sui consecravit Justinus. Præter duas apologias, & dialogum cum Tryphone Judæo, extat etiam ejus duplex ad Græcos cohortatio, ut, majorum suorum erroribus relictis, amplectantur Christianam professionem. In utraque fere totus est in confutandis Paganorum fabulis, quæ maximis flagitiis patrocinantur, nihilque quod conducat ad veram pietatem, aut divina majestate dignum sit, continent. Sic concludit posteriorem: " quid tu cum Græcus sis, filio tuo succenses, si Jovem imitans tibi insidiatur, & nuptias tuas furatus est? cur hunc esse inimicum censes? at illi similia perpetrantem veneraris. Cur autem de uxore tua expostulas, quod petulanter vivat & libidinose? at Venerem templis honorastis. Hæc de vobis si alii dicerent, falsæ criminationes vobis viderentur; sed ista canunt vestri poetæ, hæc clamant vestræ historiæ. De cætero accedite Græci, & sapientiæ incomparabilis estote participes, ac divino sermone docemini, & Regis incorruptibilis notitiam accipite, & obliviscimini heroas natos in populorum ruinam. Rex ille noster non quærit corporum fortitudinem, vel venustatem, nec nobilitatis elationem, sed animam puram ornatamque sanctimonia. Divinus sermo semper nobis præest, virtute cujus divina ejus actiones pervadunt in animam, ut eas imitetur; turbatamque animam pacificat, fugans graves passiones, ignemque concupiscentiæ interius exardescentem restinguere docens. Hic non facit poetas, vel philosophos, vel Rhetores: sed erudiens nos, ex mortalibus reddit immortales, & transfert in eas sedes, quæ sunt ultra Olympum. Venite igitur & erudimini. Quales nunc estis, talis & ego fui: qualis ego sum, & vos fiatis: sermonis hujus & institutionis vis & efficacia flexit animum meum, sibique devinxit. Quemadmodum enim peritus incantator extractum e latebris serpentem immanem fugat, sic divinus sermo ex intimis animæ penetralibus fugat pravas cupiditates, quibus expulsis, tranquillitatem & pacem consequitur, ac tandem redit ad eum, qui eam condidit.

Justini 2. ad Græc. adhortatio.

Scripserat & librum de Monarchia, seu unitate Dei, quam quidem non solum authoritate sacrorum apud nos voluminum, sed & gentilium etiam scriptorum testimoniis asserebat. Superest tantum pars illius posterior. Alia quoque ejus opera plurima, quorum catalogum texuerunt Eusebius & Hieronymus, periere injuria temporum. Illius libri in tanta erant apud veteres æstimatione, ut Irenæus ejus testimoniis utatur. De his hoc judicium fecit Photius: est autem vir ille ad philosophiæ tum nostræ, tum potissimum prophanæ summum evectus fastigium, multiplicisque eruditionis & historia-

Eus. hist. l.4. c.18.

Phot. bibl. cod. 225.

CHRISTI AN. 169. & 170.

historiarum copia circumfluens : sed rhetorico artificio nativam philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studin habuit : quamobrem ejus oratio pollens alioqui & valida, scientificumque servans stylum, Rhetoricæ illa condimenta non spirat, nec illecebris & blandimentis vulgus auditorum attrahit. Repetitiones & quædam minus exacte scripta interdum ei excidere. Martyrio coronatus est anno Christi 169.

Euf. hist. l. 5. c. 13. *Scriptores eccl.*

XI. Ecclesiastici scriptores plures eadem ætate floruerunt. Rhodon Tatiani discipulus, & ab eo in urbe Roma eruditus, varios conscripsit libros adversus Marcionis hæresim, quam doctissime confutavit. Quomodo cum Apelle collocutus sit, sic refert : senex Apelles, inquit, inito nobiscum colloquio, multa quidem perperam dicere convictus est ; quamobrem etiam asserebat non esse omnino examinandam fidem, sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, perstare oportere : quippe eos, qui in Crucifixo spem suam collocassent, salvandos esse affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur. En primus fons ex quo scaturiit tolerantia sectarum omnium, quæ modo credant in Christum ; quantumvis communione divisæ contraria sentiant, perveniunt tamen ad salutem : quæ opinio complectitur omnes hæreses, omnemque Ecclesiæ politiam subruit, inducta quidlibet opinandi licentia. Apelles præterea rem omnium obscurissimam esse statuebat quæstionem de Deo. Cum vero ipsi dicerem : unde tibi hæc demonstratio, aut qua ratione affirmare potes unum esse principium ? dic nobis si placet. Ille respondit : prophetias ; eo quod nihil omnino veri dicant, se ipsas refellere ; sunt enim dissonantes & falsæ, ac sibimetipsis contrariæ. Porro qua ratione unicum esset principium, se quidem nescire fatebatur : sed tamen moveri atque impelli ut ita sentiret. Post hæc cum eum jurejurando adegissem, ut ex animi sui sententia loqueretur ; juravit se verum dicere, nec se omnino scire, qua ratione esset ingenitus Deus, se tamen ita credere. His auditis, ego hominem deridens reprehendi, qui cum se doctorem profiteretur, doctrinam suam rationibus confirmare non posset.

Euf. hist. l. 4. c. 21. 25. 26.

Philippus Cortinensis etiam luculentissimum librum scripsit adversus Marcionem. Modestus præ cæteris egregie errores ejusdem hæretici ac dolos detegens, omnibus spectandos exhibuit. Musanus etiam, & Apollinaris Hierapolitanæ ecclesiæ episcopus, & Melito Sardianus, & Pynitus Cretensium episcopus, quorum omnium libri sinceram Apostolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes nunc desiderantur. Melitonis librum, qui Clavis inscribitur, manuscriptum vidimus Argentinæ ; præse fert omnes characteres, quos ei tribuunt Eusebius & Hieronymus : sed tam evidenter interpolatus est multis in locis, ut non possit emendari nisi ope alterius manuscripti emendatioris. Iisdem temporibus Celadion cum per annos quatuordecim ecclesiæ Alexandrinæ præfuisset, Agrippinus ejus sedem obtinuit : Eros quoque Antiochiæ diem extremum clausit : ejus urbis episcopatum sextus ab Apostolis gubernavit Theophilus, vir ingenio & eruditione conspicuus, ex cujus operibus libri tres ad Autolicum supersunt. Hierosolymis Marco, qui primus ex gentibus huic ecclesiæ præfuit, successit Cassianus : post quem Publius functus est episcopatu : deinde Maximus, postea Julianus : post illos ex ordine numerantur, Cajus, Symmachus, alter Cajus, alter etiam Julianus, quem excepit Capito, qui sedit ad annum quintum Commodi Imperatoris. Octavo Marci Aurelii anno, cum Anicetus Romanæ ecclesiæ episcopatum undecim annis obtinuisset, Soter in ejus locum successit, Anno Christi 170.

Ibid. c. 19. & 20.

Euf. hist. l. 4. c. 23. *D. Dionysii Corinth. episcopi epistolæ.*

XII. Dionysius Corinthiorum ecclesiæ episcopus, non solum populis sibi commissis, verum etiam aliarum regionum & urbium incolis, divinos labores suos prolixe communicavit ; omnium commodis utilitatique inserviens, in Catholicis illis, quas ad diversas ecclesias scripsit, epistolis. Una quidem est ad Lacedæmonios, rectæ fidei institutionem continens, pacemque & unitatem insinuans. Altera vero ad Athenienses scripta, excitans ad fidem, & ad vitam ex præcepto Evangelii traducendam : qua in re Atheniensium negligentiam arguit, quippe qui a fide propemodum desciivissent, ex quo Publius ipsorum episcopus in persecutionibus tunc temporis excitatis martyrium subierat. Meminit etiam

CHRISTI AN. 170.

Quadrati, qui post martyrium Publii episcopus Atheniensium est constitutus, ejusque labore & industria cives denuo convenisse in ecclesiam, & redivivum fidei ardorem in illis reparatum esse restatur : affirmat etiam D. Dionysium Areopagitam, qui a Paulo Apostolo ad fidem conversus est, primum omnium ecclesiæ Atheniensis sacerdotium suscepisse. Illius autem librorum non meminit, nec Eusebius, nec Hieronymus, nec alius author ante sextum sæculum, quorum tamen authoritas fuisset maxima : præterea non pauca, quæ parum conveniunt ritibus illius ætatis, sed sequentibus sæculis instituta sunt, in iis continentur. In libro de divinis nominibus, quem in Græcia se scripsisse testatur author, B. Ignatii ad Romanos epistola laudatur ; hanc vero anno Christi 109. scriptam esse constat. Dionysium Areopagitam, qui se viginti quinque annorum fuisse tempore Dominicæ passionis scribit ad Apollophantem, ad hæc usque tempora pervenisse quis sibi persuadeat, & postea centenario majorem profectum in Gallias fundasse Parisiensem ecclesiam ? cujus tabulas Ecclesiasticas licet diligenter legerit Gregorius Turonensis, ejus nomen non invenit : denique Gelasius Papa in Romano concilio, & quinta Synodus oecumenica dum recensent opera Patrum, quæ recipit Ecclesia, non meminere librorum D. Dionysii Areopagitæ, quamvis jam a pluribus annis innotuerint. Equidem plures Pontifices, Patres, & Concilia sequentibus sæculis ejusmodi libros laudarunt sub nomine Dionysii : quis autem nesciat plures sextæ Synodi Patres, nullo reclamante, plura testimonia protulisse ex libris apocryphis ? in ejusmodi factis, ut de Romano Breviario observant EE. Cardinales Baronius & Bellarminus, opinionem olim communem subsecuti sunt Pontifices, nihil definientes. Hæc tamen opera jam dudum inter Patres probabilem authoritatem obtinent, eorumque author vixit ante sextum sæculum.

Dionysii Areopag. opera.

Tertia Dionysii Corinthiorum episcopi epistola est ad Nicomedienses : in ea Marcionis hæresim impugnans, veritatis regulæ firmiter adhærescit. Ecclesiæ Gortinensium, & reliquis simul ecclesiis Cretæ literas scribens, episcopum ipsorum Philippum magnopere prædicat, cujus ecclesia egregiam laudem fortitudinis communi omnium consensu retulisset ; moneique ut ab hæreticorum fraude sibi caveant. Philippus ipse quoque luculentissimum librum adversus Marcionem composuit. In epistola, quam scripsit ad ecclesiam Amastrænorum, & ad cæteras Ponti ecclesias, se quidem a Bacchide & Elpisto ad scribendum impulsum esse commemorat : episcopum autem ipsorum Palmam nominatim appellans, sacrarum scripturarum expositionem affert ; multa quoque de nuptiis & castitate eis præcipit : & cunctos, qui a quovis lapsu, sive delicto, sive etiam ab hæretica pravitate resiliant, benigne suscipi jubet. Sextam scripsit ad Gnosios, in qua Pynitum illius ecclesiæ episcopum monet, ne grave onus castitatis fratrum cervicibus imponat tanquam necessarium, sed ejus, quæ plerisque hominibus inest, infirmitatis rationem habeat. Huic epistolæ respondens Pynitus, admiratione quidem ac laudibus effert Dionysium ; hortatur tamen, ut solidiorem cibum tandem impertiat, & transmissis iterum perfectioris doctrinæ literis plebem sibi commissam alere velit, ne forte lacteis sermonibus perpetuo innutriti homines, in quadam infantili disciplina paulatim consenescant. Quæ quidem epistola & rectam Pyniti fidem, & sollicitudinem de profectu plebis sibi commissæ, eloquentiam quoque, & peritiam rerum divinarum velut tabella quædam picta egregie commonstrat. Hinc manifestum est de perfectione quadam circa continentiam ad salutem minime necessaria inter eos aliquam opinionum fuisse diversitatem.

Ibid. *Ecclesiæ Rom. liberalitas.*

Dionysius ad Romanos quoque scripsit : ejus epistola Soteri tunc temporis episcopo Romanæ urbis nuncupatur. In ea egregium Romanorum morem commendans, ita scribit : " Hæc vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & ecclesiis quam plurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis : & hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, necessaria suppeditatis : per hæc quæ ab initio transmittere consuevistis munera, morem institutumque Romanorum retinentes. Atque hunc morem B. episcopus

CHRISTI AN. 170.

pus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit, tum munera sanctis destinata copiose subministrans; tum fratres peregre advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando. „ Hanc Romanæ ecclesiæ liberalitatem tempore persecutionis Diocletiani perseverasse scribit Eusebius. In eadem meminit epistolæ Clementis ad Corinthios, quam ex prisco consuetudine in ecclesia legi solitam esse testatur: “ hodie, inquit, sacrum diem dominicum transegimus, in quo epistolam vestram legimus, quam quidem deinceps perpetuo legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis præceptis, & documentis abundabimus ..... Ita & vos tanta admonitione vestra, sementem, quæ Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet ac Corinthios commiscuistis; ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi sparso Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt, & in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt. „ Denique monet suas epistolas a falsariis esse corruptas: “ epistolas, inquit, scripsi rogatus a fratribus: sed illas ministri quidam diaboli zizaniis compleverunt; quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes: quos certe monet feralis illa sententia, væ vobis. „ Non mirum igitur videri debet, si sacrosancta Domini scripta quidam adulterare aggressi sint: quandoquidem in longe inferioribus scriptis idem ausi fuisse deprehenduntur. Octava, & ultima ejus epistola scripta est ad Chrysophoram fidelissimam sororem, cui convenientia scribens, spirituale pabulum subministrat. Ex ejus operibus supersunt tantum hæc fragmenta, quæ nobis conservavit Eusebius; sed non extat epistola Soteris ad Corinthios.

Eus. hist. l. 2. c. 25.

XIII. Qua ratione Christiana religio per plurimas provincias propagata sit hoc secundo sæculo, sic describit Eusebius: complures viguerunt inter Apostolorum successores principem obtinentes locum, qui, utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane ac divini, ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt, prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & salutaria regni cœlestis semina per universum orbem terrarum late spargentes. Siquidem plerique ex illius temporis discipulis, quorum animos philosophiæ ardentioris desiderio verbum divinum incenderat, Servatoris nostri præceptum jam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis: deinde relicta patria proficiscentes, munus obibant Evangelistarum, iis, qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum prædicare, & sacrorum Evangeliorum libros tradere satagentes. Hi postquam in remotis quibusdam ac barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant, aliosque pastores constituerant, & novellæ plantationis curam eis commiserant, eo contenti, ad alias gentes, & regiones, comitante Dei gratia, & virtute, properabant: quippe divini Spiritus vis ac potentia multa per eosdem miracula operabatur; adeo ut prima statim audita prædicatione, universi simul populi, veri Numinis cultum promptissimo animo susciperent. Sic Photinus in Gallias penetravit, Lugdunensemque fundavit ecclesiam. Hæc fidei propagandæ ratio longe expeditior, seclusis etiam miraculis, eas non patiebatur difficultates, quas nunc experiuntur viri Evangelici, Pastorumque successio, dum plures inter suos facile latent tempore persecutionis, propagata est.

Eus. hist. l. 3. c. 37.

XIV. Lucius Verus devicta Parthia per legatos Avidium Cassium, & Martium Verum, dum ipse luxuria, & lascivia difflueret, exacta per quadriennium hyeme Laodiceæ, æstate apud Daphem, reliqua parte Antiochiæ; Romam rediens, gravissimam pestem per provincias, per quas transibat, secum portare videbatur. Hæc innumeros homines consumpsit, multosque ex proceribus; eoque gravior, quod universi fere exercitus periere. Marcomanis igitur cum Sarmatibus atque Vandalis Pannonias invadentibus, tantus hujus belli timor fuit, ut undique sacerdotes Marcus Aurelius acciverit, quo plures victimæ immolarentur, Romamque omni superstitionis genere lustraverit, gladiatores, & servos armaverit in supplementum exercituum. Profecti sunt tandem ambo Imperatores: nec parum profuit ista profectio; cum enim Aquilejam pervenissent, plerique Reges se cum populis suis retraxerunt; alii miserunt ad legatos Imperatorum veniam postulantes. Itaque Lucius

Jul. Cap. Eutrop. lib. 10. *Pestis vastat Rom. Imperium.*

redeundum esse censebat: Marcus autem barbaros fingere existimans, ne tanti apparatus mole opprimerentur, instandum esse ducebat. Lucius invitus profectus est; transcensisque Alpibus, longius processerunt, composueruntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Urgente Lucio, redierunt Aquilejam: unde eos fugere cum paucis militibus pestis ingravescens coegit. Vix autem iter ingressi sunt Augusti, sedens cum fratre in vehiculo Lucius subito morbo, quem apoplexim vocant, correptus, depositus e vehiculo, detracto sanguine, Altinum perductus, cum triduo mutus vixisset, perit anno vitæ 42., imperii undecimo, Christi 172., Princeps ignavissimus, ex crapula vultu gemmatus, aleæ cupidissimus, vitæ semper luxuriosæ; atque in pluribus Nero, præter crudelitatem. Marcus solus rerum potitus Romam reversus est, ut reipublicæ necessaria disponeret, filiumque Commodum adhuc puerum designavit Cæsarem.

CHRISTI AN. 172. & 175.

Interea Marcomani non minimo clade Romanos afficiunt; viginti ferme millibus cæsis, cum Marco Vindice præfecto. Marcus reparatis viribus anno sequenti, Marcomanos in ipso tractu Danubii delevit. 4.º belli anno, Christi 175., de Quadis, Vandalis, & aliis barbaris victoriam non sine manifesto Numinis auxilio adeptus est. Romani montibus, & sylvis interclusi, ab hostibus, qui multo plures erant, sic concludebantur in ea regione, quæ postea dicta est Bohemia, ut nullo modo aquam habere possent. Inopes consilii, quia siti premebantur, & pugnæ facultas non dabatur, extrema patiebantur. Tum vero milites legionis Melitinæ, omnes Christiani, flexis in terram genibus, ut nostris orantibus mos est, preces ad Deum fundunt. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longe admiratione dignum accidit. Nubes derepente coactæ magnam vim imbrium profundunt. Romani primum aperto ore aquam recipiebant, mox scutis, & galeis, ita ut & ipsis, & jumentis sufficeret. Barbari impetum faciunt in bibentes: complures saucii sanguinem infusum in galeas simul cum aqua hauriebant. Sed ingens grando, & crebri fulminum jactus barbaros averterunt in fugam. Itaque licebat videre in eodem loco aquam, ignemque simul de cœlo cadere; sed Romanos non attingebat ignis, vel statim extinguebatur. Econtra pluvia nihil juvabat hostes, sed non secus ac oleum eos inflammabat; ita ut aquam requirerent imbre perfusi, inflictisque sibi vulneribus ignem vel suo sanguine restinguerent, alii confugerent ad Romanos, quasi illis tantum aqua salutaris esset: eoque facto a militibus septimum Imperator appellatus est: quod etsi admittere non consuevit priusquam esset decretum a senatu, tamen non repudiavit, quasi id divinitus acciperet. De his etiam scripsit ad senatum.

Dio. l. 71. Eus. hist. l. 5. c. 5. *Christianorum precibus R. exercitus servatus, & victor.*

Eventum adeo mirabilem eodem prorsus modo scriptor ethnicus narrat apud Xiphilinum. Capitolinus in vita ejusdem Imperatoris prodigium fatetur; sed vel magiæ, vel diis suis tribuunt. Nostri vero, utpote veritatis cultores, simpliciter atque ingenue rem ipsam literis tradiderunt. Ex his est Apollinaris, qui legionem ipsam, cujus precibus hoc miraculum perpetratum est, exinde fulmineam ab Imperatore cognominatam scribit. Sed & Tertullianus hujus rei idoneus testis est in apologetico; & in libro ad Scapulam scribit Marci gravissimi Imperatoris literas adhuc sua ætate extitisse, quibus testabatur exercitum Romanum in Germania, cum aquæ penuria jamjam periturus esset, Christianorum precibus esse servatum. Eumdem quoque principem capitis pœnam comminatum esse dicit accusatoribus Christianorum; sed non prohibuit ne punirentur. Extat hactenus tanti miraculi præclarum monumentum, sed obscuratum superstitione gentilitia, in nobilissimæ Antonini columnæ cochlide: videtur imago Jovis pluvii, hinc imbres effundentis in castra Romanorum; illinc fulguribus, & fulminibus adurentis, & prosternentis barbaros.

Capit. cap. 24.

XV. Eventus adeo insignia, quo Dei Christianorum virtus omnipotens enituit, gentilium animos adeo non mitigavit, ut inde eorum furor in Christianos magis ac magis exarserit. Divini quippe fuit consilii, ut in Christi cruce fundata Christiana religio, per opprobria, & passiones propagaretur, omnemque potentiam extollentem se adversus Deum superaret patientia; quæ Christianis omnibus necessaria est ad reportandas repromissiones. Populorum igitur moribus ad mortem deposcentium Christianos

Persecutiones populares.

in qui-

CHRISTI AN. 176.

in quibusdam provinciis violentior commota est persecutio; quæ plurimos fecit martyres. Episcopi rati tempus idoneum exorandi Imperatoris natura clementissimi; dum recens esset accepti beneficii memoria, apologias plures ei obtulere, dum in Oriente versaretur, quo post triumphum de barbaris profectus est, ut restingueret reliquias rebellionis Avidii Cassii, qui, dum bello germanico detineretur, in eum rebellarat; sed post tres menses ab Antonio Centurione, & Ælio Decurione occisus est cum filio Mæciano. Marcus nationes omnes, quæ rebellionem fecerant, tractavit perhumaniter, nec quemquam ex obscuris hominibus, vel ex illustribus interfecit.

Eus. hist. l. 4. c. 26. Melitonis apologia pro Christianis.

His excitatus Melito Sardianus episcopus, ineunte anno 17. illius Imperii, orationem pro fidei defensione scriptam ei nuncupavit: illius fragmentum nobis conservavit Eusebius. Quod, inquit, nunquam factum antea fuerat, persecutionem nunc patimur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores, & alienarum opum cupidi, ex imperialibus edictis occasionem nacti, palam diu, noctuque grassantur, spoliantque homines innoxios. Quod si hæc tuo jussu fiunt, recte atque ordine facta sunto; neque enim fieri potest ut justus princeps aliquid unquam injuste constituat, & nos libenti animo ejusmodi mortis præmium ferimus. Unum illud a te petimus, ut cum hujusmodi pertinacia præditos homines per te ipse examinaveris, tum deinde pro tua æquitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi, & securi degere mereantur? sin vero illud consilium atque edictum plane inauditum, quod neque adversus barbaros hostes sanciri decuerat, nunquam a te profectum est, obsecramus te multo magis, ne nos hujusmodi publico latrocinio diutius vexari permittas. Paucis deinde interjectis hæc subjicit: hæc philosophiæ secta, quam profitemur, prius quidem viguit apud barbaros, postea vero cum provinciis Imperii tui illuxisset, principatu magni illius Augusti, qui unus ex majoribus tuis, faustum prosperumque Imperio Romano omen extitit. Ex eo siquidem tempore maximis incrementis aucta est majestas Imperii Romani: cujus tu hæres ac successor adspirantibus omnium votis potitus es, potierisque deinceps una cum filio, si modo sectam illam, quæ cum Imperio educata, & cum Augusto simul inchoata est, & quam majores tui una cum cæteris religionibus coluerunt, tueri velis. Porro religionem nostram bono publico adolevisse una cum Imperio, quod feliciter cæptum fuerat, illud certissimo argumento est, quod jam inde a principatu Augusti nihil adversi, sed contra, omnia prospera, & magnifica ex animi sententia, votoque omnium contigerunt. Soli ex omnibus Nero, & Domitianus, malevolorum quorundam consiliis inducti, religionem nostram criminari studuerunt; a quibus deinceps falsa illa adversum nos calumnia manavit ad posteros, ut mos est vulgi absque ullo judicio hujusmodi rumoribus fidem adhibere. Verum imperitiam illorum correxerunt piissimi parentes tui, frequentibus rescriptis objurgantes eos qui adversus religionis nostræ homines novi aliquid moliri essent: inter quos avus tuus Adrianus cum aliis pluribus, tum Fundano Asiæ proconsuli literas dedit. Pater quoque tuus; quo tempore simul cum ipso administrabas; scripsit ad civitates, ne contra nos tumultus concitarent: nominatim ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Græcos. Te vero, quippe qui idem quod illi de nobis sentias, imo etiam longe humanius atque sapientius, tanto magis confidimus omnia esse facturum quæ rogamus.

Eus. hist. l. 4. c. 13. & 27. Marci rescriptum pro Christianis.

XVI. Apollinaris quoque Hierapolitanæ ecclesiæ episcopus aliam ei obtulit apologiam, quæ prorsus excidit. Sic interpellatus Imperator ad commune Asiæ hujusmodi constitutionem misit: " Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Aug. Armenicus &c. communi Asiæ salutem. Equidem scio diis curæ esse ne hujusmodi homines lateant: multo enim magis illis convenit punire eos, qui colere ipsos recusant; quam vobis; qui eorum, adversus quos tumultuamini, sententiam ac propositum amplius confirmatis, dum eos accusatis tanquam impios. Illis autem longe optabilius fuerit, ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo suo, quam ut incolumes remaneant ..... Porro de his hominibus (scilicet Christianis,) plurimi provinciarum rectores divo patri nostro antea scripserunt: quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nulla molestia esse afficiendos, nisi forte contra statum Romani Imperii aliquid moliri viderentur. Sed & multi ad me de illis retulerunt: quibus ego patris mei constitutionem secutus respondi. Quod si quis adhuc pergit cuipiam illorum negotium facessere ex eo quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum Christianum esse: delator autem ipse pœnas luat. „ Hæc epistola Ephesi in publico Asiæ conventu proposita, tranquilliorem statum ecclesiæ præsertim Orientali procuravit usque ad tempora Severi.

CHRISTI AN. 177.

Melito multis aliis libris erudite scriptis bene meritus est de ecclesia ... sed præter apologiam nihil superest, nisi fragmentum epistolæ ad Onesimum: in ea librorum canonicorum veteris testamenti catalogum descripserat, sed imperfectum: omisit enim librum Ester, quem ipsimet Judæi recipiunt, & alios Deuterocanicos. Eum veteres laudarunt, ut virum eruditum, sanctum, & prophetam. Sub idem tempus anno Christi 177. Soter Romanus pontifex postquam annos octo sedem tenuisset, in cœlum receptus est, eique suffectus Eleutherus duodecimus ab Apostolis.

Eus. hist. l. 4. c. 24. Hier. de script.

XVII. Interea gravissima persecutionis tempestas Gallicanam afflictat ecclesiam. Nobilissimæ ecclesiæ Lugdunensis, & Viennensis commentarium de passione martyrum suorum ad ecclesias Asiæ Phrygiæque miserunt. Illius exemplar sequitur .... servi Christi, qui apud Viennam, & Lugdunum Galliæ degunt, fratribus per Asiam, & Phrygiam constitutis, qui eandem nobiscum fidem ac spem habent redemptionis, pax, & gratia, & gloria a Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro. Gravitatem quidem ipsam ærumnarum, & gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem; quæque, & quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate potest. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius..... adeo ut non solum ab ædibus, a balneis, a foro arceremur; verum etiam interdictum fuerit, ne quis nostrum quocumque demum in loco appareret. Sed gratia Dei pro nobis adversus diabolum depugnavit: & infirmiores quidem servavit; viros autem illi opposuit columnarum instar firmos ac stabiles, qui fortitudine sua universum dæmonis impetum in semetipsos pertrahere valerent. Hi ergo cominus congressi, omne genus opprobrii sustinuerunt, & quæ alii diuturna, & gravia existimant, ipsi levia ducentes, ad Christum ire properabant ... Ac primum quidem quæcumque a populo universo acervatim ingerebantur, constantissime tolerarunt, acclamationes scilicet, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres, cuncta denique quæ vulgus furore, & rabie concitatum adversus inimicos comminisci solet. Perducti deinde in forum, a tribuno militum, & a magistratibus civitatis coram universo populo interrogati confessique, usque ad præsidis adventum conjecti sunt in carcerem. Credibile est hunc fuisse Severum, qui, ut ait Spartianus, provinciam Lugdunensem legatus accepit.

Eus. hist. l. 5. c. 1. Act. sync. Martyres Lugdunenses.

Post hæc cum ad præsidem deducti essent, atque ille omni genere sævitiæ ferretur adversus nostros, Vetrius Epagathus, unus ex fratrum numero, immensa quadam charitatis copia erga Deum simul, & proximum exuberans, ... adeo injustum adversus nos judicium pati non potuit: sed indignatione commotus, postulavit ut sibi quoque liceret pro fratribus causam dicere, palamque ostendere, nihil apud nos impium, aut irreligiosum reperiri. Præses petitionem alioqui justissimam ægre ferens, id unum ex eo quæsivit, essetne Christianus? Ille Christianum se esse clarissima voce professus in martyrum numerum relatus est; advocatus quidem Christianorum judicis elogio appellatus.

Exinde etiam reliqui dignosci ac distingui cœpere. Et prompti quidem ac parati erant protomartyres, qui summa animorum alacritate solemnem illam martyrum confessionem ediderunt. Qui vero imparati, & inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum, tunc manifeste patuerunt: ex quibus decem circiter collapsi maximum nobis dolorem, & incredibilem

luctum

Christi An. 179. luctum attulerunt, & aliorum alacritatem fregerunt, qui nondum comprehensi, licet gravissima paterentur incommoda, tamen martyribus præsto aderant, nec ab eorum conspectu discedebant. Omnes tunc temporis gravissimo metu perculsi hærebamus, ob incertum confessionis eventum: non quod tormenta quæ inferebantur magnopere timeremus; sed quoniam exitum rei animo prospicientes, ne quis corrueret, verebamur. Comprehendebantur quotidie, qui digni erant, ut numerum illorum supplerent; adeo ut ex utraque ecclesia præstantissimi quique tenerentur. Capti sunt etiam quidam nostrorum servi, qui gentiles erant, quandoquidem præses nos omnes requiri palam jusserat, qui dæmonis impulsu cum tormenta reformidarent quæ sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thyestæas quasdam cœnas & incestos concubitus, & alia quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus apud homines unquam gesta fuisse, adversus nos ementiti sunt. His in vulgus sparsis, omnes continuo in nos adeo efferati sunt, ut si qui forte cognationis causa moderati erga nos hactenus extitissent, tunc acerbissima in nos indignatione commoti adversus nostros infremerent ..... Exinde sanctissimi martyres ejusmodi tormenta sustinuerunt, quæ nulla unquam oratione exprimi possunt; satana ambitiose contendente, ut ab illis quoque aliquid impie diceretur.

Ibid. Præcipue tamen vulgi & præsidis ac militum furor universus in Sanctum diaconum patria Viennensem, & in Maturum neophytum, sed generosissimum nihilominus pugilem Christi, in Attalum quoque patria Pergamenum, qui columna & firmamentum ecclesiæ nostræ semper fuit; in Blandinam denique, per quam Christus ostendit, quæ vilia, deformia, contemptaque videntur hominibus, ea maximo honore affici a Deo propter excellentem erga ipsum charitatem, quæ in virtute potentiaque ostenditur, non specie inani gloriatur. Nam cum universi trepidaremus, ipsaque illius temporalis domina, quæ & ipsa una cum reliquis martyribus strenua pugnabat, formidaret imprimis, ne illa ob tenuitatem corporis liberam confessionem edere non valeret: tanto animi robore firmata est Blandina, ut tortores, qui invicem sibi succedentes a prima luce usque ad vesperam omni tormentorum genere eam excruciaverant, resoluta nervorum compage deficerent, seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, mirarentur adhuc illam spiritum ducere, toto corpore lacerato atque perfosso; testarenturque unicum tormenti genus ad illam enecandam sufficeisse, nedum tot ac tanta tormenta. Verum beata illa instar generosi cujusdam athletæ in ipsa confessione vires atque animos resumebat: eratque ei refectio & quies, sensumque omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum: Christiana sum, &, nihil apud nos mali geritur.

Ibid. Sanctus vero, cum & ipse supra humanum modum cuncta quæ ab hominibus excogitari potuerant tormenta fortiter sustineret, sperantibus jam impiis aliquid se indecorum atque illicitum ex eo audituros, ob nimiam vim & magnitudinem cruciatuum, tanta firmitate eis restitit, ut .... ad omnes interrogationes Romana lingua responderit: Christianus sum. Hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse subinde profitebatur; neque aliam vocem ab eo gentiles extorquere valuerunt ... Corpus ipsum abunde testabatur ea, quæ acciderant: quippe quod nihil aliud esset præter vulnera atque vibices, totum contractum atque contortum, nec jam externam hominis speciem retinens, in quo Christus ipse perpetiens magna miracula patrabat, adversarium funditus delens, & illustri exemplo cæteris ostendens, nihil esse metuendum, ubi charitas Patris adsit; nullum dolorem, ubi gloria Christi vertitur. Quippe cum impii illi, paucis post diebus iterum torquere martyrem cœpissent, crederentque, si turgescentibus adhuc & inflammatis vulneribus eadem tormenta de integro adhiberent, fore ut illo superiores evaderent; quippe qui ne manuum quidem contrectationem posset sustinere; vel id certe eventurum, ut ille tormentis immortuus terrorem injiceret reliquis; non modo nihil ejusmodi illi contigit, sed præter omnium opinionem corpus subito relevatum erectumque constitit in tormentis posterioribus, & pristinam speciem, usumque membrorum, recuperavit: prorsum ut secunda illa excarnificatio, divina opitulante gratia, medelam potius, quam pœnam ei attulisse videretur. Christi An. 179.

Ibid. Sed & Biblidem quamdam ex eorum numero, qui Christi fidem abnegaverant, cum jam diabolus a se absorptam crederet, velletque insuper damnationem illius cumulare blasphemia, ad supplicium duxit, adigens eam utpote jam fragilem & ignavam impia de nobis proloqui. Verum illa resipuit inter cruciatus, ac veluti ex altissimo somno excitata est, præsente supplicio de æternæ gehennæ cruciatibus ipsam submonente; & contradicens impiis; qui fieri posset, inquit, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet? abhinc Christianam se esse confessa in consortium martyrum relata est. Porro cum universa tyrannorum tormenta per martyrum constantiam a Christo essent hebetata & retusa, alias machinas diabolus excogitavit, ut scilicet in obscurissimum ac molestissimum carceris locum conjicerentur, ut pedes in nervo ad quintum usque foramen distentos haberent ..... Adeo ut ex eorum numero quamplurimi in carcere suffocati interierint, quos scilicet Deus, qui suam in omnibus gloriam ostendit, hoc mortis genere defungi voluerat. Alii acerbissime excruciati, ita ut ne vivere quidem diutius crederentur, permanserunt in custodia, hominum quidem auxilio destituti, verum roborati a Deo, & tam animi, quam corporis vigore firmati; qui quidem accendebant cæteros & consolabantur....

Ibid. Beatissimus autem Photinus qui episcopatum Lugdunensis ecclesiæ administrabat nonagenario major, & corpore admodum infirmo ob præsentem quidem corporis imbecillitatem ægre spiritum trahens, cæterum, præ cupiditate imminentis martyrii, mirabili alacritate animi firmatus, etiam ipse ad tribunal ferebatur .... Perlatus igitur a militibus ad tribunal, prosequentibus ipsum magistratibus civitatis, & universa plebe variis acclamationibus eum impetente, tanquam ipse Christus esset, egregium edidit testimonium. Interrogatus a præside, quisnam esset Christianorum Deus? respondit: si dignus fueris, cognosces. Post hæc absque ullo humanitatis respectu raptatus atque innumeris plagis affectus est: cum ii quidem, qui propius astabant, calcibus & pugnis illum contumeliose appeterent, nec ullam ejus ætati reverentiam exhiberent; qui vero longius distabant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjicerent; omnes denique gravissimi delicti ac piaculi reos se existimarent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultare studuissent, quippe hoc modo deorum suorum injuriarum ultores se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans in carcerem projectus est, tandemque post biduum animam exhalavit. Primus fuit Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus.

Greg. Tur. hist. l. 1. cap. 1. Hic vero singularis quædam Dei dispensatio, & immensa Jesu Christi misericordia apparuit ..... Omnes siquidem qui a prima statim comprehensione fidem negaverant, ipsi quoque in carcerem conjecti eadem quæ cæteri martyres perferebant; neque enim illis quidquam tunc profuit fidei suæ negatio. Verum illi quidem qui se, id quod revera erant, profitebantur, tanquam Christiani conjiciebantur in vincula, nullo alio crimine ipsis objecto. Hi vero perinde ac homicidæ & scelerati homines deinceps detinebantur, duplo gravius quam reliqui supplicium perferentes; illos enim gaudium martyrii, spesque promissæ beatitudinis, & charitas erga Christum & Dei Patris Spiritus recreabat; hos vero graviter torquebat conscientia, ita ut, dum traducerentur, ipso vultu atque aspectu facile discernerentur a cæteris. Quippe illi quidem hilares accedebant, majestatem quamdam venustati intermixtam vultibus præferentes, ad hæc suavem Christi odorem spirantes, ita ut nonnulli eos terreno unguento delibutos putarent; hi vero demisso vultu abjecti & squallidi ac sordidi ab ipsis quoque gentilibus afficiebantur probris, tanquam ignavi & imbecilles, qui homicidarum quidem sibi ipsis crimen imposuissent. Quæ cum cæteri viderent, maxime confirmabantur; & si quem comprehendi postea contigerat, is statim absque ulla cunctatione confitebatur.

Ibid. His ita gestis, deinceps ipsorum martyria in

varias

CHRISTI AN. 179.

varias mortis species divisa sunt ..... Maturus & Sanctus cum Blandina & Attalo ducti sunt ad bestias in amphitheatrum, ad publicum spectaculum inhumanitatis gentilium. Maturus quidem ac Sanctus rursus omnia tormentorum genera in amphitheatro subierunt, quasi nihil antea perpessi essent; ..... rursus consueta illic flagrorum verbera pertulerunt, & bestiarum ipsos trahentium morsus, & quæcumque alia vulgus insanum pro suo quisque arbitrio variis acclamationibus imperabat, ipsam postremo ferream cathedram ardentem, cui superposita martyrum membra cum torrerentur, illorum nares molestissimus nidor implebat .... Nullam tamen ab ipso Sancto vocem elicere potuerunt, præter confessionis suæ vocem. Hi ergo maximo certamine perfuncti cum vitalem spiritum diu protraxissent, tandem jugulati sunt .... Blandina vero ad palum suspensa bestiis objecta est, quæ cum in crucis speciem suspensa cerneretur, Deoque contentissime supplicaret, maximam alacritatem addebat certantibus... cumque nulla tunc bestia corpus illius attigisset, deposita ex stipite, rursus in carcerem conjicitur, in aliud certamen reservata, ut fratres exemplo suo accenderet .... Attalus quoque vehementer a populo postulatus ad supplicium, utpote vir valde celebris, paratus ad certamen accessit....cumque per amphitheatrum circumduceretur, præcedente ipsum tabella, in qua latino sermone inscriptum erat: hic est Attalus Christianus, populus quidem adversus illum vehementius incitabatur; sed præses, postquam eum esse civem Romanum comperit, reduci in custodiam cum cæteris jubet. Inde literis ad Cæsarem datis, de his omnibus, qui inclusi tenebantur, sententiam ejus exspectabat.

Eus. hist. l. 5. c. 2. Ad Philip. 2.

Hujus temporis mora nequaquam illis & aliis infructuosa fuit. Christum imitari tantopere studuerunt, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit*: ut quamvis in tantum gloriæ culmen evecti essent, & sæpius martyrium subiissent, & a bestiis denuo in carcerem relati essent: quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices & vulnera toto corpore circumferrent, tamen nec se ipsos martyres prædicarent, nec a nobis ita se appellari paterentur. Verum si quis nostrum per literas, aut in familiari colloquio eos martyres compellasset, objurgabant graviter atque increpabant.... ajebantque: hi sunt martyres, quos in ipsa confessione Christus assumi voluit, professionem ipsorum morte tanquam annullo obsignans. Nos vero viles atque abjecti confessores. Simul profusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continuæ preces ad Deum fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur ... Quin etiam pro illis, a quibus acerbissime cruciati fuerant, exemplo perfectissimi martyris Stephani, Deum precabantur: *Domine, ne imputes illis hoc peccatum* ..... Neque

Act. 7.

arrogantia intumuerunt adversus lapsos, sed ea, quibus abundabant, bona indigentibus liberaliter subministrabant, materna quædam misericordiæ viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes, vitam petierunt, & largitus est eis Deus; quam etiam illi proximis suis communicarunt, iisque gratificati sunt, scilicet pace concessa. Atque ita per eos, qui prius fidem negaverant, quos tanquam extinctos ejecerat Ecclesia, vivos jam ac spirantes recuperavit; & rursus fidem confiteri didicerunt.

Ib. c. 3.

Alcibiades, unus ex illorum martyrum numero, durum ac squallidum vivendi genus sectabatur; nullumque omnino cibum admittens, solo pane & aqua ad id usque temporis vesci consueverat. Cumque in carcerem positus eamdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo, post primum quod in amphitheatro confecerat certamen, revelatum est, non recte atque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis exemplum scandali fieret. Itaque Alcibiades & cunctis deinceps cibis promiscue uti cœpit, gratias agens Deo .... Alcibiades videtur deceptus falsa austeritate Montanistarum; qui suis extraordinaria præcipiebant jejunia, vel saltem id timuisse martyres; ibidem enim dicitur: Cumque illorum hominum causa dissensio orta esset, qui in Gallia erant fratres privatum de his judicium suum religiosum imprimis & cum recta fide consentiens eidem epistolæ subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se martyrum variis epistolis... Pseudo-prophetia Montani tunc turbabantur ecclesiæ; nam aliquæ eum prophetare credebant. Irenæo literas suas ad Eleutherum ferendas tradunt, quem testimonio suo non mediocriter ornarunt, sicut ipsorum verba declarant, quæ sic se habent: Te per omnia ac perpetuo optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has literas ut ad te perferret, fratrem & collegam nostrum Irenæum hortati sumus: quem quidem ut commendatum habeas rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi; quod si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi commendassemus. Irenæus aliquamdiu Romæ versatus est, dum desæviret persecutio. Hunc ordinatum episcopum remisit Eleutherus: quæ multorum est opinio. Pauci tunc erant in Galliis episcopi, iique vel profugi, vel carceribus inclusi.

Ib. c. 5.

Interim ab Imperatore rescriptum est ut confitentes gladio cæderentur; hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes. Eodem anno, quo superius laudatum in favorem Christianorum datum est: quodnam autem sit prius, incertum est: sed sibi non præjudicant. Capitis quidem pœnam comminatus erat accusatoribus Christianorum, qui solam objicerent religionem. Præfectus autem Lugdunensis eos detulerat ut incestuosos & infanticidas ex confessione servorum, quos cum quibusdam lapsis tormentis adegerat ad eam accusationem. Ineunte igitur solemni mercatu, qui Kalendis Augusti maxima hominum frequentia Lugduni celebratur, præses beatissimos martyres ad tribunal adduci jussit, tanquam in theatrali pompa eos populo ostentans. Cumque denuo illos interrogasset; quicumque cives Romani reperti, sunt capite truncati; reliqui traditi sunt bestiis. Cæterum ingens gloria accessit Christo per eos qui prius quidem negaverant, tunc vero confitebantur fidem Christi præter spem & exspectationem gentilium. Hi siquidem seorsim interrogati sunt quasi mox absolvendi. Qui cum se Christianos confessi essent, reliquorum martyrum numero adscripti sunt. Foras autem manserunt filii perditionis, quia sua conversatione religionem, quam profitebantur, infamaverant. Alii omnes aggregati sunt Ecclesiæ; de quibus cum quæstio haberetur, Alexander quidam natione Phryx, professione medicus, qui plures jam annos moratus fuerat in Galliis, vir omnibus notissimus ob amorem Dei, & eximiam in prædicanda fide libertatem, quippe Apostolicæ gratiæ minime expers erat, tribunali adsistens, illos ad fidei confessionem nutibus adhortabatur. ... Vulgus moleste ferens, quod qui antea fidem negaverant, eamdem de integro confiterentur, adversus Alexandrum tanquam hujus facinoris authorem conclamare cœpit. Præses interrogavit hominem, quisnam esset? Qui cum Christianum se esse dixisset, iratus judex eum ad bestias damnavit: postridie una cum Attalo ingressus est. Ambo itaque cum omnia tormentorum genera, quæ adversus ipsos excogitata fuerant, in amphitheatro percurrissent, maximo certamine perfuncti, gladio percussi sunt. Alexander nequidem ingemuit .... Attalus vero cum in ferrea cathedra collocatus undique torreretur... latino sermone populum allocutus: En, inquit, hoc demum est homines vorare quod agitis. Nos vero neque homines voramus, neque omnino quidquam mali facimus...

Post hos omnes, ultimo spectaculorum die Blandina rursus illata est una cum adolescente Pontico quindecim circiter annos nato; qui etiam quotidie antea introducti fuerant, ut reliquorum cruciatus intuerentur: adactique per simulacra gentilium jurare, cum in proposito constantes permanerent, deosque illorum nihili facerent ..... cunctis cruciatibus eos vexare, ac per omnia pœnarum genera circumagere cœperunt.... Ponticus sororis exhortationibus excitatus, ita ut gentiles ipsam esse cernerent quæ puerum hortaretur atque confirmaret; cuncta supplicia generose perpessus animam exhalavit. Beata Blandina omnium postrema, tanquam nobilis mater, quæ filios ad fortiter pugnandum accenderat, & victores ad Regem præmiserat, eosdemque certaminum cursus, quos filii confecerant, remetiens .... denique post flagra, post ferarum vellicationes, post sartaginem, reticulo inclusa tauro objecta est: a quo diu in altum jactata, nihil jam eorum quæ fiebant penitus sentiens, cum ob spem & comprehensionem eorum quæ credebat bonorum, tum

ob

Christi An. 179.

ob semilierem congressum, quem eum Christo in oratione hab-bat, tandem & ipsa victimæ instar jugulata est. Ipsis etiam gentilibus ingenue fatentibus nullam uoquam apud se fœminam eatitisse, quæ tot ec tanta pertulerit.

Ibid. Sed ne sie quidem furot illorum & immanitas adversus senctos coocuievit ... Eorum enim corpore, qui in careere suffoeati perierant, canibus objecerunt, sollicite observantes noctu & iozerdiu, ne quis nostrorum ea sepulturæ mandaret. Post hæc quidquid aut e bestiis, aut eb igne reliquum fuerat, partim laniata, pertim eombusta membra eaponentes; reliquorum denique cepita cum ipsis corporum truncis similiter insepulta per plurimos dies additis militum exeubiis eustodierunt .... Alii irridebant, iosultabantque in mortuos .... Nonnulli paulo æquiores, & qui vicem nostrem dolere quodammodo videbantur, eaprobrabent ideotidem, ubi est Deus eorum? & : quid illis profuit hæc religio, cui vitam quoque suem postposuerunt? nos vero grevissimo iaterim dolore premebamur, quod humare cadavera non lieeret. Nem neque noctis tenebræ nos juvare, neque euri vis flectere, neque preces ullæ animos eorum commovere potuerunt .... Igitur martyrum corpore postquam omni genere contumeliæ traducta sunt, & sub dio per see menses eeposita jacuerunt, tandem cremeta & in eineres redacta, in præfluentis Rbodani alveum sparsa sunt ab impiis, ne ullæ deineeps eorum reliquiæ in terris superessent. Id agebant quasi Deo superiores esse, & resurrectionem illis edimere possent, ut, quemadmodum illi dicebaot, ne spes quidem ulle resurgendi eis relinqueretur ..... Seribit D. Gregorius Magnus eorum se-

Lib. 1. mir. c. 49. cros eineres in unum collectos, divina reveletione repertos a Christianis, & sepultos in loco, qui dicebatur Atanaeum. Hine vocantur a nonnullis mertyres Atanaeenses. Successu temporis in eo loco ædificata est emplissima basilica, conjuncta nobili monasterio ordinis sancti Benedicti.

Horum omnium martyrum nomine in epistola ad

Eus. hist. l. 5. c. 4. Gregor. Tur. l. 1. de glor. martyr. cap. 49. Martyrol. Adon. & Notker. Adoin. ehrnn. Martyrum multitudo.

Eleutherum scripserunt Lugdunenses; sed ille nune exeidit. Gregorius Turonensis nobis illa tradidit, eorumque meminere martyrologia; recensentque octo & quadraginte. Alii plures numerant. Passi sunt enno Christi 179. Marcellus & Valerienus Lugduno fuga elapsi noo multo post eonsummaront illustre martyrium; ille Cabilone, hic Trenochii. Justus etiam Vienneosis epitcopus longo tempore maeeratus exilio, martyr gloriosus efficitur. In eadem persecurione gentilium furor per provincias debaechatus est in Christianos. Judices, officiales, tribuni, milites, vulgus certatim indiscreto sexu Dei servos multiplici crudelitate laniebant: quorum plurimi distinctis passionibus atque nominibus ad succedentium memorias pervenerunt: innumeros vero, qui vel indiscrete cæde eoneisi sunt, vel vincti in ergastulis defeeerunt, inscriptos cœlestis vitæ liber continet. Integrum pœne Christi nomen a gentilibus credebatur extinctum, ut testantur Acta Sincera passionis B. Epipodii, & Alexandri, qui eodem anno Lugduni suas animas posuere pro Christo.

XVIII. Alexender natione Græcus fuit, Epipo-

Bolland. mens. April. dius vero Lugdunensis eivitatis indigena; quos parvulos scholare contubernium, & charitas jam virilis in primæva æteta eonjunxerat ..... Nam sobrietete, parsimonia, eastitete, fide, opere misericordiæ, ite Deo se hostias dignas præparabant, ut in consummationis meritum profuerit glorie prolate mertyrii. Erant ambo juventutis flore eonspicui, neque adbuc conjugalibus neeibus implicati. Sæviente autem persecutione, implentee Evangelica eonstitute, latebras quæsierunt in eo vieo, qui propter Incisam Petram situs est; tugurio se eujusdam religiosæ & fidelis viduæ sine ullie eomitibus abdiderunt. Cumque illie aliquandiu tecti fide muliereulæ, & loci humilitate latuissent, tendem sagae inquisitor iovenit; qui ita trepidi intet insilientes irruperant, ut sanctus Epipodius ealeeamento pedis unius priveretur; quod postea fidelis mulier tanquem thesaurum sibi repertum oeeuluit. Itaque captos etiem ante discussionem cercar eccepit; quia manifesti putabatur criminis nomen esse ipsa appellatio Christiaoa. Deinde post triduum vinctis post tergum manibus ante præsidis tribunal statuuntur: quos sævissimus judex, adstanre & infremente gentilium multitudine, de nomine & professione interrogavit: illi vero & vocebula sua prodiderunt, & Christianos se æsse perspicue testati sunt. Accenditur ergo

Christi. An. 179.

judee, & popularis eonclamatio attollitur, & in innoeeotes simul omnium insania consurgit ..... Ae ne se invicem exhortentur eut moneant sermone vel nutibus, ejecto Alesaodro, qui est ætate firmior, Epipodius applieatur .... Video te, ait, juvenem, & nefas est ut intentione pravi propositi perseveres & pereas ..... Nos deos colimus lætitia, eooviviis, cantionibus, ludis, eommessatione & lascivie: vos vero hominem erucifixum, eui placere non possunt, qui his omnibus perfruuntur; qui lætitiam respuit, qui jejuniis delectatur, qui, damoatis voluptatibus, tristem & infœcundam diligit eastitatem. Quid vero tribuere beneficii euiquam valet qui se tueri a vilissimorum insectatione non potuit? quæ quidem omnia ideirco tibi cootexui, ut eum oblectatione & gaudio, quasi juvenis austeritatem fugiens, mundi hujus beatitudine perfruaris.

Ad hæc B. Epipodius: non ite me Christi & fidei Catholicæ armavit affectus, ut sensum meum misericordiæ tuæ figmenta permoveant. Pietas enim ista erudelitas est; vobiscumque vivere, mors est æterne. Cæterum a vobis perire gloriosum est. Sempiternum vero dominum nostrum Jesum Christum, quem erueifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio homo pariter & Deus, famulis suis tramitem immortelitatis instituit, & ed eælestia regna perdueit .....: Turpitudines, quibus deos vestros eolitis, oblecteot membre eorporis, mentes interimunt. Quæ eutem illa vite est, ubi partis potioris detrimenta proveniunt? nos pro anima sdversus eorpus belle suscipimus: nos pro anima adversus vitie dimicamus ..... oos, quicunque vobis persequentibus interimus, dum temporelia deserimus, vitem iogredimur æternitatis. Judex ex hac responsione commotus irecundie, martyris os elidi pugnorum ictibus jubet. Epipodius illato dolore constantior, manatis cruore dentibus, hæc verba profudit: Christum eum Patre & Spiritu sancto Deum esse confiteor, dignumque ut enimam meam illi refuodam, qui mihi & creator est & redemptor. Ite enim mihi vite non tollitur, sed mutatur in melius. Nee interest iofirmites corporea, quo fine solvatur; dummodo enima cœlis invecte ad suum revertatur authorem. Cum hæc B. Epipodius constanti essertione loqueretur, imperio truculenti judicis equuleo suspenditur, eircumstantibus hine inde lictoribus, ut latera ejus impressis ungulis sulcarentur: tune subito populi terribilis elamor factus est, petentis ut sibi detur, ut obrueretur imbre saxorum .... Præses metuens ne magis vim inferrent, & per seditionem potestas ec judicii reverentia turberetur, eductum extra tribunal gladio raptim feriri jubet ..... sic puetum suum erucietibus subtractum velocius Christus remunerator reeepit.

XIX. Interempto Epipodio martyre, perseeutor Aleeandrum, die interposito, hac percunctatione tentavit: adhuc in potestate tue est ut evadas prædecessorum exemple: ita enim perseeuti Christi-colas fumus, ut pœne te solum erbitrer resedisse. Nam, prætet alias cæsorum eatervas, etiem stultitiæ tuæ collega succubit: atque ideo, tibi consulens, immortales deos thuris accensione venerere. B. Aleeander dixit: gretias ago Domino, quod dum gloriosos mertyrum evolvis triumphos, & illete rormente commemoras, ad devorionem me quoque confirmas eaemplis ..... Fallit te opinio tua: extingui non potest nomen Christianum, quod ita Deo fundante firmatum est, ut & vita hominum eustodiatur, & mortibus propagetur .... Ego Christianus sum, & fui semper, & futurus sum in gloriam Dei. Tu vero eetete corpus, quod pro imbecillitete terrene sortibus mundi videtur addictum; cæterum animas nostras eustodiet & recipiet ille qui contulit. Præses mieto pudore & furore desæviens, sanctum Aleeendrum divaricetum ternis eædentibus præcepit verberari: qui nulla bumili responsione inter tormenta dejectus, Dei semper præsidium flagitavit. Cumque longissimo spatio eædentium succidua vicissitudine non frangeretur; præsea interrogat, utrum etiamnum in hac confessione duraret? cui respondit: Deos gentilium dæmonia esse: Deum vero omnipotentem, invisibilem, sempiternum sui propositi esse custodem.

Tunc judee: Christieni ad istem insaniem proruperunt, ut prolieitate pœnarum gloriam sibi eeistiment comparari, & persecutores suos vicisse se

judieent,

CHRISTI AN. 179.

judicent, quos oportet celeri fine consumi; idcirco Alexander filius crucis animam suam, sicut meretur, effundat. Post quam sententiam ministri sævique carnifices acceperunt B. Alexandrum, salutarique signo eum extensis in diversa brachiis ac manibus nexuerunt; nec tamen diu beati martyris tormenta porrecta sunt: ita enim laniatum fuerat corpus crudelitate verberantium, ut carne soluta costarum, patefactisque visceribus, secreta animæ panderentur. Dum totus in Christo est, eumque, jam fessus, supremis vocibus invocat, beatum spiritum exanimatus emisit. Hos itaque semper concordes & socios sepultura conjunxit, dum furantibus Christianis, educta occulte extra urbem corpora, abscondita conduntur. Erat in colle superposito civitati concretis densatus stipitibus locus, ibique in modum speluncæ conclusa frutetis ac sentibus vallis latebat ..... quo in recessu venerabilia corpora religiosa provisione demersa sunt; quia gentilium furor, extremam denegans sepulturam, etiam in corpora exanimata sæviebat. Postea vero venerabilem locum religiosorum cultus servavit, & prodidit reverentia deducta per posteros, & virtutes plurimæ, quæ sanctorum potentiam prodiderunt.

Greg. Tur. lib. de glor. confess. cap. 77. Act. sinc. martyr.

XX. Sub eodem principe Symphorianus in urbe Augustodunensi pervenit ad palmam martyrii. Is erat filius Fausti nobilis viri, & Christiani, literis bene instructus & moribus, baptizatus a D. Benigno, & susceptus a D. Andochio martyribus. Erat tunc Ædua civitas antiquæ nobilitatis titulis, & sacrilegæ religionis referta cæremoniis; atque errori gentilium famulans, Berecynthiæ, Apollinis, & Dianæ cultum speciali dilectione venerata est: itaque ad Berecynthiæ matris dæmonum profanam solemnitatem populorum multitudo convenerat .... Symphorianus cum statuam Berecynthiæ, quæ carpento portabatur, agminibus stipata populorum, despectam adorare noluisset, publicæ seditionis obsentu comprehensus tenetur, Heraclioque consulari arguendus præsentatur. Hic in tribunali sedens dixit beato Symphoriano: nomen, conditionemque designa. Ille respondit: Christianus sum, Symphorianus vocor. Judex dixit: .... cur deæ Matris effigiem profana abusione despiciens, adorare noluisti? Symphorianus respondit: jam dixi tibi: Christianus sum. Deum verum adoro, qui regnat in cœlis; simulacrum vero dæmonis non solum non adoro; verum etiam, si permittis, mea authoritate, malleis illud comminuo. Judex dixit: iste non solum sacrilegus, verum etiam rebellis conatur existere. An hujus loci civis sit, edicat officium. Ex officio dictum est: hinc est, & quidem nobilis familiæ. Judex dixit: ignoras forsitan quod Principum nostrorum scita sanxerunt? officio recitantante pandatur. Imperatoriis lectis præceptionibus, Judex dixit: quid ad hæc, Symphoriane, respondes? numquid possumus hæc decreta convellere? .... unde, nisi præceptis satisfeceris, hæc omnia sanguinis tui placabit effusio. Symphorianus respondit: nunquam ego hanc imaginem nisi diabolicæ persuasionis infaustum simulacrum, & publicæ perditionis execrandum dæmonem judicabo .... Judex ubi vidit Symphorianum jussionibus suis non præbere famulatum, jussit eum a lictoribus cædi, & carceri mancipari. Quem cum post comperendinatis diebus præsentari suis jussisset obtutibus .... tum Judex: quantum rectius faceres, Symphoriane, ut immortalibus diis serviens, muneratum te ex ærario publico nobilis militiæ splendor attulleret? quapropter sacrificia digna diis solve. Symphorianus contempsit inanem promissionem ..... Ego, inquit, omnipotentem Deum, qui me fecit, timeo, & ipsi soli servio. Tu vero corpus meum ad tempus in potestate habes, animam vero meam non habes. Judex furore succensus dixit: Symphorianus publici criminis reus, qui diis nostris sacrificare detrectans, majestatis sacrilegium perpetravit, sacris etiam altaribus irrogavit injurias, gladio ultore feriatur.

Ibid.

Sic data sententia, beatus vir ducebatur ad victimam: venerabilis autem mater sua de muro nota illum voce commonuit dicens: nate, nate, Symphoriane, in mente habe Deum vivum, timere non possumus mortem, quæ sine dubio perducit ad vitam. Sursum cor suspende, fili, aspice illum, qui regnat in cœlis. Hodie tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Sic sanctus Symphorianus extra murum ductus, a percussore prostratus, a religiosis latenter inde sublatus est, & delatus ad fontem, qui extra publicum campum est, & ibi in parva cellula sepultus; semper tamen se virtutibus publicavit.

CHRISTI AN. 179.

D. Irenæus scribit adv. Florinum.

XXI. D. Photino martyri & Lugdunensi episcopo magnum Ecclesiæ Galliarumque lumen successit Irenæus D. Polycarpi discipulus. Romæ agens noverat Florinum & Blastum, illius ecclesiæ presbyteros, sed e gradu dejectos, cum uterque novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laboraret. Blastus quidem voluit Judaismum introducere, docens Pascha non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis, decima quarta mensis. Florinus vero Deum malorum omnium, etiam peccatorum authorem imaginatus est: postmodum ambo in Valentini hæresim inciderunt. Irenæus de fidei integritate sollicitus, multas conscripsit epistolas; alteram ad Blastum de schismate, quæ excidit; alteram ad Florinum de Monarchia, seu quod Deus unus natura sua sanctissimus non sit conditor, seu causa malorum omnium: illius superest hoc fragmentum. " Hæc vero dogmata, Florine, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanæ doctrinæ. Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis assentiuntur ..... Hæc dogmata hi, qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt. Vidi enim te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, & magnopere laborantem, ut te illi approbares ... Hæc ego, (scilicet quæ dicebat D. Polycarpus,) audita a Christi discipulis, divina mihi largiente clementia, tunc studiosus audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens: eademque per Dei gratiam assidue repeto & revolvo; & in conspectu Dei affirmare possum, beatum illum & Apostolicum presbyterum, si quid hujusmodi unquam audiisset, exclamaturum continuo, & obturatis auribus suis dicturum fuisse, prout ei moris erat: Deus bone! quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem? Hic ex duplici præsertim capite Florinum arguit impietatis: 1.° quod ejus dogmata dissentiant ab Ecclesia. 2.° quod aliena sint a traditione .... Irenæus ejus gratia scripsit & librum de octonario, seu de octo primis Æonibus, in quo se primam Apostolorum successionem contigisse significat. Eum in modici temporis spatio prædicatione sua Lugdunensem civitatem reddidisse Christianam scribit Gregorius Turonensis.

Tertul. lib. de præscript. cap. 55. Theod. hær. fab. l. 1. c. 23. Eus. hist. l. 5. c. 20.

Eus. hist. l. 4. c. 30. *Bardesanis errores & opera.*

XXII. Bardesanes alterius hæreseos princeps notus efficitur. Hic primum quidem sectator fuit Valentini; postea vero cum doctrinam illam improbavisset, & pleraque ejus dogmata fictas esse fabulas convicisset; ipse quidem sibi visus est ad rectiorem sententiam transiisse. Cumque vir disertissimus esset Syriaco sermone, & acerrimus in disputando, adversus Marcionem aliosque variarum opinionum authores, atque assertores, patria lingua dialogos conscripsit, una cum infinitis aliis opusculis; quos quidem discipuli illius ex Syriaco sermone in Græcum transtulerunt. In his est dialogus de fato ad Antonium scriptus, sane luculentissimus. Postquam de fato multa disseruit, moresque diversarum nationum, non ex natura, sed voluntate esse percensuit; hæc subdit: " quid autem dicemus de Christianorum secta, qui in omni parte Orbis, imo vero in omni civitate inveniuntur? nec multas Parthi Christiani ducunt uxores, nec canibus mortuos objiciunt Medi, nec Persæ filias ducunt, nec Bactriani & Galli matrimonia corrumpunt, nec Ægyptii Apin, aut canem, hircum, aut felem colunt; quamvis hæc inter illas gentes sint communia; sed ubicumque sunt, alienis legibus vivere nec cogi possunt, nec genethliaca ratione, aut sua, aut principis alicujus impelluntur unquam, ut, quæ nefanda magister eorum dixit, facienda putent: sed paupertatem, labores, ignominiam, cruciatus intolerabiles sufferunt. Nam quemadmodum libertas nostra cogi non potest, sic corpus nostrum non facile potest pericula effugere. Et certe si omnia essent potestatis nostræ, nos essemus universa; si vero nihil possemus, aliorum essemus organa, nihil voluntate nostra producentes. "

Euseb. præp. Evang. l. 6. c. 10.

Vetusti

CHRISTI AN. 179.

Phot. bibli. cod. 223. Epiph. hær. 56. edit. Petav.

Vetusti tamen atque iosoliti erroris sordes non penitus extersit: eum enim accusat Diodorus Tarsensis, quod corpus, & ea quæ ad illud spectant, divitias scilicet, egestatem, morbum, vitam, mortem, & quæ non sunt in nostra potestate, fato gubernanda subjecerit. Epiphanius ait, cum negasse resurrectionem mortuorum. Lugendus sane tanti viri lapsus, qui Apollonio Philosopho, Imperatoris familiari, ut se Christianum negaret suadenti acquiescere noluit, sed patrocinio pietatis fortissime suscepto, negavit mortem se timere, eujus, etsi Imperatori non resisteret, sibi nihilominus necessitas immineret. Filiom habuit nomine Hermonium, Athenis Græcis disciplinis excultum, qui primux patrium sermonem metris ac modulis subjecisse dicitur, & choris tradidisse: qus retione Syri postea frequentes psallebant, non carminibus ab Hermonio scriptis, sed numeris ejus uteores. Nam cum a paterna hæresi non omnino alicnus esser, neque sb iis, quæ do anima, & de ortu atqoe interitu corporis, deque regeneratione, Græcorum Philosophi sentiunt, scripta sua ad lyræ cantum composuit, & opiniones illas operibus suis inseruit. Patria filiique errores Edessenus Ephrem refutavit.

Montani initia. Euf. hist. l.5. c.16.

XXIII. Cataphrygum secta longe perniciosior, quæ in Phrygia pallulare cæperet, quasi pestis infecit Orbem Christianum. Illorum obstinsta coitio adversus Ecclesiam, & oova perniciosi srhismatis hæresis, banc habuit originem. Vicus quidam esse dicitur in Mysia contermina Phrygiæ, nomine Ardaba. In eo Montanus eunuchus, & neophytus, Greto Asiæ proconsule, aditum in se adversario spiritui præbuit: & dæmone repletus, subito quodam furore, & mentis excessu concuti cæpir, & oovs quædam, & inaudita proloqoi. Prædicentem futura præter morem, atque institatum Ecclesiæ a majoribux treditum, alii quidem ut abreptitium, & dæmoniacum ac spiritu erroris actum, turbasque in populo excitantem indignabundi objurgabant, & loqui ulterius prohibebant; alii vero velut sancto Spiritu, & grasia prophetiæ plenum; elati inflatique mirum in modum illum vulgi. seductorem spiritum ultro ad loquendum provocabant. Hac fraude diabolus adversus eos, qui dicto Domini audientes non erant, exitium machinatus, mentes eorum a vera fide secubantes excitavit paulatim, ac vehementius inflammavit. Duas quoque alias mulierculas suscitavit, & adulterino spiritu replevit; adeo ut, dimissis viris suis, ipsæ quoque, perinde ac Montanus, insana quædam atque alieoa loquerentur. Eos, qui ea re delectabantur, spiritus ille beatos prædicabat, & promissorum magnitudine supra roodum ioflabat. Interdum etiam conjecturis, & fide dignis argumentis utens, palam eos condemnabat, quo scilicer etiam objurgatorios viderrtur. Hi perpauci erant Phryges, ea fraude decepti, quos auro prius corruperant Priscilla, & Maximills, Montani prophetissæ, quæ e suo divites, multorum munera recipiebant: prædicabant se Quadrato, & Ammiæ Philadelphiensi successisse in donum prophetiæ, quod in Ecclesia usque ad adventum Domini permanere debere author est Apostolus. Maximilla tamen impudenter affirmabat, finem so imposuisse revelationi: post me, ajebat, nulla amplius erit prophetissa, sed finis sequetur.

Hier. ep. 27. alias 54. ad Marcel.

Epiph. hær. 48.

Philastr. de hær. cap. 50. *Montani errores.*

Gloriabatur Montanus in se suosque, juxta Dei Patris promissum, descendisse plenitudinem Spiritus Sancti, quem imperfecte motom receperant Apostoli, abutens bis Apostoli verbia: *ex parte cognoscemus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Ac proinde se suosque plenissimam rerum scientiam assecutos esse, qualem non habuerant Apostoli. Hioc a suis vocabatur Parecletus.... Suum systema sic instituit: Deum primum in veteri testamento voluisse per Moysem, & prophetas salvare mundum; sed quia non potuit explere, corpus sumpsisse de virgine, & mortem obiisse pro nobis. Et quooiam per duos gradus mundum salvare nequiverit, postremo in ipsum, & Priscillam, & Maximillam descendisse per Spiritum Sanctum, ut hominibus plura, & perfectiora manifestaret, quam quæ docuerant Apostoli. Quspropter qusmvis Paulus viduis permittat nubere; Montanus legitima dissolvens matrimonia, in tantum putabat scelerata conjugia iterata, ut quicumque hæc fecerit, adulter habeatur. Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anni tempore nobis congruo jejunamus: ille tres in anno suis imposuir quadragesimas, & duas hebdomadas Xerophagiorum, exceptis sabbatis, & dominicis. Christus dixit: *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Montanus econtra negavit, licitum esse fugera tempore persecutionis, sed exspectandum martyrium; & ad omne pœoe delictum Ecclesiæ fores obserans, nolebat peccatoribus concedi pœnitentiam. Apud nos, inquir Hieronymus, Apostolorum locum episcopi tenent. Apud eos, scilicer Mootanistas, episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepusa Phrygiæ patriarchas; secundos, quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum episcopi devolvuntur. Pepusam, & Tymium Phrygiæ oppidula, Jerusalem nominavit, ut cunctos undique hominea eo convocaret, sordidamque munerum captationem, oblationum nomine callide obvelaos, pecuniarum exactores constituir, ut doctrinam susm prædicantibus salaria daret.

Hieron. epist. 54.

Tertul. de jejun. c. 9. Matth. 10.

CHRISTI AN. 180.

Euf. hist. l.5. c.18. *Montanistarum pravi mores.*

Hæc larvata pietatis species, quæ latens sub apparentia disciplinæ austerioris, decepit plurimos, & induxit in errorem, multis argumentia se falsam prodidit. Themison, ex eorum numero qui confessores apud ipsos habebantur, captus ut Christianus, confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniæ vi erogata vincula abjecit: cum ob eam causam modestius deinceps, & submissius agere deberet, tanquam martyr sese efferens, ausus est, exemplo Apostoli, conscripta epistola catholica, eos quidem qui ipso fideliores extiterant instituere, & novæ doctrinæ patrocinari; ac postremo io Dominum, in Apostolos, & in sacrosanctam Ecclesiam impie loqui. Alter dictus Alexander, quem ut martyrem venerabantur, imo plerique adorabant, judicstus est Ephesi ab Æmilio Frontino Asiæ proconsule, non ob nomen Christi, sed ob ea quæ perpetraverat latrocinia, & alia facinore, quæ publico Asiæ tabulario contioebantur, cum jsm desertor fidei esset. Deiode ementitus nomen Christi, dimissus est, eum urbis illius fideles fefellisset... Ecclesis vero ejus loci unde erat oriundus, non recepit, eo quod latrocinia exerceret. Hic tamen posthæc per plures aonos vixit cum una Montani propherissa, quæ illum ignorare se finxit. Hunc, inquir Apollonius Ephesinus, convincendo, per ipsum etiam prophetæ convincimus falsitatem. Tum subjungit: Necesse est ut omnes prophetæ fructus atque actus probemus. Dic mihi: tingitne capillos propheta? an stibio linit oculos? an studet ornari? propheta-ne tabula ludit, & tesseris? an pecuniam locat fænori? ingenue fateantur, ac respondeant, utrum hæc agere liceat, an secus? Ego vero hæc apud ipsos acta esse convincam. Aversos ab omni specie lucri tune oportuir esse ministros Ecclesiæ, siquidem Apollonius Montanum cum suis mulierculis non esse veros prophetas, sed impostores inde arguit, quod lucro, & avaritiæ studerent, & vitæ delicatiori.

Ibid. c. 16. & 19. *Montanistæ damnati.*

Zoticus Comanensis, & Julisnus Apamenus, aliique sanctissimi episcopi spiritum Maximillæ voluerunt examinare, & confutare; quibus Themison, aliique os obturantes, mendacem illum, & vulgi seductorem spiritum ab illis coargui vetuerunt. Beatus Sotas Anchiali pariter dæmonium Priscillæ ejicere voluit; sed hypocritæ nequaqusm permiserunt. Asiæ fideles io pluribus locis ejus rei causa eum convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, & prophanam atque impiam judicassent; damnata hæresi, Montani sectatores ab Ecclesia, & fidelium communione expulsi sunt. Hinc nequam Maximillæ spiritus conquerebatur adversos Allerium, & Urbsnum: Arceor tsnquam lupus ab ovibus; non sum lupus, sed verbum, spiritus, & potentia. Serapio, qui circa hæc tempora Antiochenæ ecclesiæ episcopus fuit post Maximinum, in epistola, quam ad Caricum, & Ponticum scripsit, meminit ejus damoationis: Ut sciatis, ioquit, qualiter oniversa, quæ in terris est fraternitas, operatiooem illam simulatæ factionis, quæ nova prophetia nominatur, aversata est atque abominata est, beatissimi Patris Claudii Apollinaris, qui Hyerapolitanæ orbis in Asia episcopus fuit, literas ad vos misi. In eadem Serapionis epistola leguntur subscriptiones variorum episcoporum: quorum unus subscripsit in hunc modum: Aurelius Cyrenius martyr. Hine patet tunc temporis eos etiam dictos fuisse martyres, qui Christum in vincolis confessi, aliquid durum ejus causa perpessi fueraot ab infidelibus. Non mirum igirur, si quosdam nunc inter martyres recenseri reperiamus, qui violenta morte pro fidei confessiono noo perierunt.

CHRISTI AN. 180.

Ibid. cap. 16.

Montanistarum duces misere pereunt.

Montanistæ ubique convicti tuebantur se suis martyribus, quos plures se habere jactabant; idque potentiæ prophetici illius, qui apud ipsos est, spiritus certissimum esse documentum. Sed hoc nihilo verius est, nam & aliarum hæreseon sectatores plures se habere martyres prædicant. Neque idcirco tamen iis assentiemur, nec veritatem apud illos esse fatebimur. Quamobrem quotiescumque Ecclesiæ viri ad martyrium pro vera fide subeundum vocati, una cum quibusdam de Phrygum hæresi casu quodam conjecerint, semper ab illis dissentiunt; & communionem eorum sollicite vitantes, gloriosum martyrii exitum consequuntur, quippe qui Montani, & mulieteularum spiritui assensum commodare nefas ducunt. Atque id verum esse constat ex iis, quæ in urbe Apamea, quæ ad Meandrum sita est, gesta sunt a Cajo, & Alexandro martyribus oriundis Eumenia. Hoc refert vetustissimus scriptor, qui Montanistas in publica disputatione convictos ex urbe Ancyra fugere coegit, & adversus eosdem composuit insigne opus, cujus fragmenta refert Eusebius, sed authoris nomen tacet. Ibidem addit: Montanos, & Maximilla, ut fama est, ab insano spiritu incitari diversis temporibus laqueo sibi gulam fregerunt. Theodotus etiam, qui primus prophetiæ illorum quasi procurator fuit, plurimorum sermone perhibetur falso mentis excessu abreptus fuisse, perinde ac si levaretur aliquando, & assumeretur in cœlum; cumque se totum fraudulentissimo spiritui permisisset, ab eo in altum jactatus miserabili exitu periisse.

Montanistarum sectæ.

Epiph. hær. 48.

Montanistarum hæresis diu viguit: temporis successu divisa est in varias sectas: priores dicti sunt Kataphryges, alii Kata-Proclum, alii Kata-Quintillam, quibus adscribit Epiphanius, quod infantulum per solemne quoddam festum, acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem suis sacrificiis adhiberent; qui puer si mortuus fuerit, habebatur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno sacerdote. Alii demum Kata-Æschinem; qui Sabellii errorem secuti sunt, unam tantum in Deo personam confitentes. Adversus Kataphrygarum hæresim propugnator veritatis Deus, tum Apollinarem Hyerapolitanum, tum Miltiadem, qui etiam plures libros adversus gentes, & Judæos composuit; præterea apologeticum pro Christiana religione conscripsit ad Imperatores; tum Apollonium Ephesinorum episcopum virum disertissimum, cum alios quamplures doctrina, & eloquentia præstantes, tanquam validum, atque invictum telum excitavit.

Euf. ibid.

Euf. hist. l. 4. c. 16.

XXIV. Montano coætaneus fuit Tatianus natus apud Assyrios, qui primo ætatis suæ tempore Rhetoricam docens, in gentilium disciplinis summa cum laude versatus est. Sacrorum librorum lectione factus Christianus, Justini martyris discipulus fuit florens in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit: plurima scripsit volumina, e quibus unus contra Gentes florentissimus extat liber: illius scopus est palam facere, quam absurda sit idololatria.

Tatianus adv. gentes.

Ostendit primo artes, & scientias, quibus Græci gloriabantur, a barbaris traxisse originem, earumque abusum eis exprobrat. Mox perstringit errores Philosophorum, & contradictiones; ex quibus colligit, iis abjectis, sectandam esse Christianam religionem, quæ sola perducit ad veritatem: primaria ejus fundamenta exponens, Dei naturam sic explicat: "Deus noster solus sine principio, cum ipse sit principium rerum omnium, quæ inceperunt. Deus est spiritus, non insinuans se materiæ, sed spirituum, & formarum in materia opifex, invisibilis, intactilis, omnium pater, quæ vel sensu percipiuntur, vel visum fugiunt. Hunc ex opere, quod condidit, agnoscimus, & potentiam ejus invisibilem ex factis æstimamus.... Mundo nondum condito solus erat: si vero respicias potentiam ejus, in qua visibilia, & invisibilia cuncta consistunt, omnia cum ipso erant; in ipso enim per potentiam Verbi, tum ipse, tum Verbum quod in eo erat, extitit .... natum est autem Verbum, per divisionem, non avulsionem; quod enim avellitur, a primo separatur: quod vero dividitur, id functionc donatum propria nihil imminuit illum, a quo vim suam sumpsit. Quemadmodum enim ab una face aliæ multæ accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur propter plures inde succensas; sic etiam Verbum a Patris potentia egressum, non reliquit Genitorem Verbi expertem..... Verbum ante creatos homines produxit Angelos. Utraque vero creatura arbitrii sui libertati permissa est, boni rationem non sibi nativam, sed apud Deum solum repositam habens. Relicta est autem humano generi voluntas libera, ut improbos jure animadvertatur, utpote culpa sua tales; econtra justi merito laudes de præclaris actionibus auferant, qui libere, & ingenue Dei voluntatem non aspernati sint. „ Sed male sentit de animæ rationalis natura; erroneum est autem quod ait, impiorum animas simul cum corpore perire .... resurrecturas autem postea in consummatione sæculi æternum eruciandas. Angelos etiam putavit corporeos, incapacesque pœnitentiæ, æternis quamvis pœnis ante mundi finem non excruciandos. Moysem Homero saltem quingentis annis antiquiorem recte probat ex authoribus Græcis, Phœnicibus, & Ægyptiis; præsertim ex annalibus Ægyptiorum, quos interpretatus est Ptolomæus Mendesius sacerdos. Is narrat sub Amasi Ægyptiorum Rege, qui Inachi Argivi sæculo vixit, Judæos ex Ægypto migrasse in suam regionem, Mosem ducem secutos. Inachus autem regnavit quadringentis annis ante captam Trojam. Erostenes vero tradit Homerum floruisse post centesimum annum ab Ilio capto: alii vero longe post hæc tempora eum vixisse asserunt. Notat etiam ætatem, qua quilibet Græcorum legislator, & sapiens claruit.

Petav. tom. 2. l. 1. cap. 3. num. 5.

CHRISTI AN. 180.

Euf. hist. l. 4. c. 19.

Epiph. hær. 46.

Hier. in catal. & comment. in Amos c. 3. & in epist. ad Gal. c. 6.

Tatiani errores.

Tatianus, post D. Justini martyrium, Roma profectus in Orientem, doctoris arrogantia elatus, tanquam præstantior cæteris, in absurdas opiniones incidit, novamque condidit hæresim. Æones invisibiles commentus perinde ac Valentinus; asserens quoque cum Saturnino, & Marcione, matrimonium nihil aliud esse quam corruptionem ac stuprum, ac proinde non esse contrahendum. Hinc ejus sectatores dicti sunt Encratitæ, seu Continentes. Induxit etiam abstinentiam ab usu animalium, & vini. Itaque in celebrando Eucharistiæ mysterio solam aquam adhibebat. Quapropter ejus discipuli dicebantur etiam Hydroparastatæ. Vetus testamentum ajebat esse alterius Dei. Negabat primi hominis salutem. Catenam, & collectionem nescio quam Evangeliorum contexuit, quam Græce Diatessaron, hoc est Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum nominavit: sed amputarat genealogias, & alia quæcumque ostendunt Dominum natum esse ex Davide secundom carnem; putativam enim Christi carnem introduxit. Ausus est etiam dicta D. Pauli elegantioribus verbis exprimere, utpote qui compositionem verborum illius corrigere studeret. Severus quidam cum supradictæ hæresi robur, ac vires addidisset, in causa fuit, ut illius sectæ homines Severiani dicerentur. Hi Legem quidem, & Profetas cum Evangelio admittunt, sed proprio quodam sensu sacras scripturas exponunt; commune vitium omnium hæreticorum. Paulum autem Apostolum maledictis impetentes, epistolas ejus repudiant; ac ne Apostolorum actus quidem suscipiunt. Evangeliorum quatuor harmonia, quæ in maxima Patrum Bibliotheca Tatiano Syro adscribitur, est alterius authoris. Tatianus enim in suo opere non modo genealogias amputarat, sed etiam alia quæcumque ostendunt, Dominum natum esse secundum carnem. Sunt autem in prædicta harmonia loci complures, in quibus Christus filius David nuncupatur. Adversus errores Tatiani scripserunt Musanus, Divus Apollinaris, & Origenes.

Theod. l. 1. hær. fab. c. 20.

Britonum conversio.

Beda hist. Aug. lib. 1. c. 40.

XXV. Ecclesiæ ruinas illatas ab hæreticis Deus reparavit majoribus augmentis: siquidem eodem prope tempore in Occidente latius propagata est. Lucius majoris Britanniæ Rex epistolam misit ad Eleutherum summum Pontificem, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, & mox effectum piæ postulationis consecutus est, & Christiana fides invecta est in Britanniam.....

Capit. in Marc.

XXVI. Marcus Aurelius dum lustrat Orientem, amisit Faustinam uxorem. Hanc, propter impudicitiam, ut repudiaret sæpe suaserant amici; quibus respondit: si eam dimittimus, reddenda dos est, hæc autem est Imperium. Orientalibus rebus ordinatis, reversus est in Italiam, Romamque triumphans cum filio Commodo, qui etiam Imperator appellatus est, ingressus est. Anno sequenti rebellantibus Scythis atque Marcomannis, profectus est in Pannonias. Hic gravis eum morbus invadit; septimo die Vindobonæ, seu Viennæ interiit maximo gemitu omnium mortalium; omnesque eum velut una voce, alii parentem probum, alii bonum Imperatorem, quidam fortissimum ducem, nonnulli mode-

Vict.

CHRISTI An. 181. moderatum principem vocabant. Fertur illum mori voluiſſe, cum filium talem videret futurum, qualis extitit poſt ejus mortem, ſcilicet ſimilis Caligulæ, Capit. Neroni, & Domitiano. Imperii anno decimo nono, Dio. 16.° Kalendas Aprilis, & vitæ ſexageſimo diem ultimum clauſit, anno Chriſti 181.

Commodi mores. Patris degener ei ſucceſſit Commodus, cui, præter ætatis florem, etiam formæ dignitas ſuffragabatur; ſed omnium dedecorum & ſcelerum colluvie concretus, libidine, avaritia, crudelitate, ſævior omnibus, nulli fidus, magiſque in eos atrox, quos ampliſſimis honoribus, doniſque ingentibus extulerat. Vict. Perſecutionis incendium, quod, optimo Imperatore Marco regnante, Eccleſiam ubique locorum corripuerat, Commodo monſtro hominis rerum domino, pene extinguitur. Martiam ejus pellicem Chriſtianorum ſtudioſam fuiſſe, & quod eſſet apud Commodum magnæ authoritatis, multa in eos beneficia contuliſſe, memoriæ proditum. Non minus tamen Dio. lib. 72. idcirco agnoſcendum divinæ providentiæ beneficium. Euſ. hiſt. l. 5. c. 9. Ejus Imperatoris anno primo Julianus Alexandrinæ eccleſiæ ſuſcepit ſacerdotium, cum Agrippinus duodecim annos Epiſcopalis adminiſtrationis expleſſet. Circa idem tempus obiit & Theophilus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui adverſus hæreticos egregie depugnavit, conſcriptis libris refellens errores Hermogenis & Marcionis. E multis ejus operibus tres ſuperſunt ad Autolycum libri, inſtitutionem fidei continentes, qui profanæ & ſacræ eruditionis promptuarium dici poſſunt. Rationes ejus vehementer ſunt, ſtylus cum primis perſpicuus.

XXVII. Autolycus inter gentiles diſertus ſcripſerat commentarium in ſpretionem religionis Chriſtianæ. Theophilus adverſus eum demonſtrat veritatem Chriſtianæ religionis, falſitatemque gentilitiæ ſuperſtitionis redarguit. Et 1.° quidem Deum ex operibus ſuis facile cognoſci poſſe demonſtrat; tamen propter malas cupiditates ad veram ejus non perveniri notitiam, quæ ſine fide haberi non poteſt. *Theophilus adv. gentes.* “ Deus, inquit, non ab hominibus videtur, verum illi ſoli ejus aſpectu frui poſſunt, quibus datum eſt, iis nempe qui animi oculos offerunt non clauſos, ſed apertos .... ut ſpeculum ſplendidum, ſic hominis animum purum & mundum eſſe oportet: ſi rubigo invaſerit ſpeculum, quod hoc patitur, idem & tibi accidit, ubi te peccatum occupaverit. Talia, ut dicam quod ſentio, Deum cernere nequaquam valebit. Si itaque deſideras ut Deum meum tibi ob oculos ponam, primum peto, temetipſum mihi oſtendas, ut ſciam, ſiſne adulter, ſcortator, fur, raptor, contumelioſus, calumniator ... His, qui criminibus ſunt innexi, nequaquam apparet Deus, niſi prius ab omni inquinamento ſe repurgaverint. Hæc omnia tenebras oculis tuis inducunt, non ſecus ac ſi humor aliquis in oculos exteriores influat, qui obſtat quominus ſolis lucem diligentius contemplari queant; haud diſſimili ratione, o homo, impietas tua te obcæcat; quo fit ut nequeas Deum videre.

“ Dicas igitur: tu qui videns es, obſecro, Dei formam mihi enarrato? „ cui quæſtioni ſatisfacit, *Dei character.* recenſitis attributis Dei, cujus infinitam perfectionem magnifice deſcribit. Tum ſubjicit: “ Bonitatem & manſuetudinem, nec-non miſericordiam ſuam impartitur iis omnibus, a quibus ut Pater & timetur, & amatur: pios enim inſtituere & docere non ceſſat, ut Pater; impios magna ſeveritate & judicat & vindicat. Principio caret; eſt enim ingenitus. Nulli mutationi ſubjacet; eſt enim immortalis. Deus nominatur; omnia enim movet, in operationem producit & nutrit, ſua providentia diſponit, gubernat, vegetat, & vivificat: Dominus nuncupatur, quia omnia ejus dominio ſubjecta ſunt. Pater appellatur, quia ante hoc univerſum extitit. Opifex & Creator vocatur, quia condidit & creavit hanc univerſi machinam. Altiſſimus perhibetur, quia ſuper omnia eſt. Imperator dicitur, quia omnia complectitur, ſuoque imperio temperat; nam altitudines cœli, profunditates abyſſi, & fines orbis in manu ejus ſunt, nec locus eſt aliquis in quo moretur & quieſcat. Cœli ſunt opus ejus: terra eſt ipſius creatura: mare condidit: homo figmentum & imago ejus. Sol, luna, aſtra & elementa opus ejus habentur, in ſigna, tempora, annoſque comparata. Condita ſunt hæc omnia, ut miniſtrent & inſerviant homini. Præterea Deus univerſa, cum non forent, creavit, ut ex operibus ſuis, quam magnus, quam excellens ſit, homini innoteſceret. Ut anima in humano corpore non videtur inviſibilis exiſtens, verum ex corporis motu cognoſcitur; ſic nec Deus humanis & corporeis oculis videri poteſt. Cæterum ex providentia, qua ſingula ordinat, ſuiſque operibus aſpicitur & apprehenditur; quemadmodum ſi quis cernat ſuis armamentis inſtructam navem, mare ſulcare, & in portum appellere, certe credit aliquem, a quo gubernetur, in ea eſſe gubernatorem; ſic certe nemo tam abjecti animi, quin credat Deum eſſe gubernatorem omnium, quamvis oculis carnalibus eum non aſſequamur. „ Mirabilem & conſtantem partium ejus univerſi ordinem ſub oculos inde ſubjicit, ex eoque demonſtrat infinitam Dei hæc omnia diſponentis & conſervantis ſapientiam & omnipotentiam. CHRISTI An. 181.

Denique concludit: “ cæterum ſi voles, ſanabere; medico temetipſum committe, & oculos animi tui cordiſque aperiet, iiſque viſum reſtituet. At quis ille medicus? Deus, qui ſanat & vivificat per ſermonem & ſapientiam ſuam, qua condidit univerſa... ſi in hunc modum fueris inſtitutus, & eadem ſapia caſte ſancteque vivens, profecto Deum videre poteria. Imprimis tamen requiritur fides & timor Domini, quæ duo in animo tuo præcedere oportet. Hæc autem tum intelliges, cum depoſueris hoc mortale corpus, & incorruptibilitatem indueris ..... Tunc igitur, ſi nunc fidem habueris, immortalitate amictus Deum conſpicaberis, tunc ſcies & ſenties, quæ impio ore contra ipſum in hac vita locutus es. Si nunc parum credis mortuorum reſurrectionem, tunc, nolens, volens, credere cogeris ... Quid, obſecro, incredulus es? non animadvertis actiones omnes antecedere fidem? quia, cedo, agricola metere poteſt, niſi prius ſemen credat ſulcis? quis æger ſanari poteſt, niſi ſemetipſum prius credat medico? quam autem vel ſcientiam quis diſcere poterit, niſi prius ſemetipſum crediderit præceptori? Si igitur agricola credit telluri, tu-ne refugis temetipſum credere Deo, a quo tot fidei arrhabones accepiſti?

“ Nomina deorum, quos te colere ais, nomina ſunt hominum mortuorum: (idque probat inductione.) Quæ cum ita ſint, inquit, magis honorabo Cæſarem, non tamen eum adorabo. Deum, qui vere & verus Deus eſt, adorabo .... Cæſar autem Deus non eſt, ſed meminerit ſe hominem eſſe a Deo in hanc dignitatem promotum, non ut adoretur, ſed ut juſte judicet. Nam regnum & rerum adminiſtratio ipſi a Deo commiſſa eſt. Hinc Cæſar neminem ſubjectorum Cæſarem appellari vult. Cæſareum enim nomen ipſi ſoli competit, nec alius id vindicare audet. Ita adorandi cultus nemini, niſi Deo ſoli deferendus eſt. Cæſarem honora cum benevolentia, ſubjectus ei exiſtens & orans pro eo: hæc faciens Dei voluntatem exequeris. „ Poſtea homini gentili reſurrectionem mortuorum probat ex ſeminibus, quæ prius in terra moriuntur, quam fructum ferant. Demum ignis infernalis, qui perpetuo cruciabit incredulos, atque peccatores, æternitatem adſtruit ex ipſis Philoſophis & Poetis, quam eos ex ſacris ſcripturis cognoviſſe contendit.

XXVIII. Theophilus in ſecundo libro abſurdas idololatriæ fabulas, ſupinam Philoſophorum & Poetarum ignorantiam de divina natura, eorumque contradictiones exponit atque confutat: iiſque longe ſuperiores oſtendit Prophetas. Mundi creationem ex Moyſe narrat, illuſtratque moralibus allegoriis: hæc imprimis notabilis eſt. “ Tres dies, qui præceſſere creationem duorum luminarium, Trinitatis myſterium ſacroſanctum repræſentant, videlicet Deum, ſermonem, ſapientiam, „ ſapientiæ nomine deſignat Spiritum ſanctum, cujus eſt donum. Infra de Verbi divini generatione ſic loquitur. *Verbi divini æterna generatio.* “ Scriptura ſacra diſerte ponit, Adamum dixiſſe: vocem tuam audivi. At vocem quid aliud dixeris, quam ſermonem Dei, qui ejus Filius eſt? nec arbitreris Dei filios ex concubitu eſſe natos, ſed intellige hoc loco ſermonem perpetuo exiſtentem & inſitum in corde Patris Dei. Antequam enim quidquam eorum, quæ facta ſunt, fieret, hunc conſiliarium habuit, ut qui mens & prudentia ejus foret. Cum vero jam condere quæ deliberaverat, inſtituiſſet, hunc ſermonem genuit prolatum, primogenitum univerſæ creaturæ; nec interim Deus exinanitus eſt ſermone, ſermonem gignens, & ſermonem alloquens, quæ volebat ſemper. Hæc nos docent ſacræ literæ, & omnes Spiritu ſancto afflati,

CHRISTI AN. 181.

quorum de numero est Joannes, ad hunc modum disserens. *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum:* significans in principio solum fuisse Deum, & in eo sermonem. Postea infert: *Deus erat ille sermo. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil:* Deus itaque existens sermo & ex Deo progenitus. „ Hic antiquorum more generationem vocat eam processionem, qua Verbum divinum se manifestavit, producendo creaturas, quatenus Pater æternus dicendo Filium simul per ipsum jussit esse omnia, quæ postea facta sunt. Sed Verbum esse vere Deum, & semper apud Patrem existens, expresse profitetur.

XXIX. Gentiles Christianorum libros respuebant ut nuper editos, & destitutos probationibus; eorumque cœtus criminabantur ut incestuosos. Hanc duplicem calumniam in tertio libro obterit & contundit Theophilus. Et 1.° quidem ostendit Poetas, Historicos, & Philosophos gentiles, eadem docuisse & in diis suis laudasse scelera, quæ Christianis objiciebant. Nos, inquit, Deum verum habemus legislatorem, qui nos pie, juste & honeste vivere docet. Idque confirmat proposito decalogo, cui subjungit varia præcepta moralia, quæ passim traduntur in scripturis sacris. Ex his sic concludit: " Nunc vide, an hi, qui talia docentur, taliaque discunt, possint more brutorum animalium vivere, pollui nefariis commixtionibus; aut possint, quod quidem omnium insanissimum est, carnes humanas attingere? præsertim cum etiam monomachias spectare nobis interdictum sit, ne videlicet participes hujusmodi cædium reddamur. Nec cætera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, & aures nostræ hauriant profana carmina quæ ibi decantantur. „ Veræ religionis historiam non esse novam fabulam demonstrat ex Moyse, & aliis Prophetis, qui longe antiquiores sunt, quam Poetæ Græcorum, & Philosophi, quorum errores, & ineptas fabulas redarguit. Temporum chronologiam instituit, atque a mundo condito usque ad mortem Marci Aurelii enumerat annos 5695. Denique declarat quam luctuosa fuerit conditio Christianorum, quibus nec Imperatoris favor, nec pax concessa satis firmum sit præsidium adversus furorem gentilium, qui passim per provincias, data qualiber occasione, crudeliter in eos sæviebant, qui verum Deum venerantur, nec adhuc hodie persequi cessant, quosdam eorum lapidibus obruerunt, quosdam interfecerunt. Hieronymus testatur se legisse sub ejus nomine commentarios in Evangelium, & in proverbia Salomonis, qui cum superiorum voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere. Eorum non meminit Eusebius; ac proinde commentarii, qui ei tribuuntur tomo primo Bibliothecæ veterum Patrum, probabilius sunt alterius authoris. Theophilum inter sanctos recenset Romanum martyrologium.

Mart. Rom. 13. Oct.

XXX. Hermogenes autem pictor & Philosophus a Christianis iterum conversus ad Philosophos, inde sumpsit a Stoicis materiam Deo coæternam ponere, quæ ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem; ex qua Dominus omnia postea fecerit. Asseruit postea Christi corpus in sole depositum esse, de eo explicans hæc verba Psalmi: *In sole posuit tabernaculum suum:* diabolum autem & dæmones in materiam refundendos. Errores suos disseminavit in Africa, pertigitque ad tempora Tertulliani. Nigidius fuit ejus discipulus, sectatores autem ejus in Galatia, Seleucus & Hermias, addiderunt, animas hominum ex igne & spiritu esse concretas opera Angelorum: mundum hunc infernum esse; nullam aliam resurrectionem præter generationem filiorum. Baptismo nostro non utebantur, quia Joannes de Christo dixit: *Ipse vos baptizabit & spiritu & igne.* Eadem ætate vixit Antiochiæ Lucianus Samosatenus derisor omnis religionis, exemploque suo comprobavit veritatem illius divini oraculi: *Quærit derisor sapientiam, & non invenit.*

Tert. lib. adv Hermog. c. 1. Hermogenis errores. Theod. hær. fab. l. 1. c. 19. Prov. 14.

Theodotion Ephesius Tatiani discipulus, postea Marcionis hæresis sectator, demum Judæus proselytus, testamentum vetus ex Hebræo transtulit in Græcum, & publicavit anno 2.° Commodi. Isaiæ verba de nativitate Christi ex virgine, & quædam alia corrupit: Danielem tamen prophetam, non juxta septuaginta interpretes, sed juxta Theodotionem olim legebant Ecclesiæ, teste Hieronymo.

Iren. adv. hær. l. 3. cap. 24. Hieron. in præf. Daniel.

XXXI. Egregia pietatis suæ monumenta posteris reliquit Irenæus, qui tunc florebat in Galliis. Ejus opera periere, exceptis quinque libris adversus hæreses, qui, si fragmenta non pauca apud Eusebium, Epiphanium, Theodoretum, & Damascenum disseminata, nuncque collecta excipias, non extant, nisi in latina versione barbara; interpres enim græce scripta totidem verbis latine reddidit, ut græcas reliquias legenti patet, quas melius transtulit Billius. In eorum præfatione sic ipse loquitur de sua ratione scribendi: " Non exquires a nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerumque avocamur, orationis artem, quam non didicimus; neque vim conscriptionis, quam non affectamus; neque ornamenta verborum, neque suadelam, quam nescimus: sed simpliciter & vere & idiotice ea, quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies. „

CHRISTI AN. 182.

In primo libro, initium ducens ab impio errore Valentini, exponit ejus doctrinam integram, & systema fabulosum, quod ex corruptis superiorum hæreticorum fontibus profluxisse ut planum faciat; simulque eos secum discordi & magna inter se contentione dissidere, dum sibi quisque, ut est libitum, proprias vias imprimit; quod certissimum est erroris indicium; a Simone Mago usque ad Tatianum ordine narrat omnes hæreses quæ hactenus extiterant, execrandaque eorum dogmata sigillatim recenset; iisque sic opponit traditionem totius Ecclesiæ: " Ecclesia tametsi per universum Orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt; & in unum Jesum Christum Filium Dei, nostræ salutis causa incarnatum; & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas Dei dispensationes & adventus prædicavit, & ortum ex virgine, & passionem, & resurrectionem a mortuis, & cum carne in cœlos ascensum dilecti Domini nostri Jesu Christi, & e cœlo in gloria Patris adventum ipsius ad instauranda omnia, & a morte ad vitam revocandam omnem mortalium omnium carnem; ut Christo Jesu Domino nostro & Deo, & Salvatori & Regi, ex benigna Patris invisibilis voluntate omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua ei confiteatur; atque ipse justam de omnibus sententiam ferat .... Acceptam, inquam, hanc prædicationem & fidem Ecclesia tametsi per totum Orbem sparsa summo gaudio & cura perinde atque unam domum incolens conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, & miro consensu quasi uno ore prædita hæc prædicat, docet, ac tradit. Quamquam enim dispares inter se mundi linguæ sint, una tamen & eadem est traditionis vis. Ac neque hæ, quæ in Germaniis sitæ sunt, ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, nec quæ in Hispania, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis Orbis regionibus sedem habent. „ Hic Irenæus hæreticorum erroribus opponit traditionem, quæ nobis innotescit per consensum Ecclesiarum, quas inter Gallicanarum, Germanicarum, & Hispanicarum meminit. Sequentibus persecutionibus sic dilapsæ sunt, ut, labente tertio sæculo, cum jam raræ & paucorum essent Christianorum, a novis Apostolis excitari debuerint, ut scribit vetus author actorum sancti Saturnini.

Irenæi opera. Iren. l. 1. novæ & vet. edit. cap. 10. Ecclesiæ traditionis authoritas.

XXXII. In 2. libro, impia hæreticorum imprimis Gnosticorum dogmata refellit, docetque Deum unum esse, qui per Verbum suum libere hunc mundum condidit, quod Verbum caro factum est; idque probat 1.° variis rationibus, quæ desumuntur ex infinita Dei perfectione: 2.° authoritate scripturarum, quibus hæretici abutebantur ad errores suos stabiliendos; quos quasi centonem ex multis & pessimis panniculis consarcientes, ex ethnicis etiam Philosophis desumpsisse demonstrat, eosque sibimet contradicere. Demum sic perstringit periculosam hominum curiositatem. " Si autem & aliquis non invenerit causam omnium quæ requiruntur, cogitet quia homo est in infinitum minor Deo, & qui ex parte acceperit gratiam, & nondum æqualis & similis sit factori suo, & omnium experientiam & cogitationem habere non possit, ut Deus; sed in quantum minor est ab eo, qui factus non est, & qui semper idem est, ille qui hodie factus est, & initium facturæ accepit: in tantum secundum scien-

l. 2. c. 25. edit. nov. &c. 43. vete.

tiam,

Digitized by Google

CHRISTI AN. 182. cap. 26. tiam, & ad investigandum causas omnium; minorem esse eo qui fecit.... Melius est ergo & utilius, idiotas & parum scientes existere, & per charitatem proximum fieri Deo, quam putare multum scire, & multa expertos in Deum suum blasphemos inveniri. Et infra: Si autem omnium, quæ in scri- cap. 28. pturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire..... cedere hæc amnia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissime scientes, quia scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei & Spiritu ejus dictæ; nos autem, secundum quod minores sumus, & novissimi a Verbo Dei, & Spiritu ejus, secundum hoc & scientia mysteriorum ejus indigemus. Et non est mirum, si in spiritualibus & cœlestibus, & in iis, quæ revelatione opus habent, hoc nobis usuvenit; quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes sunt, (dico autem quæ sunt in creatura, & quæ contrectantur a nobis, & videntur) multa fugerunt nostrem scientiam, & Deo hæc ipsa committimus..... Quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis requiruntur, universis scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quædam autem commendamus Deo? .... sic fidem nostram servabimus, & sine periculo perseverabimus .... Si quis itaque nobis dixerit: quomodo itaque Filius a Patre prolatus est? dicimus ei, quia prolationem istam sive generationem nemo novit.... nisi solus qui generavit Pater, & qui natus est Filius.„

Hæreticorum fallaciis & præstigiis opponit mira- Ib. c. 32. *Miraculorum donum in Ecclesia.* cula, quæ frequentiore tunc erant in Ecclesia: “ Quapropter, inquit, in illius (scilicet Filii Dei nomine,) qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim dæmones excludunt firmissime & vere: ut etiam sæpissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, & sint in Ecclesia. Alii autem & præscientiam habent futurorum, & visiones, & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, & sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum multis annis. Et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies, in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis & ministrat. Nec invocationibus Angelicis, (scilicet malorum spirituum, quos Simoniani & Marcitæ & Carpocratiani evocabant,) facit aliquid; nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate; sed munde & pure & manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem perficis. Si itaque & nunc nomen Domini nostri Jesu Christi beneficia præstat, & curat firmissime & vere omnes ubique credentes in eum; sed non Simonis discipulos, neque Menandri, neque Carpocratis, nec alterius cujuscumque; manifestum est, quoniam homo factus conversatus cum suo plasmate, vere omnia fecit ex virtute Dei, secundum placitum Patris universorum, quomodo Prophetæ prædixerunt; (Baptismum omnibus, etiam parvulis, ad salutem necessarium ibidem docet:) omnes enim Christus venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per ipsum renascuntur in Deum, infantes & parvulos & pueros, & juvenes & seniores. „

XXXIII. In tertio libro doctrinam Catholicam, *Infantium baptismus.* superiorum hæreticorum erroribus oppositam, traditionis authoritate confirmat, quæ certo nobis innotescit per Ecclesiam: nam fieri non potest ut cap. 22. omnes Ecclesiæ, præsertim Romana, conspirent Iren. l. 3. in sententia doctrinæ Apostolorum contraria. Et primo quidem dicit Apostolos non prius Evangelium prædicasse, scriptisque mandasse, quam perfectam a Spiritu sancto scientiam accepissent. „ Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edi- cap. 1. *Evangelistæ quatuor.* dit Evangelii, cum Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum, scilicet ab urbe Roma, Marcus discipulus & interpres Petri, & ipse quæ a Petro enuntiata erant, per scripta nobis tradidit; & Lucas sectator Pauli, quod ab illo prædicabatur Evangelium, in libro condidit. Postea & Joannes CHRISTI AN. 182. discipulus Domini, qui & supra pectus ejus recumbebat, & ipse edidit Evangelium Ephesi Asiæ commoraas. Omnes isti unum Deum factorem cœli & terræ a Lege & Prophetis annuntiatum, & unum Christum Filium Dei nobis tradiderunt. „

Idem adstruit traditione Apostolica, quæ continua episcoporum successione servatur in ecclesiis. “ Iren. l. 3. cap. 3. *Ecclesia Rom. fons traditionis Apostolicæ.* Sed quoniam, inquit, valde longum est omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientes usque ad nos judicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio. „ Exinde Romanorum Pontificum successionem recenset eo ordine, quem se- *Pontificum Rom. ordo successionis.* cuti sumus. “ Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt..... succedit ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens..... Huic succedit Evaristus, & Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit; ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus: cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & veritatis præconatio pervenit usque ad nos; & est plenissima hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate. „ Ex his tria colligimus. 1.° D. Petrum fundasse Romanam Ecclesiam: 2.° Romanos episcopos esse Petri in cathedra Apostolica successores: 3.° ex successione tanquam in fonte conservari eam quæ est ab Apostolis traditionem.

Inde concludit: “ Tantæ igitur ostensiones cum Ib. c. 4. *Fides veritas petenda est ab Ecclesia.* sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures & latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos: quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab iis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderant iis, quibus committebant ecclesias? „ Id confirmat exemplo multarum gentium barbararum, quæ licet scripturam omnem prorsus ignorent, solius traditionis ope conservant puram fidem, & Deo placent. Hæc legant, & intelligant quam errent periculose qui traditionem respuunt, vel ab aliis, quam a primis Ecclesiæ pastoribus, & imprimis a successore D. Petri eam requirunt. Gnosticorum doctrinam non esse Apostolicam ibidem sic probat. “ Ante Valentinum enim non fuerunt qui sunt a Valentino. Neque ante Marcionem erant qui sunt a Marcione; neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores & inventores perversitatis eorum fierent. „ Idem dicendum de iis omnibus, qui a vera fide recedunt, novitate sua convincuntur erroris.

Scitu pariter digna sunt quæ de Christo scribit Ib. c. 9. cap. 9. “ Matthæus Magos ab Oriente venientes, Matth. 2. ais dixisse: *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*: deductosque a stella in *Christus vere Deus & homo.* domum Jacob ad Emmanuel, per ea, quæ obtulerunt, munera ostendisse, quis esset qui adorabatur: myrrham quidem, quod ipse erat qui pro mortali

Christi An. 182.

humano genere moreretur & sepeliretur; aurum vero, quoniam Rex, cujus regni finis non erit; thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Judæa factus est .... „ & infra explicans hæc Isaiæ verba:

Isa. 61.

Spiritus Dei super me, quapropter unxit me .... " Nam secundum id quod Verbum Dei homo erat ex radice Jesse, & filius Abrahæ, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, & ungebatur ad evangelizandum humilibus; secundum autem quod Deus erat, non secundum gloriam judicabat, neque secundum loquelam arguebat: non enim opus erat illi, ut quis testimonium diceret de homine, cum ipse sciret quid esset in homine. „

cap. 15. *Hæreticorum doli & superbia.*

Gnosticorum dolos ac superbiam postea sic describit; " hoc fictorum & prave seducentium & hypocritarum est molimen, quemadmodum faciunt hi, qui a Valentino sunt: hi enim ad multitudinem, propter eos, qui sunt ab Ecclesia, quos communes ecclesiasticos ipsi dicunt, inferunt sermones, per quos capiunt simpliciores & illiciunt eos, simulantes nostrum loquendi modum, ut sæpius audiant; qui etiam queruntur de nobis, quod cum similia nobiscum sentiant, sine causa abstineamus nos a communicatione eorum; & cum eadem dicant, & eamdem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos; & cum dejecerint aliquos a fide per quæstiones, quæ fiunt ab eis, & non contradicentes auditores suos fecerint, his separatim inenarrabile plenitudinis suæ mysterium enarrant. Decipiuntur autem omnes, qui quod est in verbis verisimile, se putant posse discernere a veritate; suasorius enim & verisimilis est, & exquirens fucos error: sine fuco autem est veritas; & propter hoc pueris credita est. Et si aliquis quidem ex his, qui audiunt eos, quærat solutiones, vel contradicat eis, hunc quasi non capientem veritatem, & non habentem de superioribus a matre sua semen affirmantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes esse illum, hoc est Psychicorum. Si autem aliquis, quasi parvam ovem, deditum semetipsum præbeat imitatione illorum, & redemptionem illorum consecutus, est inflatus iste talis; neque in cœlo, neque in terra putat se esse, sed intra pleroma introisse, & complexum jam Angelum suum; cum institorio & supercilio incedit, gallinacei elationem habens. Plurimi autem contemptores facti, quasi jam perfecti, sine reverentia & in contemptu viventes, semetipsos spiritales vocant, & se nosse jam dicunt eum, qui sit intra pleroma ipsorum, refrigerii locum. „

cap. 18. edit. vet. 20. *Dei Filius vere Deus factus homo*

A capite 16.º ad 23.ᵐ ex Apostolorum scriptis demonstrat, unum & eumdem esse Jesum Christum unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem, qui nos redemit, ac per mortem suam nos reconciliavit Deo: " Solus, inquit, vere magister Dominus noster; & bonus, vere Filius Dei, & patiens, Verbum Dei Patris Filius hominis factus ...... Hærere fecit & adunivit hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam: & nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere, ut &

cap. 19. edit. vet. 21.

Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo... sic igitur Verbum Dei factus est homo .... Hic est Christus Filius Dei vivi; quoniam enim nemo in totum ex filiis Adæ, Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex scripturis demonstravimus. Quoniam autem ipse proprie præter omnes, qui fuerunt tunc homines, Deus & Dominus, & Rex æternus, & Unigenitus, & Verbum Incarnatum prædicatur, & a Prophetis omnibus & Apostolis, & ab ipso Spiritu adest videre omnibus, qui vel modicum de veritate attigerint ..... Deus igitur homo factus est, & ipse Dominus salvabit nos, ipse dans Virginis signum. " Et in sequenti libro " unus & idem Deus Pater, & Verbum ejus semper adsistens humano generi. „ En naturæ divinæ identitas in Patre & Filio cum distinctione personarum; & mysterium Incarnationis rite expositum.

cap. 21. edit. vet. 24. cap. 28. edit. vet. 47.

Iren. l. 4. cap. 17. edit. vet. 32.

XXXIV. In quarto libro Gnosticorum argumenta dissolvit atque confutat, doctrinamque Catholicam confirmat uberius. E multis hæc pauca cantum annotabimus: & primo quidem de Eucharistia hæc habet: " Sed & suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut & ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: *Hoc est corpus meum.* Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignavit:

Christi An. 182.

Eucharistia Sacramentum & sacrificium.

Malach. 1.

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum clarificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offeretur ei, & hoc purum .... Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei ..... Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert Fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judæi enim non offerunt: manus enim eorum sanguine plenæ sunt: non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo. Sed neque omnes hæreticorum synagogæ: alii enim alterum præter Fabricatorem dicentes Patrem, ea quæ secundum nos creata sunt offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, & aliena concupiscentem .... Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui; & calicem sanguinis ejus, si non ipsum Fabricatoris mundi filium dicant ..... Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore Domini & sanguine alitur ..... Nos offerimus ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. „ Hæc Irenæi sententia de veritate & transubstantiatione Eucharistiæ, quæ sit verum Sacramentum ac Sacrificium, tam conformis est doctrinæ Tridentini Concilii, qua differt ab opinionibus Sacramentariorum.

cap. 18. vet. edit. cap. 34.

Obediendum episcopis, qui successionem habent ab Apostolis, atque ab iis legitimam scripturarum expositionem & doctrinæ veritatem petendam sic docet in eodem libro. " Quapropter iis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obedire oportet his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero qui absistunt a principali successione, & quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, a cœlesti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiud ...... Ubi igitur charismata Domini deposita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio ..... Agnitio vera est Apostolorum doctrina & antiquus Ecclesiæ status, in universo mundo, & character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt: quæ pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens; & lectio sine falsatione, & secundum scripturas expositio legitima & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia; & præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius. Quapropter Ecclesia omni in loco, ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem, martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem. „

cap. 26. vet. edit. 43. *Scripturarum vera interpretatio petenda ab Apostolorum successoribus.*

Levit. 10.

cap. 33. vet. edit. cap. 43.

Ibidem

Christi An. 182.

Ibidem in nobis esse liberum arbitrium conjunctum cum indifferentia electionis, seu cum potestate agendi, vel non agendi, nulla necessitate constrictum, aperte docet:

l. 4. c. 37. vet. edit. 71.
Liberum hominis arbitrium.

" Illud autem, inquit, quoties volui colligere filios tuos, & noluisti? veterem legem libertatis hominis manifestavit: quia liberum eum Deus fecit ab initio.... & propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis: ut hi quidem qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, juste non inveniuntur cum bono, & meritam pœnam percipient....

ad Rom. 11.

Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum Apostolus testificatur: & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur, judicium justum percipient Dei; quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud... Et ideo Prophetæ hortabantur homines justitiam agere, bonumque operari, sicut per multa ostendimus: quia in nobis sit hoc, & propter multam negligentiam in oblivionem inciderimus; & consilio egeamus bono: propter quod bonus Deus præstavit bonum consilium per Prophetas. Propter hoc autem & Dominus;

Matt. 5.

Luceat lumen vestrum, dicebat, *coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & clarificent Patrem vestrum qui in cælis est...* Et omnia talia quæ liberum, & suæ potestatis ostendunt hominem... Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multo prius ipse Dominus, consilium dare, quædam quidem facere, a quibusdam vero abstinere? Sed quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus, cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea quæ est ad Deum obedientia. Et non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum & suæ potestatis arbitrium homini servavit Deus..... Secundum hanc rationem & suum proprium bonum ostendens Dominus, & sui arbitrii ac suæ potestatis hominem significans, dicebat ad Hierusalem:

Matt. 23.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub acellas, & noluisti? quapropter relinquetur vobis domus deserta.

Hier. de scriptor. Eccl. l. 5. c. 3.
Mortuorum resurrectio.

XXXV. Gnosticorum reliquos errores de Christo Redemptore, & de resurrectione mortuorum in quinto libro refellit Irenæus; sed impegit in fabulam Millenariorum, quam acceperat a Papia, cujus fuit auditor. Mortuos omnes a Deo vivificari posse sic probat: " Si mortale non vivificat & corruptibile non revocat ad incorruptelam, jam non potens est Deus. Sed quoniam potens est in his omnibus, de initio nostro contemplari debemus: quoniam sumpsit Deus limum de terra, & formavit hominem. Et quidem multo difficilius & incredibilius est, ex non existentibus ossibus, & nervis, & venis, & reliqua dispositione, quæ est secundum hominem, facere ad hoc, ut sit; & quidem animalem & rationabilem facere hominem, quam quod factum est; & deinde resolutum in terram, propter causas quas prædiximus, rursus redintegrare.... Qui enim initio eum, qui non erat, fecit, ut esset, quando voluit; multo magis eos, qui jam fuerunt, rursus restituet, volens, in eam quæ ab eo datur vitam. „ Id autem

cap. 2.

Deum esse facturum, quemadmodum potest, sic evincit: „ Si non salvetur hæc (nempe caro), nec Dominus sanguine suo nos redemit: neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Sanguis enim non est nisi a venis & carnibus, & a reliqua, quæ est secundum hominem, substantia... & infra: Quomodo carnem negant esse capacem donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum ejus est? quemadmodum & beatus Apostolus ait:

ad Eph. 5.

Quoniam membra sumus corporis ejus. Non solam animam, sed & corpus ipsum salutis æternæ particeps esse probat adversus Gnosticos Irenæus, tum quia Christus sanguine nos redemit: ergo vere Redemptor est: tum quia " Calix Eucharistiæ est communicatio sanguinis Christi; sanguis autem nisi a venis & carnibus. „ Ergo supponit, Christi sanguinem vere, & non tantum secundum figuram, in Calice contineri, ejusque reali participatione animam & corpus ipsum spiritualiter vivificari, ut vivant in æternum.

Ibidem Sanctorum invocationem sic astruit: " Sicut Eva seducta est, ut affugeret Deum, sic Virgo Maria suasa est obedire Deo, ut Evæ Virgo Maria fieret advocata. „

l. 4. c. 2.
Originale peccatum.

XXXVI. Peccati originalis expresse meminit multis in locis: " Non enim, inquit, Lex prohibebat eos credere in Filium Dei, sed & adhortabatur dicens, non aliter servari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos. „ Hunc textum laudavit Augustinus..... & infra: " Et non solum per ea, quæ prædicta sunt, & Patrem & semetipsum manifestavit Dominus, sed etiam per ipsam Passionem, dissolvens enim eam quæ ab initio in ligno facta fuerat hominis inobedientiam,

Aug. l. 1. adv. Jul. cap. 3.
l. 5. c. 16.
ad Philip. 2.

obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, eam quæ in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam quæ in ligno fuerat obedientiam, sanans. Non autem per eamdem venisset exsolvere eam, quæ fuerat erga Plasmatorem nostrum, inobedientiam, si alterum annuntiabat Patrem.... per quæ manifeste ipsum ostendit Deum, quem in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus præceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cujus & præceptum transgressi fueramus ab initio... „ & rursus.

cap. 21.

" Omnia ergo recapitulans recapitulatus est Christus, & adversus inimicum nostrum bellum provocans, & elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos, & calcans ejus caput. „

Iren. l. 4. cap. 43.
Epiph. hær. 31.

Susannæ historiam Danieli clare adscribit, ejusque verba profert; & Joannis Apocalypsin ultimis temporibus imperii Domitiani scriptam esse testatur. Hæc, atque his similia optimus ille senex Irenæus disseruit, vir omnino Spiritus sancti donis instructissimus, ac tanquam fortis athleta productus a Domino, & cœlestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctus: qui sinceræ fidei ac scientiæ præsidus omnia hæreticorum prostravit evertitque mendacia.

XXXVII. Irenæus scripsit sedente Romæ Eleuthero, haud dubie finita persecutione, ac proinde imperante Commodo.

Eus. hist. l. 5. c. 21.

Tunc per Dei gratiam pace perfruebantur omnes Ecclesiæ; atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quamplurimos ad religiosum summi Numinis cultum pertrahebat: adeo ut multi ex iis, qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo & familia salutem consecuturi accurrerent. Quos inter Apollonius senator, qui in humanioribus literis, & in Philosophia eximius habebatur.

Hier. de script.

Hunc Severus ejus servus ut Christianum detulit, sed miser intempestiva suscepta accusatione, cum ex Aurelii Imperatoria edicto capitalis pœna in eos, qui detulissent, esset constituta; confestim fractis cruribus occiditur, Perenne ejusmodi adversus ipsum sententiam pronuntiante. Martyr vero Deo acceptissimus, cum Judex multis eum precibus obsecrasset, petiissetque ab illo uti coram Senatu rationem fidei suæ redderet, elegantissima oratione pro defensione fidei suæ coram omnibus pronuntiata, capitali supplicio a Senatu damnatus est. Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi a proposito suo decederent, nequaquam dimitterentur. Sancti Apollonii martyris natale 18. Aprilis in martyrologiis celebratur.

Christi An. 191.

Eleutherus anno Christi 191. fine tranquillo quievit post tredecim annos episcopatus: martyr dicitur in Romano martyrologio, eo quod multas ærumnas pro fidei propagatione perpessus sit, ut observat Cardinalis Baronius; qui idem potuisset annotare de nonnullis aliis præcedentibus Pontificibus, quibus martyris titulum adscribit. Victor in ejus locum successit.

Ib. c. 22.

Demetrius vero ecclesiæ Alexandrinæ administrationem suscepit post Julianum, qui per decem annos hanc sedem tenuit. Cæsareæ autem in Palæstina præerat Theophilus, Narcissus Hierosolymitanæ ecclesiæ sacerdotio fungebatur. Tunc etiam Corinthi in Achaja Bacchyllus, & Ephesi in Asia Polycrates episcopi fuere: qui rectæ fidei doctrinam scriptis suis proditam reliquerunt. Etiam tum florebat Serapio Antiochenæ ecclesiæ episcopus successionis ordine ab Apostolis octavus.

Eus. hist. l. 6. c. 12.

Hic præter literas ad Ponticum & Caricum, scripsit ad Domninum quemdam, qui persecutionis tempore a fide Christi

ad

CHRISTI AN. 191.

ad Judæorum superstitionem desciverat: præterea librum de Evangelio Petri, quæ in eo falsa erant coarguens, composuit in gratiam quorumdam ex Rhossensi parœcia in Cilicia, qui occasione illius Evangelii ad doctrinam a recta fide alienam declinaverant. Ejus operis hæc pauca nobis conservavit Eusebius.

Ibid.

„ Nos, fratres, inquit, & Petrum & reliquos Apostolos, perinde ac Christum ipsum, suscipimus; sed quæ nomen illorum falsum inscriptum præferunt, ea nos utpote gnari ac periti repudiamus; quippe qui compertum habeamus, ea nos a majoribus minime accepisse. Ego quidem cum ad vos venissem, existimabam omnes rectæ fidei callem tenere; & cum Evangelium illud, quod Petri nomine inscriptum ab iis afferebatur, non perlegissem, dixi: siquidem hoc solum est quod simultatem parit inter vos, legatur. Nunc vero cum ex iis, quæ mihi dicta sunt, plane perspexerim, quod mens illorum hæresim tunc occultam tegebat, iterum ad vos venire properabo: proinde, fratres, brevi me exspectate. Cum autem deprehenderim, cujus opinionis & sectæ fuerit Marcianus; qui & sibi ipse repugnabat; non intelligens quæ diceret, sicut cognoscetis ex iis, quæ ad vos scripta sunt: mutuati enim supradictum Evangelium ab iis qui illud didicerant, & continua exercitatione versaverant, hoc est, a successoribus eorum qui Marciano præiverunt, quos Docitas vocamus, (quippe ex ejus schola pleræque illius opiniones fluxere) legendi copiam nacti sumus, & deprehendimus multa quidem in illo Evangelio cum recta Servatoris nostri fide consentire; nonnulla vero discrepantia a rectæ fidei ratione adjuncta esse, quæ & vestra causa subjecimus. Docitæ dicebant Christi corpus fuisse phantasticum.

Eus. hist. l. 5. c. 10.

D. Pantænus doctrina & fidei studio clarus.

XXXVIII. Per idem tempus Alexandriæ fidelium scholæ præerat vir doctrinæ causa celeberrimus nomine Pantænus, præceptis institutisque Stoicæ Philosophiæ primum institutus, deinde in scripturis divinis versatissimus. Tantum porro animi ardorem arga verbum Dei ostendisse perhibetur, ut Orientis nationibus Evangelii Christi prædicator extiterit, ad ipsam usque Indiam progressus. Quippe complures erant etiam tum Evangelistæ sermonis Dei, qui divina quadam æmulatione succensi, Apostolorum exemplo studium suuos conferre ad ædificationem fidei, & ad incrementum verbi divini properabant: ex quorum numero Pantænus ad Indos usque penetrasse dicitur, missus a Demetrio Alexandrino episcopo; ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam notitia Christi imbutos reperisse, quibus scilicet Bartholomæus unus ex duodecim Apostolis olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi hæbraicis conscriptum literis reliquerat; quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur. Post multa præclare gesta revertens Alexandriam illud secum detulit. Tandem Alexandrinæ scholæ præfuit: ubi partim viva voce, partim scriptis divinorum dogmatum thesauros exposuit sub sequentibus Imperatoribus. Plures illustres habuit discipulos, sed præ cæteris Clementem Alexandrinum, cujus extat perillustre testimonium de magistro suo. „ Cum in eum ultimum, inquit, incidissem in Ægypto, qui doctrinæ merito omnium primus erat, tandem in eo acquievi, venans ea quæ latuerant: Sicula revera apis Prophetici & Apostolici prati flores decerpens. Hunc inter sanctos recenset Romanum martyrologium 7.° Julii.

Herod. cap. 1.

XXXIX. Imperator Commodus multis jam vitæ perfunctus periculis, cum furere pergeret usque ad insaniam, interficitur conjuratione domestica. Decreverat anno ineunte non ex palatio, sed ex gladiatorio ludo prodire in publicum, ac pro purpura Imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine. Quod ubi consilium Martiæ concubinæ suæ, aliisque familiaribus aperuit, illi supplicant, ne quid indignum Principis faceret. Quibus Commodus ira percitus, facessere a se jussis, in cubiculum reversus, sumpto in manus libello, conscripsit quoscumque illa nocte interficere decreverat. Ex his erant Martia, Lætus præfectus, Electus cubicularius, Ericius Clarus, & Sossius Falco designati Consules, & ingens eorum numerus, qui plurimum authoritatis in Senatu obtinebant. Dum ad crapulas & consueta balnea de more properat, libellum supra lectulum depositum invenit pusio ei

Commodi mors.

CHRISTI AN. 191.

charus; qui cum lusitaret, foras procedens, in Martiam incidit, quæ verita, ne quid puer rerum necessariarum labefaceret, libellum aufert, & legit; ubi mortiferum esse comperit, Læto & Electo communicat, atque ex eorum consilio redeunti ex balneo commistum vino odoratissimo venenum obtulit: quo hausto prolapsus in soporem, cum paululum quievisset, vomitus affatim consecutus est. Veriti ne si sese colligeret, destinatam cædem imperaret, Narcisso athletæ magnis præmiis persuaserunt ut eum strangularet. Hunc exitum habuit Commodus vitæ suæ trigesimo primo, cum imperasset annos duodecim, & menses novem, ejusque tyrannide liberatur Romanus orbis, mense Decembri anno Christi 193. Nulli honores defuncto decreti; ut ejus corpus unco traheretur atque in Tiberim mitteretur, Senatus & populus postulavit. Sed postea jussu Pertinacis in monumentum Adriani noctu translatum est; omnes ejus statuæ sunt undique comminutæ, & nomen erasum ex omnibus publicis & privatis monumentis, eumque non nisi ad perniciem civium, & ad suum dedecus vixisse declaravit in Senatu collegium Pontificum. Nullos liberos post se superstites reliquit. Per idem tempus accidit ut ingens Italiam universam pestilentia occuparet. Plurima quoque & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt.

CHRISTI An. 193. & 194.

Herod. l. 2. c. 14.

XL. Successorem habuit Helvium Pertinacem libertino patre natum: sed ne generis ignobilitas sibi objiceretur, perfecit virtutibus suis & laboribus, quibus summos militiæ & togæ honores assecutus est. Urbis præfecturam gerebat, cum Imperator acclamatus est a Prætorianis; quam potestatem ei confirmavit Senatus. Amabat simplicitatem, & in victu sobrietatem; communem se affatu, convivio, incessu præbebat; Senatores ut Patres suos venerabatur. Illud quoque laudibus ejus accessit, quod cum administrasset plurima, tamen erat omnium pauperrimus; acceptaque injuria, nunquam ductus est ad ulciscendum. Sed cum pravos mores corrigere laboraret, nec liceret amplius militibus rapere; aut Cæsarianis omnia pro libidine agere, utrisque in odium acerbissimum venit, & seditione militum interfectus est, annos natus 67. tertio mense Imperii necdum penitus expleto.

Vict. epitom.

Capit. cap. 12.

Occiso Pertinace, milites castris se continuerunt, constituto supra murum qui maxima voce clamaret, venale esse Imperium; traditurosque se ei qui plurimum pecuniæ polliceretur. Sulpicianus Pertinacis socer primus vicena sestertia promisit; jamque in castra receptus obtinuisset, nisi Didius Julianus genere & gestis dignitatibus nobilis alia quina adjecisset, eamque summam magno edito clamore in manibus ostendisset. Scripsit etiam in tabulis se Commodi memoriam restiturum: atque ita admissus & Imperator appellatus est. Imperium sic emptum possedit sexaginta sex dies. Tres exercituum duces a novo Principe deficiunt, Pescennius Niger in Syria, Claudius Albinus in Britannia, Septimius Severus in Pannonia. Hic ultimus prævaluit; celeriter Romam contendens, recepit Illyricianos & Gallicanos exercitus, qui cogentibus ducibus in ejus verba jurarunt. Excipiebatur enim ab omnibus quasi ultor Pertinacis. Scripsit ad prætorianos invitaos eos ad defectionem, & statim auditus ab ignavis militibus & luxu diffluentibus. Julianus occisus est in palatio, Imperatorque factus est Severus, cui patria Leptis in Africa, Pater Geta, majores equites Romani . . . . cibi parcissimus fuit, bellicosissimus, acer ingenio, benevolentia, quo inclinasset, mirabili, liberalis erga amicos, quos ditavit; nulli in dominatu suo permisit honores venundari. Prætorianos, qui Pertinacem interfecerant, callide exarmatos etiam rebus omnibus spoliatos exauthoravit. Utrumque æmulum, scilicet Nigrum & Albinum, intra quatuor annos debellavit & occidit; viam tamen virtutis in multis deseruit. Juventam plenam furorum, & nonnumquam scelerum habuit, vindictæ cupidissimus. Occiso Albino, qui in Galliis imperabat, ejus cadaver, simul etiam uxoris, liberorumque ejus in Rhodanum abjici præcepit, interfectis innumeris ejus partium viris cum uxoribus; quos inter multi Gallorum & Hispanorum proceres. Omnium bona publicata sunt; filiisque suis ex hac proscriptione tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum. Iratus populo & senatoribus

Æl. Spart. in Sev.

Severus Imperat.

Romam

CHRISTI AN. 198.

Romam venit; Commodum in Senatu & concione laudavit, & Deum appellavit, insanibus displicuisse dixit, ut appareret eum apertissime furere. Reipsa plus quam quadraginta senatores occidit: multi in his Consulares, multi Prætorii fuere. Militibus liberaliter donatis filium suum majorem Bassianum, apposito Aurelii Antonini nomine, Cæsarem a Senatu appellari jussit, decretis Imperatoriis insignibus.

Tert. ad Scapul. c. 2. & 4. Christianorum modestia facilem hunc benignumque eis reddidit: nulli enim potuerunt inveniri, qui vel Nigri, vel Albini partes sequerentur. Quin & jussit accersiri Proculum procuratorem Evodii, cui filii sui educationem commiserat. Ideoque requisivit, quod comperisset ab eo editum miraculum. Evodium enim dominum suum per oleum curaverat: ac in palatio suo habuit usque ad mortem ejus. Sed & clarissimas fœminas, & clarissimos viros, id est, Senatorii ordinis, sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum & testimonio exornavit, & populo furenti palam in os restitit.

Eus. hist. l. 5. c. 23. *Controversia de die Paschæ.* XLI. Imperii Severi anno 4.°, Christi 198. gravis controversia exorta est, eo quod omnes per Asiam provinciam ecclesiæ, vetusta quadam traditione, quarta decima luna salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis ut agnum immolarent; eaque omnino luna, in quemcumque diem septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant. Cum tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ea Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur; ut scilicet non alio, quam resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat. Blastus etiam Romæ schisma fecerat propter hunc ritum celebrandi Pascha cum Judæis; quem Polycrates cum suis Asianis pertinacius tuebatur. Victor Romanus Pontifex majores motus metuens, ecclesias omnes ad eamdem observantiam reducere tentavit. Et primo quidem singularum provinciarum praxim & judicium exquisivit, indicens Synodos, quarum aliqua fragmenta nunc habemus.

Beda lib. de Æquin. Vern. Baluf. in coll. Concil. Schelstrat ex vetust. cod. vatic. T. 2. *Synodus Cæsariensis.* Palæstini Concilii acta magna ex parte sic refert Venerabilis Beda. Papa Victor Romanæ urbis episcopus direxit, ut daret authoritatem ad Theophilum Cæsariensem Palæstinæ provinciæ Antistitem, ut inde Paschalis ordinatio proveniret, ubi Christus fuisset in corpore versatus. Accepta itaque authoritate, Theophilus Episcopus non solum de sua provincia, sed etiam de vicinis regionibus Episcopos & sapientes viros ad concilium evocavit; cumque grandis illa multitudo sacerdotum, vel sapientum virorum in omnibus scripturis spiritualibus erudita in unum fuisset collecta; tunc Theophilus Episcopus protulit authoritatem ad se directam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset injunctum patefecit. Et primo quæsitum, quis dies primus fuisset conditus? atque ex scripturis statutum fuisse Dominicum, qui primus est æquinoctii verni, quo die Luna fuit plena .... Tunc dixerunt episcopi: sicut in principio mundus creatus est, scilicet die Dominico, verno tempore, æquinoctio, & luna plena; per ipsum tempus etiam per resurrectionem Dominicam redemptus est a peccato. Resurrexit itaque Dominus noster Jesus Christus die Dominica, verno tempore, in æquinoctio, luna plena. Per ipsum tantummodo tempus elementa consurgunt. Theophilus dixit: ecce investigamus, quomodo in principio factus est mundus, vel a peccato redemptus. Nunc de observatione Paschæ agendum est; quo die, aut quo tempore, vel luna, Pascha debeat ordinari.

De die Dominico quid vobis videtur? Episcopi dixerunt: numquid potest Dominicus dies præteriri, ut in eo Pascha minime celebretur, qui tot & talibus benedictionibus sanctificatus est? Has benedictiones numero sex postea recensent. Dixerunt ergo esse verum, ut die Dominico Pascha celebretur, quia & tantis benedictionibus sanctificatus est, ut in eo die Dominum nostrum Jesum Christum a mortuis manifestum sit resurrexisse. Theophilus dixit: ecce, constitutum est de die Dominico. De tempore quid vobis videtur? responderunt: numquid aliter intelligi

Exod. 13. potest, nisi quod in divina scriptura præfinitum est, dicente per Moysem: *Hic mensis vobis erit initium mensium, Pascha facietis in eo.* Non dixit in prima die mensis, aut decima, aut vicesima; sed totos triginta in Pascha sanctificavit. Theophilus dixit: qui sunt hi triginta dies? At illi responderunt: jam ante diximus principium mundi esse æquinoctium: ab octavo enim Kalendas Aprilis usque ad octavum Kalendas Maji, hi sunt triginta dies in Pascha sanctificati. Theophilus episcopus dixit: & impium non est ut illi tres dies passionis Dominicæ foras terminum excludantur, id est, undecimo Kalendas Aprilis, quinta feria, quæ Cœna Domini vocatur, qua cum discipulis discubuit, quando & Judæ prædixit quod ab ipso esset tradendus? quod constat fuisse impletum: passus namque est Dominus in undecimo Kalendas Aprilis, qua nocte a Juda est traditus, & ad octavum Kalendas Aprilis resurrexit. Quomodo ergo hi tres dies extra terminum excludantur? dixerunt omnes non esse verum ut foras limitem mittantur, sed introducantur hi tres dies in ordine Paschali, & de novissimo reducantur. Et ita statutum est in illo Concilio, ut nec ante undecimum Kalendas Aprilis, neque post undecimum Kalendas Maji fieri debeat Pascha.

Theophilus dixit: ecce de die, vel tempore statutum est. De luna quid vobis videtur? Responderunt: similiter & de luna præceptum divinum servetur, dicente Moyse: *Et sic vobis observatio a quarta decima usque ad primam & vicesimam lunam.* Has octo lunas in Pascha fuisse consecratas. Quando ergo intra illum terminum statutum dies Dominicus, & luna ex his octo convenerit, Pascha nobis jussum est celebrare. Synodo præsidebant Theophilus Cæsareæ Palestinæ, qui solus proponit res examinandas, Eus. hist. l. 5. c. 25. & Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & cum illis Cassius Tyri, & Clarus Ptolemaidis Episcopi, & qui simul cum ipsis convenerant. Postquam de traditione diei Paschalis, quæ jam inde ab Apostolis ad ipsos continua successione manaverat; multa in suis literis disseruerunt, tandem ad finem epistolæ his utuntur verbis: "Date operam ut epistolæ nostræ exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent qui animas suas a recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis significamus, eodem quo apud nos die Pascha, Alexandriæ celebrari; a nobis enim ad illos, & vicissim ab illis ad nos literæ perferuntur, ita & una & consensu & simul sacrosanctum peragimus diem." Convenere pariter Episcopi Ponti, quibus Palmas Amastriensis, utpote antiquissimus, præfuit. Episcopi quoque ecclesiarum Galliæ, quibus præerat Irenæus, etiam Osdroenæ provinciæ. Bacchylus Corinthiorum Episcopus, aliique complures de ea re seorsim scripsere epistolas; qui omnes uno consensu Ecclesiasticam regulam universis fidelibus per literas tradiderunt: ne videlicet ullo alio quam Dominico die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur, utque eo duntaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus. Tot concilia celebrare difficile non fuit, cum summa pax vigeret & in Imperio, & in Ecclesia.

Ib. c. 24. *Polycrates & Asiatici resistunt Victori Papæ.* XLII. Victor quoque Romæ celebravit Concilium, scripsitque epistolam de celebratione Paschæ die Dominico, quam misit ad Polycratem Ephesinum, mandans, ut convocato episcoporum Asiæ provinciæ concilio, literas suas illis recitaret, minatus sese illum a communione Romanæ Ecclesiæ segregaturum, ni decretis suis obtemperaret. Polycrates autem sic respondit, exponens traditionem ad sua usque tempora propagatam; "Nos verum ne genuinum agimus diem: nec addentes quidquam, nec detrahentes. Etenim in Asia magna quidem lumina extincta sunt, Philippus scilicet unus e duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, & duæ ejus filiæ, quæ virgines consenuerunt; alia quoque ejusdem filia, quæ Spiritu sancto afflata vixit, & Ephesi requiescit. Præterea Joannes, qui in sinu Domini recubuit: qui etiam sacerdos fuit, & laminam gestavit, scilicet auream, in signum sui Pontificatus; martyr denique & doctor extitit. Hic, inquam, Joannes apud Ephesum extremum diem obiit. Polycarpus quoque qui apud Smyrnam Episcopus & martyr fuit: itemque Thraseas Eumeniæ Episcopus & martyr, qui Smyrnæ requiescit. Quid Sagarim Episcopum, eumdemque martyrem attinet dicere, qui Laodiceæ est mortuus? Quid beatum Papirium, quid Melitonem eunuchum, qui Spiritu sancto afflatus cuncta gessit: qui & Sardibus situs est, adventum Domini de cœlis, in quo resurrecturus est, exspectans. Hi omnes diem Paschæ quarta decima luna juxta Evangelium observarunt, nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter sequentes. Ego quoque

omnium

CHRISTI AN. 198. omnium vestrum minimus Polycrates, ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos affectatus sum: fuerunt enim septem omnino ex cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi, qui quidem omnes semper Paschæ diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret; Ego, inquam, fratres, quinque & sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe dispersis sermones sæpe contuli, qui scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis quæ ad formidinem nobis intentantur, etenim ab illis, qui Act. 5. me longe majores erant, dictum scio, *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* „ Post hæc de episcopis, quos convocaverat, & eadem cum ipso sentiebant, sic loquitur: " Possem etiam episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut & feci; quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cum me pusillum hominem invenissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt, gnari me canos istos frustra non gestare, sed vitam ex præceptis institutisque Jesu Christi semper egisse. „ Si B. Virgo Maria Ephesi quievisset, hanc profecto non omisisset Polycrates.

Acceptis his literis, Victor permotus authoritate tot Synodorum, quibus Romana de celebrando Paschate disciplina statuebatur, omnes Asiæ, vicinarumque provinciarum ecclesias tanquam contraria rectæ fidei sentientes, a communione abscindere conatur. Eus. hist. l. 5. c. 24. Non igitur perfecit; datisque literis, universos, qui illic erant, fratres proscribit, & ab unione Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat, quatenus diversum ab aliis ecclesiis morem sequebantur; eosque sua communione privat, sed excommunicationis anathema non intorsit, quæ duo valde diversa sunt apud antiquos. Epiph. hær. 70. Hinc, ut refert D. Epiphanius, Orientales ab Occidentalibus divulsi pacificas a se invicem literas nullas accipiebant: *Primatus Rom. Pontificis.* Romani Pontificis Primatus jurisdictionis hic sa mirifice prodit. In Europa & in Oriente Synodos indicit; morem gerunt episcopi: specialem authoritatem dirigit ad Theophilum Cæsariensem, ut cum suis vicinarum provinciarum episcopos convocat; illi conveniunt; eorum Metropolitani non conqueruntur. Ut Judex supremus fert sententiam; jus aliquod novum usurpatum nemo criminatur. Quis autem canon, vel quæ lex Imperialis hanc ei potestatem tunc attribuerat? Nihil horum dici potest. Primatum igitur ei Divino jure concessum agnoscebant omnes Ecclesiæ.

Equidem sententiæ severitatem pro bono pacis temperandam visum est quibusdam episcopis, qui Victorem hortati sunt, ut ea potius sentire vellet quæ paci & unitati charitatique erga proximum congrue- Eus. ibid. bant. Ex quorum numero D. Irenæus in epistola, quam scripsit nomine fratrum, quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum; *Jejunium majoris hebdomadæ.* Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias morem sibi a majoribus traditum custodientes a communione abscindat. " Neque enim de die, inquit, solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii: (quam varietatem sic exponit.) Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii pluribus, nonnulli etiam quadraginta horas, diurnis ac nocturnis computatis, diem suum metiuntur. „ Hic loquitur de jejunio majoris hebdomadæ, quod erat austerius, & dicebatur superpositio. Dionysius Alexandrinus illud jejunii genus clarius explicat in epistola ad Basilidem: " Alii quidem, inquit, totum sex dierum spatium superponunt jejuni perseverantes; alii vero biduum, quidam triduum, nonnulli quatriduum, scilicet a feria quarta usque ad Dominicam Resurrectionis: alii ne unum quidem diem superponunt: & iis quidem, qui multum in superpositionibus desudarunt, ac deinceps fessi propemodum deficiunt, indulgenda est celerior refectio . . . . . „ Hic jejunium a superpositione manifeste distinguit. Utriusque discrimen non leve fuit. Jejunium feriæ quartæ & sextæ solvebatur hora diei nona post finem stationis: quadragesimale peractis synaxi & divino officio Epiph. in expos. fid. sub vesperam, ut docet D. Epiphanius. Tertium jejunii genus fuit omnium strictissimum, usque ad primæ lucis exortum producebatur: ideoque dicebatur: superpositio. Illud autem Fideles majori hebdomada, sed varie pro devotione, vel viribus observabant. Quartodecimani vero illius tribus ultimis diebus nequidem jejunium commune servabant. CHRISTI AN. 198. Expositionem nostram sic confirmat D. Epiphanius. Epiph. ibid. " Ante septem Paschatis dies quadragesimam observare atque in jejuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia . . . . . Præterea sex illos Paschatis dies xerophagiis, hoc est, arido victu, transigere populus omnis assuevit: hoc est, panem duntaxat cum aqua sub vesperam adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt. Pervigilia vero sex obeunt, totidem synaxes, quæ tota quadragesima post horam nonam ad vesperam usque celebrantur. „

Pergit Irenæus: " Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primum ætate nata est, Epiph. in expos. fidei. Eus. ib. sed longe antea apud majores nostros cœpit. Qui negligentius, ut verisimilius est, præsidentes, & simplicitate & imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen & omnes isti pacem inter se retinuerunt, & nos retinemus. Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat. „ Urget exemplum priorum Romanorum Pontificum, qui cum iisdem Asiaticis semper communionem totius Ecclesiæ retinuerunt, quamvis Pascha pariter non observarent. Irenæus sic vere pacificus pro ecclesiarum pace hæc monuit & allegavit. Nec ad Victorem solum, sed ad multos alios ecclesiarum Antistites de quæstione proposita literas in eamdem sententiam misit. Victor autem permansit in proposito, & propter rationes superius allatas, Asiaticis Niceph. l. 4. c. 36. communionem suam non restituit. Econtra Montanistæ virus erroris sui dissimulantes, literas communionis ab eo subripuere. Verum admonitus a Praxea, qui illius sectæ fuerat, continuo eas revocavit, quod fatetur Tertullianus. Tertul. adv. Prax. c. 1.

XLIII. Eadem ætate pullularunt hæreses. Theodotus Bizantinus, arte coriarius, homo apprime literis eruditus, qui cum aliis plerisque ineunte persecutione comprehensus, cum de omnibus quæstio ob Christi nomen haberetur, cæteri quidem Dei famuli reportata victoria, cœleste præmium consecuti sunt, martyrio pro Christo perfuncti; at ille Christum negans, transgressor est factus: qua ex re cum probro omnium appetitus pudorem sustinere non posset, relicta patria, profugus Romam contendit, & illic habitavit. Epiph. hær. 54. *Theodoti lapsus & hæresis.* Sed & Romæ a quodam agnitus in eamdem ignominiam incidit. Quare ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit. Ego non Deum negavi, sed hominem. Interrogatus, quem demum hominem? Christum, inquit, hominem negavi. Hoc erat igitur caput erroris, Christum esse Deum negabat: fatebatur quidem de Spiritu sancto natum ex Virgine, sed contendebat hominem esse purum, nulla alia re præ cæteris excellentem, nisi sola justitiæ authoritate. Atque ita Ebionitarum hæresim instaurabat. Epiph. hær. 54. Illius errorem non modo propagarunt, sed auxerunt ejus discipuli, & imprimis Artemon.

Phot. cap. 48. Theod. hær. fab. lib. 2. Eus. l. 5. c. ult. Adversus eos scribens Cajus Romanæ ecclesiæ presbyter, sic loquitur in libello quem parvum labyrinthum inscripserat. " Affirmant, priscos omnes, & ipsos Apostolos ea, quæ nunc ab ipsis dicuntur, & accepisse, & docuisse; ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanæ urbis episcopus fuit: a Zephirini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem; ac fortasse id, quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinæ scripturæ; *Christi divinitas.* deinde fratrum quorumdam scripta Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus Gentes, & contra sui temporis hæreticos pro veritatis defensione scripserunt; Justinum intelligo & Miltiadem, & Tatianum, ac Clementem, aliosque quamplurimos: in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis, & reliquorum scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem prædicarunt? Psalmi quoque & cantica fratrum jam pridem a Fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot abhinc annis ecclesiastica doctrina prædicata sit, qui fieri potest ut omnes, usque ad Victoris tempora, eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant, Theodotum coriarium, qui

dese-

Christi An. 198.

defectionis illius Deum abnegantis parens & author fuit, primusque scilicet illius sectæ Christum nudum esse hominem asseruit, per Victorem a communione Ecclesiæ ejectum esse? Nam si, ut ajunt, Victor eadem sentiebat quæ illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius authorem ab Ecclesia removit? „

His adjiciebat idem author: " sacras quidem scripturas audacter adulteraverunt: primitivæ autem fidei regulam rejecerunt: Christum ipsum denique ignoraverunt, non inquirentes quid sacræ doceant scripturæ; sed cujusmodi syllogismorum figura ad confirmandam impietatem suam reperiatur, assidue meditantes. Quod si quis aliquem divinæ scripturæ locum eis objiciat, examinant, utrum connexum, an disjunctum syllogismi genus ex eo confici possit; relictis atque abjectis sacris Dei scripturis, Geometriæ student; quippe qui terrestres sint, & loquantur terrena, & illum, qui de cœlo advenit, ignorent. Euclidis igitur Geometria apud nonnullos eorum studiose excolitur; Aristoteles vero & Theophrastus summa admiratione suspiciuntur; Galenus autem a quibusdam etiam adoratur. Proinde istos, qui infidelium artibus ac disciplinis ad stabiliendam hæresis suæ opinionem abutuntur, & subtili impiorum hominum versutia simplicissimam adulterant fidem, remotissimos esse a fide quid attinet dicere? Hinc est quod divinis scripturis audacter manus intulerunt, easque a se emendatas esse dicentes. Atque id a me non falso eis objici, quisquis voluerit, facile cognoscet: nam si quis exemplaria illorum undique conquisita simul inter se contulerit, inveniet profecto, illa inter se plurimum dissentire. Asclepiodoti exemplaria non conveniunt cum illis, quæ sunt Theodoti .... Hermophili exemplaria cum illis, quæ dixi, minime consentiunt. Ea vero, quæ dicuntur Apollonidis, ne secum quidem ipsa concordant .... Quantæ porro audaciæ sit ejusmodi facinus, ne ipsos quidem ignorare credibile est: aut enim sacras scripturas a sancto Spiritu dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt; aut semetipsos Spiritu sancto sapientiores esse existimant; ac proinde quid aliud sunt, quam dæmoniaci? Neque enim negare possunt hoc facinus a se admissum esse, cum ipsorum manu descripta sint exemplaria; neque ab illis, a quibus in Christiana fide instituti sunt, ejusmodi codices acceperint: nec ostendere possint exemplaria, ex quibus sua illa descripserunt. Quidam autem ex ipsis ne adulterare quidem scripturas dignati sunt; sed Legem ac Prophetas absolute repudiantes per illegitimam & impiam doctrinam sub obtentu gratiæ in altissimum exitii gurgitem delapsi sunt. „ Theodoti hæresim in Socinianis redivivam a viris Apostolicis confutatam atque damnatam ex his facile quivis intelligere potest. Victor Papa cum decem annos sacerdotium administrasset, Zephirinus ei successor substitutus est anno Christi 201.

Christi An. 201. Tert. de præscr. cap. 53. Ad Heb. 6.

XLIV. Alter Theodotus argentarius prioris discipulus novam sectam introduxit: ipsum quidem Christum dixit esse tantum hominem ex Spiritu sancto & ex Maria Virgine conceptum pariter & natum, sed inferiorem Melchisedecho, siquidem de eo dictum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ejus discipuli ideo dicti Melchisedeciani. Theodotus, & adjutor ejus Asclepiodotus cuidam Natali, qui fuerat confessor, persuaserunt, ut accepto salario, hæresis illius episcopus crearetur. Hisce temporibus Lucius Charinus Marcionis figmenta suis aucta propugnavit. Scripserat itinera Apostolorum, quibus acta Petri, Joannis, Andreæ, Thomæ, & Pauli ab ipso conficta referebat. Ejus liber, inquit Photius, puerilia continet sine numero, & inopinata, maleque conficta, ac falsa, imo stulta & inter se pugnantia, impia denique & detestanda, ut qui eum omnis hæresis fontem atque authorem dixerit, non ill a veritate vel minimum discesserit.

Euf. ib. Phot. in Bibl. Cod. 114

Praxeæ hæresis. Tertul. adver. Praxeam num. 2. Idem cap. 1.

Post hos omnes etiam Praxeas quidam natione Phryx, primo quidem Montani sectator, a quo postea deficiens, hæresim introduxit, divinarum personarum Trinitatem negans, contendensque unam eamdemque personam esse Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, ita ut diceret, Patrem descendisse in Virginem, ex ea natum atque passum, ipsumque esse Jesum Christum. Quo in errore absurditas cum impietate certat; nam & inde consequens est, quod ipse sedeat ad dexteram suam, seque ipsum genuerit, ac sibi suus sit filius. Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romanæ urbi, homo & de jactatione martyrii inflatus, ob solum & simplex & breve carceris tædium. Plerique Montanistæ, qui partem Æschinis sequebantur, ei adhæsere; ejusque sectatores dicti sunt Monarchici & Patropassiani. Baptismi formam corrupisse Praxeam, atque a Zephirino Papa fuisse damnatum, indicat Optatus Milevitanus.

Christi An. 201

Optat. l. 1. & 5.

Epiph. l. de mens. & pond.

XLV. Novam Veteris Testamenti versionem ex Hebræo in Græcum elaboravit Symmachus genere Samaritanus, ex eorum numero qui apud illos sapientes habentur. Ambitione & principatus cupiditate ductus, cum voti apud suos compos esse non posset, tribulibus iratus suis ad Judæos transfugit, & inter proselytos professus iterum circumciditur; a Judæis defecit ad Ebionitas. Scripsit etiam commentarios, in quibus adversus Evangelium Matthæi acriter disputans, hanc hæresim astruere videbatur. Illius interpretationem post Aquilam ante Theodotionem in suis Hexaplis posuit Origenes: sententiarum fuit quam verborum retinentior. Multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celavit. Extitere quidam hæretici dicti Symmachiani; sed non a Symmacho interprete, sed ab alio Patricii discipulo: hi carnem hominis non a Deo factam esse, sed a diabolo asserebant; non sperantes judicium, vitiis sæcularibus & concupiscentiis prædicabant serviendum: carnem tamen modis omnibus abjiciendam esse decernebant, ut etiam ultro quidam de iis sibi mortem inferre non dubitaverint. Aliorum hæreticorum ejusdem nominis meminit Ambrosiaster, qui ex Pharisæis originem traherent, & servata omni Lege, Christianos tamen se dicebant more Photini; Christum non Deum & hominem, sed hominem tantum definientes. Monuit nomen, ut de hæreticis Symmachianis, quorum ætas ignoratur, hic mentionem faceremus.

Euf. hist. l. 6. c. 17.

Philast. c. 15. & 16.

Euf. hist. l. 5. c. 13. *Scriptores Eccl.*

XLVI. Sed & plurimi scriptores ecclesiastici floruerunt in Ecclesia Catholica: omnium antiquior Rhodoni oriundus ex Asia, Romæ eruditus a Tatiano, varios conscripsit libros, & cum reliquis adversus Marcionis hæresim decertavit; quam quidem sua ætate in diversas scissam esse sententias narrat, authores illius dissensionis in libris suis referens, & mendacia a singulis eorum excogitata diligenter coarguens. Edidit etiam commentarios in Hexameron: scripserunt de eodem argumento Candidus & Apio. Heraclitus interpretatus est Apostolum; Maximus edidit plura volumina de vulgatissima apud hæreticos quæstione, Unde sit malum? & de eo, quod materia facta sit. Sextus de resurrectione scripsit; Arabianus de alio argumento; quorum, & aliorum complurium, nec tempora literis mandare, cum nullum nobis indicium suppetat, nec narrationem ullam libris nostris intexere possumus; eorum enim lucubrationes ad nos ne quidem ex parte pervenerunt.

Ib. c. 27.

Epiph. hær. 32. Euf. hist. l. 6. & de præp. Evang. l. 1. c. 1. Hier. de script. Eccl.

XLVII. Florebat tunc præ cæteris Titus Flavius Clemens, Atheniensis origine, ex ethnico Philosopho Christianus, eruditus a præstantissimis Apostolicæ doctrinæ successoribus: denique Pantæni magistri sui successor apud Alexandriam catechumenorum institutioni præfuit, vir profanarum & divinarum literarum studio instructissimus. Auditor ejus tum puer fuit Origenes. Alexander episcopus Hierosolymitanus de eo sic scribit ad Antiochenses: Has literas, domini fratres, per beatum presbyterum Clementem ad vos misi, virum virtute præditum & probatum, quem vos & nostis jam, & amplius noscetis, qui quidem Dei nutu & providentia, dum hic apud nos præsens esset, Ecclesiam Christi confirmavit, & magnopere auxit. Et in alia ad Origenem epistola, Patres, inquit, agnoscimus beatos illos, qui viam nobis præiverunt, & quos brevi secuturi sumus, Pantænum scilicet vere beatum, ac dominum meum, & sanctum Clementem dominum item meum, qui me plurimum adjuvit. Clemens plurima in bonum Ecclesiæ volumina edidit plena eruditionis & eloquentiæ, tam scripturarum divinarum, quam sæcularis literaturæ conspersa floribus, sed obscuriora: plura jam dudum non extant: supersunt tantum Adhortatio ad Gentes, tres libri Pædagogi, & octo Stromatum: totidem erant ejus libri Hypotiposeon, in quibus omnium utriusque Testamenti scripturarum compendiosam explicationem

Christi An. 201. Hier. ep. ad Magn. Phot. Cod. 286.

nem instituit. Hos plurimom laudant Eusebius, & Hieronymus. Hine colligimus eos ætate Photii, qui multos errores in iis redarguit, jam fuisse depravatos ab hæreticis, vel alium librum sub eodem titulo Clementi fuisse subditum.

Christianam religionem ut rationi & virtuti conformem prædicat in adhortatione ad Gentes, ostenditque ridiculam esse idololatriam, cujus originem, fabulas & pudenda mysteria describit, atque horum turpitudinem nudam omniumque spectandam oculis propooit, demoostratque vanitatem oraculorum, quibus gentes maxime gloriabantur; Gentilesque ex ipsa Mytologia, illorumque Philosophia hortatur, agnitis suis erroribus, quos erudite confutat, Christi fidem profiteantur. Hic liber eloquentissimus est, multum in eo differit de simulacris deorum, & ima-

Qui usus imaginis.

ginibus; tum subjicit: " Nobis autem non est sensibilis imago materiæ sensibilis, sed quæ percipitur intelligentia; Deus, qui solus vere est Deus, intelligentia percipitur, non sensu. „ Ex quibus plerique colligunt, imagines nondum fuisse in usu in Ecclesia; quod certissimum de imaginibus, quibus repræsentaretur Deus.

Petav. lib. 15. Theol. dogm. cap. 13.

Imagioes, ut recte observat vir doctissimus, ex eorum per se genere suot, quæ ἀδιάφορα nomioantur, hoc est, quæ ad salutem necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam religionis attinent; in potestate suot Ecclesiæ, ut ea adhibeat, vel ableget pro eo atque satius esse decreverit. Quocirca primis ab ortu Christianæ religionis temporibus, cum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc idolorum superstitio, rarus fuit sacrarum usus imaginum, templorum, atque basilicarum. Ex quo nata est illa Gentilium exprobratio, quæ apud Minutium Felicem his verbis exprimitur: Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? Cui Octavius respondet: Quod simulacrum Deo fiogam, cum, si recte æstimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei exstruam, cum totus hic muodus, ejus opere fabricatus, eum capere non possit? Ergo neque templa tunc exstrui Deo fas esse quidam opinati sunt; quod nondum in Christiano populo institutum erat, necdum per magistratus ethoicos licebat; & de sacris imaginibus, atque ab idolis multum discrepantibus, non disparem plerique sententiam habuisse videntur. Quod utrumque paulatim dedocti sunt Christiani, postquam compertum est neutrum esse damnandum, sed ad pietatem prodesse posse.... Quamobrem uti basilicas, & altaria in Dei honorem ac cultum exstruere non dubitarunt, pace ac libertate reddita; nec pristino illo usu ac magnorum virorum authoritate deterriti sunt, quominus ita facerent; sic imagines Christi atque Sanctorum, quarum hactenus noo percrebuerat usus, eodem tempore usurpavit Ecclesia, cum jam nullum idololatriæ periculum esset, & ad animandos ad pietatis constantiam Sanctorum exemplo Fideles, utile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem tempore constat esse factum, sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus & indoles erat; & qui illis præerant, expedire judicabant. Quod diligentius observaodum; valet enim ad pleraque interpretanda antiquitatis exempla & monumenta, quæ deinceps referemus. Itaque tempora distinguantur, uti fieri necesse est in re pure juris positivi, & omnia facile conciliantur. Fatemur, cum plenis adhuc velis Gentilium superstitio ferretur, multa primis Ecclesiæ sæculis sopprimi satius visum esse, dum periculum erat offensionis, velut ne imagines Christi atque Sanctorum pro idolis, quibus erant assuefacti, a rudibus & imperitis haberentur; & ut eorum animus ab insoium simulacrorum consuetudine ac memoria longius avocaretur. Credibile itaque est, parum a Christiaois usurpatas fuisse primis tribus sæculis. Ibidem, quænam esset primorum fidelium fi-

Joan. 1. Christus vere Deus & homo.

des de Christo, sic exponit: " *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*... Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat in Deo, & ut bene essemus. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & Homo: & est nobis omnium causa bonorum... quoniam Verbum, quod erat apud Deum, Doctor apparuit, per quod omnia fabricata sunt. Verbum, quod olim vitam in creatione ut Opifex dederat, postquam tanquam Magister se manifestavit, bene vivere docuit, ut æter-

Christi An. 201.

nam vitam postea ut Deus suppeditaret... Credo homo Homini, & Deo. Credo homo Deo viventi, qui passus est & adoratur. Omnes homines credant ei, qui solus est Deus ex omnibus hominibus. Credite, & mercedem accipietis salutem... Non enim tantum opus in tam parvo tempore absque divina cura & providentia perfecit Dominus, qui visu est despectus, reipsa autem adoratur, salvaos, mundans & clemens Verbum divinum, revera Deus manifestissimus, qui est oniversorum Domino exæquatus, quooiam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo. „ En verbum Dei aperte coofitetur Dei Filium, æqualem Patri, & vere Deum, qui pro salute nostra factus est homo.

Clem. Strom. lib. 6. pag. 1. D. Clementis pædagog. cap. 1. cap. 2. Christi divinitas.

XLVIII. Pædagogum postea scripsit, cujus argumentum in ipso operis exordio sic explicat: " Pædagogus autem, qui a nobis dividitur in tres libros, ostendit educatiooem & institutionem, quæ datur catechumenis, & fide simul augetur; informatque vitam & mores Christianorum, donec crescamus in virum perfectum; mores componit, actiones dirigit, sanat animi perturbationes, præcipue in actione versatur; ejusque finis, animam meliorem reddere. „ Quis autem sit noster verus Pædagogus, & quantum cæteris antecellat, sic expooit, astruens ejus divioitatem & Incarnationem: " Pædagogus autem noster Deo Patri suo est similis, cujus est Filius... Deus in forma hominis, impollutus, Minister paternæ voluntatis, Verbum, Deus qui est in Patre, qui cum humana specie Deus est sedens ad dexteram Patris. Hic nobis est imago sine macula: ei modis omnibus niti debemus animam nostram similem efficere... in omnibus prodest, & in omoibus juvat Dominus, & tanquam homo, & tanquam Deus: peccata quidem remittens ut Deus: ne peccemus autem, pædagogi ritu instituens, ut homo. „ Quinam vero sunt a Christo erudiendi? respondet eos esse, qui revera Christiani sunt, fiuntque parvuli, scilicet animi candore, simplicitate, & morum innocentia; quos Dominus per se informare noo dedignatur, ut eos ad æternam perducat salutem. " Revera Dominus per Mosem erat Pædagogus veteris populi, per se ipsum autem populi novi dux... Lex cum metu populum erudiebat; novo autem & recenti populo novum ac recens Testamentum datum est, & Verbum fuit genitum, & metus in dilectionem conversus est. „ Idem tamen Deus in utroque testamento, qui non minus bonus est, cum juste punit, quam cum miseretur. Quod fuse probat adversus hæreticos, qui veteris testamenti Deum rejiciebant, eo quod supplicia comminaretur: 1.° Quia finis illius timoris est salus, dum per terrores nos invitat ad pœnitentiam. 2.° Quia Deus per se ipsum bonus est, justus autem propter nos, & ideo quia bonus. Si ergo Deo non obedis, ejus rei culpam tibi adscribe, qui judicem attrahas, nihil enim odio habet Deus; sed neque Verbum, utrumque enim unum est, nempe Deus. Pædagogi nostri mansuetudinem ex eo commendat, quod utilia suadeat, salutaria det consilia, nosque certa æternæ salutis spe consoletur, a veritate aberrantes illuminet, & ducat ad pœnitentiam...

cap. 22.

ejusque præcepta sic singulis attemperata sint, ut ab omnibus facile perfici possint. A nobis sic audiendus est, ut, Patris volontatem implentes, ei similes efficiamur. In ultimo capite hujusce primi libri docet in omnibus docem sequendam esse rationem, & quidquid præter eam fit, esse peccatum. " Christiani enim actio, rationalis animi operatio, ex sincero ac prudenti judicio & appetitione veritatis, quæ per conjunctum corpus, & in partem veniens peragitur. Voluntas autem Dei & Christi est officium quod maxime decet, & convenit, & perducit ad vitam æternam. „

Secundi libri argumentum sic Clemens ipse proponit: „ Qualem esse in tota vita Christianum oporteat; quomodo nos componere ac moderari debeamus, præsertim in his actionibus, quæ ad corpus nostrum pertinent, dicendum est. Quisquis enim a rebus externis, & a cura corporis per rationem assurgens ad ea, quæ mentis sunt, assidue perfecteque contemplatur, quæcumque homini secundum naturam conveniunt; is certo cognoscet non esse studium in res exteroas conferendum, sed hominis esse proprium, animæ oculum expurgare, castamque & puram carnem suam tueri. „ Itaque præscribit cibum moderatum & præcise necessarium ad vitæ viriumque sustentationem... uti vinu modico consulit, junioribus illud interdicit. " Revera, inquit, multis

multa

Digitized by Google

CHRISTI AN. 201. multa sunt cœnæ gratia: nondum enim didicerunt, Deum parasse homini cibum & potum, ut conservetur, non autem ut voluptate afficiatur; nam nec corporibus quidem natura insitum est, ut ex multiplici *Cibus tenuis & communis.* ciborum varietate juventur. Econtra qui escis utuntur vilissimis, sunt robustiores, saniores, & generosiores: ut famuli dominis: agricolæ possessoribus: & non solum fortiores, sed etiam prudentiores, ut Philosophi divitibus; neque enim mentem nutrimentis obruerunt, neque ipsam voluptatibus deceperunt .... sit quidem cœna propter charitatem, (intelligit Agapen) sed non est cœna charitas, verum socialis benevolentiæ, & quæ sua libenter impertit, indicium ... sit nobis cœna tenuis & expedita, apta ad vigilias, non permixta diversis qualitatibus, & quæ a Pædagogi disciplina sit aliena. „ Hic Agapum abusus graviter reprehendit ....

Monet ab idolothytis abstinendum, „ non quod in eis sit aliqua potentia, sed propter nostram conscientiam, quæ sancta est, & propter dæmonum odium, quibus illa dedicata sunt .... non est enim consentaneum ut simus mensæ dæmoniorum participes qui divino ac spirituali nutrimento digni sumus habiti .... si quis tamen nos invitat infidelium, & accedere statuamus, quidquid apponitur, jubet Apostolus nos comedere, nihil interrogantes propter conscientiam, & pariter ea, quæ sunt in macello, citra ullum scrupulum, ullamve curiosam indagationem emere. „ Dein multas præscribit temperantiæ & modestiæ regulas. Unam annotabo, quia maxime negligitur. “ Nullo modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant. Sumptuosam omnem præsertim in supellectile domestica & in vasis argenteis magnificentiam interdicit Christianis; symphoniam & prophanas cantilenas etiam in conviviis prohibet. “ Ressum autem, inquit, ridicularum, vel ridendarum potius actionum imitatores exigendi sunt a nostra republica, cum enim verba omnia a cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, ut aliqua verba emittantur ridicula, quæ non procedant a moribus ridiculis .... urbane ergo & lepide loquendum est, non risus autem movendus: quin etiam comprimendus est; nam ipse, si, quomodo decet, proferatur, præ se fert decorem & honestatem: sin aliter prodeat, in-
Eccl. 21. cap. 6. dicat intemperantiam. *Stultus enim*, inquit scriptura, *in risu extollit vocem suam, vir autem prudens vix sensim* .... A turpiloquio nos omnino abstinere oportet, & eis, qui illo utuntur, os obstruere, & aspectu severiore & vultus aversione, & sæpe etiam asperiori oratione .... Absit quoque a nobis, ut quemquam irrideamus: ex hoc enim erumpunt lites, pugnæ, & inimicitiæ....Si enim convenimus, ut, quæ inter nos est, benevolentiam augeamus, quomodo inimicitias irridendo provocamus? „

His addit multa humanitatis & urbanitatis præcepta servanda in vitæ commercio .... “ Quomodo nos ad somnum conferamus, modestiæ præceptorum memores, jam, inquit, dicendum est. Postquam finito convivio Deo benedixerimus, eumque laudaverimus, quod quæ erant usui nostro necessaria suppeditaverit, & ut eum diem feliciter transmitteremus nobis concesserit, quieti se tradere oportet; lectus autem modice instratus sit. Somnus autem brevis, nam qui immodicus est, nec corporibus, nec animis nostris ullam affert utilitatem, imo dimidium vitæ tempus nobiscum dividit: enitendum igitur, ut
cap. 10. & 11. & 12. per vigiliam simus vitæ participes .... „ Et quoniam Ægyptii corruptissimis erant moribus, de castitate conjugali prolixe disserit, & de iis omnibus, quæ pertinent ad cultum ornatumque corporis, quem vult esse decentem & modestum, detrahens quidquid luxum, mollitiemve fovet. “ Ambitiosæ enim vestes & elegantius elaboratæ sunt incitamenta libidinis. „

cap. 1. In tertio libro idem prosequitur argumentum: instar principii statuit, veram pulchritudinem ab interiori specie repetendam, “ Homo, inquit, cui ratio & Verbum cohabitat, non variatur, non fingitur: formam habet rationis: Deo assimilatur: pul-
Isa. 53. cher est: non se exornat, ut pulcher videatur .... Ipsum autem Dominum aspectu fuisse deformem testatur Spiritus per Esaiam: Quis autem Domino præstantior? sed non carnis pulchritudinem, quæ
cap. 2. visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis ostendit pulchritudinem: animæ quidem, beneficentiam, carnis vero, immortalitatem. Non externi ergo hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est: dici potest, ornandam quoque esse carnem continentia. Istæ autem non animadvertunt, dum colunt, id quod est extrinsecus, quæ intus sita sunt, esse plane inculta, horrida & sterilia. „ Mundanum cultum, & muliebrem maxime in viris reprehendit ut certum animi perditi indi-
cap. 5. cium. Iniquum esse docet alere magnam servorum & animalium multitudinem, dum negliguntur pauperes. Vetat, ne viri & mulieres communi utantur
cap. 10. balneo. Demum adolescentibus Gymnasium, fœminis curam domesticam, viris corporalem exercitationem præcipit.

cap. 12. Hunc librum concludit compendiosa optimæ vitæ tractatione. Jam dicta per capita decurrens, divini nostri Pædagogi præcepta refert; ac varia de Christianæ vitæ institutione ex Pauli epistolis documenta congerit. Tum ea, quæ de cultu exteriori dixerat, paululum temperans, ait: “ Nonnunquam concedendum fœminis, quæ in conjugem minus continentem incidunt, ornari, ut marito suo placeant. Hic autem eis constituatur terminus, ut a solis suis maritis laudari, & eis placere ambiant; & maritorum immoderatas cupiditates sensim lenire, & ad frugalitatem reducere laborent. „ Theatra & spectacula vocat pestilentiæ cathedras, ad quas accedere non licet Christianis .... & infra: “ Virum & fœminam honeste indutos in ecclesiam venire oportet, non simulato incessu, silentium amplectentes, charitatem non fictam possidentes, castos corpore, castos corde, ad Deum rogandum aptos: hoc amplius habeat mulier: semper tecta sit, nisi domi fuerit: Sit honestus habitus, & ex quo nihil possit offensionis suscipi. Plurima, inquit, alia præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in sacris libris scripta sunt: hæc quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis, alia viduis, de quibus fuerit aliud dicendi tempus. „ Hæc sunt præcipua documenta, quæ secundi sæculi Fidelibus tradebat D. Clemens. Illius ætatis mores ex iis facile est agnoscere. Utinam divini verbi præcones nunc auditores suos sic edocerent. De Pæ- Phot.
dagogi libris optimus sane judex Photius sic pronun- Bibl.
tiat. Nihil simile habent hi libri cum hypotesibus, Cod. 110.
quando & stolidis illis ac blasphemis opinionibus omnino vacant, & dictio ipsa in his floridior ad temperatam quamdam gravitatem non sine jucunditate assurgit, & varia illa, quæ in iis est, rerum cognitio nihil habet minus conveniens.

XLIX. Clemens postquam in sua ad Græcos admonitione impias ethnicorum superstitiones funditus evertit, postquam tribus Pædagogi libris illos, qui Christianæ religioni nomen recens dederant, primis imbuit illius præcepti; necessarium sibi esse duxit manifestum ipsis facere, in quo sita sit summa, ad quam semper contendere debent, ejusdem Christianæ Eus. hist.
religionis perfectio, quod octo Stromatum libris exe- l. 6. c. 13.
quitur: hinc sic eos inscribit: “ Titi Flavii Clementis de vera Philosophia commentariorum, qui ad scientiam pertinent, Stromateus. „ In his, non solum ex sacris literis plurimos insternit flosculos; verum etiam ex Gentilium libris, si quid forte ab illis commode dictum est commemorat; varias Græcorum Philosophorum simul ac Barbarorum explicans opiniones, falsa quoque Hæresiarcharum dogmata coarguens, uberrimam nobis promiscuæ eruditionis materiam subministrat. Hanc sparsim & sine ordine Clem.
congessit; sacris prophana miscens. “ Scilicet, in- Stro. l. 7.
quit, ut res illas sacras nactus quispiam, qui my- Stro. l. 1.
steriis nostris initiatus non sit, haud facile comperiat .... Non est hoc opus scriptura artificiose comparata ad ostentationem, sed mihi ad senectutem reconduntur monimenta, oblivionis medicamentum, vere imago & adumbratio evidentium, & animatarum illarum orationum, quas dignus habitus sum qui audirem, & virorum beatorum, quique revera erant maximi pretii & æstimationis, ... qui veram beatæ doctrinæ servabant traditionem, statim a Petro, & Jacobo, & Joanne, & Paulo, sanctis Apostolis; ad nos quoque pervenerunt Dei voluntate, illa a majoribus data & Apostolica semina. „ Vides a primis Patribus ubique commendari traditionem *D. Clementis*
Apostolicam. *Stromatum libri*
In primo libro probat utilem esse humanam Philo- *p. 318.*
sophiam, quæ mores dirigit, quippe quæ disponit ad assecutionem veræ sapientiæ: parvuli tamen sunt Philo-

CHRISTI sophi, nisi a Christo viri fiant .... Hinc artium, &
AN. 201. scientiarum originem retegens, ostendit Philosophiam
Liberum Hebræorum quavis Philosophia antiquiorem. Nos
hominis liberi esse arbitrii sic aperte declarat: " Nec lau-
arbi- des, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia
trium. justa sunt, si anima non habeat liberam potestatem,
p. 314. & appetendi, & abstinendi .... & infra .... Cum er-
go omnes homines vocati sint qui voluerunt obedi-
re, nominati sunt vocati; non est enim apud Deum
injustitia. Credentes autem ex utroque populo, ii sunt
populus peculiaris .... Qui itaque verbum ejus su-
sceperunt, baptizati sunt. Qui autem noluerunt pa-
rere, seipsos scilicet abduxerunt: ad eos dicit Pro-
Isai. 1. phetia: ,, *Et si velitis, & me audieritis, bona ter-*
ræ comedetis. In nobis situm esse arguens & elige-
re, & declinare. Affirmat cum Justino & Ta-
p. 342. tiano vetus testamentum seperatim in Græcum tran-
stulisse Septuaginta Interpretes, quorum interpreta-
tiones simul collatæ conspirarunt, & sententiis, &
dictionibus. Hebræorum Theologiam in quatuor
partes dividit, quarum prima res tractat historicas;
secunda morum leges; tertia vero sacrificia; quarta a
Platone dicitur esse mysteriorum; sicque legem natu-
ralem complectitur. Ostendit Moysem esse longe ve-
tustiorem omnibus Gentilium Philosophiæ, qui ex eo
multa desumpsere, imprimis Pythagoras & Plato,
quemadmodum testatur Numenius Philosophus Pytha-
goreus, sic aperte scribens: Quid enim est Plato, nisi
Moses, qui loquitur Attice?

L. Libri secundi argumentum sic ipse proponit.
" Post hæc existimo esse consequens, iis respondere,
quæ dicunt Græci, dum in nos invehuntur, paucas
adducendo scripturas; si forte contingat, ut Judæus
quoque paulatim hæc audiens ex iis, quæ credidit,
possit converti ad eum, quem non credidit. Præ-
claros autem Philosophos merito excipiet a charitate
profecta, inventionis novorum dogmatum reprehen-
sio; .... ut illi convertantur .... & possint tandem
perspicere, cujusmodi sint disciplinæ, quarum gra-
tia peregrinando transmarinas obeunt regiones; qua-
rum etiam sunt fures; ea quoque demonstranda, ut
nimium eis sui amorem detrahamus, & majorem,
quam par sit, de se persuasionem. Quæ autem ipsi
quærentes gloriantur se invenisse, ea sunt reprehen-
denda ...... Consequens est, ut disciplinarum qui
vocatur Orbis, ostendamus quam sit inutilis. ,, Et
primo quidem docet, fidem humilem omnibus scien-
tiis anteponendam. Hanc autem Philosophorum de-
p. 363. & seq. monstrationibus non inniti, sed testimonio Dei, qui
per Verbum suum, quod est summa Veritas, nos
hæc docuit: cui proinde ut Magistro nos credere
par est, in nulla re repugnando, vel contradicendo.
Quomodo enim fieri potest, ut aliquid adversus Deum
sciamus? Hinc ait Propheta: *Nisi credideritis, non*
Isa. 6. *intelligetis* ...... Divinum autem Verbum clamavit
p. 370. omnes simul vocans, eos quidem vel maxime cogno-
scens, qui non erant perituri: & tamen quoniam
est in nostra potestate parere, & non parere, ut nulli
possint causari prætextum ignorantiæ, justam fecit
p. 371. vocationem .... Fidelis ille est, qui citra transgressio-
nem ea servat, quæ sunt ei tradita; nobis autem tra-
duntur, quæ de Deo dicuntur, & mandata cum exe-
cutione præceptorum. ,,

Hinc adversus Basilidem probat, unum esse Deum
utriusque Testamenti; cum una sit fides, quæ ex
Prophetia perficitur: in Evangelio per unum & eum-
p. 373. dem Dominum docens salutem .... & infra. " Pri-
ma quidem ad salutem inclinatio nobis fides appa-
ret, postquam timor & spes & pœnitentia, cum con-
tinentia & tolerantia proficientes, nos ducunt ad cha-
ritatem .... Qui timorem accusant, legem insectan-
p. 385. tur, & illum, qui dedit legem .... ,, Effectus timo-
ris est pœnitentia, quæ ante baptismum una est, sed
post baptismum iterari potest. Sed illud diligenter
observandum monet. " Continuæ & se vicissim ex-
Frequens cipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt
pœniten- ab iis, qui omnino non crediderunt, præterquam
tia sine in eo solo, quod se peccare senserunt; neque scio,
emenda- utrum sit deterius, prudentem ac scientem pecca-
tione fal- re; an, cum pro iis quæ peccavit, pœnitentia du-
sa. p. 386. ctus fuerit, rursus peccare .... Apparet ergo, sed
non est pœnitentia, sæpe petere veniam de iis, quæ
sæpe peccamus. ,, Unde concludit, nobis esse per-
petuo decertandum adversus pravas cupiditates, ut
voluntatem Dei faciamus, ejusque Regnum possi-
p. 420. deamus. Inferius agit de nuptiis. Philosophorum
varias refert opiniones de Matrimonio: Democritus
& Epicurus illud repudiabant propter multas, quæ CHRISTI
ex eo oriuntur, molestias; Plato in bonis exter- AN. 201.
nis illud collocabat; Stoici dicebant indifferens; Pe-
ripatetici verum bonum. " Sed illi, inquit, lingua-
tenus sua deducentes dogmata, voluptatibus servie-
runt; alii quidem pellicibus, alii vero meretricibus,
plurimi autem utentes adolescentulis. Scriptura con-
sulit conjugium, & ab eo discedere non permit-
tit, nisi propter fornicationem; adulterumque exi- p. 425.
stimat conjungi matrimonio, vivo altero ex separa-
tis. ,, Ibidem Angelos incontinentia peccasse male
dixit.

LI. In tertio libro inceptum de Matrimonio argu-
mentum prosequitur adversus hæreticos sui temporis.
" Continentia, inquit, est corporis despicientia con-
venienter pactis cum Deo initis. Non solum enim
in rebus venereis, sed etiam in aliis, quæ anima
perperam concupiscit, non contenta necessariis, versa-
tur continentia. Dicendum est ergo quidnam nostris
videatur de eo, quod propositum est. Nos castitatem
servantes, & quibus hoc a Deo datum est, beatos
dicimus: unius vero matrimonii cum una conjuge
honestatem admiramur; .... De secundis autem nu-
ptiis, si uraris, inquit Apostolus, jungere Matrimo-
nio: ,, Hinc invehitur contra Carpocratianos, qui
dicebant, oportere uxores esse communes, a quibus
contra nomen Christi maximum emanavit probrum.
Reprehendit etiam Marcionitas asserentes, malam es-
se generationem, & abstinentes a nuptiis in odium
Creatoris, ne mundum ab eo conditum implerent
creaturis. Exagitat pariter prodicos & alios Gnosti-
cos, qui publicam venerem appellabant mysticam
communionem, quæ deduceret ad regnum Dei: qui-
bus opponit illud Apostoli: *Fornicatio autem, &* ad Eph. 5.
omnis immunditia, vel avaritia, ne nominetur qui- p. 446. &
dem in vobis, sicut decet sanctos, & turpitudo, & stul- seq.
tiloquium. Impugnat etiam Encratitas, qui improba- 1. ad
bant matrimonium, aliosque hæreticos, qui vocabant Tim. 4.
illud fornicationem, & inventum diaboli, de quibus
dicit Apostolus: *In novissimis diebus deficient qui-*
dam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis
dæmoniorum prohibentium nubere.

Objicientibus, se imitari Dominum, qui numquam
duxerit uxorem, respondet hanc esse causam: " Pri-
mum quidem propriam sponsam habuit Ecclesiam:
deinde non erat homo communis, neque erat ei ne- p. 447.
cesse procreare filios, qui manet in æternum, & na-
tus est solus Dei Filius. ,, Hinc concludit: " Qua-
re nec castitas est bonum, & ex virtute, nisi fiat
propter dilectionem in Deum, ,, quibus verbis appro-
bat eorum statum, qui, ut ait Christus, *seipsos ca-* Matt. 19.
straverunt propter regnum Dei, vitam agendo castam.
Addit quamdam continentiam Christianorum omnium
esse propriam: " Philosophorum, inquit, continen-
tia profitetur pugnare cum cupiditate, & in factis ei
non inservire. Quæ autem est ex nostra sententia con- p. 450.
tinentia, non concupiscere, non ut quis concupiscens
se fortiter gerat, sed etiam ut a concupiscendo se con-
tineat. Non potest tamen ea aliter accipi continen-
tia, nisi gratia Dei; & ideo dixit: *Petite, & dabitur*
vobis .... In summa generaliter nobis procedat oratio Matt. 7.
de matrimonio, nutrimento, & aliis, ut nihil facia-
mus ex cupiditate; velimus ea sola, quæ sunt neces-
saria; non sumus enim filii cupiditatis, sed volunta-
tis. Et eum, qui uxorem duxit pro liberorum pro-
creatione, exercere oportet continentiam, ut ne suam
quidem uxorem concupiscat, quam debet diligere,
honesta & moderata voluntate, dans operam liberis.
Non enim carnis curam gerere ad concupiscentias di-
dicimus; honeste autem tanquam in die Christi, &
Dominica lucida vitæ institutione ac conversatione am-
bulantes, non in commessationibus & ebrietatibus,
non in cubilibus & impudicitiis, non in litibus &
contentionibus. Verum enim vero non oportet consi-
derare continentiam in uno solum genere, nempe in
rebus venereis, sed etiam in quibuscumque aliis, quæ
luxuriosa concupiscit anima, non contenta necessa-
riis; sed sollicita de deliciis. Continentia est pecu-
nias despicere, voluptatem, possessionem, spectacula
contemnere, os continere, ratione, quæ sunt mala,
vincere .... Mundemus ergo nos ipsos ab omni in-
quinamento carnis & spiritus, perficientes sanctita-
tem in timore Dei. ,, Ibidem confutans figmentum
Basilidis, qui volebat animas hominum peccasse in al-
tera vita, priusquam corporibus infunderentur; negat
infantes esse in peccato, scilicet actuali; unde eos in
peccatis concipi fatetur.

LII. In

Digitized by Google

CHRISTI AN. 201. LII. In quarto libro tractat de martyrio, & de
homine perfecto. " Is, inquit, sibi feret testimo-
nium, quod sit in Deum sincerus, & germanus fi-
delis,.... qui est fidelis per dilectionem ..... & pro-
pter suam in Dominum dilectionem libentissime ab
hac vita liberabitur. Et infra: consummationem vo-
p. 480. camus martyrium, non quod finem vitæ homo ac-
ceperit, ut reliqui, sed quod perfectum opus osten-
derit charitatis. „ Ac proinde docet perfectum mar-
p. 481. tyrium adjunctam habere charitatem. Hic reprehen-
dit duplicis generis hæreticos; quorum alii dicebant,
" verum martyrium esse veri Dei cognitionem:
eum autem qui per mortem Deum confitetur, esse
sui homicidam. Alii vero in odium Creatoris ultro
morti se offerebant. " Hi, inquit, vanæ morti sei-
psos tradunt, sicut se temere in ignem conjiciunt
Indorum Gymnosophistæ.. Fidelis enim testimonii
non servant charitatem qui non cognovere verum
Deum. „ Ergo sine vera fide non est verum mar-
tyrium. Addit, Christianis vitam sic instituendam,
ut adversa qualibet æquo animo ac lubenter perfe-
rant. Tum decurrens octo beatitudines Evangelicas,
concludit totius virtutis summam esse, propter cha-
ritatem in Deum, mortem contemnere. Ejusmodi
virtutes non paucorum fuisse hominum indicat, "ple-
na est, inquit, Ecclesia iis, qui per omnem vitam
sunt meditati mortem, quæ ducit ad Christum, si-
cut virorum, etiam mulierum temperantium. „

Dicebant infideles: " Si Deus vestri curam gerit,
p. 505. cur patimini persecutionem, & morte afficimini? an
ipse vos tradit? nos autem non sic existimamus, vel-
le Dominum, ut in casus incidamus, sed prophetice
prædixisse ea, quæ essent eventura: fore scilicet ut
propter nomen ejus pateremur persecutionem, ut oc-
cideremur, ut suspenderemur. Quamobrem noluit
nos pati persecutionem, sed ea, quæ passuri sumus,
prius significavit, per eam, quod sint eventura, præ-
dictionem exercens ad tolerantiam, cui promisit hæ-
reditatem..... Judicis injuria non attingit Dei pro-
videntiam: oportet enim eum in sua potestate habe-
re sui animi sententiam.... Examinatur ergo, &
probatur ipse sicut nos, in eo, quod judicat, & per
eorum, quæ sunt eligenda, electionem, & per patien-
tiam..... Cur autem, inquiunt, enim vos perse-
quuntur, nihil vobis affertur auxilii? Quid enim?
quod ad nos quidem attinet, nihil nobis fit injuriæ,
cum morte dissolvamur, ituri ad Dominum, & ve-
lut ætatis, ita & vitæ sustinentes mutationem; si
autem sapiamus, iis gratias habebimus, qui nobis
præbuerint occasionem celeris migrationis, si testi-
monium feramus propter dilectionem. „

Redarguit Basilidem, qui dicebat omnes hujus vi-
p. 506. *Justi sæpe affliguntur.* tæ afflictiones esse semper pœnam alicujus peccati,
quod vel in hac, vel in altera vita commisimus;
electos autem honorifice puniri per martyrium. Cui
respondet, neminem Dei voluntate pati persecutio-
p. 507. & 8. nem: alioquin persecutores forent innocentes. " Sed
nihil, inquit, fit sine voluntate Domini universo-
rum. Restat itaque ut breviter dicamus, ea, quæ
sunt hujusmodi, evenire Deo non prohibente; hoc
enim solum servat, & providentiam, & Dei boni-
tatem..... qui ad bonum utitur audacibus cœptis
adversariorum..... Et infra: peccare inter actiones
ponitur, non inter substantias, quamobrem nec Dei
p. 511. opus est...... Hic ergo bonus Deus castigat pro-
p. 536. pter has tres causas: primum quidem, ut is, qui
castigatur, seipso melior evadat: deinde ut ii, qui
per exempla possunt salvi fieri, præparentur admo-
niti: tertio, ne qui corripitur, aliorum contemptui,
& injuriis sit obnoxius.... Qui post lavacrum in
peccata incidunt, ii castigantur; quæ enim prius fa-
cta sunt, remissa sunt. „ En totius pœnæ relaxa-
p. 538. tio, quæ fit in baptismo. " Quæ postea fiunt, ex-
purgantur: ergo pro ejusmodi peccatis pœnam exi-
git Deus..... qui nos tales esse vult, quales ge-
nuit ex matrice aquæ. „ Sequitur longa digressio de
sanctitate matrimonii, & de uxorum officiis, & de
perfectione vitæ Christianæ, quæ in charitate consi-
stit: charitas autem dum perfecta est, foras mittit
timorem, ut motivum minus perfectum, nosque mo-
vet ad bonum operandum propter Deum. Hinc D.
Doroth. instit. Dorotheus docet servare legem timore pœnæ esse
virtutem incipientium; spe vero mercedis, proficien-
tium; amore autem dilectionis, esse perfectorum.

LIII. In quinto libro, fidem, & salutem a natu-
ra non esse, probat contra Basilidem, & Valenti-
num. Tum fuse agit de veterum symbolis, & de
figuris veteris testamenti, ornatumque templi, & CHRISTI AN. 201.
arcæ, & sacerdotum vestes allegorice explicat. De-
inde de divinæ naturæ excellentia disputat, quam
incomprehensibilem esse demonstrat. Unde conclu-
dit, divina gratia, & Dei verbo Deum nobis vere
innotescere. Multa demum ex Poetis, & Philosophis
profert de Deo præclare dicta, quæ ex sacris scri-
pturis furtive desumpsere.

In sexto libro confutat primo quæ a Græcis dicta
sunt de principiis: secundo eorum de adventu Chri-
sti dubia solvit; iisque subjicit veram ideam vitæ
Christianæ. " Fides, inquit, est firma, & stabilis
constansque demonstratio, quoniam ea, quæ sunt a p. 649.
Deo tradita, sequitur veritas..... Talis est autem
is qui cognitione præditus est, id est, perfectus fi-
delis, ut in eum eæ solæ cadant affectiones, quæ
oriuntur, ut corpus maneat, nempe fames, sitis &
similia .... Nihil grave molestumve existimat; neque p. 650.
potest eum aliquid abducere a Dei charitate: neque
tranquillitate animi opus habet, neque enim in do-
lorem incidit animive angorem, cum persuasum ha-
beat omnia recte fieri: neque irascitur; neque est
enim quod eum ad iram moveat, cum semper Deum
diligat, & ad hoc solum totus sit conversus, & ideo
ex creaturis nullam odio habet. Sed neque æmula-
tur; nihil enim ei deest ad assimilationem, quo sit
bonus, & honestus. Sed neque amat aliquem com-
muni hac amicitia, sed Creatorem diligit per crea-
turas. Neque ergo in cupiditatem aliquam incidit,
aut appetitionem, neque in anima aliquo indiget ex
aliis, cum jam per charitatem versetur cum dilecto,
cui quidem jam est familiariter conjunctus per ele-
ctionem, & per habitum, qui procedit ab exercita-
tione; ei appropinquat continentius, & beatus est
propter bonorum abundantiam. Quamobrem his de
causis maxima vi contendit assimilari Domino, ut
nullas admittat passiones.... Qui autem per charitatem
jam fuerit in iis, in quibus est futurus, ut qui spem p. 651.
præceperit per cognitionem, nihil expetit, ut qui,
quoad ejus fieri potest, habeat quod est expetendum....
fruitur autem tali habitu perfecta, & absoluta am-
putatio cupiditatis.... fieri enim non potest, ut qui
jam semel est consummatus per charitatem, & inex-
plebilem contemplationis delectationem æternæ, &
insatiabiliter percipit, eaque fruitur, parvis, & hu-
milibus quibusdam, & abjectis delectetur.... Ad o- p. 654.
mnem bonam actionem semper præsto, & paratus,
omnia gravia, & molesta solitus despicere, quando
aliquid sustinere oportuerit, nihil temerarium, neque
quod sibi, & reipublicæ non conveniat, unquam per-
agens, providus ac prospiciens, & qui minime fle-
ctitur voluptatibus, tam iis quæ veræ sunt, quam
iis quæ noctu accidunt. Tenui enim diætæ, quæ,
ut paucis sit contentus, efficit, assuefactus, est tem-
perans, & moderatus cum gravitate, & honestate,
paucis ad vitam necessariis indigens, nihil quærens,
quod sit supervacaneum: sed nec hæc, ut principalia,
sed ex vitæ consuetudine, ut peregrinationi carnis ne-
cessaria, quantum necesse est, admittens... Hic ergo
vivere necessarium existimans ad augendam scientiam, p. 664.
& parandam cognitionem, non vivere, sed bene vi-
vere faciet plurimi. Neque filios, neque matrimo-
nium, aut parentes præferens charitati in Deum,
& ei, quæ est in vita, justitiæ.... orat omni hora
per charitatem Deo conjunctus & familiaris effectus: p. 665.
& primum quidem petit remissionem peccatorum, po-
stea non amplius peccare, deinde posse benefacere,
& omnem, quæ facta est per Dominum, creatio-
nem, & dispensationem intelligere, ut mundo corde
effectus per agnitionem, quæ est per Filium Dei, facie
ad faciem in beati spectaculi mysterio initietur. „

Ecclesiæ perpetuitatem, unitatem, & hierarchiam sic
describit. " Unum quidem est revera salutare testamen-
tum, quod a constitutione mundi ad nos pervenit per
generationes diversas, & tempora, etiamsi datione cal-
lismatum fuerit esse diversum. Consequens enim est, esse
unam immutabilem salutis dationem, ab uno Deo per
unum Dominum, quæ multis modis prodest. Propter
quam causam tollitur maceria, quæ Græcum a Judæo
dividebat, ut esset populus peculiaris: & sic ambo per-
veniunt ad unam fidei unitatem, & ex ambobus una
est electio..... Hic quoque in Ecclesia progressiones *Hierarchia ecclesiast.*
episcoporum, presbyterorum, diaconorum, sunt, ut ar-
bitror, imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œcono-
miæ, & dispensationis, quam dicunt scripturæ illos ex-
spectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixe-
runt in perfectione justitiæ convenienter in Evangelio... Joan. 10.

CHRISTI AN. 201. *Fides sola non salvat.* p. 706.

Mea enim oves, inquit Dominus, *vocem meam audiunt, ex cognitione mea mandata intelligentes*, Hoc autem licet magnifice, & pro dignitate meritisque accipere cum operum remuneratione. Quare quando audierimus, *fides tua te salvam fecit*, non accipimus, eum dicere absolute eos salvos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi opera quoque fuerint consecuta .... Hæc autem bona conscientia, & sanctitatem erga Deum, & justitiam erga homines conservat, mondam custodiens animam honestis cogitationibus, & verbis castis, & justis operibus. „

Decalogum post hæc cursim exponit, sed allegorice. Concludit hunc librom declarando quantum doctrina Christi sit omni humana Philosophia excellentior. " Philosophi, inquit, Græcis solis, neque omnibus placuerunt: & suos solos persuaserunt asseclas. Magistri autem nostri verbum non mansit in sola Judæa, sicut Philosophia in Græcia, sed diffusum est per totum Orbem terræ, Græcorum simul, & barbarorum Gentibus, & vicis, & totis urbibus persuadens, totas domos, & seorsim unumquemque ex iis, qui audierunt, & ex ipsis etiam Philosophis non paucos jam traducens ad veritatem. Et Græcam quidem Philosophiam si quis Magistratus prohibuerit, ea statim perit. Nostram autem doctrinam a prima usque prædicatione prohibent Reges, & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus cum universis satellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus, in nos belligerantes, nosque pro viribus exscindere conantes. Illa autem magis etiam floret: non enim emoritur, ut doctrina humana, neque flaccessit, ut donum imbecillum: manet autem ejusmodi, ut prohiberi nequeat, cum prædictum sit fore ut ea patiatur persecutionem. „

Nonnulli nævi sunt in eo libro, sed non graves, vel aliquo modo molliri possunt: sed nulla benigna expositione defendi potest quod dicit de Christo, & Apostolis, quos sentit post mortem descendisse ad inferos, suaque prædicatione ad fidem, & pœnitentiam adduxisse Judæos, atque Gentiles, qui Philosophia duce recte vixerant.

LIV. Argumentum libri septimi sic exponit ipse Clemens: " Jam vero tempus est, ut Græcis ostendamus, solum esse vere pium ac religiosum eum, qui est cognitione præditus, ut cum didicerint Philosophi, qualis sit is qui vere est Christianus, suam damnent inscitiam. Ut qui temere, & nulla ratione nomen persequantur: nullo autem judicio eos impios, & a Deo alienos vocent, qui norunt eum, qui vere est Deus .... Est ergo nobis propositum ostendere eum solum, qui est cognitione præditus, esse sanctum, riteque eum, qui est vere Deus, colere, prout ejus decet Majestatem; eum autem, qui sic Deum colit, consequitur Dei amor, & in Deum pietas .... Dei ergo cultus est continua animæ cura, & ejus perpetua in Deum occupatio per charitatem, quæ nunquam intermittitur ..... „

Deus vult omnium salutem.

Deum autem sincere velle salutem omnium omnino hominum, quorum etiam vere Salvator est Christus, sic probat: " Aut enim omnium hominum curam non gerit Dominus, idque ei accidit, aut quod non possit; quod quidem est nefarium; est enim signum imbecillitatis: aut quod nolit, cum possit, quæ non est boni affectio ..... aut curam gerit universorum; quod quidem pertinet ad eum, qui est Dominus universorum: Salvator enim est; non horum quidem Salvator, illorum vero non..... neque ergo unquam aliquibus invidebit qui omnes quidem vocavit: iis autem, qui eximie crediderunt, honores tribuit eximios .... „ Jam vero quæ sit ratio
p. 706. salutis consequendæ sic paucis explicat. " Hæc est operatio ejus, qui est consummatus in cognitione, cum Deo habere consuetudinem per magnum Pontificem ..... Mansuetudo autem, ut ego quidem opinor, & benignitas, magnificusque, & majestate plenus Dei cultus, sunt regulæ assimilationis, quæ nititur ex cognitione. Has ego dico virtutes esse sacrificium Deo gratum, & acceptum, cor a superbia, & fastu alienum, cum recta scientia, dicente scriptura, esse holocaustum Dei, cum quicumque ex hominibus assumptus est ad sanctitatem, illuminatur ad eam quæ discerni non potest unionem. Nam se ipsos redigere in captivitatem, & seipsos interimere; vetcri, qui per cupiditates corrumpitur, homine interfecto, novoque suscitato a veteri mortis
p. 708. conversatione; & Evangelium jubet, & Apostolus, depositis cum peccato perturbationibus animi ..... CHRISTI AN. 201.
Imago valde divina, & Deo similis, est viri justi anima, in qua per præceptorum obedientiam ædificatur, & collocatur Dux mortalium, & immortalium omnium, Resque, & Genitor omnium, bonorum revere lex atque præscriptum, & Verbum æternum, qui & privatim singulis, & communiter omnibus est unus Salvator .... Est ergo officium hominis, Deo parere, qui variam annuntiavit salutem per præcepta. „ p. 710.

" Hic ergo homo, qui est vere regalis... nequaquam se tradit confusæ turbæ theatrorum: quæ autem dicuntur, & fiunt, & videntur voluptatis illicientis gratia, ne in somnis quidem admittit: neque has, quæ visu percipiuntur, voluptates, nec eas, quæ in aliis fruendis capiuntur, varietates; ut condimenta ciborum, & quæ ex variis vinis sentiuntur, delicias gustum inescantes: neque odoriferas ex variis floribus contexturas, quæ per sensum animam effeminant. Sed honestum rerum omnium usum ad Deum semper referens, & cibi, & potus, & unctionis universorum Datori offert primitias, gratias agens... Ad convivales epulas raro veniens, nisi si quod amicitiam, concordiamque, & consensionem profitetur convivium, ut veniat ei persuaserit. „ Cætera vitæ Christianæ officia persequitur; imprimis agit de oratione: " Precatio, inquit, est cum Deo conversatio, & collocutio: quare licet susurrantes, nec labra quidem aperientes tacite loquamur, intus clamavimus. Omnem enim intrinsecus paratam locutionem Deus exaudit perpetuo; & caput, & manus in cœlum extendimus, & pedes excitamus in ultima acclamatione orationis, promptitudine, & alacritate spiritus assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia: & una cum verbo corpus a terra abducere conantes, erectam, & elevatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes ..... Quod si nonnulli certas horas constituunt precationi, ut verbi causa, Tertiam, Sextam, Nonam: at is, qui est cognitione præditus, per totam orat vitam. „ p. 720. p. 722.

Hic meminit Prodici authoris sectæ Adamitarum: sic dicti sunt, quod nudi ritus suos impurissimos obirent. Docebat ille non esse orandum; quem errorem acceperat a Philosophis Cyrenaicis; quem sic refellit ex necessitate gratiæ probans orationem esse quoque necessariam. " Quando, inquit, nostram bonam animi propensionem acceperit is qui est dator bonorum, ejus conceptionem omnia simul bona consequuntur..... Quo fit, ut fidelis sit semper benignus, mansuetus, aditu facilis, affabilis, patiens, gratus, bona præditus conscientia...., nunquam animum voluptati, aut dolori submittit, aut ab eis expugnatur .... persuasum habens omnia, quæ sunt in mundo, optime administrari, æquo fert animo omnia quæ eveniunt .... Petet etiam ut a virtute nunquam excidat, maxime adjuvans, & dans operam, ut perpetuo maneat ejusmodi, ut non possit excidere ..... Hunc quoque Deus adjuvat, propinquiore honorans eoratione .... Quemadmodum enim Medicus præbet sanitatem iis, qui cum eo allaborant ad sanitatem, sic Deus confert æternam salutem iis, qui cum eo cooperantur ad cognitionem, & ad bonas actiones. Cum autem simul cum eo facimus ea, quæ præcepta imperant, & sunt in nostra potestate, perficitur promissio. Quocirca præcepta quoque accepit homo, quippe qui ex se ipso incitatus est ad utrumlibet voluerit, & amandorum, & fugiendorum .... & infra. Universa ejus vita tanquam quidam celebris, & sanctus dies festus: atqui ei quidem sacrificia sunt ipsæ preces, & laudes, & quæ ante cibum fiunt scripturarum lectiones. Psalmi autem, & hymni, dum cibus sumitur: antequam autem eatur cubitum, sed & noctu, rursus orationes .... In omni ergo loco orabit; sed ut non aperte populo appareat .... Utens autem rebus creatis, quando, & quantum decet verbum, ei, qui creavit, gratias agens .... audacter etiam insurgit adversus metus, in Deo habens fiduciam ..... si mundus sit a peccatis, omnino quod vult, assequetur. Justo enim dicit Deus: *Pete, & dabo tibi:* ... Quod si quis dicat nobis, quosdam etiam peccatores impetrare id quod petunt, hoc quidem raro fit propter justam Dei bonitatem ...., „ Paulo post docet Christianos bis jejunare singulis hebdomadis: " Novit, inquit, ipse jejunii ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & sexti. Dicitur illa qui-

p. 724. *Orationis necessitas.* p. 626. p. 627. *Gratiæ libere cooperamur.* p. 723. p. 735.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 201. quidem Mercurii : hic vero Veneris . „ Propterea quod quarta feria comprehensus est Dominus , & sexta in crucem sublatus.

Epiph. exposit. fid. n. 22. p. 753. In ultima parte libri respondet Judæis & Philosophis , qui dicebant non oportere credere propter dissensionem heresum. 1.° ostendit inter eos eamdem esse diversitatem opinionum ; nec idcirco a suis institutis abstinendum putant . 2.° dicit mirum non esse, si sint hæreses , cum a Christo prædictæ fuerint futuræ . " Hujus autem causa est , quod , quidquid est pulchrum , sequitur reprehensio . (Denique sic eos urget :) Num ergo si quis pacta conventa non observaverit , & transgressus fuerit eam , quæ fit apud nos , confessionem , propter eum qui non stetit suæ professioni , abstinebimus nos quoque a veritate ? Sed ut oportet virum probum minime esse mendacem , & nihil infirmare eorum quæ pollicitus est, etiamsi aliqui alii pacta conventa transiliant ; ita nos quoque nullo modo convenit transilire regulam ecclesiasticam ; maxime eam , quæ fit de rebus maximis, professionem : nos quidem observamus, illi transiliunt . . . . . Græcis ergo inanis est hic prætextus . . . . nam per ipsas scripturas discere possumus demonstrative, quomodo lapsæ sunt hæreses, & quomodo in sola veritate , & antiqua Ecclesia sit p. 757. perfectissima cognitio . . . . homo Domino fidelis esse desinit , qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem , & in humanarum hæreseon desiluit opiniones . . . „

p. 758. Scripturarum abusum exprobat hæreticis , qui aliquam earum partem rejiciunt , " & eligentes ea , quæ dicta sunt ambigue , traducunt ad proprias opiniones , paucas voces sparsim carpentes , neque id considerantes quod ex ipsis significatur , sed nuda dictione utentes . . . . . Neque volunt converti ad veritatem , ut quos pudeat sui in sa ipsos amoris p. 764. Antiqui- deponere prærogativam . . . . Sed nec ipsi introitus clavem habentes , sed falsam quamdam & aversam clavem , per quam , non relaxato velo , ut nos ingredimur per Domini traditionem, sed exciso ostio , CHRISTI AN. 201. & muro Ecclesiæ clam perfosso, veritatem transgredientes , efficiuntur principes ac duces mysteriorum tas veræ Ecclesiæ caracter. animæ impiorum . Quod enim Catholica Ecclesia posteriora sua fecerint conciliabula , non est opus multis probare . . . . Clarum est ex antiquissima & verissima Ecclesia, has recentiores , & quæ his sunt adhuc inferiores , tempore fuisse innovatas , adulterinæ notæ hæreses . Ex iis , quæ dicta sunt , manifestum esse existimo , unam esse veram Ecclesiam , eam, quæ vere est antiqua . . . . . & substantia ergo , & cogitatione , & principio & excellentia , solam esse dicimus antiquam & Catholicam Ecclesiam , in unitatem unius Fidei . . . . . Ex hæresi- p. 765. bus autem , aliæ quidem appellantur ex nomine , ut quæ appellatæ sunt a Valentino & Marcione, & Basilide , etiamsi glorientur se Matthiæ opinionem adducere : fuit enim una omnium Apostolorum , & doctrina , & traditio . „ Sed ibidem mendacio levi & officioso patrocinatur ; nævus est.

LV. Octavus , quem nunc habemus, Stromatum liber, multis peritis videtur fragmentum ab aliis Clementis operibus avulsum . Diversus ab eo, quem legit Photius sub diversis inscriptionibus : hunc enim alicubi non sana tradere testatur . In eo vero , quem habemus, nullus est error ; imo totus est logicus & physicus ; agitque de definitione , divisione , demonstratione & de causis, ut probat adversus Pyrrhonios dari aliquas certas cognitiones . Clemens imperante Severo post debellatum Nigrum hæc volumina conscripsit . In primo enim temporum ordinem describens , Imperatoris Commodi obitu computationem suam circumscribit . Severianæ vero persecutionis crudelitatem sic indicat libro septimo : " Nobis au- Euf. hist. l. 6. c. 6. tem sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur , & capite truncantur . „

TEXTUS GRÆCI
LIBRI QUARTI.

NUm. IV. Athenag. in Apologia . Νοοῦμεν γὰρ κ' Υἱὸν τοῦ Θεοῦ . κ' μή μοι γελοῖόν τις νομίσῃ τὸ Υἱὸν εἶναι τῷ Θεῷ . οὐ γὰρ ὡς ποιηταὶ μυθοποιοῦσιν, οὐδὲν βελτίους τῶν ἀνθρώπων δεικνύντες τοὺς θεοὺς , ἢ περὶ τοῦ Θεοῦ , κ' Πατρὸς , ἢ περὶ τοῦ Υἱοῦ πεφρονήκαμεν . ἀλλ' ἐστὶν ὁ Υἱὸς Θεοῦ λόγος τοῦ Πατρὸς ἐν ἰδέᾳ κ' ἐνεργείᾳ . πρὸς αὐτοῦ γὰρ , κ' δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο , ἑνὸς ὄντος τοῦ Πατρὸς . κ' τοῦ Υἱοῦ . ὄντος δὲ Υἱοῦ ἐν Πατρὶ , κ' Πατρὸς ἐν Υἱῷ , ἑνότητι κ' δυνάμει πνεύματος , νοῦς κ' λόγος τοῦ Πατρὸς , ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ . εἰ δὲ δι' ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν , ὁ παῖς τί βούλεται , ἐρῶ διὰ βραχέων . πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ Πατρὶ , οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς , νοῦς ἀΐδιος ὢν , εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον , ἀϊδίως λογικὸς ὤν) ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων . . . . ἰδέα κ' ἐνέργεια εἶναι προελθών . . . . καίτοι κ' αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς Ἅγιον Πνεῦμα , ἀπόρροιαν εἶναι φαμὲν τοῦ Θεοῦ , ἀπορρέον κ' ἐπαναφερόμενον , ὡς ἀκτῖνα ἡλίου . τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι λέγοντας Θεὸν πατέρα , κ' Υἱὸν Θεὸν , Πνεῦμα ἅγιον , δεικνύντας αὐτῶν κ' τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν , κ' τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν , ἀκούσας ἀθέους καλουμένους ;

Idem sub finem. Εὕροις δ' ἂν πολλοὺς τῶν παρ' ἡμῖν κ' ἄνδρας κ' γυναῖκας καταγηράσκοντας ἀγάμους , ἐλπίδι τοῦ μᾶλλον συνέσεσθαι τῷ Θεῷ .

Num. V. Eufeb. Hist. Eccl. l. 4. c. 15. Διὰ τοῦτο , κ' περὶ πάντων σὲ αἰνῶ , σὲ εὐλογῶ , σὲ δοξάζω διὰ τοῦ αἰωνίου Ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ , τοῦ ἀγαπητοῦ σου παιδός . δι' οὗ σοι σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα κ' νῦν , κ' εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας τῶν αἰώνων . ἀμήν .

Ibidem infrà . Ἰδὼν οὖν ὁ ἑκατοντάρχης τὴν τῶν Ἰουδαίων γενομένην φιλονεικίαν , θεὶς αὐτὸν ἐν μέσῳ , ὡς ἔθος αὐτοῖς , ἔκαυσεν . οὕτως τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν κ' δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ , ἀπεθέμεθα ὅπου κ' ἀκόλουθον ἦν . ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει κ' χαρᾷ , παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον εἴς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην , κ' τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε κ' ἑτοιμασίαν .

D. Gregor. Nyss. in Orat. de S. Theodoro Mart. Τὸ γὰρ αὐτοῦ τῷ λειψάνῳ προσάψασθαι , εἴ ποτέ τις ἐπιτυχία τοιαύτη παράσχοι τὴν ἐξουσίαν , ὅπως ἐστὶ πολυπόθητον κ' ἄχρις τῆς ἀνωτάτω τὸ δῶρον , ἴσασιν οἱ πεπειραμένοι , κ' τῆς τοιαύτης ἐπιθυμίας ἐμφορηθέντες . ὡς σῶμα γὰρ αὐτὸ ζῶν κ' ἀνθοῦν οἱ βλέποντες κατασπάζονται , τοῖς ὀφθαλμοῖς , τῷ στόματι , ταῖς ἀκοαῖς , πάσαις προσάγοντες ταῖς αἰσθήσεσι .

Num. VII. D. Justin. Mart. Dial. cum Triphone (procul ab initio.) Ὅθεν περὶ μὲν τῶν ὑφ' ὑμῶν τότε προσφερομένων θυσιῶν , λέγει ὁ Θεὸς , ὡς προέφην διὰ Μαλαχίου ἑνὸς τῶν δώδεκα · οὐκ ἔστι θέλημά μου ἐν ὑμῖν , λέγει Κύριος , κ' τὰς θυσίας ὑμῶν οὐ προσδέξομαι ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν . διότι ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου ἕως δυσμῶν τὸ ὄνομά μου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι , κ' ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί μου , κ' θυσία καθαρά . ὅτι μέγα τὸ ὄνομά μου ἐν τοῖς ἔθνεσι , λέγει Κύριος . ὑμεῖς δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν , τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας , προλέγει τότε εἰπὼν , κ' τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς . ὑμᾶς δὲ βεβηλοῦν .

Num. XI. Eufeb. Hist. l. 5. c. 13. Ὁ γὰρ γέρων Ἀπελλῆς συμμίξας ἡμῖν πολλὰ μὲν κακῶς λέγων ἠλέγχθη . ὅθεν κ' ἔφασκε μὴ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον , ἀλλ' ἕκαστον ὡς πεπίστευκε διαμένειν . σωθήσεσθαι γὰρ τοὺς ἐπὶ τὸν ἐσταυρωμένον ἠλπικότας ἀπεφαίνετο , μόνον ἐὰν ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς εὑρίσκωνται . τὸ δὲ πάντων ἀσαφέστατον ἐδογμάτιζετο αὐτῷ πρᾶγμα , καθὼς προειρήκαμεν , τὸ περὶ τοῦ Θεοῦ . . . . λέγοντος δέ μου πρὸς αὐτὸν , πόθεν ἡ ἀπόδειξις αὕτη σοι , ἢ πῶς δύνασαι λέγειν μίαν ἀρχὴν , φράσον ἡμῖν . ἔφη τὰς μὲν προφητείας ἑαυτὰς ἐλέγχειν , διὰ τὸ μηδὲν ὅλως ἀληθὲς εἰρηκέναι . ἀσύμφωνοι γὰρ ὑπάρχουσι κ' ψευδεῖς , κ' ἑαυταῖς ἀντικείμεναι . τὸ δὲ πῶς ἐστι μία ἀρχὴ , μὴ γινώσκειν ἔλεγεν , οὕτως δὲ κινεῖσθαι μόνον . εἶτα ἐπομοσαμένου μου τ' ἀληθὲς εἰπεῖν , ὤμνυεν ἀληθεύειν λέγων , μὴ ἐπίστασθαι πῶς εἷς ἐστιν ἀγέννητος Θεὸς , τοῦτο δὲ πιστεύειν . ἐγὼ δὲ γελάσας κατέγνων αὐτοῦ . διότι διδάσκαλον εἶναι λέγων , οὐκ ᾔδει τὸ διδασκόμενον ὑπ' αὐτοῦ κρατύνειν .

Num. XXVIII. Theophil. lib. 2. ad Autolyc.

Πάσαι αἱ τρεῖς ἡμέραι τῶν φωστήρων γεγοννῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς Τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ.

Idem infrà. Καὶ γὰρ αὐτὸ ἡ θεία γραφὴ διδάσκει ἡμᾶς τὸν Ἀδὰμ λέγοντα, τῆς φωνῆς ἀκηκοέναι. φωνὴ δὲ τί ἄλλο ἐστὶν, ἀλλ' ἢ ὁ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστι καὶ υἱὸς αὐτοῦ. οὐχ ὡς οἱ ποιηταὶ καὶ μυθογράφοι λέγουσιν υἱοὺς Θεῶν ἐκ συνουσίας γεννωμένους, ἀλλὰ ὡς ἀλήθεια διηγεῖται τὸν λόγον, τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. πρὸ γάρ τι γίνεσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον, ἑαυτοῦ νοῦν καὶ φρόνησιν ὄντα. ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, οὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλῶν. ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. δεικνὺς ὅτι ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ Θεὸς καὶ ἐν αὐτῷ ὁ Λόγος. ἔπειτα λέγει· καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Θεὸς οὖν ὢν ὁ Λόγος καὶ ἐκ Θεοῦ πεφυκώς.

Num. XXXI. D. Irenæus l. 1. c. 10. Ἡ μὲν γὰρ ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα, τὴν εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα τὸν πεποιηκότα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὰς θαλάσσας καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, πίστιν . . . . . . τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα. καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη· καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ αὐτή· καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι.

Num. XXXII. l. 2. c. 32. Διὸ καὶ ἐν τῷ ἐκείνου ὀνόματι οἱ ἀληθῶς αὐτοῦ μαθηταὶ λαβόντες τὴν χάριν ἐπιτελοῦσιν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἷς ἕκαστος αὐτῶν τὴν δωρεὰν εἴληφε παρ' αὐτοῦ. οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς καθαρισθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων, καὶ εἶναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. οἱ δὲ καὶ πρόγνωσιν ἔχουσι τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας καὶ ῥήσεις προφητικάς. ἄλλοι δὲ τοὺς κάμνοντας διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως ἰῶνται, καὶ ὑγιεῖς ἀποκαθιστᾶσιν. ἤδη δὲ, καθὼς προέφαμεν, καὶ νεκροὶ ἠγέρθησαν, καὶ παρέμειναν σὺν ἡμῖν ἱκανοῖς ἔτεσι. καὶ τί γάρ; οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν τῶν χαρισμάτων, ὧν κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ἐκκλησία παρὰ Θεοῦ λαβοῦσα, ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἑκάστης ἡμέρας ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ, μήτε ἐξαπατῶσά τινας, μήτε ἐξαργυριζομένη· ὡς γὰρ δωρεὰν εἴληφε παρὰ Θεοῦ, δωρεὰν καὶ διακονεῖ.

Num. XXXVI. Irenæus l. 5. contra Hæreses c. 16. Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ Ἀδὰμ προσεκόψαμεν, μὴ ποιήσαντες αὐτοῦ τὴν ἐντολήν· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Ἀδὰμ ἀποκατηλλάγημεν, ὑπήκοοι μέχρι θανάτου γενόμενοι. οὐδὲ γὰρ ἄλλῳ τινὶ ἦμεν ὀφειλέται, ἀλλ' ἢ ἐκείνῳ, οὗ καὶ τὴν ἐντολὴν παρέβημεν ἀπ' ἀρχῆς.

Num. XLII. Epiph. in exposit. fidei, art. 22. Τὰς δὲ τεσσαρακοστὰς τὰς πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου πάσχα ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἡ αὐτὴ ἐκκλησία, ἐν νηστείαις διατελοῦσα . . . . . Τὰς δὲ ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοί. φημὶ δὲ ἄρτῳ καὶ ἁλὶ καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν. ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς, τῆς Κυριακῆς ἐπιφωσκούσης. ἀγρυπνίας δὲ διατελοῦσι τὰς ἕξ. συνάξεις ἐπιτελοῦσι πάλιν τὰς αὐτὰς ἕξ. καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀπὸ ἐννάτης ἕως ἑσπέρας.

Num. XLIII. Euseb. l. 5. c. ultimo. Φασὶ γὰρ τοὺς μὲν προτέρους ἅπαντας καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀποστόλους παρειληφέναι τε καὶ δεδιδαχέναι ταῦτα ἃ νῦν οὗτοι λέγουσι. καὶ τετηρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν τοῦ κηρύγματος μέχρι τῶν Βίκτορος χρόνων, ὃς ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος. ἀπὸ δὲ τοῦ διαδόχου αὐτοῦ Ζεφυρίνου παρακεχαράχθαι τὴν ἀλήθειαν. ἦν δὲ ἂν τυχὸν πιθανὸν, εἰ μὴ πρῶτον μὲν ἀντέπιπτον αὐτοῖς αἱ θεῖαι γραφαί. καὶ ἀδελφῶν δέ τινων ἐστὶ γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων, ἃ ἐκεῖνοι πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῆς ἀληθείας καὶ πρὸς τὰς τότε αἱρέσεις ἔγραψαν. λέγω δὲ Ἰουστίνου καὶ Μιλτιάδου καὶ Τατιανοῦ καὶ Κλήμεντος καὶ ἑτέρων πλειόνων, ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός. τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν; ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. πῶς οὖν ἐκ τοσούτων ἔτων καταγγελμένου τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ φρονήματος, ἐνδέχεται τοὺς μέχρι Βίκτορος οὕτως ὡς οὗτοι λέγουσι κεκηρυχέναι; πῶς δὲ οὐκ αἰδοῦνται ταῦτα Βίκτορος καταψεύδεσθαι, ἀκριβῶς εἰδότες ὅτι Βίκτωρ τὸν σκυτέα Θεόδοτον τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, ἀπεκήρυξε τῆς κοινωνίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστόν. εἰ γὰρ Βίκτωρ κατ' αὐτοὺς οὕτως ἐφρόνει, ὡς ἡ τούτων διδάσκει βλασφημία, πῶς ἂν ἀπέβαλε Θεόδοτον τὸν τῆς αἱρέσεως ταύτης εὑρετήν;

Num. XLVII. Clemens Alexandr. admonit. ad Gentes. οὗτος γοῦν ὁ Λόγος ὁ Χριστὸς καὶ τοῦ εἶναι πάλαι ἡμᾶς. ἦν γὰρ ἐν Θεῷ· καὶ τοῦ εὖ εἶναι. νῦν δὲ ἐπεφάνη ἀνθρώποις αὐτὸς οὗτος ὁ λόγος, ὁ μόνος ἄμφω, Θεός τε καὶ ἄνθρωπος, ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος ἀγαθῶν . . . . οὗτος ὁ Λόγος ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεὸν διδάσκαλος ἐπεφάνη, ᾧ τὰ πάντα δεδημιούργηται. λόγος ὁ καὶ τὸ ζῆν ἐν ἀρχῇ μετὰ τοῦ πλάσαι παρασχὼν ὡς δημιουργὸς, τὸ εὖ ζῆν ἐδίδαξεν ἐπιφανεὶς ὡς διδάσκαλος, ἵνα τὸ ἀεὶ ζῆν ὕστερον ὡς Θεὸς χορηγήσῃ. . . . .

(Fere sub finem) Πίστευσον, ἄνθρωπε, ἀνθρώπῳ καὶ Θεῷ. Πίστευσον, ἄνθρωπε, τῷ παθόντι καὶ προσκυνουμένῳ Θεῷ ζῶντι. Πιστεύσατε οἱ δοῦλοι τῷ νεκρῷ. πάντες ἄνθρωποι πιστεύσατε μόνῳ τῷ πάντων ἀνθρώπων Θεῷ, πιστεύσατε, μισθὸν λάβετε σωτηρίαν . . . . . . ὁ γὰρ ἂν οὕτως ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τοσοῦτον ἔργον ἀνύσας θείας κηδεμονίας ἐξένισεν ὁ Κύριος, ὄψει καταφρονούμενος, ἔργῳ προσκυνούμενος, ὁ καθάρσιος καὶ σωτήριος καὶ μειλίχιος ὁ θεῖος Λόγος, ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθείς. ὅτι ἦν Υἱὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ Λόγος ἦν ἐν τῷ Θεῷ.

Num. XLIX. Idem Strom. l. 1. Ἤδη δὲ ἡ γραφὴ εἰς ἐπίδειξιν συντεταγμένη οὐδ' ἡ πραγματεία· ἀλλά μοι ὑπομνήματα εἰς γῆρας θησαυρίζεται, λήθης φάρμακον, εἴδωλον ἀτεχνῶς καὶ σκιαγραφία τῶν ἐναργῶν καὶ ἐμψύχων ἐκείνων, ὧν κατηξιώθην ἐπακοῦσαι λόγων τε καὶ ἀνδρῶν μακαρίων, καὶ τῷ ὄντι ἀξιολόγων . . . . οἱ μὲν τὴν ἀληθῆ τῆς μακαρίας σώζοντες διδασκαλίας παράδοσιν, εὐθὺς ἀπὸ Πέτρου τε καὶ Ἰακώβου, Ἰωάννου τε καὶ Παύλου τῶν Ἁγίων Ἀποστόλων παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος . . . ἧκον δὲ σὺν Θεῷ καὶ εἰς ἡμᾶς τὰ προγονικὰ ἐκεῖνα καὶ ἀποστολικὰ καταθησόμενοι σπέρματα.

Num. L. Ibidem (in medio .) ἔπει οἱ ψόγοι, οὔθ' αἱ τιμαὶ, οὔθ' αἱ κολάσεις δίκαιαι, μὴ τῆς ψυχῆς ἐχούσης τὴν ἐξουσίαν τῆς ὁρμῆς καὶ ἀφορμῆς . . . . . . πάντων τοίνυν ἀνθρώπων κεκλημένων, οἱ ὑπακοῦσαι βουληθέντες κλητοὶ ὠνομάσθησαν· οὐ γάρ ἐστιν ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ. αὐτίκα ἐξ ἑκατέρου γένους οἱ πιστεύσαντες, οὗτοι λαὸς περιούσιος . . . . οἱ μὲν ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ, ἐβαπτίσθησαν, οἱ δὲ μὴ θελήσαντες πείθεσθαι, ἑαυτοὺς ἀπέστησαν δηλαδή. πρὸς τούτους ὁ προφητικὸς λόγος· κἂν θέλητε καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε. ἐφ' ἡμῖν κείμενον διελέγχουσα καὶ τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν ἀποφυγήν.

Num. LIV. Idem Strom. l. 7. οὔτε γὰρ ὁ φροντίζει πάντων ἀνθρώπων ὁ Κύριος· καὶ τοῦτο, ἢ τῷ μὴ δύνασθαι πάθοι ἄν, ὅπερ οὐ θεμιτόν. ἀσθενείας γὰρ σημεῖον, ἢ τῷ μὴ βούλεσθαι, δυνάμενος, οὐκ ἀγαθοῦ δὲ τὸ πάθος . . . ὁ κύριος τῶν συμπάντων, ὅπερ καὶ καθήκει τῷ Κυρίῳ πάντων γενομένῳ. Σωτὴρ γάρ ἐστιν, οὐχὶ τῶν μὲν, τῶν δ' οὔ . . . . ὅθεν δὴ ὁ δίκαιος κατ' αὐτόν, ὁ πάντας μὲν ἐπ' ἴσης κεκληκὼς, ἐξαιρέτως δὲ τοῖς ἐξαιρέτως πεπιστευκόσιν ἀπονείμας τιμάς . . . . ἰδίᾳ τε ἑκάστοις καὶ κοινῇ πᾶσιν ὢν σωτήρ.

Idem ibid. sub finem. ἀλλ' οὐδὲ τὴν κλεῖν ἔχοντες αὐτοὶ τῆς εἰσόδου, ψευδῆ δέ τινα, καὶ ὡς φασιν ἀντίθυρον, ἀντικλεῖδα, δι' ἧς οὐ τὴν αὐλαίαν ἀναπετάσαντες, ὥσπερ ἡμεῖς διὰ τῆς τοῦ Κυρίου παραδόσεως εἰσίμεν, παραθύραν δὲ ἀνατεμόντες καὶ διορύξαντες λάθρα τὸ τειχίον τῆς ἐκκλησίας, ὑπερβαίνοντες τὴν ἀλήθειαν, μυσταγωγοὶ τῆς τῶν ἀσεβῶν ψυχῆς καθίστανται. ὅτι γὰρ μεταγενεστέρας τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τὰς ἀνθρωπίνας συνελεύσεις πεποιήκασιν, οὐ πολλῶν δεῖ λόγων . . . . . Sub finem. Οὕτως ἐχόντων, συμφανὲς ἐκ τῆς προγενεστάτης καὶ ἀληθεστάτης τὰς μεταγενεστέρας ταύτας καὶ τὰς ἔτι τούτων ὑποβεβηκυίας τῷ χρόνῳ κεκαινοτομῆσθαι παραχαραχθείσας αἱρέσεις. ἐκ τῶν εἰρημένων ἄρα φανερὸν οἶμαι γεγενῆσθαι, μίαν εἶναι τὴν ἀληθῆ ἐκκλησίαν, τὴν τῷ ὄντι ἀρχαίαν . . . . κατά τε ὑπόστασιν, κατά τε ἐπίνοιαν, κατά τε ἀρχὴν, κατά τε ἐξοχὴν, μόνην εἶναι φαμὲν τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν εἰς ἑνότητα πίστεως μιᾶς.

LIBER QUINTUS.

Christianorum virtus in longa pace debilitatur, mundique blandientis illecebræ morum corruptelam invehunt. Adversis autem rebus probantur Fideles & perficiuntur. Ea veritas sese manifestat; tum in magnis viris, quorum varius fuit exitus: Natalis Episcopi hæretici mirabilis fuit conversio; contra Tertulliani & Origenis, quo illustriora fuere initia, lapsus eo magis deplorandus. Eorum opera, cum authoritatem obtineant, exponemus; multa enim ad fidem, mores & disciplinam utilissima continent; tum in Ecclesia, cujus paci successit atrox & longa Severi persecutio, quæ plures fecit martyres ubique gentium. Hæresiarchæ fuere pauci. Minutius Felix, Geminus Presbyter Antiochenus, & Hippolytus Episcopus florent inter scriptores Ecclesiasticos.

CHRISTI AN. 201. Eus. hist. l. 6. c. 9. *D. Narcissi summa virtus vindicata divinitus.*

I. 
Anctitate vitæ & miraculis florebat Narcissus Hierosolymorum episcopus, qui Cæsariensi Concilio interfuerat: ejus virtutem probatam multis prodigiis illustrevit Deus. Forte in magna Paschæ vigilia oleum ministris deeret. Qua de causa cum universus populus gravissimo mœrore perculsus esset, Narcissum ferunt mandasse iis, quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex quodam propinquo haustam puteo ad se deferrent: quod ubi dicto citius impletum est, oratione super aquam facta, jussit sincera in Christum fide, ut eam lucernis infunderent; quo itidem peracto, aqua, contra morem naturæ suæ, mirabili quadam ac divina virtute, in olei pinguedinem conversa est: ex eoque oleo apud plurimos fratres exiguum quoddam specimen, ad memoriam tanti miraculi per centum viginti annos, scilicet ad Eusebii usque tempora, servatum est. Sed neque viri sanctitas, neque miracula, illius innocentiæ adversus calumniam præsidio fuere: mali quidam homunciones, qui vigorem & constantiam vitæ illius ferre non poterant, veriti ne tandem deprehensi pœnas darent, utpote sexcentorum scelerum sibi conscii, prævenire eum decreverunt; structisque insidiis, gravissimam ei calumniam aspersérunt; atque ut audientibus persuaderent, sacramenti religione firmabant accusationem. Unus inter jurandum imprecabatur sibi, ut incendio periret, si sciens falleret: alter, ut pestilenti morbo corpus absumeretur; tertius, ut luminibus orbaretur. Sed, quantumvis jurantibus, nemo ex fidelium numero fidem adhibebat: quippe Narcissi continentia & sanctitas vitæ omnibus virtutum numeris absolutæ cunctis semper spectata compertaque fuerat.

Ibid. Ille cum dictorum infamiam sustinere non posset, & alioqui Philosophicæ vitæ, seu Asceticæ, jam dudum amore teneretur; relicta ecclesiæ plebe, in solitudine ac deviis agris plurimos annos delituit: verum magnus ille justitiæ oculus his peractis minime quiescendum putavit: sed confestim impios iis ipsis ultus est diris, quibus in semetipsos pejerantes sese devoverant. Primus igitur, cum modice quædam scintilla in domo, in qua manebat, citra ullam causam subito exsiluisset, noctu incensis ædibus cum universa familia conflagravit; alteri corpus ab imis pedibus ad summum usque capitis verticem eo morbi genere, quo seipsum mulctaverat, correptum est; tertius priorum casum contuitus, omniumque inspectoris Dei inevitabilem veritus vindictam, concinnatæ ab ipsis & compactæ calumniæ ordinem confessus est: tantis porro lamentis ob pœnitentiam facti sese confecit; & in tantum lacrymas effundere perseveravit, ut ex eo oculorum lumen amitteret.

Ib. c. 10. Cæterum post Narcissi fugam, ignaris omnibus ubinam gentium ageret, visum est finitimarum ecclesiarum episcopis alium ejus loco Episcopum ordinare, Dium nomine; qui cum modico tempore præfuisset, successor ei datus est Germanio; quem deinde Gordius excepit.

II. Septimius vero Tertullianus, civis Carthaginensis, natus patre centurione proconsulari, cujus fama per Orbem Christianum longe percrebuit, miserabilem habuit exitum: aliquamdiu vixit in idololatria, ut ipse testatur: " Hæc, inquit, scilicet Christianæ religionis mysteria, & nos risimus aliquando: de vestris fuimus; fiunt, non nascuntur Christiani. „ Qua ætate superstitionem ejurarit, incertum est: legum Romanarum fuit peritissimus; multi eum in foro patronum egisse suspicantur. Vir fuit acris & vehementis ingenii, & sicut Origenes apud Græcos, ita hic apud Latinos, nostrorum omnium princeps facile judicandus est: Philosophiam omnem, authoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum & studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est; sed in eloquendo parum facilis, minus comptus, & multum obscurus, rationum tamen pondere gravis & urgens: quum usque ad mediam ætatem presbyter ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, novæ prophetiæ propugnator extitit in libris de exhortatione castitatis, de pudicitia, de fuga in persecutione, de jejuniis, de monogamia, & in sex libris de extasi, qui periere cum septimo adversus Apollonium Ephesiorum Episcopum. Fertur vixisse usque ad decrepitam ætatem, multaque, quæ non extant, opuscula condidisse: debellatis pluribus hæresibus, Judæis, & Gentilibus, ipse diem extremum clausit schismaticus & hæreticus. Plures libros scripsit Catholicus, & quoniam authoritatem habent in Ecclesia, præcipuas eorum partes annotabimus.

CHRISTI AN. 201. Tertul. apol. cap. 18. *Tertulliani initia.* Vincent. Lirin. commonit. l. 1. cap. 24. Lact. l. 5. cap. 1. Hier. de script. Eccl.

III. Primus inscribitur de baptismo, cujus vim & necessitatem demonstrat adversus Quintillam, " quæ nuper, inquit, conversata istic de Caina hæresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens. „ Hæc tria in eo evidenter astruit: baptismi efficaciam, originale peccatum quod deletur Sacramento, Confirmationis Sacramentum quod renatis datur. Et primo quidem de baptismo, cujus figuram dicit fuisse piscinam Betsaidam, subjicit; " Proficiente hominibus gratia Dei, plus aquis & Angelo accessit. Qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui unum semel in anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum, exempto scilicet reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat .... Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum. Non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati, sub Angelo Spiritui sancto præparamur .... Angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre & Filio & Spiritu sancto .... Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione .... In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum .... Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens a Patre descendit. „ En ritus exterior, scili-

Tertul. liber de baptismo. Num. 1. num. 5. & 6.

Confirmationis Sacramentum.

Digitized by Google

Christi An. 201.

scilicet manuum impositio, per quam Spiritus sanctus datur post baptismum, ac proinde Sacramentum a baptismo diversum. Inde confutans hæreticos, quorum errorem sic exponit: " Baptismus non est necessarius quibus fides satis est: nam & Abraham nullius aquæ, nisi fidei Sacramento Deo placuit ... fuerit, (respondet Tertullianus,) salus retro per fidem nudam ante Domini Passionem & Resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in Nativitatem, Passionem, & Resurrectionem ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodam modo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine lege sua; lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta: *Ite*, inquit, *& docete omnes nationes, tingentes eas in Nomen Patris & Filii & Spiritus sancti*. Huic legi collata definitio illa; *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Cælorum;* obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. "

nom. 13. *Baptismi necessitas.* — Matt. 28. — Ibid.

Infra reprobat baptismum hæreticorum, an omnium, an tantum eorum, qui baptismi ritum ejus ætate non servabant, incertum est. Aliqui putant tunc Agrippinum Episcopum Carthaginensem in Synodo tulisse legem de rebaptizandis hæreticis, eique tribuunt hunc canonem inter Apostolicos 45. Episcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum baptisma, aut sacrificium susceperit, deponi præcipimus: item sequentem; episcopus & presbyter, si eum, qui verum baptisma habeat, iterum baptizaverit: aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitor; ut qui crucem & mortem Domini derideat: neque discernat veros sacerdotes a sacerdotibus impostoribus. Plures volunt eos esse Iconiensis Concilii sub Firmiliano; alii, & quidem probabilius, sentiunt eos ab Episcopis Orientalibus editos adversus Gnosticos hæreticos, imprimis adversus Valentinianos, & Marcionitas, & Marci discipulos, qui novam baptismi formam induxerant. Id unum tot inter opiniones manifestum est, has leges ab Apostolis nusquam fuisse sancitas; alioquin illas ut traditionem Apostolicam Stephano Papæ postmodum objecissent Cyprianus & Firmilianus. Agrippinum autem antiquam de non rebaptizandis iis, qui baptismum ab hæreticis acceperant, disciplinam mutasse testatur Augustinus; quam consuetudinem, inquit, nisi prior ante Agrippinum, & nonnulli per Africam Episcopi ejus, etiam per Concilii sententiam deferere tentavissent, non auderet Cyprianus saltem ratiocinari adversus eam.

Aug. de bapt. l. 2. cap. 9.

Epist. 3. — *Tertul. de pœnit. c. 7.*

IV. Tertullianum adhuc Catholicum scripsisse librum de pœnitentia testatur D. Pacianus, & ratio suadet, confitetur in eo posse Ecclesiam peccata etiam carnis dimittere post baptismum. " Dolet, inquit, diabolus, quod ipsum & angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est; itaque observat, oppugnat, obsidat: si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire; aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere; aut a via certa pravis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit .... Hæc igitur venena ejus providens Deus, ... collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius nunquam. " Loquitur de publica pœnitentia, quæ prioribus sæculis nusquam iterabatur. Pergit: " Neminem pudeat iteratæ valetudinis, iteranda medicina est; gratus in Domino extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris: offendisti, sed reconciliari adhuc potes.

Ibid. cap. 9. *Pœnitentia publica.*

In prima parte hujus operis agit in genere de pœnitentia, & præsertim de ea quæ fit ante baptismum. Capite vero septimo disputat de pœnitentia publica, quæ propria est eorum, qui enormibus & publicis sceleribus baptismi sponsionem fecerunt irritam. Illius labores & actus sic describit: " Hujus igitur pœnitentiæ secundæ & unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem: de ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare: cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere .... In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. Plerosque tamen, hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis. " Hinc aliqui inferunt sacramentalem peccatorum mortalium etiam occultorum fuisse publicam confessionem: quibus aperte sic refragatur Tridentinum: non est hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Imprudentiæ crimen igitur imponunt Ecclesiæ qui tales disciplinæ leges ei attribuunt. Itaque tunc alia non erat sui manifestatio publica, quam diuturna & humillima satisfactio, qua se magnorum scelerum reos per plures annos profitebantur coram omnibus, ab ingressu Ecclesiæ & fidelium communione prohibiti, quod notis peccatoribus verecundum esse docet experientia: quis enim adulter etiam manifestus vellet hisce laboribus se nunc subjicere?

Christi An. 201.

Trid. sess. 14. c. 5. *Sacramentalis peccatorum confessio numquam fuit publica.*

V. Est etiam liber de oratione ab omni Montanismi labe alienus. Dominicam orationem explicans, quartam sic exponit petitionem: " Quamquam panem nostrum quotidianum da nobis hodie, spiritualiter potius intelligamus. Christus enim panis noster est; quia vita Christus, & vita panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ;* & paulo supra, *panis est sermo Dei vivi, qui descendit de cælis*. Tum quod & corpus ejus in pane censetur: *hoc est corpus meum*. " Et infra, nonnullos occurrentes in oratione defectus corrigens, sic loquitur de sacrificio Christianorum. " Similiter & stationum seu jejuniorum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini; ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii ..... " Fideles igitur ætate Tertulliani aderant sacrificio Corporis Christi, & stantes ad aram illius fiebant participes. Quin etiam ea tunc vigebat consuetudo, ut sumerent Eucharistiam quoties ejus celebrationi interessent. Hinc canon primus Apostolicus: omnes fideles qui ingrediuntur & scripturas audiunt, in precatione autem & sacra communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes segregare oportet.

Tertul. de oratione. num. 6. — Joan. 6. — num. 14. *Eucharistia est sacrificium.* — edit. Cotel.

Libellus de oratione in ejus operibus editis extat imperfectus: non ita pridem in manuscriptis Ambrosianæ bibliothecæ reperta est pars ejus posterior. In ea agit primo de cultu & habitu corporis illius qui orat. Hic explicans ea Apostoli verba: *Mulier adorans & prophetans intecto capite dedecorat caput suum.* " Quid est, inquit, omnis mulier, nisi omnis ætatis, omnis ordinis, omnis conditionis ... sed aliqua se Deo vovit. Jam & crinem exinde transfigurat, & omnem habitum ad mulieres convertit; totum ergo asseveret, & totum virginis, præter quod propter Deum abscondit, plane obumbret ... velare virgo, si virgo es; debes enim erubescere; si virgo es, plures oculos noli pati .... nupsisti Christo, illi carnem tuam tradidisti. Age pro marito tuo disciplinam, si nuptas alienas velari jubet, suas utique multo magis. " Ex his duo discimus: primo Christianas mulieres, non nisi velatas prodiisse in publicum: secundo, nonnullas etiam tum Deo vovisse suam virginitatem, quæ nuptarum habitum profecto modestum assumebant, quo declarent se jam alterius esse non posse. Secundo docet determinatas tunc quoque fuisse publicæ orationis horas, scilicet Tertiam, Sextam, Nonam, " quas, inquit, solemniores in scripturis invenire est ... Etsi simpliciter se habeant sine ullius observationis præcepto, bonum tamen sit aliquam constituere præscriptionem, quæ & orandi admonitionem constringat, & quasi lege ad tale munus extorqueat a negotiis interdum; ut quod Danieli legimus observatum utique ex Israelis disciplina, ne minus ter die saltem adoremus, debitores Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Exceptis utique legitimis orationibus, quæ sine ulla admonitione debentur ingressu lucis & noctis. " Hunc libellum

Ibid. — 1. ad Cor.

Christi An. 201. bellum concludit commendatione orationis, cujus vim & efficaciam demonstrat ex variis effectibus, qui penitus mirabiles videntur.

Tert. ad uxorem l. 1. c. 7. l. 2. c. 2. VI. Duos ad uxorem libros scripsit adhuc orthodoxus; secundum enim matrimonium ut legitimum sic approbat: " nam etsi non delinquas renubendo, carnis tamen pressuram subsequi dicit Apostolus: & libro secundo: *Mulier defuncto viro libera est, cui vult, nubat tantum in Domino.* „ Viduitatis statum præfert ut excellentiorem. Quapropter in primo libro uxorem adhortatur, ut si primus e vivis excesserit, coelebs permanens secundis nuptiis renuntiet. In secundo libro eam a matrimonio cum homine Gentili penitus absterret. Hæc imprimis notanda de matrimonio Christiano: " unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio; Angeli renuntiant, pater ratum habet? nam nec in terris filii sine consensu patrum recte & jure nubunt. „ Id legibus præscriptum erat Imperialibus. " Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio: atque vere duo in carne una, ubi caro una & unus spiritus. Simul orant, simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis, neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est. Libere æger visitatur, indigens sustentatur: eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet. Talia videns & audiens Christus gaudet, his pacem suam mittit. „ En qualis esse debeat vita conjugum.

(cap. 8.)

Tert. de præscriptione. VII. Opus Tertulliani præstantissimum est liber præscriptionum adversus hæreticos; quos demonstrat Ecclesiæ authoritate confundi; cujus principii veritatem & necessitatem manifestat experientia omnium sæculorum, agnoscunt vel inviti Protestantes, qui Synodorum suarum decretis non obsequentes excommunicant. Et primo quidem monet " non oportere nos mirari super hæreses istas, sive quia sunt; futuræ enim prænuntiabantur: sive quia fidem quorundam subvertunt; ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem... apud eos multum valent, qui in fide non valent... Salomon omni gratia & sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur. Quid ergo, si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit? ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? nemo sapiens est, nisi fidelis: nemo major, nisi Christianus .... Hæreses dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur... Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo Domino disciplinam fideliter nationibus adsignarunt. Itaque etiam si Angelus de coelis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis. „

(num. 1. — num. 3. — num. 6.)

Ibid. Inferius ostendit natas ex placitis & argutiis Philosophorum hæreses. Adversus eas præscribit, ostendendo primo, non admittendos hæreticos ad ullam de scripturis disputationem. " Dispici debet, inquit, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eam cui nullo modo competit ... Illud solum disputandum est: cujus sint scripturæ: a quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem & disciplinæ, & Fidei Christianæ, illic erit & veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum. Christus Jesus Dominus noster, ... digrediens ad Patrem post Resurrectionem, undecim Apostolos jussit ire & docere omnes nationes .... Statim igitur Apostoli consecuti promissam vim Spiritus sancti, ad virtutes & eloquium, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, & Ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unam quamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant: ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum ... Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes prima, & Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis & contesseratio hospitalitatis; quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una traditio: hinc igitur dirigimus præscriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius Patrem novit nisi Filius, & cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. „

(num. 19. — num. 26. — Christi An. 201. — num. 22. — *Ecclesiæ authoritas.*)

num. 32. ibid. " Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterum si quæ audent inserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem & antecessorem: hoc enim modo Apostolicæ Ecclesiæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum ecclesia Polycarpum a Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem... Ita omnes hæreses ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatæ, probent se qua qua putant Apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec probare possunt quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis, scilicet ob diversitatem Sacramenti, nullo modo Apostolicæ ... „

num. 36. ibid. " Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja; habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia: cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur: ubi Paulus Joannis, scilicet Baptistæ, exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. „ Hanc Tertulliani præscriptionem adversus omnes hæreses necdum rescindere potuerunt sectarii: ac proinde Tertullianus ipse, qui vim illius optime penetrarat, hunc librum in hæresi vel schismate non scripsit, sed ante lapsum. Imprimis cum in eo maxime commendet authoritatem Romanæ Ecclesiæ, quam oppugnavit jam factus Montanista; primumque illius sectæ principium subruas, ut mox patebit.

(*Ecclesia Rom. authoritas.*)

ibid. num. 22. Hæreticorum illius ætatis ea fuit impudentia, ut perfracte affirmarent, non omnia Apostolos scisse, vel non omnia omnibus tradidisse, quod fuit Montani principium, quo suas fabulas tanquam novas revelationes induceret, glorians sibi perfectiora revelasse Paracletum, quos sic redarguit Tertullianus in hoc libro: " Quis integræ mentis credere potest

aliquid

Christi An. 201. aliquid eos ignorasse, quos Magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu: quibus obscura quæque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cœlorum consecutum, & solvendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem?... Luc. 22. Dixerat plane aliquando Christus: *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere*; tamen adjiciens, *cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem*: ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat: & utique implevit repromissum, probantibus actis Apostolorum descensum Spiritus sancti. „ Demum probat Apostolos nihil abscondisse de Dei verbo & Christi Sacramento; absurdumque esse fingere omnes Ecclesias male intellexisse quæ audierant ab Apostolis; id enim divinæ repugnat promissioni: præterea in unam conveniunt sententiam, error autem induxit varietatem opinionum, ut patet in sectis hæreticorum. Tertullianus hæc scripsit adhuc florente pace Ecclesiæ, quam mox excepit longa & crudelis persecutio.

Christi An. 204. Spart. cap. 16. in Sever. VIII. Severus rebus Imperii compositis ex arbitrio, ultionem, quam dudum meditabatur adversus Parthos, qui Nigri partes adjuverant, exequitur. Trajectis maximis copiis in Orientem, invadit Parthicam, & post aliquas victorias Ctesiphontem regni caput expugnat, diripit atque dimittit. Ob hoc filium ejus Bassianum, qui Cæsar jam appellatus fuerat, participem Imperii, Getam quoque minorem filium Cæsarem dixerunt milites. Harum appellationum causa donativum illis largissimum dedit, *Persecutio.* concessa omni præda oppidi Parthici, quod milites quærebant. Inde in Syriam rediit victor, & cum Antiochiam pertransisset, Alexandriam petiit. Judæos fieri sub gravi pœna vetuit: idem etiam de Eus. hist. l. 6. c. 2. & c. 6. edit. Vales. Christianis sanxit anno Imperii sui decimo, Christi 204., sperans Orientis urbes ex religionum diversitate sæpe tumultuantes adversus Christianos fore pacatiores. Aliquot etiam suos duces, aliosque viros nobiles, Nigrique liberos, interfecit, authore Plautiano, viro crudeli & avarissimo. Eo etiam spectabat, ut sublatis æmulis pacatissimum filiis relinqueret Imperium. Anno tantum sequenti Romæ grassata est persecutio. Hoc edictum persecutionis ardentissimum excitavit incendium, atque innumerabiles martyrio coronati sunt. Judas scriptor ecclesiasticus, de septuaginta apud Danielem septimanis disserens, decantatum illum Anti-Christi adventum jam tum imminere existimavit, adeo commota tunc adversus nostros persecutio multorum animos vehementer conturbaverat. Ægypti præfecturam obtinebat Lætus, episcopatum vero ecclesiæ Alexandrinæ post Juliani obitum adeptus erat Demetrius.

ibid. c. 1. IX. Furente persecutionis procella, per omnes ubique locorum ecclesias ab athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria. Præcipue tamen Alexandriæ, cum ex universa Ægypto ac Thebaide lectissimi pugiles eo tanquam in amplissimum *Origenis initia.* Dei stadium deducerentur, & cujusque modi tormenta, mortesque invicto animo perpessi immortales a Deo coronas reciperent. Inter quos Leonides Origenis pater capite truncatus filium admodum adolescentem reliquit. Origenis animum adhuc pueri tanta ibid c. 2. cupido occupavit martyrii, ut se periculis ipsis objiceret, & prosilire ultro atque irruere ad certamen gestiret: jamque mors illi sine dubio proxima imminebat, nisi cœlestis Dei providentia plurimorum utilitati consulens per matris ministerium impetum illius cohibuisset. Ac mater quidem primum verbis supplicando rogabat, ut materni affectus reverentia moveretur; sed cum illum vehementius incitatum vidisset, ex quo patrem comprehensum in vinculis detineri intellexerat, quippe post hac toto animi impetu ad martyrium ferebatur, abscondita omni illius veste, domi manere invitum coegit. Igitur ille nihil aliud sibi relictum esse animadvertens, cum supra ætatem cupiditas intenderetur, quietis impatiens, literas ad patrem misit, quibus illum ad martyrium vehementissime cohortabatur, his inter cætera verbis eum admonens: cave, mi pater, ne nostra causa sententiam mutes. Jam tum fidei nostræ doctrinam non vulgariter imbiberat, utpote in divinis scripturis jam inde a puero exercitatus; cum præter liberalium disciplinarum studia, etiam sacris literis non perfunctorie pater illum erudivisset; quosdam divinæ scripturæ locos memoriæ mandare ac recitare quotidie illum jubens. Nec vero pueri animus ab his abhorrebat, sed libentissime in hujusmodi studia incumbebat; adeo ut simplici & obvia sacrarum literarum lectione minime contentus, majus aliquid inquireret, & profundiores jam tum sensus scrutaretur. Christi An. 204. & 205.

Ibid. Quandoque patri facessebat negotium, sciscitans ex illo, quid sententia divinitus inspiratæ scripturæ significaret. Ille vero coram quidem puerum objurgabat, monens ne supra captum ætatis, neve ultra obvium & apertum scripturæ sensum quicquam requireret: clam tamen apud se singulari gaudio perfusus, Deo bonorum omnium authori gratias agebat maximas, quod se talis filii parentem efficere dignatus fuisset: ac sæpenumero dormientis pueri cubiculum ingressus, pectus ejus nudasse dicitur, & velut quoddam divini Spiritus sacrarium religiose illud deosculatus, semetipsum beatum ejusmodi sobole prædicasse. Ejus patre martyrii coronam adepto, ipse cum matre & parvulis fratribus numero sex orbus relictus est, annum agens ætatis septimum decimum, ac proinde anno Christi centesimo octogesimo octavo. Natus est imperante Commodo. Et quoniam facultates patris in fiscum Principis illatæ fuerant, ad summam rerum omnium penuriam una cum suis redactus, divinæ providentiæ meruit auxilium; exceptus enim & refocillatus est a matrona quadam opulentissima, sed quæ celeberrimum quemdam virum Antiochia oriundum, hæreticorum qui erant Alexandriæ propugnatorem, fovebat ut filium adoptivum. Origenes tametsi cum eo necessitate compulsus versaretur, ex eo tamen tempore suæ in recta fide retinenda constantiæ illustrissimum specimen edidit: siquidem innumerabili hæreticorum & nostrorum numero ad Paulum, hoc enim illi viro nomen fuit, quotidie confluente, eo quod eloquentia excellere videretur, ipse nunquam adduci potuit ut cum Paulo in precatione consisteret. Porro cum Græcanicis disciplinis primum a patre imbutus fuisset, & post ejusdem obitum totum se liberalibus studiis vehementius addixisset, adeo ut sufficientem usum ac peritiam artis Grammaticæ assecutus videretur, eam artem professus necessaria vitæ subsidia abunde sibi comparavit.

X. Vigilius Saturninus biennio ante gladium egerat in Christianos, quos inter celeberrimi fuere martyres Scillitani: decimo sexto Kalendas Augustas, Carthagine metropoli, statum forensi conventu, præceperunt magistratus adstare sibi Speratum, Nazarium, Cythium, Donatam, Secundam, Vestiam & socios eorum. Act. Sync. Bibl. Colbert. *Martyres Scillitani.* Adductis his omnibus, Saturninus Proconsul dixit: potestis indulgentiam omnes a dominis nostris Imperatoribus promereri, si ad bonam mentem redeatis, & deorum nostrorum cæremonias observetis. Sanctus Speratus dixit: numquam gessisse conscii sumus iniquitatem, nulli unquam nos maledixisse recolimus, sed male tractati ac lacessiti semper Deo gratias egimus: siquidem & pro his oravimus, quos injuste patiebamur infestos; pro qua re & Imperatorem nostrum attendimus, a quo nobis hæc vivendi norma concessa est.. Saturninus Proconsul dixit: sed potius jurate per regnum dominorum nostrorum Imperatorum, ut vitæ illius lætitia perfrui vobis liceat. Speratus dixit: Ego imperium hujus sæculi non cognosco, sed magis illi fide, spe & charitate deservio Deo, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Facinus, quod legibus publicis & divinis comperitur esse damnabile, non feci; si quid autem in publicum egero, exactoribus publicis vectigalia reddo. Imperatorem omnium Gentium Deum & Dominum meum agnosco: querelas nulli intuli, sustinere non debeo

Ibid. XI. Saturninus Proconsul ad cæteros ora convertit, & socios sancti Sperati sic adorsus est: desinite hujus etiam persuasionis, qua Speratus inlectus est; quos ejus habuerit professio socios, nihilominus habebit & pœna... Sanctus Cythius respondit: non aliud oportet a nobis audire, Proconsul, nisi quæ socius noster Speratus confessus est: scio enim quod non habeamus alium, quem timeamus, nisi unum Deum & Dominum nostrum, qui est in cœlo. Sancta Donata similiter dixit: honorem Cæsari reddimus: timorem autem aut cultum Christo Deo vero præstamus. Vestia vero venerabilis subsecuta est dicens: hoc semper meditabitur cor meum, & labia mea pronuntiabunt, quia Christiana sum. Sancta vero Secunda similiter ait: quod sum Christiana, ipsa id esse volo.

XII. Sa-

Digitized by Google

Christi An. 205. Ibid.

XII. Saturninus Proconſul ſancto Sperato dixit : perſeveras, ut video, eſſe Chriſtianus, Sanctus Speratus dixit : hanc perſeverantiam Chriſtianam non meis viribus, ſed divini muneris me habere confido : proinde ſi vis fixam cordis mei ſcire ſententiam, Chriſtianus ſum. In hac ergo confeſſione & cæteri Dei martyres conſenſerunt. Saturninus Proconſul dixit: forſitan ad deliberandum ſpatium vultis accipere. Sanctus Speratus dixit : In rem tam bonam non quæritur ſecunda deliberatio ; nunc enim deliberavimus nos a cultura Chriſti non deſerere . Saturninus Proconſul dixit : quæ eſt, dicite mihi, res doctrinarum in cauſa & religione veſtra ? Speratus ſanctus reſpondit : libri Evangeliorum, & Epiſtolæ Pauli viri ſanctiſſimi Apoſtoli : Saturninus Proconſul dixit: accipite moram triginta dierum, ut retractetis hujus ſectæ confeſſionem . Sanctus Speratus reſpondit : non triginta dierum mora mutare poſſet profeſſionem noſtram , ... ſuſpende moram, ſententiam recita ; nam quales nos hodie cernis, tales poſt hanc induciam futuros eſſe non dubites . Cernens Proconſul Saturninus ſanctorum perſeverantiam, decretum recitavit ex tabella , Speratum , Nazarium, Cythium, Verum, Felicem, Aquilinum, Lactantium, Januarium, Generoſum, Veſtam, Donatam, & Secundam, omnes Chriſtiano ritu ſe vivere confeſſos, & quod oblatam ſibi facultatem redeundi ad deorum culturam obſtinate non receperunt, gladio animadverti placet . Sanctus Speratus dixit: gratias Chriſto agimus. Nazarius ſanctus dixit : hodie martyres in cœlo ſumus, Deo gratias.

August. ſer. 155. alias 6.

Saturninus Proconſul per præconem Sanctos duci juſſit: & ſic venientes ad locum martyrii gladio percuſſi, beatas animas Deo tradiderunt. Saturninus in ſceleris ultionem lumina amiſit. Hos martyres laudavit Auguſtinus.

Tertul. apolog. num. 1.

XIII. Perſecutionis furor cum jam ubique in Africa ſæviret, Chriſtianorum cauſam ſuſcipiens Tertullianus, apologeticum pro iis ſuppreſſo nomine ſcripſit ad Præſides Africæ. “ Hanc, inquit, primam cauſam apud vos collocamus iniquitatis, odii erga nomen Chriſtianorum : quam iniquitatem idem titulus & onerat & revincit, qui videtur excuſare, ignorantia ſcilicet . Quid enim iniquius, quam ut oderint homines quod ignorant : . . . . omnes qui retro oderant, quia ignorabant, ſimul deſinunt ignorare, ceſſant & odiſſe: ex his fiunt Chriſtiani, utique de comperto, & incipiunt odiſſe quod fuerant, & profiteri quod oderant , & ſunt tanti, quanti & denotamur . Obſeſſam vociferantur civitatem , in agris , in caſtellis , in inſulis Chriſtianos , omnem ſexum , ætatem , conditionem , & jam dignitatem tranſgredi ab hoc nomen quaſi detrimento mœrent: nec tamen hoc ipſo modo ad æſtimationem alicujus latentis boni promovent animos ; hic tantum curioſitas humana torpeſcit . . . . . Sed non ideo, inquies, bonum, quia multos convertit ; quanti enim ad malum performantur? Quis negat? .... Sed malefici geſtiunt latere , trepidant deprehenſi , negant accuſati , ne torti quidem facile aut ſemper confitentur, damnati mœrent ..... Chriſtianus vero quid ſimile? neminem pudet, neminem pœnitet, niſi plane retro non fuiſſe; ſi denotatur, gloriatur; ſi accuſatur, non defendit ; interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit. Quid hoc mali eſt? “

num. 2. ibid.

Chriſtianorum innocentiam probat ex Plinii literis ad Trajanum , atque ex injuſta adverſus eos forma judiciorum : “ Cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum : ſolis Chriſtianis ad negandum ; cum, ſi malum eſſet, nos quoque negaremus: vos vero confiteri tormentis compelleretis . . . . . quo perverſius, cum præſumatis de ſceleribus noſtris ex nominis confeſſione, cogitis tormentis de confeſſione decedere , ut negantes nomen , pariter negemus & ſcelera , de quibus ex confeſſione nominis præſumpſeratis . . . . . ſicne ſoletis dicere homicidæ , nega ..... vociferatur homo, Chriſtianus ſum . Quod eſt , dicit : tu vis audire quod non eſt . Veritatis extorquendæ Præſides de nobis ſolum mendacium elaboratis audire ? Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis: nobis, ſi negaverimus, ſtatim creditis . . . . Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum , deorum , Imperatorum, naturæ totius inimicum exiſtimas, & cogis negare, ut abſolvas . . . . unde iſta perverſitas ? „ Poſtea ne forte legum

num. 4.

adverſus veritatem adſtruatur authoritas ; eas errare potuiſſe , & proinde recognoſci debere pulchre deducit, exemplis tum Lacedæmonum, tum Romanorum, imo ipſius Severi, qui Papias vaniſſimas de ſuſcipiendis liberis leges nuper excluſerit.

Christi An. 205. num. 5.

Iniquitatem legum adverſus Chriſtianos ab earum origine retractans, oſtendit quod primum Cæſariano gladio in hanc ſectam ferocierit injuſtus & impius Nero , quem quidem imitatus in crudelitate ſit Domitianus. “ Tales ſemper nobis inſecutores, injuſti, impii, turpes , quos & ipſi damnare conſueſtis . Cæterum de tot exinde Principibus ad hodiernum edite aliquem debellatorem Chriſtianorum ; at nos e contrario edimus protectorem : ſi literæ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur , quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſtatur ; ſicut non palam ab hujuſmodi hominibus pœnam dimovit , ita alio modo palam diſperſit, adjecta etiam accuſatoribus damnatione , & quidem tetriore . „

Ibid. num. 7.

Propius ad inſtitutum veniens, proſequitur injuſtam judiciorum formam adverſus Chriſtianos , qui ſæpe de graviſſimis criminibus accuſati , nunquam convicti , niſi forte de ſola fama , quæ plurimum mendax eſt ; & ſceleratorum pœnas ſubire coguntur. “ Dicimur, inquit, ſceleratiſſimi, de ſacramento infanticidii, & pabulo; & poſt convivium de inceſto, quod everſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum , & libidinum impiarum inverecundia procurent . „ Hæc erant ſcelera Carpocratianorum aliorumque Gnoſticorum , quibus inſimulabantur Chriſtiani . Has calumnias ſic refellit Tertullianus. “ Dicimur ſemper , nec vos quod tam diu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, ſi creditis ; aut nolite credere , qui non eruiſtis . . . . . Longe aliud munus carnifici in Chriſtianos imperatis , non ut dicant quæ faciunt, ſed ut negent quod ſunt ... Quotidie obſidemur, quotidie prodimur, in ipſis plurimum cœtibus & congregationibus noſtris opprimimur ; quis unquam taliter vagienti infanti ſupervenit ? quis cruenta , ut intervenerat , Cyclopum & Syrenum ora judici reſeravit ? quis vel in uxoribus aliqua immunda veſtigia deprehendit ? ſi ſemper latemus, quando proditum eſt quod admittimus? . . . . „

num. 9.

Accuſationem retorquet in adverſarios . „ Hæc quo magis refutaverim, a vobis fieri oſtendam partim in aperto , partim in occulto, per quod forſitan & de nobis credidiſtis . Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam uſque ad Proconſulatum Tiberii, qui ipſos ſacerdotes, in eiſdem arboribus templi ſui obumbratricibus ſcelerum , votivis crucibus expoſuit , teſte militia patriæ noſtræ . Sed & nunc in occulto perſeverat hoc ſacrum facinus . . . , Major ætas apud Gallos Mercurio proſecabatur . Ecce in illa religioſiſſima urbe Æneadarum piorum eſt Jupiter , quidam quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine . O Jovem Chriſtianum , & ſolum patris filium de crudelitate . . . . Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus , qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus . Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis , certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos , per quod exorbitare eos vultis . Porro quale eſt , ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis ? „ Incertos rumores de fictis criminibus poſtquam confutavit , tranſit ad alteram partem accuſationis , idololatriamque ſimul acriter impugnat.

num. 10.

XIV. Nunc de manifeſtis dicam : Deos, inquitis, non colitis, & pro Imperatoribus ſacrificia non impenditis .... Itaque ſacrilegii & majeſtatis rei convenimur. Deos veſtros colere deſinimus, ex quo illos non eſſe cognoſcimus; „ & probat, quod homines illos fuiſſe, non Deos, ipſa Gentium conſcientia inficias ire nequeat ; evincuntque eorum hiſtoriæ , quæ referunt cauſas vaniſſimas, cur poſt mortem dii facti aſſeverentur ? imprimis cum flagitioſiſſimi quique fuerint conſecrati , & divinitate donati . “ Si

num. 11.

igitur ſceleribus vos puniendis præſidetis , ſi commercium & convictum malorum & turpium probi quique reſpuitis ; quid ergo damnatis, quorum collegas adoratis? ſugillatio eſt in cœlo veſtra juſtitia . Deos facite criminoſiſſimos quoſque, ut placeatis diis veſtris ; illorum eſt honor conſecratio æqualium... . „

num. 15.

“ XV. Quid ergo colunt qui talia non colunt ? .... nunc omnem ſacramenti noſtri ordinem haurite , repercuſſis ante tamen opinionibus falſis . „ Vulgaris erat opinio caput aſini , vel onochoetem ,

vel

CHRISTI vel cruces, vel solem ipsum tanquam deos adorari
AN. 205. a Christianis. Respondet meras esse calumnias:
num. 17. " Quod colimus, inquit, Deus unus est, qui totam
molem istam cum omni instrumento elementorum,
corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua
disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in
ornamentum majestatis suæ .... Invisibilis est, etsi vi-
deatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræ-
sentetur: ideo verus & tantus est .... vultis ex
operibus ipsius tot ac talibus quibus continemur,
quibus sustinemur? vultis ex animæ ipsius testi-
monio comprobemus? quæ licet carcere corpo-
ris pressa, licet institutionibus pravis circumscripta,
licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet
falsis deis exancillata, cum tamen resipiscitis, Deum
nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri.
Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit,
omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum,
Deus videt, & Deo commendo. Deus mihi reddet.
num. 18. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! .....
Eadem in libello de testimonio animæ fusius expo-
nit. Ibidem sic urget. " Sed quo plenius & impressius
tam ipsum, quam dispositiones ejus, & voluntates
adiremus, instrumentum adjecit literaturæ, si quis
velit de Deo inquirere, & inquisitum invenire, &
invento credere, & credito deservire. Viros enim
justitia & innocentia dignos Deum nosse & ostende-
re a primordio in sæculum emisit Spiritu divino
inundatos, quo prædicarent Deum unicum esse, qui
universa condiderit ... qui producto ævo isto judica-
turus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem,
profanos in ignem æque perpetem ac jugem; susci-
tatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, &
recensitis ad utriusque meriti dispunctionem. „ Ad-
dit sacros libros jussu Ptolomæi Philadelphi Regis
Ægypti in Græcum sermonem fuisse translatos. " Ho-
die, inquit, apud Serapeum, Ptolomæi bibliothecæ
num. 19. cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Sed & Judæi
palam lectitant ... „ Authoritatem his vindicat anti-
quitas, cum Moyses omnes origines, gentes etiam
pleresque & urbes, ipsos denique deos gentium ali-
quot sæculis antecesserit. Scripturas nostras esse di-
vinas etiam comprobant Prophetiæ, quibus multa
retro futura prænunciantur.

num. 21. XVI. Christum esse Deum postea probat .....
Myste- " Jam ediximus Deum universitatem hanc mundi
rium Tri- verbo, & ratione, & virtute molitum. Apud ve-
nitatis. stros quoque sapientes λόγον, id est, sermonem at-
que rationem constat artificem videri universitatis...
Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione
generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum
ex unitate substantiæ: nam & Deus Spiritus; &
cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa;
sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec se-
paratur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu
Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine ac-
censum .... Ita & quod e Deo profectum est, Deus
est, & Dei Filius, & unus ambo. Ita & de Spiri-
tu Spiritus, & de Deo Deus; modulo alterum, non
numero; gradu, non statu fecit: & a matrice non
recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, ut re-
tro semper prædicabatur, delapsus in virginem quam-
dam, & in utero ejus caro figuratus nascitur Homo
Deo mistus. Caro spiritu instructa nutritur, adole-
scit, affatur, docet, operatur, & Christus est: „
Quid expressius pro vera Christi divinitate? qui u-
nius substantiæ cum Patre prædicatur. Tum agit de
ejus Passione, Resurrectione, & Ascensione. "
Ea omnia, inquit, super Christo Pilatus, & ipse
jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari Tiberio
nuntiavit: sed & Cæsares credidissent super Christo,
si aut Cæsares non essent sæculo necessarii, aut si
& Christiani potuissent esse Cæsares.... „

num. 22. XVII. His adjicit brevem de dæmonibus dispu-
ibid. tationem, quos norunt Poetæ & Philosophi, qui hoc
num. 23. unum agunt, ut numina lapides credantur, & Deus
Christia- unus non quæratur. Dæmonum præstigias, quibus
ni dæmo- Gentilibus illudunt, postea recenset, atque ut de-
nes eji- monstret eos non esse deos, sic concludit: „ Edatur
ciunt. hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone
agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui spiri-
tus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero,
quam alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis
ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris in-
halantes numen de nidore concipiunt, qui ructando
curantur, qui anhelando profantur ... nisi se dæmo-
nes confessi fuerint, Christiano mentiri non auden-
tes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem CHRISTI
fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac pro- AN. 205.
batione fidelius ... Quid autem injici potest adversus
id, quod ostenditur nuda sinceritate? Si altera par-
te vere dii sunt, cur se dæmonia mentiuntur? an
ut nobis obsequantur? jam ergo subjecta Christianis
divinitas vestra; nec divinitas reputanda est, quæ
subdita est homini ... Si altera parte dæmones sunt,
cur se alibi pro diis agere respondent? ... Atqui o-
mnis hæc nostra in illos dominatio & potestas de
nominatione Christi valet ... Credite illis cum ve-
rum de se loquuntur, qui mentientibus creditis:
nemo ad suum dedecus mentitur ... Omnis ista con- num. 24.
fessio illorum, qua se Deos negant esse, quaque
non alium Deum respondent, præter unum, cui nos
mancipamur, satis idonea est ad depellendum cri-
men læsæ maxime Romanæ religionis. Si enim non
sunt dii pro certo, nec religio pro certo est. Si re-
ligio non est, quia nec dii pro certo, nec nos pro
certo rei sumus læsæ religionis. „ Illud experimen-
tum, ad quod provocat Tertullianus, certissimum
Christianorum potestatis in dæmones argumentum.
Nec mirum hanc irridere sectarios, qui nihil tale
apud suos fieri sibi conscii sunt.

XVIII. Veniens ad secundum titulum læsæ Ma-
jestatis Imperatoriæ, improperat eis, quod in deos
suos irreligiosi, plus honoris Principi, quam Jovi ex-
hiberent, citiusque per omnes deos, quam per unum
genium Cæsaris pejerarent. Ostendit deinde deos,
cum sint homines mortui, vel dæmones, frustra in-
vocari pro salute Cæsaris, cui nihil prodesse possunt.
" Nos, inquit, pro salute Imperatorum Deum in- num. 30.
vocamus æternum, Deum verum, Deum vivum;
quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter ce-
teros malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium;
sciunt qua homines, quis & animam; sentiunt eum esse
Deum solum, in cujus solius potestate sunt.... Illum
Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite
nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore,
quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus,
vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tu-
tam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum pro-
bum, Orbem quietum. Hæc ab alio orare non pos-
sum, quam a quo scio me consecuturum, quoniam
& ipse est, qui solus præstat .... Non etiam Deum num. 33.
Imperatorem dico, vel quia mentiri nescio, vel quia
illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum num. 34.
dici volet, si homo sit, interest homini Deo crede-
re .... Dicam plane Imperatorem Dominum, sed
quando non cogor, ut Dominum, Dei vice, di-
cam. Dominus enim meus unus est, Deus omnipo-
tens & æternus, idem qui & ipsius... „ Non recte
igitur hostes publici dicuntur Christiani, quod Im-
peratorum solemnia cum modestia, verecundia &
pudicitia celebrent, non autem cum lascivia, ut
solent & ipsi Quirites, qui post illos cultus propha- num. 35.
nos rebellant adversus Cæsarem.

XIX. " Christianorum autem summam erga Im-
peratorem fidem & patientiam sic demonstrat ..... num. 37.
Quoties in Christianos desævitis, partim animis pro- Ibid.
priis, partim legibus obsequentes? quoties etiam præ-
teritis vobis suo jure nos inimicum vulgus invadit
lapidibus & incendiis? ipsis bacchanalium furiis nec
mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie se-
pulturæ, de asylo quodam mortis avellant, disse-
cent. Quid tamen unquam denotastis, de tam con-
spiratis, de tam animatis ad mortem usque, pro in-
juria repensatum? quando vel una nox pauculis facu-
lis largitatem ultionis posset operari, si malum malo
dispungi penes nos liceret. Sed absit ut aut igne hu-
mano vindicetur divina secta, aut doleat pati in quo
probatur: si enim hostes exertos agere vellemus, dees-
set nobis vis copiarum? ... Hesterni sumus, & vestra
omnia implevimus, urbes, insulas, castella, munici-
pia, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum,
forum: sola vobis relinquimus templa. Cui bello non
idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis,
qui tam libenter trucidamur? si non apud istam disci-
plinam magis occidi liceret, quam occidere? potuimus
& inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes,
solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim
tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti sinum
abrupissemus a vobis, suffudisset utique dominationem
vestram tot qualiumcumque amissio civium, imo et-
iam & ipsa destitutione punisset ... plures hostes, quam
cives, vobis remansissent ... Quis autem vos ab illis
occultis, & usquequaque vastantibus mentes &
valetu-

CHRISTI An. 205. valetudines vestres hostibus raperet ? a dæmoniorum
incursibus dico, quæ de vobis sine mercede depelli-
mus. Sufficisset hoc solum nostræ ultioni, quod va-
cua exinde possessio immundis spiritibus pateret....
num. 38. Proinde inter licitas factiones sectam istam deputari
oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de
illicitis factionibus timeri solet. Res publicas non at-
tingimus, abstinemus a spectaculis, ubi maxime vi-
gent factiones. „

num. 39. Ibid. XX. " Edam jam nunc ego ipse negotia Christi-
næ factionis. Corpus sumus de conscientia religio-
nis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere; coimus
in cœtum, ut ad Deum quasi manu facta precatio-
nibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est...
Coimus ad divinarum literarum commemorationem...
Ibidem etiam exhortationes fiunt, castigationes, &
censura divina: nam & judicatur magno cum pon-
dere, ut apud certos de Dei conspectu; summum-
que futuri judicii præjudicium est, si quis ita deli-
querit, ut a communicatione orationis, & conven-
tus, & omnis sacri commercii relegetur. Præsident
probati quique seniores, honorem illum non pretio,
sed testimonio adepti; neque enim pretio res ulla
Dei constat: etiamsi quod arcæ genus est, non de
ordinaria summa quasi redemptæ religionis congre-
gatur: modicam unusquisque stipem menstrua die,
vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit,
apponit; nam nemo compellitur, sed sponte con-
fert. Hæc quasi deposita pietatis sunt... Dispensan-
tur egenis alendis, humandisque, pueris & puellis
re ac parentibus destitutis,... sed ejusmodi vel ma-
xime dilectionis operatio notam nobis inurit penes
quosdam. Videte, inquiunt, ut se invicem dili-
gunt.... & ut pro alterutro mori parati sunt... &
fratrum appellatione censemur, qui unum Deum
Patrem agnoscimus, & unum habemus Spiritum
sanctitatis.... Quid ergo mirum, si tanta charitas
convivatur?.... Cœna nostra de nomine rationem
sui ostendit, id vocatur quod dilectio penes Græ-
cos.... Inopes refrigerio isto juvamus... Nihil vi-
litatis, nihil immodestiæ admittit: non prius di-
scumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur.....
Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per no-
ctem adorendum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut
qui sciant Deum audire... oratio convivium dirimit. „
Has cœnulas ut sceleribus infames; & prodigas sugil-
labant ethnici; innocentes ideo probat Tertullianus.

Ibid. XXI. Christianorum innocentiæ opponit iniquas
num. 40. Gentilium criminationes: " Cum probi, inquit, con-
gregantur, non est factio dicenda, sed curia. At e
contraria illis nomen factionis accommodandum est,
qui in odium bonorum & proborum conspirant, qui
adversum sanguinem innocentium conclamant, præ-
texentes sane ad odii defensionem illam quoque va-
nitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, o-
mnis popularis incommodi Christianos esse causam.
Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascen-
dit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fa-
mes, si lues, statim Christianos ad leonem. Oro
vos, ante Tiberium, id est ante Christi adventum,
quantæ clades Urbem & Orbem ceciderunt; quarum
rei potius dicendi sunt qui verum Deum spernunt:
imo fuere leviores, ex quo Christianos a Deo Orbis
accepit: ex eo enim & innocentia sæculi iniquitates
temperavit, & deprecatores Dei esse ceperunt. „
Has calamitates Gentilium sceleribus deputandas es-
se docet: De vestris semper æstuat carcer: de ve-
stris semper metalla suspirant: de vestris semper be-
stiæ saginantur. Nemo illic Christianus, nisi hoc
tantum: aut si & aliud, jam non Christianus. Nos
ergo soli innocentes. Quid mirum, si necesse est?
num. 45. innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novi-
mus, ut a perfecto magistro revelatam, & fideliter custo-
dimus, ut ab incontemptibili despectore mandatam.,

Ibid. XXII. " Constitimus, ut opinor, adversus omnium
criminum intentionem, quæ Christianorum sangui-
nem flagitat... sed incredulitas dum de bono sectæ
hujus obducitur, quod usu jam & de commercio in-
notuit, non utique divinum negotium existimat, sed
magis Philosophiæ genus. Eadem, inquit, & Philo-
sophi monent, & profitentur, innocentiam, justi-
tiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam. Cur er-
go quibus comparamur de disciplina, non proinde
adæquamur ad licentiam impunitatemque disciplinæ?
præsertim cum & illi deos vestros destruant, & su-
perstitiones vestras commentariis accusent. „ Deinde
demonstrat quantum Philosophis & cognitione veri-
tatis, & motum sanctitate præstent Christiani. Mi- CHRISTI An. 205.
mice Philosophi affectant veritatem, & affectando
corrumpunt, ut qui gloriam captant. Christiani eam
necessario appetunt, & integre præstant, ut qui sa-
luti suæ prospiciant... " Quis Poetarum, quis So- num. 47.
phistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte
potaverit?... Sed homines gloriæ & eloquentiæ so-
lius libidinosi, si quid in sanctis scripturis offende-
runt, pro instituto curiositatis ad propria opera ver-
terunt, neque satis credentes divina esse, quominus
interpolarent; neque satis intelligentes, ut non cor-
rumperent. „ Ridiculas & dissonantes Philosophorum num. 48.
de rebus divinis opiniones recenset, ostenditque spe
resurrectionis in vitam beatam & nunquam finien-
dam, pie & juste vivere solos Christianos.

XXIII. " Cur queritis, inquitis, quod vos insequa- num. 50. Ibid.
mur, si pati vultis; cum diligere debeatis, per quos pati-
mini quod vultis? plane volumus pati; verum eo more,
quo & bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cum
& trepidare & periclitari sit necesse; tamen & præliatur
omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, quia
gloriam consequitur &, prædam. Prælium est nobis,
quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimi-
ne capitis pro veritate certemus. Victoria est autem,
pro quo certaveritis, obtinere: ea victoria habet &
gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æter-
num.... licet nunc Sarmentitios & Semaxios ap-
pelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sar-
mentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victo-
riæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumpha-
mus.... Regulus ne unus pro multis hostibus vi-
veret, toto corpore cruces patitur: o virum fortem!...
cui tantum pro patria pati permissum est, quantum
pro Deo non licet? illis omnibus statuas defunditis,
& titulos inciditis in æternitatem.... Hanc qui
veram a Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus
est. Sed hoc agite boni Præsides, cruciate, torque-
te, damnate nos, probatio est innocentiæ nostræ i-
niquitas vestra: ideo nos hæc pati Deus patitur.
Nam & proxime ad lenonem damnando Christia-
nam, potius quam ad leonem, confessi estis labem
pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni
morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exqui-
sitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis
sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis,
semen est sanguis Christianorum... Illa ipsa obsti-
natio, quam exprobretis, magistra est. Quis enim
non contemplatione ejus concutitur ad requirendum
quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, acce-
dit? ubi accessit, pati optat? ut Dei totam gratiam
redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione
sui sanguinis expediat? omnia enim huic operi deli-
cta donantur. „ Christianorum causam quantavis e-
ruditione peroraverit Tertullianus, plus tamen apud
Præsides valuit populorum furor, & metus Impera-
toris; continuaque per octo annos persecutio innu-
meros messuit Christianos.

XXIV. Apprehensi sunt in ipsamet civitate Car- Aug. ser.
thaginensi adolescentes catechumeni, Revocatus, & 280. no-
Felicitas conserva ejus, Saturninus, & Secundulus, væ edit.
inter quos & Vivia Perpetua, honeste nata, liberali- Act.
ter instituta, matronaliter nupta, habens patrem & Sinc.
matrem, & fratres duos: alterum æque catechumenum, *D. Per-*
& filium infantem ad ubere: erat autem ipsa annorum *petuæ &*
circiter viginti duorum, quam modis omnibus tentavit *soc. mart.*
pater, ut eam ad idololatriam revocaret. Ordinem totum
martyrii sui jam hinc ipsa narrabit, sicut conscriptum
manu sua reliquit. Paucis diebus quod caruissem patre,
Domino gratias egi.... In ipso spatio paucorum die-
rum baptizati sumus; mihi autem spiritus dictavit,
nihil aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis.
Post paucos dies recipimur in carcerem, & expavi, quia
nunquam experta eram tales tenebres.... Ibi tunc Ter-
tius & Pomponius benedicti diacones, qui nobis mi-
nistrabant, constituerunt pretio, ut paucis horis emis-
si in meliorem locum carceris refrigeraremur. Tunc
exeuntes de carcere universi sibi vacabant. Ego infan-
tem lactabam inedia defectum. Sollicita pro eo tabe-
scebam, & tandem usurpavi ut mecum infans in car-
cere maneret, & statim convalui.

Tunc dixit mihi frater meus: domina soror, jam Ibid.
in magna dignitate es, & tanta ut postules visio-
nem, & ostendatur tibi, an passio sit, an commea-
tus, seu liberatio? Et ego quæ me sciebam fabulari
cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram,
fidenter repromisi ei dicens: crastina die tibi renun-
tiabo; & postulavi, & ostensum est mihi hoc:

CHRISTI AN. 205.

video scalam auream miræ magnitudinis pertingentem usque ad cœlum, & ita angustam, per quam nonnisi singuli ascendere possent: & in lateribus scalæ omne genus ferramentorum infixum; erant ibi gladii, lanceæ, hami, macheræ, ut si quis negligenter, aut non sursum attendens ascenderet, laniaretur, & carnes ejus inhærerent ferramentis. Et erat sub ipsa scala draco miræ magnitudinis, qui ascendentibus insidias parabat, & exterrebat ne ascenderent. Ascendit autem Saturus prior, qui postea se propter nos ultro tradiderat, & tunc cum apprehensi sumus, præsens non fuerat: & pervenit in caput scalæ, & convertit se ad me, & dixit mihi: Perpetua, sustineo te. Sed vide ne te mordeat draco ille. Et dixi ego: non me nocebit in nomine Domini Jesu Christi, & de sub ipsa scala quasi timens me, lente elevavit caput: & cum primum gradum calcassem, calcavi illius caput, & ascendi, & vidi spatium horti immensum, & in medio horti sedentem hominem canum, in habitu pastoris, grandem, oves mulgentem, & circumstantes candidatos millia multa; (sic Christum & ejus Sanctos depingere mos erat) & levavit caput, & dixit mihi; bene venisti Tegnon, seu filia, & clamavit me, & de caseo quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam. Et ego accepi junctis manibus, & manducavi: & universi circumstantes dixerunt, Amen: en figura Eucharistiæ, quæ omnibus instante martyrio dabatur. Et ad sonum vocis experrecta sum, commanducans adhuc dulcis nescio quid. Et retuli statim fratri meo, & intelleximus passionem esse futuram: & cœpimus nullam jam spem in sæculo habere.

Ibid. XXV. Post paucos dies rursus a patre tentatur. Sed patris verbis, lacrymis, & compassioni prævaluit divinus amor, eique respondit: Hoc fiet in illa catasta, quod Deus voluerit. Scito enim nos non in nostra potestate esse constitutos, sed in Dei. Alio die cum pranderemus, subito rapti sumus ut audiremur, & pervenimus ad forum . . . . ascendimus in catastam. Interrogati cæteri confessi sunt. Ventum est ad me, & apparuit pater illico cum filio meo, & extraxit me de gradu, dixit supplicans: miserere infanti. Et Hilarianus procurator, qui tunc loco Proconsulis Minuci Timiani defuncti jus gladii acceperat, parce, inquit, canis patris tui, parce infantiæ pueri. Fac sacrum pro salute Imperatoris. Et ego respondi: non facio. Hilarianus, Christiana es? inquit. Et ego respondi: Christiana sum. Et cum staret pater ad me dejiciendam, jussus est ab Hilariano dejici, & virga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei . . . . Tunc nos universos pronuntiat, & damnat ad bestias. Et hilares descendimus ad carcerem . . . .

Ibid. XXVI. Post paucos dies, dum universi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox, & nominavi Dinocratem: & obstupui quod nunquam mihi in mentem venisset nisi nunc. Et cognovi me statim dignam esse, & pro eo petere debere. Et cœpi pro eo orationem facere multum, & ingemiscere ad Dominum. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc in oromate: video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, ubi complures erant, æstuantem & sitientem valde, sordido vultu, & colore pallido, & vulnus in facie ejus, quod cum moreretur habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis, annorum septem, qui per infirmitatem facie cancerata male obiit . . . . Pro hoc ego orationem feceram: & inter me & illum erat grande diastema seu intervallum; ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat ibidem piscina plena aqua, altiorem marginem habens, quam erat statura pueri, & extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam quod & piscina illam aquam habebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset; & experrecta sum, & cognovi fratrem meum laborare. Sed confidebam profuturam orationem meam labori ejus, & orabam pro eo omnibus diebus, quo usque transivimus in carcerem castrensem. Munere enim castrensi eramus pugnaturi; natale tunc Getæ Cæsaris ludis celebrabatur. Et feci pro illo orationem die & nocte gemens, & lacrymans ut mihi donaretur. Die autem quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc: video locum illum, quem videram tenebrosum, esse lucidum, & Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem: & ubi erat vulnus, video cicatricem; & piscinam illam, quam retro videram, summisso margine usque ad umbilicum pueri; & aquam de ea trahebat sine cessatione, & super marginem phiala erat plena aqua; & accessit Dinocrates, & de ea bibere cœpit, quia phiala non deficiebat. Et satiatus abscessit de aqua ludere more infantium gaudens, & experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna. Dinocrates autem, inquit Augustinus Pelagio, septennis puer, in quibus annis pueri cum baptizantur, jam symbolum reddunt, & pro se ipsi ad interrogata respondent, cur non tibi visus fuerit baptizatus potuisse ab impio patre ad Gentilium sacrilegia revocari, & ob hoc fuisse in pœnis, de quibus sorore orante liberatus est, nescio. Augustini sententiam verba Perpetuæ supra laudata confirmant: affirmat enim totam suam familiam, excepto patre, Christi religionem coluisse, ac proinde & matrem, quæ filio periclitanti baptisma providit. Tertio igitur sæculo ea Fidelium fuit fides, mortuos posse a pœnis, quas propter peccata levinra, vel peccatorum reliquias patiuntur, per vivorum preces liberari.

CHRISTI AN. 205.

lib. 3. de orig. animæ c. 9.

Ibid. XXVII. Perpetua pergit: Pudens miles præpositus carceris, qui nos magni facere cœpit, intelligens magnam virtutem Dei esse in nobis, multos fratres ad nos admittebat, ut nos & illi invicem refrigeraremus. Ut autem proximavit dies muneris, intravit ad me pater meus consumptus tædio, & cœpit barbam suam evellere, & se in terram mittere, & prosternere se in faciem; & improperare annis suis, & dicere tanta verba, quæ moverent universam creaturam. Ego dolebam pro infelici senecta ejus. Pridie quam pugnaret, aliam in oratione habuit visionem, qua certo cognovit, sibi magnum instare certamen, in quo victoriam adepta gloriæ coronam acciperet. D. Augustinus meminit earum visionum D. Perpetuæ, quæ hucusque scripsit quæ sibi contigerant, easque refert ex Actis.

Aug. l. 3. de orig. anim. cap. 9. & l. 4. c. 26. & ser. 282. novæ edit.

Ibid. XXVIII. Sed & Saturus benedictus hanc visionem suam edidit. Passi, inquit, eramus, & exivimus de carne, & cœpimus ferri a quatuor Angelis in Orientem, ... & factum est nobis spatium grande: quod tale fuit quasi viridarium, arbores habens rosæ, & omnes genus floris . . . . Et quatuor illi Angeli, qui gestabant nos, posuerunt nos: & pedibus nostris transivimus stadium via lata. Ibi invenimus Jocundum, & Saturninum, & Artaxium, qui eamdem persecutionem passi vivi arserunt; & Quintum, qui & ipse martyr in carcere exierat; & quærebamus ab illo, ubi essent cæteri. Dixerunt autem nobis Angeli: venite prius, introite, & salutate Dominum . . . . & stetimus ante thronum, & quatuor Angeli sublevaverunt nos; & osculati sumus sedentem in throno . . . . Et exivimus, & vidimus ante fores Optatum episcopum Carthaginensem; & Aspasium presbyterum doctorem ad sinistram, separatos, & tristes. Et miserunt se ad pedes nobis, & dixerunt nobis: componite inter nos quia existis, & sic nos relinquitis. Et diximus illis: nonne es tu Papa noster, & tu presbyter, ut quid vos ad pedes nostros mittatis? & misimus nos, & complexi sumus illos. Et cœpit Perpetua cum illis loqui. Et dum loquimur cum eis, Angeli dixerunt Optato: corrige plebem tuam; quia sic ad te conveniunt, quasi de circo redeuntes, & de factionibus certantes. Et sic nobis visum est quasi vellent claudere portas . . . . Tunc gaudens experrectus sum . . . . Secundulum vero Deus maturiore exitu de sæculo, adhuc in carcere evocavit, non sine gratia, ut lucraretur bestias.

Ibid. XXIX. Circa Felicitatem vero . . . cum octo jam mensium suum ventrem haberet, . . . instante spectaculi die, in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur: quia non licet prægnantes pœnæ repræsentari; sed & commartyres ejus graviter contristabantur, ne tam bonam sociam, quasi comitem, solam in via ejusdem spei relinquerent. Conjuncto itaque unito gemitu, ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores eam invaserunt. Et cum pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret, ait illi quidam ex ministris cataractariorum: Quæ sic modo doles, quid facies objecta bestiis, quas contempsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: modo ego patior quod patior; illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia & ego pro illo passura sum. Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit. Perpetua tunc refrigerium pro martyribus obtinuit a Tribuno, qui jussit illos humanius haberi, ita ut fratribus ejus, & cæteris facultas fieret

ret

Digitized by Google

CHRISTI AN. 205. ret introeundi, & refrigerandi cum eis; jam & ipso optione carceris credente: pridie quoque cum illa cœna ultima, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non cœnam liberam, sed Agapen cœnarent; eadem constantia ad populum verba jactabant, comminantes judicium Domini, contestantes passionis suæ felicitatem, irridentes concurrentium curiositatem.....

Ibid. XXX. Illuxit dies victoriæ illorum, & processerunt de carcere in amphitheatrum, hilares, vultu decori. Et cum delati essent in portam, & cogerentur habitum induere, viri quidem sacerdotum Saturni, fœminæ vero sacratarum Cereri; generosa illa in finem usque constantia repugnavit. Dicebant enim: ideo ad hoc sponte pervenimus, ne libertas nostra abduceretur. Ideo animas nostras addiximus, ne tale aliquid faceremus; hoc vobiscum pacti sumus. Concessit Tribunus, ut quomodo erant, simpliciter inducerentur .... Ut sub conspectu Hilariani pervenerunt, gestu & nutu cœperunt Hilariano dicere: tu nos, te autem Deus judicabit. Ad hoc populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit. Stabant enim venatores cum flagris per ordinem dispositi; ante quos damnati transire coacti, a singulis transeuntes cædebantur. Et utique illi gratulati sunt, quod aliquid & de Dominicis passionibus essent consecuti: postea bestiis expositi varie vexati sunt .... Puellis autem ferocissimam vaccam, ideoque præter consuetudinem comparatam, diabolus præparavit ..... Itaque dispoliatæ, & reticulis indutæ producebantur. Horruit populus, alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recenti stillantibus mammis. Ita revocatæ discinguntur. Inducitur prior Perpetua; jactata est, & concidit in lumbos. Et ut conspexit tunicam a latere discissam, ad velamentum femorum adduxit, pudoris potius memor, quam doloris. Dehinc requisita, surrexit, & elisam Felicitatem cum vidisset, accessit, & manum ei tradidit, & sublevavit illam. Et ambæ pariter steterunt; & populi duritia devicta revocatæ sunt in portam Sanevivariam. Illic Perpetua a quodam tunc catechumeno, Rustico nomine, qui ei adhærebat, suscepta, & quasi a somno expergita, (adeo in spiritu & in extasi fuerat) circumspicere cœpit, & stupentibus omnibus ait: quando, inquit, producimur ad vaccam illam, nescio. Et cum audisset quod jam evenerat, non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore & habitu suo recognovisset, & illum catechumenum, & fratrem suum accersitum ..... allocuta est, dicens: in fide state, & invicem omnes diligite, & passionibus nostris ne scandalizemini. Item Saturus in alia porta militem Pudentem exhortabatur dicens: adsum certe, sic ut promisi & prædixi, nullam usque adhuc bestiam sensi; & nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, & ab uno morsu leopardi consumor. Et statim in fine spectaculi leopardo objectus, de uno morsu ejus tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit: salvum lotum, salvum lotum. Plane utique salvus erat qui hoc spectaculo claruerat. Tunc Pudenti militi, vale, inquit, & memor esto fidei meæ, & hæc te non conturbent, sed confirment. Simulque ansulam de digito ejus petiit, & vulneri suo mersam reddidit ei, hæreditatem pignoris relinquens illi, & memoriam sanguinis.

Exinde jam exanimis prosternitur cum cæteris ad jugulationem solito loco, qui dicebatur spoliarium. Et cum populus illos in medium postularet, ut gladio penetrante in eorum corpore oculos suos comites homicidii adjungeret, ultro surrexerunt, & se quo volebat populus transtulerunt, ante jam osculati invicem, ut martyrium per solemnia pacis consummarent. Cæteri quidem immobiles, & cum silentio ferrum receperunt: multo magis Saturus, qui & prior scalam ascenderat, prior reddidit spiritum. Nam & Perpetuam sustinebat. Perpetua autem, ut aliquid doloris gustaret, inter costas puncta exululavit, & errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum posuit. Fortasse tanta fœmina aliter non potuisset occidi; quia ab immundo spiritu timebatur, nisi ipsa voluisset .... Temerarium videtur hos actus insimulare Montanismi, quos sine reprehensione laudat Augustinus. Et certe quis nescit D. Petrum de fidelibus Christianis explicasse hanc Joelis prophetiam: *In novissimis diebus*, dicit Dominus, *effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii, filiæque eorum, & super servos & ancillas meas de meo Spiritu effundam: & juvenes visiones videbunt, & senes somnia somniabunt*. Montanistæ vero jactitabant mulierculas suas divinitus didicisse multa & perfectiora, quæ prorsus ignorassent Apostoli, ut novitates suas adversus antiquam traditionem introducerent; quod certissimum est erroris indicium. Pudens miles ut martyr notatur in vetusto Kalendario Carthaginensi.

Joel. 2. Act. 2.

CHRISTI AN. 205.

XXXI. Sub idem tempus, ut videtur, Tertullianus scripsit libellum ad martyres. Argumentum deducens a summa fidelium charitate eos adhortatur ad concordiam ..... "Inter carnis alimenta, inquit, benedicti martyres designati, quæ vobis & Domina mater Ecclesia de uberibus suis, & singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid & a nobis quod faciat ad spiritum quoque educandum ..... Imprimis ergo benedicti, nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis: & ideo date operam ut illic vobiscum perseveret. Ita vos inde perducat ad Dominum .... Pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt; & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis: ut si forte & aliis præstare possitis. „ Alludit ad consuetudinem ejus temporis, nempe vel in persecutione lapsi, vel ob aliud scelus publice pœnitentes, communionis literas exorabant a martyribus, quorum precibus inducti episcopi multum de rigore pœnitentiæ relaxabant; quod certum est Indulgentiarum exemplum ....

Num. 1. Tertul. ad martyr.

Pergit: "Christianus etiam extra carcerem sæculo renuntiavit; & si aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris ... plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit; imo & quæ justa sunt caro non amittit per curam Ecclesiæ, Agapen fratrum; & insuper quæ semper utilia fidei spiritus adipiscitur. „ Hic recenset varia mundi pericula & tentationes, quibus fidelis incarceratus subducitur. Unde concludit: "Hoc carcer præstat Christiano, quod eremus Prophetis .... si nunc, benedicti, carcer etiam Christianis molestus: vocati sumus ad militiam Dei vivi: jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit ..... Proinde vos benedicti, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem & virtutem animi & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est: Xystarches Spiritus sanctus, corona æternitatis, gloria in sæcula sæculorum. „ Hæc illustrat exemplis militum & athletarum.....& infra: "Scimus ex Dominico præcepto, quod caro infirma sit, spiritus promptus .... propterea caro serviat spiritui, ut ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec de incommodis carceris, sed de ipso agone & prælio cogitans .... Modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis, & divinæ mercedis. „ Denique monet, convertantur ad ipsam conditionis humanæ contemplationem, in qua constanter adeunda sunt quæ etiam invitis accidere solear, incendii, ferarum, latronum pericula; maxime iis ipsis temporibus, quibus hominis unius causa, scilicet Imperatoris, inopinatos natalibus, dignitatibus, & ætatibus exitus multi referebant. Severus enim Victor, multos viros primarios causis vel veris, vel simultatis occidit: præcipue suspectos, unumquemque idoneum Imperio, cum ipse parvulos adhuc filios haberet. Albini & Nigri reliquias, authore Plautiano, persequebatur, ita ut nonnullos etiam ex amicis suis quasi vitæ suæ insidiatores appeteret.

num. 2. ibid.

num. 3.

num. 4.

num. 5.

Æli. Spart.

XXXII. Iisdem temporibus congruit alter ejusdem authoris libellus de bono martyrii, inscribitur Scorpiacon, ac si dicas, pharmacum adversus Scorpios: in eo confutat Valentinianos aliosque Gnosticos martyrii refragatores, qui docebant stultum esse mori pro Deo, qui sanguinem humanum non flagitet, nolitque mortem peccatoris; præsertim cum pro nobis Christus occisus sit, ne occideremur, & vicem non repetat. Et primo quidem probat, Deum mandatorum suorum observationem præcipere sub comminatione mortis, quam aliquando transgressoribus intulit, ac proinde ne mortis quidem metu deflectendum ad idololatriam, a qua nos liberat martyrium; quod utilem affert dolorem. Certamen est quod Deus nobis proposuit, ut pro meritis coronam & mercedem accipiamus. "Quomodo enim, inquit, multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? .....

Tertul. Scorp.

num. 6.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 205.

Proprie martyribus nihil reputari potest, quibus in lavacro vita ipsa deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit. „ Id totum multis legis

num. 8.

naturalis & scriptæ confirmat exemplis. " Statim, inquit, ut Deus coli cœpit, invidiam religio sortita est; qui Deo placuerat, occiditur, & quidem a fratre ..... David exagitatur, Helias fugatur, Hieremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare & ædem trucidatur: ipsa clausula legis & prophetarum, Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ psalticæ lucar (seu mercedem saltatricis.) Et utique qui Spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria dirigebantur. Proinde & trina fraternitas, (scilicet Ananias, Azarias, & Misael) quum dedicatio imaginis regiæ urbem urgeret officio, non ignoraverunt quid fides, quæ sola in illis captiva non fuerat, exigeret: moriendum scilicet adversus idololatriam...... Talia a primordio & præcepta, & exempla debitricem martyrii fidem ostendunt „

Christum martyria approbare & præcipere docet: urget imprimis hæc ejus verba: *Omnis igitur, qui*

num. 9. Matt. 10.

in me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor in illo coram Patre meo, qui in cælis est: & omnis qui negaverit me coram hominibus, & ego negabo illum coram Patre meo, qui in cælis est. " Manifesta, ut opinor, definitio & ratio est, tam confessionis, quam negationis, etsi dispositio diversa est. Qui se Christianum confitetur, Christi esse testatur, ... in Christo utique confitetur .... Hoc enim non potest esse nisi sit in Christo. Porro in Christo confitendo, Christum quoque confitetur .... Proinde qui se negavit Christianum, in Christo negavit, negando se in Christo esse; Christum autem in se negando, dum se in Christo negat, Christum quoque negabit. „ Valentiniani vero, hæc duo inepta subtilitate dividentes, contendebant verba Christi intelligenda de confessione ipsius nominis, quæ in cœlis fit a Bea-

num. 10.

tis. Irridet hanc evasionem ut manifestam scripturæ depravationem; siquidem Christus dixit: *qui confitebitur me coram hominibus*, nec addidit, in cœlis; imo confessionem hanc proposuit ut medium obtinendæ beatitudinis. Eadem confirmat epistolis Apostolorum, exemplisque multorum, quos pro Christi confessione martyrium passos Acta narrant. Nihil Montani errore fœtens deprehendi in hoc opusculo, quod proinde Tertullianus scripsit adhuc Catholicus. Illud opus sic adversus Vigilantium laudat B. Hieronymus: scripsit adversus hæresim istam, quæ olim erupit adversus Ecclesiam, Tertullianus vir eruditissimus insigne volumen, quod Scorpiacum vocat rectissimo nomine: quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffundit.

XXXIII. Severi persecutio desævit imprimis in

D. Irenæi mors. Hier. de script. eccl. & in c. 64. Isaiæ. Greg. Tur. l. 1. hist. n. 19.

Lugdunensem ecclesiam, quam Photini morte dispersam summa cura collegerat & amplificaverat Irenæus vir apostolicus & martyr, ut vocat eum D. Hieronymus: ejus passionis acta exciderunt. Hanc sic narrat Gregorius Turonensis: Imperatoris jussu Lugdunensem civitatem circumdant milites, statimque omnes Christianos, qui in ea inventi sunt, obtruncant, atque inter alios Irenæum, quem post varios cruciatus occisum sepelivit Zacharias presbyter, in crypta D. Joannis. In territorio quoque Vivariensi, passus est beatus Andeolus subdiaconus, quem sanctus Polycarpus una cum aliis ab Oriente misit in Gallias ad prædicandum verbum Dei: ut testantur tabulæ ecclesiasticæ.

XXXIV. Interea cum nemo superesset Alexan-

Clem. 4. Strom. Eus. hist. l. 6. c. 3. *Origenes incrementis.*

driæ, qui traderet Fidei nostræ rudimentis operam daret, omnibus ob persecutionis metum pulsis ac fugatis, quos inter & Clemens presbyter, qui fugam hanc defendit authoritate scripturæ. Annum octavum decimum agens Origenes, catechumenis instituendis præfectus est: quo in munere maximos fecit progressus tempore persecutionum, quæ Aquila præfecturam gerente Alexandriæ contigerunt: tunc siquidem apud universos Fideles maximam nominis celebritatem adeptus est, ob sedula benevolentiæ atque humanitatis officia, quæ omnibus sanctis Dei martyribus notis pariter atque ignotis exhibebat. Neque enim illis hactenus comes aderat, dum in vinculis essent, aut dum ad extremam usque sententiam interrogarentur: sed post latam quoque sententiam, cum sanctissimi martyres ad supplicium abducerentur, ipse incredibili fiducia præditus, & pericula ipsa provocans adstabat: adeo ut sæpenumero eum audacter accederet, & martyres summa cum libertate osculo salutaret, ab insana Gentilium multitudine circumstante lapidibus jam obruendus videretur, nisi dextram divini Numinis semel adjutricem nactus, præter opinionem omnium evasisset. Porro Gentiles adeo cruentum ei bellum indixerant, ut in unum collecti atque conglobati domum, in qua manebat, dispositis militibus obsiderent, ob multitudinem eorum, qui sacræ Fidei rudimenta ab ipso percipiebant. Persecutionis autem furor tantopere adversus eum accendebatur in dies, ut tota Alexandrinorum civitas ulterius ipsum capere non posset, dum ex aliis quidem ædibus in alias migrat: undique vero exagitatus fugatur, propter ingentem numerum eorum, quos ipse ad doctrinam divinæ Fidei pertrahebat. Cum vero plures quotidie discipulos accedentes videret, propterea quod catechumenorum institutio ipsi soli mandata fuerat a Demetrio episcopo; rarus Grammaticæ artis professionem cum divinæ Fidei institutione minime consentire, scholam Grammaticæ literaturæ utpote inutilem, & sacris disciplinis contrariam, sine ulla cunctatione abjecit. Deinde prudenti consilio usus, ne alieno subsidio opus haberet, venditis priscæ disciplinæ voluminibus, quæ penes se habebat elegantissime elaborata, contentus fuit quatuor obolis, qui ab emptore voluminum ipsi in dies singulos pendebantur. Hujusmodi disciplina & plane Philosophica ratione vivendi, pluribus deinceps annis uti perseveravit; omnes juvenilium cupiditatum illecebras undique submovens. Ac diurno quidem tempore gravissimos cujusque modi exercitationum labores tolerabat: noctis vero maximam partem divinarum scripturarum studiis impendebat, severissimæ, quoad poterat, Philosophiæ legibus institutisque semetipsum coercens. Quippe interdiu jejuniorum exercitationibus insudabat: noctu vero somni spatium dimetiebatur, eumque non in strato, sed super nudo solo capere satagebat. Maxime vero Evangelica illa Servatoris nostri monita observanda esse ducebat, quibus monemur, tum ne duas tunicas habeamus, neve calceamentis utamur; tum ne de crastino nimium solliciti nosmetipsos excruciemus. Sed & majore, quam ætas ferebat, animi ardore in frigore ac nuditate perstans, & ad summum Evangelicæ paupertatis culmen evectus, familiares suos ingenti admiratione perculit. Verumtamen de rigore tolerantiæ nihil unquam remisit. Multos item per annos nudis vestigiis ambulasse dicitur, nullo penitus calceamento usus. Vino quoque & aliis rebus, quæ ad victum minus necessariæ sunt, diutissime abstinuit: usque adeo, ut pectus ipsius in gravissimum subversionis labisque discrimen incideret. Hujusmodi ergo Philosophicæ vitæ exempla omnibus spectanda præbens, plures ex discipulis ad sui imitationem provocavit: ita ut multi ex Gentilibus, tum in omni genere doctrinæ, tum in Philosophia præstantissimi, ejus se magisterio submitterent, qui cum fidem Christi sincere atque intimo mentis affectu ab ipso accepissent, persecutionis illius tempore inclaruerunt usque adeo, ut quidam ex ipsis comprehensi martyrio perfuncti sint.

Euf. hist. l. 6. c. 3. & 4. *Origenis discipuli*

XXXV. Primus fuit Plutarchus, qui sacro martyrio coronatus est: hic cum ad mortem duceretur, eique ad extremum vitæ terminum individuus adhæreret, parum abfuit, quin occideretur. Secundus Heraclas Plutarchi frater; qui cum ipse quoque Philosophicæ vitæ, ac districtioris cujusdam disciplinæ documenta plurima apud ipsum præbuisset, post mortem Demetrii Alexandrinæ urbis episcopatu dignus est habitus. Sex alii ex discipulis Origenis fuere martyres. Primus est Serenus, qui fidem, quam acceperat, igne examinatam ac probatam exhibuit: secundus Heraclides, tertius Heron, ambo securi percussi: quartus alter Serenus, qui cum plurimos cruciatus fortissime pertulisset, tandem capite truncatus fuisse dicitur. Sed & ex mulierum numero Herais quædam adhuc catechumena, per ignem baptismum adepta, ex hac vita migravit. Sexta Potamia.

Euf. hist. l. 6. c. 5. *Potamiana Virg. & martyr.*

XXXVI. Potamiæna fama fuit celeberrima, hæc pro castitate corporis, & pro virginitate, qua præcipue excelluit, conservanda, innumera adversus amatores certamina subiit; nam præter animi pulchritudinem, mirabilis quoque corporis venustas in

ea

Digitized by Google

Christi An. 205.

ea efflorescebat: innumera etiam pro Christi fide pertulit, tandemque post acerbissimos, ac vel dictu ipso horribiles cruciatus, una cum matre Marcella igae consnmpta est. Aquila judex, cum eam toto corpore sævissime eacruciasset, ad eatremum iaterminatus ei esse dicitur, se illam gladiatoribus violandam traditurum. At illa eum paulisper secum ipsa ram perpendisset, interrogata quid consilii caperat, ejusmodi fertur dedisse responsum, quod impium esse Gentilibus videbatur. Protinus igitur judicis sententia damnatam Basilides unus ex apparitoribus ad supplicium abducit; cumque vulgus eam veaare & obscœnis verbis illudere ei conaratur, Basilides eos, qui contumeliam virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiæ & humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit, se aamque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse. Hæc cum disisset, ferveoti pice, ab imis pedibus ad ipsum usque capitis verticem lente ac paulatim circumfusa, mortem constanti animo pertulisse memoratur. Brevi postea Basilides, cum, ob nescio quam causam, a contubernalibus suis sacramento adigeretur, nefas sibi esse affirmavit omnino jurare, quippe Christianum se esse, idque palam profiteri. Illi, primo quidem hominem jocari arbitrabantur: verum cum id constanter asseveraret, ad judicem est perductus; apud quem fidei suæ constantiam professus in vincula conjicitur. Cumque quidam ia Domino fratres eum adiissent, & causam subitæ illius atque insperatæ cooversionis ioterrogarent, dixisse fertur: Potamiænam tertio post martyrium die noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque se ipsius causa Dominum orasse, atque id, quod petierat, impetrasse, nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Post hæc signaculo Domini a fratribus aecepro, postridie Christum gloriose confessus capite truncatus est. Plures quoque alii ea Aleaandrinis eivibus eodem tempora ad fidem Christi subito transisse memorantur, quos scilicet Potamiæna, in somnit apparens, ad id faciendum provocaverat.

Tert. ad Scapul. cap. 3.

XXXVII. Eadem tempestate Claudius Hermianus in Cappadocia, cum, indigne ferens naorem suam in Christum eredidisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio vastatus peste, vivus vermibus ebullisset; Nemo sciat, ajebat, ne spe gaudeant Christiani. Postea cogniro errore suo, quod tormentis quosdam a proposito suo exeedere fecisset, pene Christianus decessit, inquit Tertullianus. Alexandrum tamen Hierosolymorum episcopum reliquit

martyr. 21. Jul. martyr. Bedæ & Adon. 28. Jul.

in vinculis. Episcopus Zoticus Comanensis, qui multum adversus Montanistas laborarat, in eadem perseeutione martyrio coronatus est. Carthagine vero sub Rnfino Proconsula sancta Gundenis virgo fidei causa equuleo diu torta, & ungulis lancinata, caraerisque pœdore diu afflictata, constanti animo perstans in fidei coofessione, demnm gladio cæsa, magna gloria martyrium consecuta est.

XXXVIII. Imperatores Severus, & Antoninos ejus filius octavos ludos sæculares Romæ eahibuere,

Christi An. 206.

anno Christi 206., Severi 12. quos imitari solebant aliæ provinciæ. Eorum occasione, qui Carthagine celebrantur, Tertullianus opuscula duo conscripsit, primum de spectaculis, secundum de idololatria. Ludorum originea, tituloa, apparatus, cæremonias in priora librocommemorat; ostenditque, nibil in ei tesse, quod ad idololatriam, vel ad impuros amores oon pertineat. Unde concludit esse prorsus interdictos Christianis.

Tertul. de spectaculis. cap. 22.

Actores circi & theatri scilicet comædos & histriones publico judicio esse damnatos sic probat: " Eos manifeste damnant ignominia, & capitis minurione, arcentes euria, Rostris, senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis quibusdam. Quanta perversitas, artem magoificant; arteficem notant!... Imo quanta confessio est malæ rei, cujus auctores, quum acceptissimi sint, sine nota non

cap. 23.

sunt!... Quum igitur bumana recordatio, etiam obstrepente gratia voluptatis, damnandos eos censeat ademptis bonis dignitatum in quemdam scopulum famositatis; quanto magis divina justitia io ejusmodi artifiees animadverrit? „ Eadem est prorsus eomœdorum nostræ ætatis conditio, spectatores nunc non esse minus nocentes constat ex sequentibus....

Ibid. cap. 25.

" In omni spectaculo, inquit, nullum magis scandalum occurret, quam ille ipse mulierum & virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus, aut conspiratio, aut dissensio; inter se de commercio scintillas libidinum conflabellaot. Nemo

Christi An. 206. cap. 26.

denique in spectaculo ioeundo prius cogitat, nisi videri, & videra...., Cur ergo non hujusmodi etiam dæmonius penetrabiles fiant? nam & exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit: itaque in eaorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset Fidelem aggredi; constanter, & justissime quidem, inquit, feci, in meo eam inveni. Constat & alii linteum in somnis ostensum ejus diei nocte, qua tragœdum audierat, cum eaprobratione nominatim tragœdi, nec ultra quintum diem eam mulieram in sæculo fuisse: .... Non cap. 27.
ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiarum? Sint dulcia licet, & grara, & simplicia, etiam honesta quædam: proinde habe, ae si stillicidia mellis de ramunculo venenato.... Imprimis cum Christus diaerit; *sæculum gaudebit*, *vos tristes eritis*. Lugeamus ergo, dum ethnici gandent, ut cum lugera cæperint, gaudeamus: ne pariter nunc gandentes, tunc quoque pariter lugeamus....

cap. 28. Joan. 16. cap. 9.

Cur tam ingratus es, ut tot & tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jocundius, quam Dei Patris & Dumioi recordario, quam veritatis ravelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis? quam sæculi totius contemptus? quam vera libertas? quam conscientia integra? quam vita sufficiens? quam mortis nullus timor?... quod Deo vivis? hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita. „ Ætatis nostræ spectacula quamvis antiquioribus sint castigatiora, non minus damnanda evineoot cædem rationes.

Tertul. de idololatria.

XXXIX. Post librum de spectaculis Tertullianus scripsit de idololatria, ne diutius Christiani ignorantia crassa laborarent, esistimantes in solo idolorum cultu idololatriam consistere. Idola esse ostendit habenda, non solum hominis effigies consecrata, sed quæcumque simulacra, quæ vel facere, etiam ut diveodantur, vel colere non licet Christianis: quoa non eacusat manuum labor, quem præcipit Apostolus, honestas tantum & licitas artes suadens. Tum sibi objicit: " Cur ergo Moyses in eremo simulacrum serpentis ære fecit? (& respondet:) Bene, num. 5.
quod idem Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcepto serpentis similitudinem indiait. Si eumdem Deum observas, habes legem ejus, ne feceris similitudinem. Si & præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysem, ne facias adversus legem simulacrum aliqood; nisi & tibi Deus jusserit. „ Iconoclastis non favet Tertullianus, qui mentem suam alibi sic clara eaplicat: " Proinde & similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cœlo, & in terra, & in aquis: ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes; subjicit enim: *non adorabitis ea*, *neque servietis illis*. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moysi a Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui a serpentibus infestabantur: & taceo de figura remedii. Sic Cherubim & Seraphim aurea in Arcæ figuratum eaemplum, certe simplea ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. „ Itaque id unum vult Tertullianus, prohibitum facere similitudines, quæ idololatriæ inserviant. Docet eamdem esse rationem fabricæ templi, aræ, ædiculæ, domus in honoram deorum....

l. 2. adv. Marcion. cap. 22. *Quas similitudines lex divina prohibeat.*

De ludimagistris suæ ætatis, & cæteris professoribus literarum hæc subjicit: " Non dubitandum afsioes illos esse multimodæ idololatriæ; primum quibus necesse est deos nationum prædicare, nomina, ganealogias, fabulas, ornameota honorifica quoque eorum enuntiare: tum solennia, festaque eorumdem observara; ut quibus vectigalia sua suppetant... Quis hæc competere Christiano eastimabit? (scilicet hæc tradere tanquam cultus vera sacros, vel cum periculo subversionis, vel scandali)... Diversa est autem ratio discendi & docendi. Si fidelis literas doceat, insertas idolorum prædicationes sine dubio, dum docet, commendat... Hinc prima diabolo fides ædificatur, ab initiis erudirionis. Quære an idololatriam

num. 10. Ibid.

CHRISTI An. 206.

committat, qui de idolis catechizat? at cum fidelis hæc discit, si jam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit.... Et erit tam tutus, quam qui sciens, venenum ab ignaro accipit, nec bibit. Huic necessitas ad excusationem deputatur, qui aliter discere non potest. „ Merito in eo libro reprehenditur, quod ibidem judicia capitalia Christianis interdicat, & militiam.

Tertul. lib. de velandis virginibus.

XL. Opuscula quædam de moribus scripsit, ut videtur, jam Montanista: talis est liber de velandis virginibus. Mulieres & virgines etiam sæculares, dum in publicum prodeunt, velari oportere probat tum ex verbis Apostoli, tum ex Apostolicarum Ecclesiarum consuetudine: quam Africanæ ecclesiæ consuetudini contendit esse præferendam. Virgines enim sacræ non velabantur in Africa, sed mitellas, seu parvas mitras in capite gestabant, ut docet D. Optatus: apertaque facie prodeuntes in publicum, hunc morem suo patrio tuebantur, quem sic impugnat Tertullianus. " Hunc, nempe Paracletum, qui audiunt usque non olim prophetantem, virgines contegunt. Sed noli inferi hunc more veritati deputare. Consuetudo sit tantisper, ut consuetudini etiam consuetudinem opponam; per Græciam & quasdam barbarias ejus plures ecclesiæ virgines suas abscondunt... Ego eas Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli, vel Apostolici viri condiderunt... Habent igitur illæ eamdem consuetudinis authoritatem, tempora & antecessores opponunt magis quam istæ posteræ ecclesiæ, scilicet Africanæ.... una nobis & illis fides.... una Ecclesia sumus... Igitur, sicut in omnibus varie institutis, & dubiis & incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, quæ magis ex duabus diversis consuetudinibus disciplinæ Dei conveniret. Et utique ea deligenda, quæ virgines includit, soli Deo notas. „ Idem confirmat ex verbis Apostoli præcipientis, ut mulier velet caput suum. Atque ex iis virgines in Africa velandas esse concludit, nec meminit vitæ communis vel monasterii. Itaque dum ait hanc consuetudinem esse præferendam, quæ virgines abscondit & includit, subintelligit, velamine, quo ex omni parte inclusæ sic hominum oculis subtrahuntur, ut soli Deo ex facie fiant notæ. Operis enim argumentum, quod est de velandis virginibus, ejusque rationes id unum intendunt & probant, virgines esse velandas. Præterea cultus profanus & lascivia, quæ nonnullis Afris virginibus exprobrat, demonstrant eas vitam communem non egisse in monasterio: siquidem indecentem cultum nunquam permisisset superior. Denique tanta vis fuit persecutionum secundo & tertio sæculo, tantus populorum & magistratuum furor adversus Christianos, ut qui communem virginum domum instituisset, aperto vitæ discrimini mians prudenter eas objecisset: præsertim cum Christiani, qui metu vel vi suppliciorum a fide deficiebant, quæ de aliis cognoverant, prodere cogerentur. Ibidem aperte fatetur ecclesias Africanas esse viris Apostolicis posteriores: ac proinde non multum ante secundi sæculi medium fundatæ fuat; quibus authoribus, ignoratur: missos ab Apostolica sede constat; cujus Patriarchatui subjectam se semper agnovit Africana ecclesia.

Opt. l. 6, num. 4.

Tertul. l. de cultu mulierum. num 4.

Idem argumentum prosequitur in duobus libellis de cultu mulierum, quem reprehendit ut incentivum malarum cogitationum, & desideriorum; quod nemo sapiens negabit. " Habitus fœminæ, inquit, duplicem speciem circumfert; cultum, & ornatum: cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur; iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus; alteri prostitutionis: ut jam hinc prospicias, Dei ancilla, quid ex his disciplinæ tuæ conveniat, quæ de diversis institutis censearis, scilicet humilitatis & castitatis... Christianæ pudicitiæ est, appetitionem sui non tantum non appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis: primo quod, non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus. Quid igitur excitas in te malum istud? quid invitas, cujus te profitearis extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus.... quæ saltem spiritum scandalo permoveat.... Quid autem alteri periculo sumus? quid alteri concupiscentiam importamus?.... Periit enim ille simul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi.... ubi est ergo, diliges proximum sicut te ipsum? Nolite tantum vestra curare, sed alterius. „

lib. 2. num. 2.

CHRISTI An. 206.

XLI. Tertullianus suapte nobilitate elatus, eruditionis, facundiæ, & pietatis proprio splendore fulgens, Ecclesiam, quam hactenus tanta cum laude defenderat adversus Infideles, Judæos, & Hæreticos, oppugnavit, ad Montani dogmata dilapsus circa annum Severi 13. hactenus enim eum vidimus Catholicum; anno vero Severi 15. jam Montanista publicarat libros adversus Marcionem, ut ibidem ipse testatur. Proclus illius sectæ disertissimus animum ejus austeriorem præoccuparat specie disciplinæ severioris. Sed licet alicubi Tertullianus Paracleti nomine Montanum innuere videatur, non aliud tamen, nisi hominem fuisse credidit, per quem Deus fidelibus jam adultis & capacioribus plura & perfectiora, quam per Apostolos, revelaverat: quod principium ut fanaticum confutaverat in apologetico. Fortassis Proclus multa dissimulavit, ut hominem durum sola rigidioris vitæ professione sibi conciliaret; perfecitque ea occasione, quam sic ipse narrat.

Tert. l. 1. adv. Marcion. cap. 5. & l. adv. Prax.

Tertul. lasspur. Tertul. de corona militis. cap. 5.

" Proxime factum est. Liberalitas præstantissimorum Imperatorum expungebatur in castris: his verbis donativum significat, quod Severi & filii ejus nomine distribuebantur militibus, qui laureati adibant. Quidam illic magis Dei miles,... solus libero capite, coronamento in manu otioso,... relucebat. Singuli designare, & ludere eminus, infrendere cominus: murmur Tribuno defertur, & persona jam ex ordine decesserat. Statim Tribunus, cur, inquit, tam diversus habitu? Negavit ille sibi cum cæteris licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit.... Suffragia exinde, & res ampliata, (seu ejus cognitio in aliud tempus remittitur) & reus ad Præfectos. Ibidem gravissimas penulas (seu vestem militarem) posuit, & caligam speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit,... gladium nec Dominicæ defensioni necessarium reddidit, laurea & de manu corruit: & nunc russatus sanguinis sui spe.... & de martyrii candida melius coronandos donativum Christi in carcere expectat. Militis factum improbavit Romana Ecclesia, nec enim crimen erat lauream gestare milites donativum accepturos; atque ex insolentia facinoris Romæ in Christianos movebatur persecutio. Militis patrocinium suscepit Tertullianus, edito libro de corona militis: in eo sic perstringit Clerum Romanum: " Exinde sententiæ super illo, scilicet milite, nescio an Christianorum, non enim aliæ ethnicorum, ut de abrupto, & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: solus scilicet fortis, inter tot fratres commilitones, solus Christianus. Plane superest ut etiam martyria recusare meditentur qui prophetias ejusdem Spiritus sancti respuerunt; loquitur de Montanistis a Victore condemnatis: mussitant denique, tam longam & bonam pacem periclitari, nempe Romæ & in Italia, hic enim nondum sævierat persecutio. Nec dubito quosdam scripturas pariter mussitare, emigrare sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem: nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi & pastores eorum, in pace leones, in prælio cervos. Hic, ut legenti manifestum est, insolenter in Romanam Ecclesiam insurgit Tertullianus, & quæsitos ad martyrium fugere vetat, non ignorans Christum præcepisse discipulis suis, ut tunc fugerent in aliam civitatem. Hinc magna ipsi ab ejusdem Ecclesiæ Clericis conflata est invidia, quorum tamen querelæ, & reprehensio fuit justissima; objurgationis vero modum fuisse acerbiorem innuit Hieronymus.

Ibid.

Ibidem multa laudat Tertullianus quæ pertinent ad disciplinam Catholicam; " Ut a baptismate, inquit, ingrediar, aquam adituri, aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ & angelis ejus; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus: ex eaque die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur; ad omnem progressum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus.

Hier. de script. eccl. Tertul. l. de coron. milit. c. 3.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 209.

rimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem espostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo cofirmatrix, & fides observatrix. „ Ejusmodi praxes ineunte tertio sæculo jam antiqua pietate consecratæ habebantur. Id vero quod dicit de baptismo, qui tribus prioribus sæculis conferebatur per trinam immersionem, clarius explicat D. Ambrosius: interrogatus es, inquit, credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti: credo; & mersisti. Iterum interrogatus es: credis in dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus? dixisti: credo; & mersisti. Tertio interrogatus es: credis in Spiritum sanctum? dixisti: credo; & mersisti. Ordo vero Romanus antiquissimus sic præscribit: Acceptis infantibus a parentibus, vel patrinis eorum, baptizant eos, dicentes: Ego te baptizo in nomine Patris; & mergit semel: & Filii; & mergit iterum: & Spiritus sancti; & mergit tertio. Tertullianus sub idem tempus scripsit multæ sed inutilis eruditionis libellum de pallio, quod sumpserat, ut austerius vitæ genus vel veste profiteretur.

Ambr. l. 2. de Sacram. cap. 7.

XLII. Zephyrinus papa, aliquantu post promulgavit edictum de mœchis ad pœnitentiam recipiendis, quibus aliqui Afri Episcopi, ut ait Cypcianus, in totum pœnitentiæ locum clauserant; quos excusat, quod Catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duriria, vel censuræ suæ obstinatinne non ruperint. Indulgentiam hanc non tulit Tertullianus, eamque ut prævaricationem sic coarguit in libro de pudicitia! " Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est, episcopus episcoporum, edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit bonum factum! Et ubi proponitur liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur: sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur; & virgo est. Absit, absit a sponsa Christi tale præconium. Illa, quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium macula: non habet quibus hoc repromittat: & si habuerit, non repromittit. „ Hic aperte contendit cum Montano, quorumdam peccatorum reis pacem & veniam dare non posse Ecclesiam; quod fuse in ejusdem operis decursu probare nititur. Pergit. " Erit igitur & hic adversus Psychicos titulus, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. „ En fatetur se antea Catholicum, quum librum de pœnitentia scriberet, alterius fuisse sententiæ, seque jam schismate divisum a Catholicis, quos, sui temporis hæreticorum more, deinceps vocat Psychicos, seu Animales.

Cyp. epist. 52.

Tertul. de pudicitia. cap. 1.

Mentitur vero, cum infra dicit: " Hinc est quod neque idololatriæ, neque sanguini pax ab Ecclesiis redditur: „ hæc enim fuit paucorum episcoporum praxis; aliam fuisse totius Ecclesiæ disciplinam testantur, primo Dionysius Corinthiorum episcopus, qui cunctos, a quovis lapsu, sive delicto, sive etiam hæretica pravitate resilinnt, benigne suscipi jubet. Secundo Lugdunenses martyres in sua epistola: martyres, inquiunt, gratificati sunt iis, qui fidem negaverant, ingentique gaudio mater eadem & virgo Ecclesia cumulata est, cum eos, quos tanquam extinctos abortu ejecerat, vivos jam ac spirantes recuperaret. Tertio, Tertullianus lapsis martyres pacem dedisse agnoscit in exhortatione ad martyres; & quibuscumque peccatoribus pœnitentiam secundam proponit in opere suo de pœnitentia. Quarto, Apostolorum canon 44. si quis episcopus vel presbyter, eum, qui a peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit, deponatur: Quoniam Christum molestia afficit, dicentem: *gaudium est in cælo, propter unum peccatorem pœnitentiam agentem*. Equidem prioribus illis sæculis, idololatris, homicidis, & mœchis semel tantum concedebatur pœnitentia publica, relapsis vero privata pœnitentia in mortis articulo; ut infra constabit ex epistola Syricii Papæ ad Himerium Tarraconensem.

Ibid. *Idololatriæ & homicidis pœnit. concessa pœnitentia.* Eus. hist. l. 4. c. 23. Ib. l. 5. c. 1.

Collect. Cotel.

XLIII. Tertullianus semper in deteriora prolapsus, secundas nuptias ut adulteria damnavit in libro de Monogamia; in libro de jejuniis duplicem quadragesimam Montani authoritate præceptam observari vult ab omnibus. Montanum, Priscillam, & Maximillam laudat ut organa sancti Spiritus; ibidem agnoscit quosdam jejunii dies ex præcepto determinatos apud Catholicos, præsertim ante Pascha. In libro adversus Praxeam, capite primo, se ab Ecclesia ad Montani sectam defecisse confitetur: " Et nos quidem, inquit, agnitio Paracleti atque defensio disjunxit a Psychicis. „ Hac nova prophetia sic dementatus est vir alioquin gravis & magni ingenii, ut deliras anus credulitate vicerit, muliereulæ somniis de natura animæ credens; in libro enim de Anima scribit: " Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit. Jam vero prout scripturæ leguntur, aut psalmi canuntur, aut ad locutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur: forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit: inter cætera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter; & spiritus videbatur, sed non inanis & vacuæ qualitatis: imo quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aerii coloris, & forma per omnia humana. „ Quod infra defendit ut verissimum. Quis deinceps homini, quantumvis ingenioso & erudito, atque in speciem pio & austero credat, dum ipse recedit a regula Ecclesiæ?

Tert. de jejun. c. 2. & 13.

CHRISTI AN. 209.

Tert. lib. de anima. cap. 9.

XLIV. Alter in Theodoti coriarii errores lapsus Romæ publice resipuit; eoque facto maxime commendatur divina misericordia. Erat quidam Natalis nomine, Confessor: hic in fraudem inductus est ab Asclepiodoto, & altero quodam Theodoto argentario: ei persuaserunt, ut accepto sacerdotio hæresis illius episcopus crearetur, ea scilicet conditione, ut menstruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illis partibus, sæpe a Domino corripiebatur in somnis: clementissimus enim Deus ac Dominus Jesus Christus eum, qui passionum suarum testis exstiterat, perire extra Ecclesiam nolebat: sed cum nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primæ apud illos sedis, & turpis lucri cupiditate, quæ multis mortalibus exitio est, inescatus, tandem a sanctis Angelis per totam noctem flagellis cæsus, & gravissime verberatus est; adeo ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, & cinere conspersus confestim cum lacrymis ad pedes Zephyrini episcopi sese abjecerit, non solum Cleri, verum etiam sæcularium vestigiis advolutus, & Christi misericordis Ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit atque concusserit, multisque precibus usus, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est.

Natalis pœnitentia. Eus. hist. l. 5 c. 28.

XLV. Interea Origenes dum cathecumenis apud Alexandriam instituendis vacaret, divinis disciplinis, suisque auditoribus tempus omne promptissime impendens, cum illa Christi, *sunt quidam Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*, simplicius ac juvenilius accepisset, partim ut Salvatoris nostri verbum impleret, partim ut omnem obscœni rumoris & calumniæ occasionem infidelibus adimeret, eo quod ipse ætate juvenis non solum viris, & fœminis divinæ fidei præcepta tradebat, dictum Salvatoris, ut putabat, reipsa exequitur. Providerat quidem, ut plerosque familiarium suorum ea res lateret: verum ille, quamvis maxime id vellet, tantum facinus occultare non potuit. Iraque Demetrius, cum rem illam utpote ecclesiæ episcopus postea comperisset, juvenis audaciam vehementer admiratus est; ac primum quidem alacritatem animi & fidei sinceritatem in eo collaudans, bono animo esse jussit, utque tanto majore cura instituendis catechumenis vacare pergeret cohortatus est. Origenes postea factum suum improbans, Christi verba de triplici eunuchorum genere moraliter interpretatus est, intelligens, ut par est, de iis, qui ex voluntate sua propter regnum cœlorum perpetuam servant continentiam.

Eus. hist. l. 6. c. 8. Matt. 19. *Origenes se mutilat.*

XLVI. Tertullianus vero, licet Montani sectator, egregie pugnavit pro Fide Ecclesiæ, compositis quinque de Deo unico libris adversus Marcionem. In eorum proemio meminit libri de Præscriptionibus, tanquam operis jam editi; quo sufficienter erroris convincitur Marcio, quippe qui novator sit dissidens ab Ecclesiis,

Digitized by Google

CHRISTI An. 209.

siis, & alterius adversus eumdem opusculi; quod excidit. Et primo quidem demonstrat, Christianam veritatem recte pronuntiasse, Deum, si unus non sit, non esse; quippe qui summus magnus sit, cui nihil adæquari potest; non posse autem duo summa magna, natura & voluntate distincta, suis finibus consistere; alioquin & plura admitti deberent cum Valentino.

Tertul. adversus Marcionem.

Enumerans Dei attributa commendat imprimis ejus bonitatem & justitiam, qua peccata punit. Unde concludit, nullum esse Deum bonum Marcionis, qui sceleratos dimittit impunitos.

Idem l. 2. c. 1. 2. 3. & 4.

In secundo libro Deum Creatorem ab æterno esse bonum probat ex ejus operibus; hominisque lapsum atque peccatum tribuendum ejus liberæ voluntati, quam ad recte vivendum ei dederat Deus, " cujus præscientia tantos habet testes, quantos fecit Prophetas. „ Neque dici potest: homo non debuit sic institui, " si libertas & potestas arbitrii exitiosa futura esset .... Oportebat enim imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrii & suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum, imago & similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas & potestas .... Præterea bonus natura, solus Deus: .... Ut ergo jam bonum suum haberet homo, data est ei libertas arbitrii, quæ efficeret, bonum ut proprium jam sponte præstari ab homine .... Ut ita demum bonus consisteret homo, si secundum institutionem quidem, sed ex voluntate jam bonus inveniretur, quasi de proprietate naturæ: proinde ut & contra malum fortior homo prætenderet, liber scilicet & suæ potestatis :... Tota ergo libertas arbitrii concessa est illi in utramque partem, ut sui dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando: quoniam.... nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.... Hac definitione omnia Deo salva sunt, & natura bonitatis, & ratio dispositionis, & præscientiæ & potentiæ copia .... Sic Deus creavit dæmones Angelos bonos; sed non fecit dæmones & malos; ipsimet sese tales peccando fecerunt .... Creator igitur tam bonus quam justus, pariter utrumque processit: bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est, quia etiam tum mundum judicavit ex bonis faciendum, quia cum bonitatis consilio judicavit. Et infra. Timor judicii ad bonum, non ad malum confert.... tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis custodiret, quod sine periculo amitteret? .... Horremus terribiles minas Creatoris, & vix a malo avellimur: quid si nihil minaretur? .... Ideo Lex utrumque definit: Diliges Deum: &: Timebis Deum. „ Marcionistæ, eo quod Deus dicat apud Isaiam: *Ego faciens pacem, & creans malum*; colligebant, eum esse malorum conditorem. " Non autem, inquit, adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti, & malis supplicii, malis culpæ, & malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quippe peccati & culpæ, diabolum: malorum vero supplicii & pœnæ, Deum Creatorem, ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ. „ Hæreticis objicientibus: si Deus irascitur, & æmulatur, & exacerbatur: ergo corrumpetur; respondet: " Nos a Prophetis & a Christo, non a Philosophis erudimur; qui credimus, Deum etiam in terris egisse, & humani habitus humilitatem suscepisse ex causa humanæ salutis .... Bene autem, quod Christianorum est, etiam mortuum Deum credere, & tamen viventem in ævo ævorum. „ Christiani igitur ætate Tertulliani credebant, Christum esse vere Deum. Pergit: " Stultissimi, qui de humanis divina præjudicant, ut, quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco & in Deo ejusdem status æstimentur. Discerne substantias, & suos eis tribue sensus tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. „

Liberum hominis arbitrium. Ibid. c. 6. cap. 10. cap. 13. cap. 14. Isa. 45. cap. 15.

XLVII. Tertius liber est de Christo, quem demonstrat esse Filium Dei Creatoris, a quo missus est, idque evincit primo ex consensu omnium Ecclesiarum, quæ alterius Dei vel Christi non meminerant ante scandalum Marcionis: secundo, quia prænuntiatus a Prophetis, seque Dei Christum probavit per documenta virtutum. Eumdem esse verum hominem probat authoritate Joannis Apostoli, qui Anti-Christos pronuntiat negantes Christum in carne venisse. Præterea " vere pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus, totum Christiani nominis & pondus, & fructus, mors Christi negatur, quam tam impresse Apostolus demandat, utique veram, summum eam fundamentum Evangelii constituens, & salutis nostræ, & prædicationis suæ: *Tradidi enim*, inquit, *vobis imprimis, quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris, & quod sepultus sit, & quod resurrexit tertia die*. Porro si caro ejus negatur, quomodo mors ejus adseveratur, quæ propria carnis est passio? .... Negata vero morte dum caro negatur, nec de resurrectione constabit. Eadem enim ratione non resurrexit, quia mortuus non est: proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est .... Nam sicut illi, qui dicebant, resurrectionem mortuorum non esse, revincuntur ab Apostolo ex resurrectione Christi: ita resurrectione Christi non consistente, aufertur & mortuorum resurrectio, atque ita inanis est Fides nostra, inanis est prædicatio Apostolorum. Inveniuntur etiam falsi testes Dei, quod testimonium dixerint, quasi resuscitaverit Christum, quem non resuscitavit. „ Marcion contendebat, turpe esse, nasci Deum, " Age, inquit Tertullianus, invehere in totum, quod es! carnis atque animæ originem destrue: cloacam voca uterum: persequere & partus immunda & pudenda tormenta: tamen cum omnia ista destruxeris, ut Deo indigna confirmes, non erit indignior morte nativitas, & cruce infantia. Si vero ista passus est Christus; minus fuit nasci. „ Denique probat, Jesum esse Dei Creatoris Christum, quippe per eum gentes omnes ex tenebris idololatriæ ad Dei Creatoris Fidem conversæ sunt, uti prædixerant David & Isaias; " quæ si per Christum eveniunt, non in alium erunt prophetata, quam per quem eveniunt. „ Millenariorum opinionem fuse probat & explicat in capite ultimo.

Lib. 3. adv. Marc. c. 1. 8. CHRISTI An. 209. 1. ad Cor. 15. cap. 11.

XLVIII. Liber quartus scriptus est adversus Marcionis anthitheses, qui Legem opponebat Evangelio, duosque diversos ex utriusque oppositione deos astruebat; alterum veteris, alterum novi Testamenti. Tertullianus unum Deum utriusque Testamenti authorem esse demonstrat, siquidem Deus Creator per Prophetas suos aliam legem novam repromiserit, nullamque esse veteris & novi Testamenti diversitatem vel inde præscribit; quod Christus noster impleverit prophetias Creatoris; repræsentaverit promissiones ejus, ac leges adjuverit. Marcion solum Evangelium secundum Lucam recipiebat, erasis etiam tribus prioribus capitibus, initioque quarti, ut sententiæ suæ contrariis. Tertullianus probat quatuor Evangelia, eaque integra esse recipienda, quibus pariter suffragatur authoritas Ecclesiarum Apostolicarum. Deinde confutans figmentum ejusdem hæresiarchæ asserentis, Christum, anno 15. Tiberii Cæsaris, e cœlo descendisse in civitatem Galilææ Capharnaum; " Quomodo, inquit, in synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus? cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de censu denique Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archivia custodiunt: „

4. lib. adv. Marc. c. 1. cap. 6. cap. 5. cap. 7.

XLIX. Pauli solius epistolas, quas mutilatas recipiebat Marcion, in librum diverso ordine redegerat, exceptis iis, quæ sunt ad Timotheum, & Titum, & ad Hebræos. In quinto libro ea iis probat Tertullianus, non alium Deum prædicari ab Apostolo quam Creatorem. Humanam & veram carnem ex Maria Virgine Christum habuisse demonstrat in alio opusculo adversus quatuor hæreses Marcionis, Apellis, Valentini & Saturnini.

5. lib. adv. Marc. Tertul. de carne Christi. *Tert. lib. adv. Praxeam.*

L. Scripsit & adversus Praxeam alterum hæresiarcham, qui Dei unitatem sic tuebatur, ut personarum trinitatem negaret, contenderetque Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum. Illius errori doctrinam Catholicam circa mysterium Trinitatis sic opponit Tertullianus. " Nos, inquit, unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei sit & Filius, & sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum a Patre in Virginem, & ex ea natum hominem & Deum Filium hominis, & Filium Dei, & cognominatum Jesum Christum; hunc passum, mortuum & sepultum secundum Scripturas, & resuscitatum a Patre, & in cœlos resumptum sedere ad dexteram Patris; venturum judicare vivos & mortuos; qui exinde miserit secundum promissionem suam a Patre Spiritum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. „ Et infra:

cap. 2. *Trinitatis mysterium.*

" Quasi

CHRISTI AN. 209.

" Quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem, & nihilominus custodiatur œconomiæ Sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti & formæ & species, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti deputantur. „ Et infra. " Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium. „ Hanc expositionem mysterii Trinitatis, prorsus Catholicam, si possint, in suas partes trahant Sociniani. (cap. 4.)

Postea duplicem distinguit Verbi divini generationem, aliam, æternam & interiorem, de qua dicit: " Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, *Ego in Patre*: & apud Deum semper; sicut scriptum est; *Et sermo erat apud Deum*; & nunquam separatus a Patre; aut alius a Patre; quia *Pater & Ego unum sumus*. Hæc erit parabola veritatis, custos unitatis; quia prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum. „ Aliam vero temporaneam & exteriorem; cum Pater creaturas omnes produxit per Verbum, quod proinde quasi prodiit ad extra per externam prolationem; dum Pater dixit; *Fiat lux*. Et de ea dicit: " Nam ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione & sermone disposuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas suas, rationem & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo & facta jam, quantum in Dei sensu .... Tunc etiam ipse sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, cum dicit Deus, *Fiat lux*: Hæc est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit: „ quia tunc sermo per opera sua manifestatus est; sed evidenter præsupponit, hunc præextitisse semper huic externæ prolationi, sed dicebatur ratio, & Sophia. (Ibid. Joan. 5. cap. 8. Joan. 8. cap. 7.)

Filium aliam esse a Patre personam probat ex variis Scripturæ testimoniis; sed imprimis urget illud: " Ecce ego propono, Patrem Filio dixisse: *Filius meus es tu; Ego hodie generavi te*. Si vis, ut credam, ipsum esse Patrem & Filium, ostende sic pronuntiatum alibi, Dominus dixit ad se, filius meus sum ego, ego hodie generavi me, & proinde & ante Luciferum generavi me.... Et si qua alia in hunc modum sunt. Quem autem verebatur Deus dominus universitatis, ita pronuntiare, si ita res erat: an verebatur, ne non crederetur, si simpliciter se Patrem & Filium pronuntiasset? Unum tamen veritus est, mentiri: veritus autem semetipsum & suam veritatem; & ideo veracem Deum credens, scio illum non aliter, quam disposuit, pronuntiasse: nec aliter disposuisse, quam pronuntiavit. Tu porro eum mendacem efficis, & fallacem, & deceptorem fidei hujus, si enim ipse esset sibi filius, alii dabat filii personam, quando scripturæ omnes & demonstrationem & distinctionem Trinitatis ostendant. A quibus & præscriptio nostra deducitur, non posse unum atque eumdem videri qui loquitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur: quia neque perversitas, neque fallacia Deo congruat, ut cum ipse esset ad quem loquebatur, ad alium potius, & non ad seipsum loquatur .... Exhibe igitur probationem, quam expostulo meæ similem, id est, sic scripturas eumdem Filium & Patrem ostendere, quem ad modum apud nos, distincte Pater & Filius demonstratur, distincte, inquam, non divise .... Duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque. „ Hanc infra reddit rationem, ex similitudine repetitam: " Nam etsi soles duos non faciam, tamen & solem & radios ejus tam duas res, & duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quam Deum & Sermonem ejus, quam Patrem & Filium .... Sed qua Pater & Filius duo, & hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione, ... Paracletum quoque a Patre se postulaturum, quum ascendisset ad Patrem, & missurum repromittit; & quidem alium .... de meo sumet, inquit, sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus; quomodo dictum est, ego & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem. „ Idem confirmat ex ritibus baptismi: " Novissime, inquit, mandans ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in unum: nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur. „ (Ibid. Psal. 2. *Personarum divinarum realis distinctio.* cap. 15. cap. 13. cap. 19. cap. 25. cap. 27.)

Praxeæ sectatores, ut tot authoritates eluderent, respondebant, in Christo carnem esse Filium, Spiritum vero esse Patrem. Hanc expositionem confutat Tertullianus, & probat eam convellere mysterium Incarnationis, si quidem *Verbum caro factum est*, quatenus carnem induit, non quod in ea sit transfiguratus, ac proinde non ipsa caro, sed sermo dicitur Dei Filius, & Deus, qui secundum carnem crucifixus est, & mortuus. Secundo quia scripturæ repugnat, si quidem in passione Christus exclamavit: " *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me*. Si Pater erat qui patiebatur, ad quem Deum exclamabat? sed hæc vox hominis, non sermonis, id est, non Dei, propterea emissa est, ut impassibilem Deum ostenderet, qui sic Filium dereliquit, dum hominem ejus tradidit in mortem: „ Ista legenti mirum plane videtur, non tantum Antitrinitarios in suas partes trahere Tertullianum, sed & aliquos Catholicos suspectam habuisse ejus fidem circa mysterium Trinitatis: illorum malas artes, istorum negligentiam, nemo non reprehendet, qui modo laudatam Tertulliani fidei professionem legerit: disertis verbis, ut dogma Catholicum & ab omnibus ecclesiis receptum, confitetur Unum Deum in tribus personis realiter distinctis, unius tamen & indivisæ substantiæ subsistentem; Filium a Patre ab æterno genitum; Spiritum sanctum a Patre per Filium procedentem. Theologus nunc accuratius non loqueretur. (Ibid. Joan. 1. cap. 30.)

LI. Sæviente semper Severi persecutione, occisus est pro fide Rutilius, cujus non sine laude sic meminit Tertullianus: " Rutilius sanctissimus martyr, cum toties fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset, post tantam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, & præsidi oblatus, tormentis dissipatus, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitaverat, misericordia Dei retulit. „ Die Februarii 18. Romano in Martyrologio legitur: In Africa; sanctorum martyrum Lucii, Sylvani, Rutuli, Classici, Secundini, Fructuli, & Maximi. Rutulus ille a nostro Rutilio diversus non videtur. Ex his quæ ibidem refert Tertullianus, certo colligimus, tunc primum Catholicos non solum privatim pecunia redemisse inquisitionem & judicium; sed & ipsas Ecclesias quoddam pendisse tributum, ut quiete conventus agere sibi liceret; quod male reprehendit idem author, de his enim in Synodo sic postea statuit D. Petrus Alexandrinus: Iis, qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest, damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel etiam ipsam perderent. Est certe eorum conditio longe diversa est a Libellaticis, de quibus infra. (*Tertul. de fuga.* cap. 5. Ib. c. 13. Petr. Alexandr. can. 10. t. concil.)

Sub idem tempus mortem pro Christo pertulere, Celerina, Laurentius & Ignatius; eorum enim passionis ut vetustæ sic meminit Cyprianus loquens de confessore Celerino. Avia ejus Celerina, jam pridem martyrio coronata: item patruus ejus, & avunculus Laurentius, & Ignatius, in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas Domini, & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro iis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus. Vesuntione Sequanorum metropoli, Christi Fidem, quam his gentibus prædicarant, post multos cruciatus sanguine suo consecrarunt D. Ferreolus presbyter, Ferrutio diaconus, sancti Irenæi discipuli: eorum meritis sororis suæ virum ex febre vehementiori sanatum fuisse refert Gregorius Turonensis. Ex eadem schola D. Felix presbyter & Fortunatus & Achilleus diaconi martyrium illustre fecerunt Valentiæ in Gallia, ut antiquiora martyrologia testantur; aliqui & quidem probabiliter putant eos passos anno primo Antonini Caracallæ: earum gentium dicuntur Apostoli. (Cypr. Ep. 34. Martyr Ado, Usuard. 16. Jun. Greg. Tur. l. 1. de gloria mart. c. 71. Bolland. 23. Apr.)

LII. Tertullianus in libro, quem ultimo Severi anno scripsit adversus Judæos, probat Mosaicis sacrificiis abolitis successisse sacrificium, quod in omni loco offerendum prædixerat Malachias; Christum quem exspectabant, jam venisse demonstrat ex amplitudine religionis Christianæ; si quidem jam dudum in

eum

Digitized by Google

Christi An. 209.

Tertul. lib. adv. Judæos. cap. 7. Messias venit.

eum credebant omnes gentes, quemadmodum prædixerant Prophetæ: " In quem enim alium, inquit, universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam. Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam; immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ est trans Cyreocm inhabitantes? Romani & incolæ; tunc & in Hierusalem Judæi, & cæteræ gentes? ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minime possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat.... Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius, qui in omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur? „ Hinc patet quam late tunc diffusa fuerit Ecclesia. Idem confirmat ex prophetia Danielis, cujus 70. hebdomadarum supputationem chronologicam admodum mendose proponit....

LIII. Divina providentia, quæ Severi crudelitatem, tum in nobilissimos quosque Romanos, tum in Christianos sustiouerat, Ecclesiæ suæ miserata, tyrannum ad æternum evocavit supplicium: hic gloriæ

Herod. lib 3.

cupidus, & semper in bello felix, barbaros prædationibus vastare Britanniam lætus audierat. Itaque pedibus licet æger expeditionem edicit, Geta Augusto prius creato, spe omni celerius enavigato Oceano,

Dio l. 76. Severi mors.

Insulam ingreditur, Imperii sui anno 15. Barbari repentino ejus adventu territi, legatos mittunt ad eum, sui expurgandi causa, quos re infecta domum dimisit. Getam in parte Insulæ Romanis subjecta reliquit, Antonino secum adversus hostes educto; lectica vectus ingressus est Caledoniam, nunc Scotiam: pertranseunti occurrunt gravissimæ difficultates, frequentes hostium insidiæ, in quibus e Romanis periere ad quinquaginta millia: neque tamen destitit, quo usque ad extremam Insulæ partem venit;

Bed. hist. lib. 1. Oros. lib. 7. Dio in Severo.

Britannis ad fœdus faciendum coactis, ea conditione, ut non parva parte regionis cederent; receptamque Insulæ partem a cæteris indomitis gentibus muro firmissimo a mari ad mare divisit, atque communiit per centum triginta duo millia passuum: unde etiam Britannici nomen accepit. Antoninus ejus filius natu major palam sua cum manu occidere est conatus: nam cum forte equitarent una, equitaretque pariter reliquus exercitus, & hostium copiæ viderentur; Antoninus, equo refrenato, magno silentio percommode gladium distrinxit, ut tergum patris perçuteret: quod ubi animadverterunt qui simul equitabant, exclamaverunt protinus: eoque clamore perterritus Antoninus se abstinuit. Redarguit eum, qui rem senserat, pater; nec tamen quidquam illi molestiæ intulit; ex mœrore tamen in gravem morbum incidit: deficiens convocatis filiis dixit: facite ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite. Obiit Eboraci, quarta Fe-

Christi An. 212.

bruarii die, anno ducentesimo duodecimo, vitæ 65., imperii 18. necdum absoluto. Senatus de Severo judicavit, illum aut nasci non debuisse, aut non mori, quod & nimis crudelis, & utilis reipublicæ videretur.

Ibid.

Reliquit duos filios, Antoninum Bassianum, & Getam; qui perpetuis inter se certarunt odiis & insidiis: ad singulare imperium quacumque via grassantes, nihil prætermittebant, dum potestatis consortem e medio tollerent. Julia mater & amici nihil non egerunt, ut dissidentes fratres reconciliarent, sed potentior fuit

Spart. Herodian. l. 4.

ambitio. Antoninus, qui postea Caracalla cognominatus est, ex longioribus palliis, quæ populo dederat, & dicebantur Caracallæ, fratri tandem ferrum cædemque molitur: sed cum multis militibus Geta custodiretur, Caracalla Juliæ persuasit, ut se ambos in thalamum vocaret, ut de mutua reconciliatione ageretur. Geta, qui matri confidebat, ingreditur cum Antonino: tum centuriones, qui in insidiis erant a Caracalla collocati, simul in Getam impetum faciunt, adhærentemque matris pectori occidunt, clamantem: Mater, mater, fer opem, occidor. Ne vero ullum facinus abesset, Caracalla gladium fraterno sanguine imbuit suum, filiique sanguine perfusa est Julia: extinctus est anno vitæ 23., imperavit uno anno. Marci Antonini sepulcro illatus est cum patre suo Severo, atque uterque in divos relatus a fratre, qui sic sperabat apud populum posse mitigari facinus, illud adjiciens: sit divus, dum non sit vivus.

Christi An. 212. Spart. in Get.

LIV. Perpetrato scelere, Caracalla per rotam regiam currens clamitat, magnum se periculum effugisse, vixque evasisse incolumem: simulque imperat militibus, in castra se deducerent, ut tutius asservaretur. Vespere ut castra attigit, progressus in medium, clamitat hostis insidias effugisse, visque tandem post longum certamen adversarius superatos, se postremo unicum Imperatorem fortunæ relictum dono. Tum pro salute imperioque suo singulis militibus Atticarum dragmarum duo millia supra quingentas pollicetur; prætereaque annonæ supra quam sueti accipere dimidium. Postero die loricam sublato clavo habens, curiam ingressus ait: venenis in se comparatis, gladioque impendente, ultum fuisse hostem, gratiasque diis agendas imperat, quod alterum Patribus Principem servaverint. Sequenti die rursus Capitolium petiit: quos occidere parabat benigne allocutus est, innitensque Papiniano & Chiloni ad palatium rediit. Ex Cæsarianis militibus qui cum Geta fuerant, ad hominum mulierumque viginti millia peremit; Lætum, qui Getæ mortem suaserat, misso veneno, ad mortem coegit, Severum patruelem, cui pridie partes de cœna miserat, jussit occidi; interfecit &

Herod. lib. 4.

Spart. in Sev. c. 21.

Pompejanum, quem & Consulem bis fecerat, ex Lucilla Marci Imperatoris nepotem; Papinianus Præfectus prætorio, Severo propter Juliam affinis, ipsique erat amicissimus, vir justissimus, & qui tam expositione, quam cognitione legum, omnes ante pariter, & post se Romanos Juris-consultos superavit, in ejus conspectu securi percussus est: Papiniani quoque filium, qui ante triduum Quæstor, opulentum munus ediderat, morti misit. Longius progresso furore, Evodum educatorem, Castorem Severo amicissimum, uxorem suam Plautillam, fratremque ejus Plautium interemit, & cum his Helvium Pertinacem Imperatoris filium. Demum fratris omnes amicos, aliosque viros nobiles & divites suspectos interfecit sub diversis occasionibus.

Dio l. 77.

LV. Cæterum, quod mirabile prorsus videtur, persecutioni metas posuit monstrum hominis: surrexerat e sede, jamque ad curiæ fores adstabat: Audite, inquit, rem maximam, ut totus Orbis terrarum gaudeat. Omnes exules rei facti cujuscumque sceleris, quomodocumque damnati sint, restituantur. Quo edicto comprehendebantur Christiani. Perdurasse tamen in remotioribus provinciis aliquandiu persecutionem, constat ex libro Tertulliani ad Scapulam Africæ proconsularis Præsidem, qui Christianos asperius persequebatur. Sic eum interpellat: " Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur: cum ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea, quæ Deus repromittit, consequi optantes.... Tamen doleamus necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem;

Tertul. ad Scapulam. cap. 1.

cap. 3.

sicut & sub Hilariano Præside, de areis sepulturarum nostrarum cum acclamassent: areæ non sint: areæ ipsorum non fuerunt; messes enim suas non egerunt. Cæterum & imbre anni præteriti quid commeruerit genus humanum apparuit, cataclysmum scilicet & retro fuisse propter incredulitatem & iniquitates hominum; & ignes, qui super mœnia Chartaginis proxime pependerunt per noctem, quid minati sunt, sciunt qui viderunt; & pristina tonitrua quod sonuerunt, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei... Possumus æque & exitus quorumdam Præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ recordati sunt deliquisse; quod vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit: Claudius Hermianus in Cappadocia vermibus ebulliens peste consumptus est.... Cæcilius Capella in illo exitu Bysantino, Christiani gaudete, exclamavit. Sed & qui videntur sibi impune tulisse, venient in diem divini judicii. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, & statim hæc vexatio subsecuta est. Non te terremus, qui nec timemus: .... potes & officio jurisdictionis tuæ fungi, & humanitatis meminisse.... Quanti autem Præsides & constantiores, & crudeliores dissimularunt ab hujusmodi causis.

Ut

CHRISTI AN. 212.

Ut Cincius Severus, qui Thysdri & ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent. Ut Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum civibus suis satisfacere, dimisit. Ut Asper, qui modice vexatum hominem, & statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos & adsessores, dolere se incidisse in hanc causam. Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundum mandatum. Hæc omnia & de officio suggeri possunt, & ab eisdem advocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licet adclament quæ volunt. Nam & cujusdam notarius, cum a dæmone præcipitaretur, liberatus est: & quorumdam propinquus & puerulus. Et quanti honesti viri aut a dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt … Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Tunc populus acclamans Deo deorum, qui solus potens est, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit …. „

cap. 4.

“ Nunc & a Præside Legionis, & a Præside Mauritaniæ vexatur hoc nomen, (scilicet Christianorum) sed gladio tenus, sicut & a primordio mandatum est animadverti in hujusmodi; sed majora certamina majora sequuntur præmia. Crudelitas vestra, gloria est nostra… Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus manufacta se obtulerunt, cum ille, paucis duci jussis, reliquis ait: O miseri! si perire vultis, præcipitia aut restes habetis. Hoc si placuerit & hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit. Quid ipsa Carthago passura est decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit? … Parce ergo tibi; si non nobis; parce Carthagini, si non tibi; parce provinciæ, quæ visa intentione tua obnoxia facta est concussionibus & militum, & inimicorum suorum. „ Huic expostulationi historicæ passim quædam inserit de innocentia Christianorum, qui nullius hostes sint, “ ne dum Imperatoris, quem scientes a Deo suo constitui, salvum velint cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit: pro cujus salute Deo suo & ipsius Imperatoris non orent modo, sed & sacrificent. „ Ubi primum Imperatoris voluntas innotuit, cessavit persecutio: interjectis deinde annis octo & triginta pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore, Maximinus nonnullarum Ecclesiarum clericos vexavit.

Sev. Sulp. hist. l. 2. cap. 45.

Hier. de script. eccl. Eus. hist. l. 6. c. 20. & l. 2. cap. 25. Phot. in Bibl. cod. 48. Optat. Milev. l. 1. adv. Parm. Eus. hist. l. 6. c. 10. & 11.

LVI. Romæ sub idem tempus Cajus presbyter hujus Ecclesiæ, disputationem adversus Proculum, Montani sectatorem, valde insignem habuit, arguens eum temeritatis super novam prophetiam: hanc se legisse testatur Eusebius: in ea disputatione de Petro Pauloque id scripto mandavit Cajus: Ego vero Apostolorum tropæa possum tibi ostendere; nam sive in Vaticanum, sive in Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundarunt. Photius scribit hunc ordinatum gentium Episcopum, eique tribuit librum de Universo, sive de causa universi, qui Josepho adscribitur historico, & tractatum contra Artemonis hæresim. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, quem propter adversariorum calumnias sponte secessisse diximus, cum subito quasi redivivus emersisset, a fratribus ut Ecclesiæ administrationem denuo susciperet rogatus est. Quippe universi multo magis tunc eum mirabantur, tum ob secessum, tum ob philosophicam vivendi rationem: maxime vero ob præsentem vindictam, qua Deus calumniatores illius afficit. Verum cum propter extremam senectutem ministerium suum obire amplius non posset, erat enim annos natus sexdecim supra centum, Alexandrum alterius ecclesiæ in Cappadocia episcopum divina dispensatio per revelationem quamdam, quæ illi in somnis apparuerat, ad participandum cum Narcisso sacerdotis officium evocavit; qui cum Hierosolymam venisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia, Fratres illius Ecclesiæ humanissime eum excipientes, reverti post hæc in patriam non siverunt, consentientibus vicinarum urbium Episcopis. Antiochiæ vero, Serapione mortuo, Episcopatum Ecclesiæ suscepit Asclepiades, qui persecutionis tempore fidem Christi confessus, maximam gloriam retulerat.

CHRISTI AN. 212.

Hier. de script. eccl.

LVII. Minutius Felix Romæ insignis causidicus, eodem imperante Caracalla scripsit dialogum de religione Christiana, cujus sanctitatem ab Infidelium calumniis vindicat: inscribitur Octavius, nomen est primarii interlocutoris Christiani, cujus æmulus dicitur Cæcilius Natalis adhuc Paganus: hujus liber, inquit Lactantius, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Illius scribendi hanc occasionem refert Felix. Jam dudum aberat ab Octavio viro sibi amicissimo, utpote, inquit, “ cum & ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut & in ludicris, & in seriis pari mecum voluntate concineret, socius in erroribus: & cum, discussa caligine de, tenebrarum profundo in lucem veritatis & sapientiæ emergerem, non respuit comitem, sed, quod est gloriosius, præcurrit. Itaque cum per universam convictus nostri & familiaritatis ætatem mea cogitatio volveretur, in illo præcipue sermone ejus mentis meæ resedit intentio, quod Cæcilium superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhærentem disputatione gravissima ad veram religionem reformavit. Negotii & visendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, conjuge, liberis, adhuc annis innocentibus. Igitur post unum aut alterum diem … placuit Ostiam petere amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda & apposita curatio. Itaque cum diluculo ad mare inambulando littore pergeremus, Cæcilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit. „ Indignam viro docto superstitionem reprehendit Octavius. Hinc nata de religione controversia.

Lactant. l. 5. c. 1.

Minut. Fel. Octavius.

Cæcilius primo statuens ea, quæ spectant ad deos, esse prorsus incerta, humanæque cognitioni superiora, negat ullam esse religionis scientiam; vel Deum esse conditorem hujus universi, quod regat sua providentia. Unde concludit: omnibus hunc cultum esse retinendum, quem a majoribus acceperint. Itaque cum Orbis universus colat deos, a quibus Romani totius Orbis imperium accepere, ut suæ in eos pietatis præmium; præscribit in eorum favorem. Hinc invehitur in Christianos, quibus, præter ignobilitatem, & turpia scelera propria Gnosticorum, incestuosos scilicet conventus, epulasque Thiesteas objicit, quod “ templa ut busta despiciant, deos despuant, rideant sacra, sacerdotum honores & purpuras despiciant, ipsi semi-nudi, stulte sperant tormenta præscoria, dum incerta metuunt & futura; & dum mori post mortem timent, interim mori non timeant. Ita illis pavorem fallax spes solatia rediviva blanditur. Denique hominem summo supplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia venerentur: congruentia perditis sceleratisque altaria, ut id colant, quod merentur. Audio etiam, inquit, eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum, inepta nescio qua persuasione venerari. „ Gentiles etenim in ludibrium Christianæ religionis, quam onerabant calumniis, asini caput cum hac inscriptione depingebant: Deus Christianorum. Fortassis ut eos stolidos ostenderent, qui spe futurorum, hujus vitæ bona contemnerent, & mala non reformidarent.

Ibid.

“ Hæc autem omnia, inquit, vel pleraque vera declarat ejus pravæ religionis obscuritas. Cur etenim occultare, vel abscondere quidquid illud quod colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, numquam palam loqui, numquam libere congregari, nisi illud quod colunt, & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum? Unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus; quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Judæorum sola & misera gentilitas unum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, cæremoniisque coluerunt, cujus adeo nulla vis, nec potestas est, ut sit Romanis hominibus cum sua sibi natione captivus. At etiam Christiani… quæ portenta confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique & occultas cogitationes inquirere: discurrentem scilicet, atque ubique præsentem, molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum; siquidem astat factis omnibus, locis omnibus intererrat: cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus. „ Ibid.

“ Quid?

Christi An. 212. Ibid. "Quid? quod toti Orbi, & ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur: quasi aut naturæ divinis legibus constitutus æternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium fœdere, & cœlesti compage divisa, moles ista, qua continetur & cingitur, subruatur. Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas astruunt, & connectunt: renasci se ferunt post mortem .... Inde execrantur rogos, & damnant ignium sepulturas... Hoc errore decepti, beatam sibi, ut bonis, & perpetem vitam mortuis pollicentur. Cæteris ut injustis pœnam sempiternam ... Attamen quidquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo dicitis; sic sectæ vestræ non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem.... Nec saltem de præsentibus capitis experimentum, quam vos irritæ pollicitationis cassa vota decipiant. Quid post mortem impendeat, miseri dum adhuc vivitis, æstimate? Ecce pars vestrum & major & melior, ut dicitis, egetis, algetis, fame laboratis: & Deus patitur, dissimulat; non vult, aut non potest, opitulari suis; ita aut invalidus, aut iniquus est. Sed omitto communia, scilicet vobis & humano generi incommoda: ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, etiam non adorandæ, sed subeundæ cruces; ignes etiam, quos & prædicitis, & timetis. Ubi Deus ille qui subvenire reviviscentibus potest, viventibus non potest?" Gentilium felicitatem præsentem ita misere viventibus opponit. "Proinde si quid sapientiæ, aut verecundiæ vobis est, desinite cœli plagas, & mundi fata & secreta rimari: satis est pro pedibus aspicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus; quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina. Quanquam si philosophandi libido est, Socratem sapientiæ principem quisque vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. Ejus viri, quoniam de cœlestibus rogabatur, nota responsio est: Quod supra nos, nihil ad nos .... Ita confessæ imperitiæ summa prudentia est .... Quæ sunt dubia, ut sunt, relinquenda sunt: nec tot, ac tantis viris deliberantibus, temere & audaciter in alteram ferenda sententia est; ne aut Anilis inducatur superstitio, aut omnis religio destruatur." Sic Cæcilius præcipuas Gentilium rationes adversus Christianos complexus est.

Ibid. LVIII. Octavius respondens attingit quædam Christianæ religionis mysteria, sed non explicat; hoc maxime sibi proponens, ut, confutata idololatria, Dei unius summe sapientis & omnipotentis existentiam astruat. "Nos, inquit, quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœlum datus est, & sermo, & oratio, per quæ Deum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas, nec licet ingerentem sese oculis, & sensibus nostris cœlestem claritatem; sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quærere quod in sublimi debeas invenire. Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, sensus, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur?" Inde describit mirabilem præcipuarum universi partium ordinem & harmoniam. "Quæ singula, inquit, non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis, & summæ rationis eguerunt; verum etiam sentiri, perspici, intelligi, sine summa solertia & ratione non possunt .... Quod si ingressus domum aliquam, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique et præesse crederes dominum, & illis bonis rebus multo esse meliorem. In hac mundi domo, cum cœlum terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum, parentemque, ipsis sideribus, & totius mundi partibus pulchriorem. Nisi forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est; inquirendum putas, utrum unius imperio, an arbitrio plurimorum, cœleste regnum gubernetur. Quod ipsum non est multi laboris aperire."

Ibid. Hinc ostendit in terrenis rebus ad unum supremum Dominum redeundum, ut servetur ordo, & tranquillitas. "Et tu, inquit, in cœlo summam potestatem dividi credas, & scindi veri illius ac divini Imperii totam potestatem! cum palam sit parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum; qui nativitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo, qui universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat .... Hic nec videri potest, visu clarior est, nec comprehendi potest, nec æstimari, sensibus major est, infinitus, & soli sibi tantus quantus est notus .... Nec nomen Deo quæras: Deus nomen est illi .... Quid? quod omnium habes de illo consensum? Audis vulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt, &; Deus magnus est, &, Deus verus est; &, si Deus dederit. Vulgi naturalis iste sermo est, an Christiani confitentis oratio? Et qui Jovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt. Audio Poetas quoque unum patrem Divum atque hominum prædicantes." Idem probat de Philosophis, qui agnovere unum supremum Deum .... "Quod si providentia mundus regitur, & unius Dei nutu gubernatur, nos non debet Antiquitas impiorum fabellis suis delectata vel capta ad errorem mutui rapere consensus: cum Philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus & rationis & vetustatis adsistit authoritas."

Ibid. Postea deorum origines indagat, ostenditque fuisse homines, qui beneficiis vel potentia sua imperitæ multitudinis venerationem sibi conciliarunt. Exagitat imprimis fabulas, quas de suis diis referebant ipsimet gentiles .... "Ergo, concludit, nec de mortuis dii, quoniam deus mori non possit; nec de natis, quoniam moritur omne quod nascitur: divinum autem id est, quod nec ortum habet, nec occasum: unde manifestum est homines illos fuisse, quos & natos legimus, & mortuos scimus." Ibidem sic describit modum quo simulacra consecrabantur; "Deus ligneus infelicis stipitis portio suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur .... Nec dum deus est: ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc deus est: ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremo deus est, cum homo illum voluit, & dedicavit."

Ibid. Denique dæmonum fraudes in propaganda idololatria, & ridiculas illius impurasque cæremonias manifestat. "Isti igitur, inquit, impuri spiritus dæmones, ut ostensum est, a Magis, a Philosophis, & a Platone, sub statuis & imaginibus consecrati delitescunt, & afflatu suo authoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus; dum fanis immorantur." Gentiles ergo deos suos simulacris inesse credebant. "Nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsis pluribus involuta ..... Sic a Deo vero ad materiam evocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium, vel hostiis pecodum saginati, remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur. Hi sunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates, & ipsi absque templo sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur: par & in illis instigatio dæmonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam ut Jupiter ludos repeteret in somnio, ut cum equis Castores viderentur; ut cingulum matronæ navicula sequeretur. Hæc omnia sciunt plerique, pars vestrum, ipsos dæmones de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, & orationi incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus, & Serapis, & Jupiter, & quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur: nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus, esse eos dæmones, de se verum confitentibus credite: adjurati enim per Deum verum & solum, inviti, miseri corporibus inhorrescunt, vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat." Hujus experimentalis Christianorum potestatis in dæmones meminere plerique Patres adversus infideles, imprimis Tertullianus & Cyprianus. Irridendi igitur, qui dæmonum obsessiones, eosque ejiciendi per exorcismos Ecclesiæ potestatem cum risu excipiunt.

LIX. Christianorum causam paucis perorat. Gentiles pecudum cultu aliisque sceleribus, quæ sine idoneo teste nobis, ac proinde per calumniam imponebant, coinquinatos esse facile demonstrat. Negat nos colere hominem noxium, vel cruces. Hic, ut

patet.

patet, ad Cæcilii mentem loquitur. Christiani certe colebant Cristum crucifixum, sed ut Hominem-Deum; ejus crucem venerabantur, ut indicat ipsamet objectio, sed non tanquam numen aliquod, vel quasi ei inesset cœlestis aliqua virtus; quemadmodum gentiles putabant. Et infra: " Putatis nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? quod enim simulacrum Deo fingam? Templum quod ei exstruam; cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit? & cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore? „ Cum enim plenis adhuc velis gentilium superstitio ferretur, & periculum esset, ne offensionis aliquid traheret externa quorumdam rituum species, cum iis, quæ ab ethnicis celebrabantur, similitudine ipsa congruens, velut ne imagines Christi atque Sanctorum pro idolis, quibus erant assuefacti, a rudibus & imperitis haberentur, & ut eorum animus ab inanium simulacrorum consuetudine ac memoria longius avocaretur, tunc via ullus erat imaginum usus, nulla etiam erant publica ædificia cultui divino consecrata, quæ ab aliis ædificiis discernerentur; alias Gentilium doctissimis non fuissent incognita, ut liquet ex verbis Cæcilii, quibus consonat responsio Justini: quærenti enim Præfecto, quem in locum convenirent Christiani, respondet; eo unumquemque convenire, quo vellet, & posset.

[Templorum & imaginum quis usus.]

Præterea Origenes, Clemens Alexandrinus, cum Minutio Felice, expressis verbis negant templa habere Christianos, quæ diu consurgere numquam permisissent Gentiles magistratus. Sed in cryptis, vel in privatis ædibus conventus suos ac sacra mysteris peragebant. Petrus Cluniacensis testatur se vidisse Romæ in cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant. Quibusdam etiam in locis ædificium absque ullo ornatu exteriori, instar cujusdam majoris aulæ, adjacebat domui Episcopi, vocabaturque Ecclesia; quo sensu dixere veteres ætate Maximini, Valeriani, Aureliani, & Diocletiani subrutas ecclesias. Hinc contigit, ut observavit vir undequaque doctissimus Petavius, ut neque templa tunc exstrui Deo fas esse quidam opinati sint, & de sacris imaginibus non disparem habuerint sententiam. Quamobrem, uti basilicas, & altaria in Dei honorem ac cultum exstruere non dubitarunt, & quidem magnifice & sumptuose, pace ac libertate reddita; nec pristino illo usu & antiquo more, ac magnorum etiam virorum authoritate deterriti sunt, quo minus ita facerent; sic imagines Christi atque Sanctorum, quarum hactenus necdum percrebuerat usus, eodem tempore usurpavit Ecclesia; cum jam nullum idololatriæ periculum esset, & ad propagandam Christi & Sanctorum memoriam, & animandos ad pietatis constantiam illorum exemplo Fideles utile id esse videretur.

[Orig. in Cels. l. 8. Clem. 7. Strom. Petr. Clun. adv. Petrobus. Petav. lib. 15. Theol. dogm. cap. 13.]

Alterius vitæ felicis spem Christianorum certam astruit. De corporum resurrectione sic scribit: " Quis tam stultus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari .... Difficilius est id, quod non sit, incipere, quam id, quod fuerit, iterare. Tu perire & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur .... Subducitur nobis, sed Deo elementorum custodia reservatur ..... Cæterum quod plerique pauperes dicimur, non est infamis nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat.... quod vero corporis humana vitia sentimus, & patimur, non est pœna, sed militia .... Itaque & nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit; cum sit & omnium Rector, & amator suorum. Sed in adversis unumquemque explorat & examinat: nihil sibi posse perire securus... Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri. „ Hæ sunt præcipuæ partes dialogi. Cum Octavius perorasset, hilares discedunt amici; Cæcilius quod crediderit; Octavius quod vicerit.

[Ibid.]

LX. Origenes per hæc tempora se in urbem Romam advenisse scribit, cum sibi in votis fuisset, sicut ipsemet alicubi dicit, Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam coram videre. Ibi paulisper moratus, Alexandriam rediit, ubi consuetum catechumenos docendi officium omni studio ac diligentia exercuit. Cum autem animadverteret Origenes, se nequaquam sufficere ad quietiorem rerum divinarum contemplationem, & ad sacræ Scripturæ scrutationem atque interpretationem, simulque ad institutionem eorum, qui ad ipsum accedebant, per quos ne respirare quidem ipsi licebat, cum alii super alios a primo lucis exortu usque ad vesperam scholam ejus frequentarent; divisa omni auditorum multitudine, Heraclam ex familiaribus suis deligens, virum rerum divinarum studiosum, & alioqui doctissimum, nec expertem Philosophiæ, in docendi officio socium sibi atque administrum adjunxit. Et huic quidem institutionem eorum, qui primis adhuc imbuerentur rudimentis; sibi vero perfectiores docendos reservavit.

[Euf. hist. l. 6. c. 14.]

LXI. Per idem tempus Ambrosius, qui Valentini hæresim sectabatur, veritatis, quam prædicabat Origenes, virtute convictus, ad rectæ Fidei, quæ in Ecclesia prædicatur, professionem transiit. Alii quoque complures eruditi homines pervulgato ubique Origenis nomine illecti ad eum confluebant, periculum de ejus viri in sacris literis peritia facturi; Græcanicæ quoque philosophiæ præcepta quasi discipuli ex illo percipiebant; quoscumque enim ex discipulis solertia & acumine ingenii præditos animadverterat, eos in Philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens & Arithmeticam aliasque prævias disciplinas, inde ad varias Philosophorum sectas eos perducens, & libros a veteribus Philosophis conscriptos exponens; commentarios quoque in singulos scribens, & reconditos sensus penitus inquirens: adeo ut apud ipsos etiam Gentiles summus Philosophus pronuntiaretur. Ex rudioribus vero atque hebetioris ingenii discipulis multos ad humaniorum artium studia cohortabatur, asserens non mediocrem illos facultatem ex hujusmodi studiis percepturos esse ad sacrarum Scripturarum intelligentiam. Quocirca sæcularis literaturæ & Philosophiæ studia sibi quoquo imprimis necessaria existimavit.

[Euf. hist. l. 6. c. 18. Origenis fama & studia.]

Porphyrius, qui primum Athenis Longinum audivit Platonicæ sectæ Philosophum, deinde Plotini fama excitus, Romam venit, ubi cum eum audisset sexennio, valetudinis recuperandæ gratia migravit in Siciliam, atque illic quindecim libros composuit adversus Christianos, in quibus divinas Scripturas calumniari conatus est: mentionem faciens eorum qui illas interpretati sunt, cum dogmata ipsa atque assertiones nullatenus posset reprehendere, præ rationum inopia ad convitia conversus, interpretes ipsos criminatur. Ex quibus præcipue Origenem, quem sibi adolescenti cognitum, & Ammonii discipulum fuisse dicit, calumniari quidem nititur; revera tamen imprudens commendat ut virum doctrinæ gloria eximium. Nonnulli nimium ejus studium erga hujusmodi disciplinas reprehenderunt: in epistola quadam adversus eos ita se purgat Origenes: Cum vero me totum addixissem verbo Dei, ac de nostra eruditione fama jam crebrior spargeretur, confluentibus ad me nunc hæreticis, nunc Græcarum disciplinarum studiosis, & maxime Philosophis, scrutari hæreticorum dogmata, & quæcumque a Philosophis de veritate jactantur, excutere constitui. Atque hoc fecimus, tum Pantæni illius, qui ante nos multis præfuit, exemplum secuti, qui quidem hujusmodi cognitione non mediocriter instructus fuit; tum Heraclæ, qui nunc inter presbyteros Alexandrinæ sedet Ecclesiæ, quem ego apud magistrum Philosophiæ reperi quintum jam annum ei operam dantem, priusquam ego ejusmodi doctrinam suscultare cœpissem. Atque ideirco cum vulgari veste antea usus fuisset, ea deposita, Philosophicum induit habitum, quem etiamnum retinens, Græcorum libros studiose evolvere non desistit. Hinc patet tunc vestes speciales non habuisse presbyteros, siquidem, teste Origene, Heraclas presbyter Alexandrinæ Ecclesiæ perseverabat in habitu Philosophico, quem etiam gessit Episcopus.

[Valef. in not. Euf. hist. l. 6. c. 19.]

Aliquanto post tempore, cum Alexandriæ gravissimum bellum excitatum fuisset, clam inde aufugiens, Palæstinam petiit, & Cæsareæ domicilium fixit: ubi etiam ab illius regionis Episcopis rogatus est, ut publice in ecclesia dissereret, & divinas Scripturas, tametsi nondum presbyter ordinatus, exponeret. Quod factum cum improbasset Demetrius Alexandrinus, Alexander Hierosolymorum, & Theoctistus Cæsariensis Episcopus ad Demetrium pro

[Ibid.]

CHRISTI AN. 218. usq. ad 218.

ejus defensione scribunt in hunc modum: Quod vero in litteris tuis adjecisti, nunquam antea visum, nec adhuc factum fuisse, ut præsentibus Episcopis laici concionarentur, in eo, nescio quomodo, a veritate longissime aberrasti: nam sicubi reperiuntur qui fratribus prodesse possint, eos sancti Episcopi ultro adhortantur, ut ad populum conciones habeant. Sic Evelpis Larandis rogatus est a Nenne: Paulinus Iconii a Celso. Theodotus apud Synnada Phrygiæ rogatus ab Attico, fratribus nostris beatissimis, idque etiam alibi fieri credibile est, quamvis nos ignoremus. Sed cum Demetrius eum per literas revocasset, missisque Ecclesiæ suæ diaconis redditum ejus urgere non destitisset, Alexandriam reversus consuetum munus obiit, scilicet in privato auditorio catechumenos instituit.

Herod. lib. 4. *Alexandrinorum cædes.* Dio.

LXII. Eusebius belli tumultus hic vocat cædem Alexandrinorum miserabilem, quam imperavit Caracalla. Audierat homines, suapte natura dicaces, multa in eum dixisse, nec dissimulata fraterna cæde: quibus accensus vindictam meditatur: itaque specie videndæ urbis ab Alexandro conditæ, petit Alexandriam: ingredientem magnifice excipiunt cives. Ubi in urbem pervenit, victimis in templo prius immolatis, ad Alexandri monumentum se contulit, multaque pretiosa donaria tumulo imposuit. Ut vidit maximam ex vicinis regionibus multitudinem in urbem confluxisse, monuit edicto, ut in planitiem quamdam juventus universa conveniret, velle affirmans, se in Alexandri honorem, ipsius herois cognomento phalangem constituere. Tum ipse singulos juvenes contrectans præteribat, donec universus eos circumveniret exercitus; discedensque in templum Serapis dat signum, inermem juventutem milites interficiunt, foveisque ingentibus cadavera obruunt. In urbe quoque cædes plurimæ, diu noctuque factæ sunt: mercatorum facultates direptæ; fana quædam spoliata. Tantam in ea urbe cædem fecit Caracalla, ut non sit ausus numerum interfectorum recensere, sed ad senatum scripserit, non referre, qui, & quot essent occisi: quia omnes idem meriti fuissent. His confectis, spectacula publicaque convivia Alexandrinorum sustulit: urbemque muro in duas partes dividi jussit, & castellis muniri, ne secure in posterum cives ad se mutuo accederent.

Caracallæ mors. Herod. lib. 4.

LXIII. Antoninus, cum multa de ejus morte essent præsagia, invocatis multis dæmoniis, malum studebat effugere: veritus autem ne magi & aruspices omnia sibi ad assentationem vaticinarentur, Flavio Materniano, qui rerum ipsius curam in Urbe gerebat, urbanisque militibus præerat, scribit: Magos undique optimos conquirat, ut evocatis Manibus de fine ipsius vitæ consulant. Maternianus, sive id Manes significaverant; (Macrini enim consilia, qui jam in principem, a quo sibi metuebat, conspirarat, dæmonibus nota esse potuerunt) sive Macrinum perosus, rescribit Imperatori, Macrinum esse, qui insidietur Imperio: Caracallæ ad aurigandum intento tabellarii reddunt integrum epistolarum fasciculum, quem tradit Macrino, ut seorsim inspiciat literas. Ille, singulis perlectis, supprimit eam, quæ perniciem attulisset, cæterarum argumenta de more Principi renuntiat: sed metuens, ne Maternianus iterum de ea re Principi scriberet, ferro Caracallam occupare constituit. Centurionem Martialem, unum e corporis custodibus, cujus fratrem paucis ante diebus occiderat Imperator, idemque dolentem, ad se vocat, eique persuadet tyrannum occidere. Occisus est inter Carras & Edessam, cum ad requisita naturæ ex equo descendisset, alusque remotis inter paucos ageret: dum illum in equum strator ejus levaret, pugione latus ejus confodit, & cum in ipsam juncturam ferrum incidisset, lethali vulnere periit. Conclamatum est ab omnibus, id fecisse Martialem, quem equo fugientem equites Germani missilibus confodiunt. Obiit Caracalla Antoninus octava die Aprilis, anno ducentesimo decimo octavo, cum vixisset annos viginti novem, imperasset vero annos sex & menses duos.

Spart. in Caracal.

Herod. lib. 4.

Macrinus Imperat.

Macrinus porro primus supra cadaver lamentari cœpit, adeo ficta est ambitio; ejus reliquias in urna conclusas Romam remisit, sepulcbris majorum inferendas. Quin & timore militum, maxime prætorianorum, hominem flagitiosissimum inter deos retulit. Biduo vacavit Imperium: at quarta die Macrinus a militibus, quasi vi coactus, Imperator creatus fuit. Audito milites in luctu esse, quod, defuncto Caracalla, Antoninum in republica non haberent, quo nomine stare Romanum putabant Imperium, statim concionem vocat, eisque sic locutus est: Intelligo desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere; quare, quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ, non multum videtur superesse ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis authoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum: sicque filium suum Diadumenum creavit Cæsarem, simulque ingens donativum militibus repromisit. Acclamatum: Macrine Imperator, dii te servent. Antonine Diadumene, dii te servent. Macrinus, natione Maurus, e civitate Cæsarea, parentum origine ignobilis, fuit superbus, & sanguinarius, volens militariter imperare: initio sui principatus bis adversus Parthos infeliciter pugnavit, ab iisque pacem grandi pecunia redemit.

CHRISTI AN. 218. & 219.

Capit. in Macr.

Tertul. adv. Hermogenem.

LXIV. Eadem tempestate, multos libellos adversus Ecclesiam, & etiam adversus hæreticos, scripsit Tertullianus: in iis non pauca sunt utilia & Catholica. Hermogenes, ut malis principium assignaret, quod multis antiquis erroris fuit occasio, rerum omnium materiam dixerat increatam & Deo coæternam, ex cujus defectu omnis mali origo procederet. Hunc errorem confutavit Tertullianus, ostenditque novellam eam esse doctrinam, & a Stoicis mutuatam, quæ duos inducit deos: siquidem materiæ eadem adscribit quæ Deo: nam si æterna sit, neque diminutionem, neque subjectionem admittit, ejus substantia eguit Deus, ut universa conderet, quæ testatus est, esse valde bona: ac proinde ex mala materia non condita sunt. Hujusce libri capite tertio, quædam dicit de Verbo Dei, quæ prima specie videntur duriora, imo & erronea; sed quæ recte explicantur de generatione Verbi temporanea, & externa, quando per ipsum omnia facta sunt, seque ipsum & Patrem per rerum omnium productionem manifestavit.

c. 4. & 5.

c. 7. & 8.

cap. 13.

Tertul. de resurrect. carn.

cap. 1.

Scripsit & aliud egregium opus de resurrectione carnis, quamvis in eo laudet Montani Prophetissas; impugnat hæreticos, qui, ut ibidem ait, dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ, aspernati carnem, sicut & ipsum Dominum carnis. Carnis ignobilitatem prætendebant hæretici; hinc ejus dignitatem commendat tum a creatione, qua a Deo facta est; tum ab unione cum anima rationali; sed præcipue ex Sacramentorum participatione: " Caro, inquit, abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. „ En tria sacramenta distincte recenset, Baptismum scilicet, Confirmationem, & Eucharistiam, quæ trina Neophytis initiandis eodem die conferebantur. Multarum etiam virtutum exercitium, ipsumque martyrium, quo Christo vicem reddimus pro eo moriendo, de bono carnis adolentur Deo. " Igitur, inquit, ut retexam; quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit: quam de suo afflatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit: quam incolatui, fructui, dominatui totius suæ operationis præposuit: quam sacramentis suisque disciplinis vestivit: cujus munditias, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpretiat; hæccine non resurget totiens Dei? „ Præsertim cum Dei potentiam non excedat carnis resurrectio: cujus causam affert summam Dei justitiam, qua reddet unicuique secundum opera ejus: ac proinde cum bonorum & malorum operum inter se anima & caro societatem habeant, consequens est, ut pœnæ, vel gratiæ mercedem communicent. " Denique, inquit, unum opinor apud omnes edictum Dei pendet, resurrectio mortuorum. „ Hæretici, ut Scripturæ authoritatem eluderent per arbitrarias interpretationes, Prophetarum verba figurate intelligenda contendebant: id absurdum esse demonstrat ex multis Prophetiis, quæ secundum literam in Christo adimpletæ sunt: & aliunde. " Tot ac talia sunt instrumenta divina, ita aperte corporalem contestantia resurrectionem, ut nullam admittant figuratæ significantiæ suspicionem, „ vel per Christum idipsum maxime probari, qui mortuos resuscitavit, & carnem & sanguinem secum vexit in cœlum. Concludit explicatione proprietatum resurrectionis; eadem quidem caro resurget, sed nullis defectibus vel infirmitatibus obnoxia, nec ulla sui parte mutilata; præsentea enim defectus hominis constitutiones sunt posteriores; Deus autem opus suum in integrum restituet, adjectis novis pro-

cap. 8.

cap. 11.

c. 14. & 15.

cap. 18.

cap. 20.

cap. 21.

cap. 35.

cap. 48.

CHRISTI AN. 219. & 220. Euf. hift. l.6.c.21. Rom. martyrolog.

proprietatibus. Irenæum in libro adversus Valentinianos ad verbum imitatur, ex eoque multa describit. D. Zephyrinus Romanæ urbis episcopus, abiit e vita, cum per annos octodecim sacerdotium obtinuisset: adversus suæ ætatis hæreticos egregie pugnavit. Post eum Callistus episcopatum suscepit anno Christi ducentesimo decimo nono.

Macrini mors. Dio.

LXV. Macrinus saluti suæ consuluisset, si ordinato utcumque Oriente, dimissoque exercitu, quem corruperant avaritia, & luxuria, Romam navigasset, ubi omnium votis expectabatur; dum enim moratur Antiochiæ, voluptatibus vacans, affectansque importunam gravitatem, militum animos offendit: impatienter etiam ferebant crudelitatem, qua in plerosque animadverterat violatæ disciplinæ reos. Eutychianus libertus Cæsarianus, homo ludicrus, nec ignarus ejus odii, quod milites in Macrinum conceperant, statuit eum occidere, & Moesæ nepotem facere Imperatorem, ac utrumque perfecit. Moesa Juliæ Augustæ soror, jubente Macrino, cum bonis suis Emesam patriam suam redierat; duas habebat filias, Soemem Varii Bassiani matrem, & Mamæam Alexiani. Solis sacerdos erat Bassianus; formosissimus ille puer omnium oculos in se convertebat; hunc Caracalla genitum palam profitebatur Soemea, quo tempore in palatio simul cum Julia agitabat: militibus id persuasit Eutychianus, immensas eis opes repromittens. Illi dolentes quod de eorum stipendio nuper detrectatum esset aliquid, pollicentur, si noctu in castra, quæ prope Emesam habebant, venisset, patentibus portis excepturos, atque Antonini Caracallæ filium declaraturos; steteruntque promissis: puerum in castra receptum appellant Antoninum, indutumque purpura custodiunt, ac se ita componunt, ut si opus foret, castrorum obsidionem excipiant.

Herod. lib. 5.

Hæc ubi Macrino nuntiata sunt, rem totam quasi puerilem contemnens, unum ex suis ducibus mittit, traditis copiis, quæ ad rebelles facillime expugnandos suffecturæ viderentur. Ut autem eo pervenit Julianus, poterat quidem castra eo die capere, jam enim Mauri portas aliquas perfregerant: noluit tamen irrumpere, sive metu, sive spe ductus obsessos ultro se dedituros. Cum nemo per legatos ageret, obstructis portis milites admovit. At obsessi pseudo-Antoninum exhibentes, ab obsidentibus quærebant, cur bene de se meriti filium Imperatoris oppugnarent? Quibus rerum novarum cupidi adeo permoti sunt, ut Præfectos omnes præter Julianum occiderint, armaque pseudo-Antonino tradiderint: ad quod facinus eos impulit idem Eutychianus. His commotus Macrinus, Apamæam ad milites Albianos venit, mille drachmas ipsis viritim distribuit, ut eos placaret, festinanterque petit Antiochiam, inde cum exercitu ad oppugnanda castra contendit: Pseudo-Antonini milites obviam ad dimicandum prodiere; in Syriæ finibus acriter pugnatum est: languidius tamen a Macrinianis, quorum etiam multi ad hostes transfugerunt. Macrinus suorum defectione consternatus, chlamydem sibi, reliquumque imperatorium ornamentum detrahit, paucisque comitatus fugam occupat: qua cognita prætoriani, qui adhuc in acie stabant, deditionem faciunt: ipse jam Bizantio appropinquabat, cum ventus adversus ad supplicium retrudit; latitans in Chalcedonensi suburbio eum filio interfectus est mense Augusto, 14. mense imperii, anno Christi ducentesimo decimo nono.

Heliogab. Imperat. Dio.l.79. Herod. lib. 5.

LXVI. Bassianus victor scripsit senatui: licet Caracallam patrem suum, & se verbis, & factis læsissent, nihil horum tamen vindicaturum. Nicomediæ hyemavit, Aureliusque Antoninus dictus est; sed notior est sub nomine Heliogabali, a sacerdotio solis, sol enim apud Phœnices dicitur Alagabal. Sequenti anno Romam proficiscens, Deum suum Heliogabalum secum detulit: lapis erat maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram, eique templum magnificentissimum juxta ædes imperatorias consecravit, & Martis typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transtulit, id agens ne quis Romæ Deus nisi Heliogabalus coleretur: Uraniam, seu deam

Lamprid.

cœlestem Chartagine jussit afferri, consonum esse dicens, lunam cum sole matrimonio conjungi. Judæorum quoque, & Samaritanorum religiones, & Christianam devotionem illuc transferre cogitabat, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Omissis quæ in provinciis gererentur, superstitioni, & obscœnis voluptatibus unice vacabat: annos natus quatuordecim jam omnium mortalium erat

CHRISTI AN. 220. usque ad 223. Dio.l.79.

impurissimus: nullum est libidinis genus quod in seipso vel in aliis non fuerit expertus: vendidit, & honores & dignitates, & potestates, tam per se, quam per obscœnissimos libidinum ministros; in senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecuniæ merito; fecit libertos Præsides, Consules, Duces, omnesque dignitates polluit ignobilitate perditorum hominum; amici erant improbissimi, & impurissimi, viros illustres illatis criminibus, quasi non probarent quæ ab eo fiebant, interemit.

Imperatorem adeo infamem exhorruere vel ipsi milites, & de nece ejus cogitare cœperunt: conspirationem præsentiens Moesa ejus avia, persuasit illi Alexianum suum consobrinum adoptare, quem in senatum perductum, & filium, & Cæsarem declaravit, Alexandrique nomen ei imposuit. Decrevit senatus quod ei placuit. Mamæa Alexandri mater omnium disciplinarum doctores clam accersivit, qui filium bonis artibus imbuerent; eumque a fœdis illis, quæ Imperatores dedecent, actionibus avocabat. His offensus Heliogabalus, insidias molitur adversus Alexandrum; quæ cum parum procederent, misit ad milites literas, quibus jubebantur Alexandro nomen abrogare Cæsaris. Irati milites Alexandrum cum matre diligentissime custoditum in castra perducunt, tenduntque in palatium, ut Heliogabalum pellerent imperio: Præfectorum precibus exorati sub spe emendationis ei parcunt, occisis omnibus impuris hominibus, & histrionibus, qui eum ex stulto stultiorem faciebant, excepto Hiercole, Caricum mancipio, cui publice nupserat, & cujus salutem lacrymis impetravit; sed mandatum Præfectis, ne paterentur ita diutius Imperatorem vivere.

Herod. lib. 5.

Heliogab. mors.

Heliogabalus odio inflammatus in Alexandrum, vix a matre inductus est, ut Kalendis Januarii procederet in senatum; ejusque cædem ultra non differre statuit; cui peragendæ jussit senatum urbe decedere, ne eo occiso alium Augustum crearent: tum militum animos experturus sparsit rumorem, quasi jam obiisset. Qua fama exulcerati, videre Alexandrum velle in ipso suo templo dictitant. Eo metu percitus Heliogabalus, Alexandro secum in vehiculo considente, descendit in castra; acceperunt utrumque milites, lætis clamoribus prosequentes Alexandrum. Heliogabalus notatis, qui Alexandro acclamaverant, quasi seditionis authoribus, arripi omnes ad supplicium imperat. At Prætoriani, eorum gnari quæ in ipsos parabat, facta conspiratione ad liberandam rempublicam, scelerum Heliogabali conscios primum exterminant. Post hoc in eum impetus factus est, & in latrina, ad quam confugerat, occisus est cum matre Soæmi fœmina impurissima, pridie nonas Martias: ejus cadaver, abscisso capite, tractum per publicum, annexoque pondere, ne fluitaret, Tyberim abjectum est, ne unquam sepeliri posset. Vixit annos decem, & octo, ætatem superante: malitia tres annos, mensesque novem Imperium tenuit; a die, quo prælio facto, omnem potentiam adeptus est, vita, moribus, improbitate ita odibilis, ut ejus nomen senatus eraserit, deumque Heliogabalum ex urbe pepulerit.

Dio.l.79

Herod. lib. 5. *Alexander Imperat.*

LXXVII. Milites Alexandrum Imperatorem consalutatum in aulam Palatinam deduxerunt, adolescentulum admodum, anno Christi ducentesimo vigesimo tertio. Fuit ita moratus Alexander, ita vita, & animo constitutus, ut inter ethnicos, paucos æquales habuerit, superiorem forte neminem. Corporis venustate decorus, statura militari, & robusta, illustrior fuit virtutibus: Antonini, & Magni nomen a senatu delatum modeste recusavit. Ne, quæso, inquit, Patres Conscripti, ne me ad hanc necessitatem vocetis, ut ego cogar tanto nomini satisfacere. Magni vero nomen cur accipitur? Quid enim jam ego magnum feci? Atque ex eo constantiæ, ac plenæ gravitatis famam obtinuit. Postea ob ingentem vigorem animi, & singularem constantiam contra militum insolentiam, Severi nomen a militibus inditum est, quod illi ingentem in præsentia reverentiam, & magnam apud posteros gloriam peperit. A prima pueritia artibus bonis imbutus, tam civilibus, quam militaribus, amavit homines literatos, etiam eos reformidans, ne quid de se asperum scriberent: omnibus amabilis dominum se appellari vel adorari vetuit, sed proprio nomine salutari voluit, quasi unus de senatoribus patente velo. Moderationis vero tantæ, ut nemo unquam ab ejus latere summoveretur, & tamen nonnisi honestos, & bonæ famæ homines ad conspectum admitteret: quos vitiis insignes ad honores promoverat He-

Lamprid. in Alex.

CHRISTI AN. 223.
Lamprid. in Alex.

liogabalus, ad pristinum vitæ statum redegit: Equestrem ordinem, senatum, & palatium purgavit, nec quemquam passus est in palatio is nisi hominem necessarium; Senatorem, & Præfectos Prætorii, vel Urbis, sine Senatorum, qui aderant, consilio non fecit. Nullam sanctionem sacravit sine viginti Juris-peritis, doctissimis, ac sapientibus viris: si vero de re militari ageretur, milites veteres, & senes ac bene-meritos, & locorum peritos atque castrorum vocabat ad consilium. In milites, quos continebat in officio, beneficus, de eorum stipendiis quidquam accipi vetuit. Hinc multa bella gloriose gessit. Quos malos affines habuit, vel punivit, vel a se dimisit: His, inquit, carior est mihi tota Respublica. Negotiatoribus, ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit; gemmas de calceamentis, & vestibus tulit, easque vendidit, & aurum in ærarium contulit: veste alba usus est, nec aurata; mensa fuit infra dignitatem frugalis; voluptates scenicas in convivio nunquam habuit; fures præsertim publicos summe oderat, & severe puniebat. Hinc mirum non est, si vectigalia publica ita contraxerit, ut qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, hoc est, tricesimam partem. Dies nusquam transiit, quin aliquid mansuetum, civile, & pium faceret, sed ita ut ærarium non everteret.

CHRISTI AN. 224.
Callisti Papæ mors.
Eus. hist. l. 6. c. 21.
Lamprid. in Alex.
Alexander favet Christian.

LXVIII. Alexandri anno secundo, Christi ducentesimo vigesimo quarto, Callistus, cum quinquennio sedisset, Urbano Ecclesiam regendam reliquit: hunc populari tumultu a gentilibus in puteo esse demersum, communis est opinio. Antiochiæ quoque mortuo Asclepiade, episcopatum ejus sortitus est Philetus; cui Zebinus successit. Alexander nullam adversus Christianos persecutionem movit, vel approbavit: Christianos enim non tantum esse passus est, sed & eis favit: in Lario suo divos Principes, sed optimos, & Christum, & Abrahamum, & Orpheum, & Apollonium, & majorum effigies habebat, iisque rem divinam faciebat.... quin & Christo templum facere voluit, eumque inter duos recipere. .... Præterea cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, & propinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit: melius esse ut quomodocumque illic Deus colatur, quam propinariis dedatur: Christianisque locum adjudicavit. Sententiam hanc, quam a Christianis didicerat: Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis, adeo dilexit, & probavit, ut & in palatio, & in publicis operibus prescribi juberet. Quoties vellet vel Rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret: dicebatque grave esse, cum id Christiani facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus, & fortunæ hominum committerentur, & capita.

Dio. l. 80.
Agath. lib. 4.

LXIX. Translatum interim Parthorum regnum ad Persas, Artaxerxes Persa Parthos tribus præliis superavit, Artabanumque Regem interfecit, atque annis octo & triginta supra quingentos post Magni Alexandri Macedonis principatum, quaternis post Alexandri Mamææ suscepit imperium; victoriis ferox in Romani Imperii provincias irruit, Syriamque vastavit; minabatur se recuperaturum omnia, quæ olim Persæ tenuissent usque ad mare Græcum. Quæ cum intellexisset Alexander, in Orientem ad bellum Persicum transmisit cum ingenti exercitu, Artaxerxemque gloriosissime vicit.

Eus. hist. l. 6. c. 21.

Mamæa, quæ filium semper comitabatur, cum Origenis nomen ubique jam celeberrimum haberetur, adeo ut ad ipsius quoque aures perlatum esset, conspectu ejus frui, & scientiam rerum divinarum, quam omnes in eo viro magnopere admirabantur, certissimo experimento cognoscere concupivit; erat enim religiosa fœmina: igitur illa Antiochiæ degens misso militari satellitio hominem accersit; qui apud eam aliquandiu commoratus, cum innumera illi documenta exhibuisset ad Domini gloriam, & ad divinæ illius prædicationis potentiam declarandam, ad consuetas mature sedes reversus est.

Eus. hist. l. 6. c. 23.
Origenis scripta.

LXX. Ex eo tempore Origenes in divinas Scripturas commentarios cœpit conscribere: Ambrosio innumeris stimulis eum incitante, nec solum verbis atque hortationibus, sed etiam largissimis rerum necessariarum præbitionibus. Quippe septem notarii dictanti illi præsto aderant, qui præstituto tempore sibi per vices succedebant: hi brevibus notis continuo loquentis verba repræsentabant: nec pauciores antiquarii simul cum puellis elegantius scribere assuetis, qui distinctis caracteribus excerpta describebant.

CHRISTI AN. 224. & 227.
Theop. Pasch. i.

Nec ideo quis putet, Origenem non antea diu meditatum quæ eloqueretur; Theophilus enim ejus adversarius fatetur eum tanta legisse, quanta nullus hominum legerit; sed ubi profunda meditatione multa mente conceperat, ne quædam exciderent, dictabat notario, & brevi temporis dispendio.

Orig. epist. ad Afric.

His omnibus necessarios sumptus copiose subministrabat Ambrosius, vir nobilitate, opibus, eruditione, pietate, Dominicæque confessionis gloria insignis; uxorem habuit Marcellam: in quadam epistola testatur, nunquam se cibum, Origene præsente, sine lectione sumpsisse; nunquam iniisse somnum, nisi unus e Fratribus sacris literis personaret: hoc diebus egisse, & noctibus, ut & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem. Diaconi ad officium promotus, in persecutione Maximini maximum adiit periculum, pro Christo missus in carcerem, quo tempore librum de martyrio scripsit Origenes; 16. Martii nomen ejus in fastis Ecclesiasticis inter Sanctos recensetur.

Eus. hist. l. 6. c. 24.
Hieron. præfat. in Luc.

Origenes quinque priores libros expositionum in Joannis Evangelium Alexandriæ composuit, ut ipsemet in sexto earumdem expositionum libro testatur. Ex triginta, quos in totum illud Evangelium elaboravit, novem duntaxat ad nos pervenerunt, qui in vulgatis editionibus etiam in 34. distribuuntur, ut recte monet Genebrardus; sunt etiam in Genesim libri ejus numero duodecim. In nono, non solum octo priores Alexandriæ lucubratos esse significat, verum etiam commentarios in primos quinque & viginti Psalmos; ac præterea in Lamentationes Hieremiæ; in his mentionem facit duorum librorum quos scripserat de resurrectione: Libros item quatuor de principiis, antequam ab urbe Alexandria migraret, composuit. Sed & libros Stromatum numero decem ibidem Alexandro imperante conscripsit, Christianorum, & Philosophorum inter se sententias comparans, & omnia nostræ religionis dogmata de Platone, & Aristotele, Numenio Cornutoque confirmans.

Hier. epist. ad Magnum.

Ejus sermonis tanta vis fuit, ut Adamantius cognominaretur, quod rationes, quas colligaret, adamantinis quibusdam vinculis non absimiles viderentur.

Hier. de script. eccl.
Scriptores ecclesiastici.
Phot. Bibl. cap. 121.
Eus. hist. l. 6. c. 22.
D. Hippolyti scripta.

LXXI. Ecclesiastici plures tunc floruere scriptores: præcipui sunt, Geminus Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, Beryllus Bostrenorum in Arabia episcopus, qui cum aliquanto tempore gloriose rexisset Ecclesiam, ad extremum lapsus in hæresim, quæ Christum ante Incarnationem fuisse negat, ab Origene correctus, & ad rectam viam revocatus, varia scripsit opuscula, & maxime epistolas, in quibus Origeni gratias agit. Demum Hippolytus alicujus cujusdam Ecclesiæ episcopus, Irenæique discipulus, qui librum de Pascha composuit; in quo temporum seriem describens, & canonem quemdam Paschalem per sexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscripsit. Anno 1551. Romæ in agro Verano, non procul ab æde B. Laurentii, nobile monumentum antiquitatis erutum est; statua marmorea est Hippolyti in cathedra sedentis, utrimque literis Græcis inscripta; literæ in binis cathedræ latereolis cyclos Paschales annorum sexdecim exhibent, quartarum decimarum lunarum dextro, & dies mensium Martii, & Aprilis, quibus incidunt, & Dominicarum Paschalium sinistro, utrosque 112. annis universim comprehensos: qua annorum Periodo ferias easdem in Orbem redire credidit Hippolytus, singulis vero sexdecim annis 14. Æquinoctii lunam eodem die mensis lunaris recurrere, sed feria præcedenti.

Bucher. doctr. temp.

Canonis titulus est: Anno primo imperii Alexandri Imperatoris facta est 14. Paschalis, Idibus Aprilis, Sabbatho, cum mensis Embolimæus fuisset. Sequentibus annis continget, sicut in tabula subjectum est. In præteritis autem evenit sicut indicatum est. Solvendum est vero jejunium, quando Dominica inciderit. Ad canonis Hippolyti marginem extat operum ejus indiculus, numero quatuordecim, quorum pauca tantum supersunt fragmenta; sed non congruit cum eorumdem catalogo, quem nobis exhibet Hieronymus. Tam illustre monumentum translatum est in Vaticanam Bibliothecam.

Ali-

CHRISTI AN. 225. Photh. cod. 202.

Aliquas ejus lucubrationes sic censura sua perstringit Photius : Legi Hippolyti episcopi, & martyris interpretationem Danielis : quem etsi ad verbum non explicat, nullum tamen sensum, ut verum dicam, prætermittit..... Cæterum, quod Anti-christi adventum, quando etiam mundi hujus aspectabilis finis sequetur, quem ne discipulis quidem rogantibus manifestavit Christus, Hippolytus hic quingentesimo post Christum anno adscribere ausus sit, quasi a prima mundi constitutione sex millibus annorum tum decursis ejus intentus jam instaret ; hoc sane calidioris, quam par sit, animi est. Verum hæc ejus assertio humanam ignorantiam potius, quam cœlestem aliquam inspirationem arguit. Genus ejus dicendi clarum in primis ac perspicuum, interpretem satis decet, etsi Atticas revera leges valde repudiat. Legimus unam ejusdem homiliam de Christo, & Antichristo, in qua eadem dicendi forma servata, & sensuum simplicitas major est, ac venustas. Hanc latine redditam nuper edidit R. P. Franciscus Combifix ex celeberrimo Ordine Prædicatorum, ejusdemque commentatorium in Danielem fragmenta, in quibus caput decimum tertium explicans, historiam Susannæ ut

Hier. de script. eccl. Gelas. lib. de duab. nat. in Christo.

sacram interpretatur. D. Hieronymus meminit alterius homiliæ, de laude Domini Salvatoris, in qua, præsente Origene, scilicet dum versaretur in Arabia, se loqui in Ecclesia significat Hippolytus : unde plerique cum Gelasio Papa putant eum fuisse episcopum Arabum metropolis, seu portus Romani in Arabia. Martyrio coronatus est sub Maximino, qui vexavit Præfectos ecclesiarum.

LXXII. Illius disputationum adversus hæreses duas & triginta fragmenta quædam supersunt, & magni quidem momenti, ex iis enim manifestum est, Fidelium eamdem fuisse secundo sæculo circa mysteria Trinitatis, & Incarnationis fidem, quam nunc retinet Ecclesia Catholica. Et primo quidem Beronis,

Sirmond. tom. 3. *Trinitatis & Incarnationis mysterium.*

& Heliconis errores sic exponit atque confutat. " Bero nuper, & alii quidam Valentini phantasiam deferentes, in pejorem inciderunt errorem, dicentes assumptam a Verbo carnem, unam, & eamdem habere operationem, quam divinitas propter assumptionem ; divinitatem vero factam carni compassibilem propter exinanitionem ; sic conversionem simul, & confusionem atque utriusque invicem mutationem dogmatizantes. „ Hanc quinto sæculo hæresim instaurarunt Eutyches, & Monothelitæ : sic autem eam confutat Hippolytus, ut etiam adversus Nestorium valeat ejus authoritas : " Si, inquit, assumpta caro eadem operata est, quæ divinitas, manifeste natura Deus est, habetque ea omnia, cum quibus naturaliter cognoscitur Deus ; & si divinitas exinanita facta est carni compassibilis, manifeste facta est natura caro, habetque ea omnia cum quibus naturaliter intelligitur caro. Ea enim, quæ inter se ejusdem virtutis sunt, & operationis, ejusdemque originis, ac earumdem passionum, ea naturæ differentiam non admittunt, confusisque setum naturis, erit Christus dualitas, personisque divisis, fiet quaternitas : quod omnium maxime cavendum. Et quomodo secundum illos unus, & idem erit Christus natura simul Deus & Homo ; quam etiam habebit essentiam, mutatione divinitatis factus Homo, & carnis translatione Deus ? Earum enim in invicem transformatio, omnimoda est utriusque peremptio ..... In hunc autem errorem impegerunt credentes male propriam carnis effectam divinam operationem, quæ per ipsam in miraculis manifestata est ; qua Christus rerum hac universitate condita, secundum quod intelligitur Deus, quod ita conditum est, tenet atque conservat. Non enim cognoverunt fieri non posse, ut divinæ naturæ operatio alterius diversæ substantiæ proprietas fieret absque convertibilitate ..... Itaque Bero, qui ita sentit, uti dixi, una operatione Christi pariter Deitatem, & Humanitatem natura confundens, ac personis dividens, vitam dissolvit : qui nempe nesciat, eamdem operationem, personarum, quæ ejusdem naturæ sint, identitatem duntaxat designare. „

Ibid.

Eidem sic opponit Catholicam Fidem. " Pie vero credens confitetur, quod propter nostram salutem ... universorum Conditor ex sanctissima semper Virgine Maria per conceptionem intemeratam, absque conversione, sibi substantialiter uniens animam intellectualem cum sensitivo corpore, factus est homo natura a peccato alienus, Deus ipse Verbum. Divinitate res divinas operatur per suam carnem sanctissimam, quæ nullatenus sunt propriæ carnis ; humanitate vero divinitatis virtute patiens quæ non pertinent ad naturam divinitatis. Nihil divinum nudum corpore operatur. Nihil humanum idem ipse gerens, quod expers esset Deitatis ; qua ipse nove decentique ratione utraque operatus est, utriusque ratione immunem se a mutatione servans, ad perfectæ suæ humanitionis, quæ plane vera sit, nihilque vitii aut labis admittat, fidem astruendam ..... Quapropter Dei Verbum secundum nos factum est Homo absque peccato, humanitus operans, & patiens, quæcumque naturæ sunt impeccabilis ; naturalisque carnis circumscriptionem propter nos suscipiens, conversionem non pertulit. Nulla re omnino Verbum, quod idem est cum Patre, factum est idem cum carne propter unionem ; sed sicut erat absque carne, permansit extra omnem circumscriptionem, & per carnem operans, quæ Deitatis sunt, utraque ostendens se, eo quod dupliciter, divine scilicet, & humane, operatum est secundum eamdem, quæ veraciter vera, & naturalis substantia est, Deum immensum simul, & circumscriptum existere ac intelligi hominem, utriusque perfecte perfectam essentiam habentem, cum illius operatione, id est, naturali proprietate. Ex quibus cognoscimus semper permanentem utriusque differentiam ..... Quamquam ineffabilis quædam, & insolubilis in unam subsistentiam utriusque facta sit unitas, omnem penitus excedens scientiam. Divinitas enim eadem est, & ante, & post Incarnationem, secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, incomparabilis, inconvertibilis, per se potens, &, ut totum dicamus, subsistens substantialis, sola infinitæ virtutis bonum .... Item, non etiam caro facta est natura Deitas, translata natura, facta videlicet secundum naturam divinitatis caro ; sed quod erat, etiam Deitati coaptata, mansit, id est, cum infirma, & passibilis natura, & operatione.... Mysterium namque divinæ Incarnationis, Apostolis, & Prophetis atque doctoribus, duplam ac diversam in omnibus habere compertum est naturalem considerationem ; cum perfectæ Deitatis, & plenæ vim habeat ostendendæ humanitatis .... quibus divine pariter, & humane operatus est Christus, perfecte utroque suæ rationem naturæ servans incommutabilem. „ Christianorum secundi sæculi fides etiam circa Trinitatem ex his satis liquet. Hippolytus quippe docet, Christum subsistere in duabus naturis, divina scilicet, & humana, coadunatis absque confusione ; esseque vera, & perfecte natura Deum æternum, immensum atque subsistentem, & natura hominem. Si autem vera natura est Deus impium est dicere eum vocari Deum secundum quamdam attributionem, vel ab eo excludere naturam, & divinam substantiam. Recentiores aliqui negant, illud opus esse Hippolyti ; primo, quia videtur scriptum post hæreses Eutychis, & Monothelitarum, quas valide confutat ; illiusque non meminit Theodoretus, qui Hippolyti testimonia minus efficacia profert adversus Eutychianos. Secundo, quia Beronis, & Helicis errorum nullum extat apud veteres indicium. Sed non advertunt, D. Leonem affirmare, veterem esse Eutychis errorem, jam dudum in suis authoribus perculsum olimque prostratum. Reipsa eum in libro contra Praxeam confutat Tertullianus. Theodoretus vero non minus expressa ex eodem Hippolyto refert testimonia, præsertim ex ejus interpretatione Psalmi secundi, ubi sic loquitur : "Hic, qui venit in mundum, Deus & Homo manifestatus est. Et hominem quidem ipsius facile est intelligere, dum esurit, & defatigatur .... & orans tristitia afficitur.... & calicem passionis deprecatur, & in angore sudat, & a Judæis ligno affigitur, & ad Patrem clamans commendat spiritum, & inclinans caput exspirat ... Divinam vero ipsius naturam aperte rursus videre est, quando ab Angelis adoratur :... & cæco a nativitate visum largitur, & quatriduanum resuscitat, & varias virtutes perficit, & peccata remittit, & potestatem remittendi dat discipulis. „ En duas in Christo naturas, divinam scilicet & humanam ; & diversas utriusque operationes accurate astruit & distinguit Hippolytus. Trinitatis mysterium non minus accurate exponit in homilia adversus Noetum, qui fuit ei coætaneus.

Leo ep. 59. Tertul. adv. Prax. c. 27. Theod. dial. 2.

Hippolyt. hom. de Deo Trino, & Uno.

LXXIII. Noetus genere Smyrnæus renovavit hæresim, quam quidam Epigonius nomine primus peperit, Cleomenes autem acceptam confirmavit, atque in Africa, & Romæ docuit Praxeas : dicebat enim

CHRISTI An. 225. — Theod. hæret. Fab. l. 3. cap. 3. Epiph. hær. 57.

unum eumdemque esse Patrem & Filium; & Patrem fuisse crucifixum. Elatus superbia, sese Moysem, fratrem vero suum Aaronem esse dixit. Inter hæc beatæ memoriæ presbyteri ejus rei fama permoti hominem advocant, deque his omnibus interrogant, utrum tam contumeliosum in Patrem dogma proposuisset. Et ille coram presbyterorum consessu productus inficiari primo; postea vero, cum rabiem suam nonnullis, ut ita dicam, aspersisset, ac decem fere homines sibi adjunxisset, audacior factus, palam hæresim suam disseminavit. Rursum iidem presbyteri ipsum cum sociis accersunt, atque iisdem de rebus sciscitantur. Ille cum grege suo frontem perfricans, audacter contradicere cœpit. Ac, quid, inquit, mali feci? Unum Deum veneror, unum novi, nec præter ipsum alterum natum, passum, mortuum. Ad quam opinionem cum constanter adhæresceret, eum pariter atque ejus discipulos ab Ecclesia pellunt. Moritur paulo post cum fratre suo: ambo vero ut desertores abjecti sunt, nec ab ullo Catholicorum sepulturæ mandati. Ejus discipuli suum errorem probare nitebantur iis Scripturæ textibus, quibus unum esse Deum asseritur. Eorum argumenta

Hippolyt. oper. edit. Fabr. — Joan. 1. — *Trinitatis mysterium.*

postquam dissolvit Hippolytus, in ea hæresi suum opus desinens, Trinitatis mysterium sic explicat: " Hanc œconomiam, id est, Incarnationem, tradit nobis Joannes in Evangelio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum:* Si ergo Verbum erat apud Deum, & Deus erat, quid ergo? dicet-ne aliquis, Joannem dicere duos deos? Duos quidem non dicam, sed unum; personas vero duas; œconomiam tertiam, gratiam dico Sancti Spiritus. Pater quidem unus, personæ vero duæ, quia Filius; tertia autem Spiritus Sanctus. Pater mandat; Verbum perficit; Filius autem ostenditur, per quem Pater creditur. Oeconomia consensionis (circa Incarnationem) redigitur ad unum Deum; unus est Deus, qui mandat; Pater: qui obedit, Filius: qui docet scientiam, Spiritus Sanctus: Pater qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus Sanctus in omnibus. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri, & Filio, & Spiritui Sancto credamus.... Sciens igitur Verbum Patris œconomiam, & voluntatem Patris, quod non vult aliter Pater glorificari, nisi sic, cum resurrexisset, tradidit hoc discipulis: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Docuit hic, quod quicumque unum quid horum omiserit, is perfecte Deum non glorificavit. Per hanc enim Trinitatem Pater glorificatur. Pater enim voluit, Filius fecit, Spiritus Sanctus manifestum fecit: omnes igitur Scripturæ de hoc prædicant. „ Infra probat, hoc Verbum, quod erat Deus, a Patre missum, & incarnatum, cujus caro in Verbo subsistebat.

Matth. ult. (beside *omnes gentes*)

Hier. in Orig. de script. Eccl. Eus. hist. l. 6. c. 32. — Phot. Bibl. Cod. 118. — *Origenes fit presbyter.*

LXXIV. Origenes circa annum Christi ducentesimum vigesimum octavum, cum jam mediæ esset ætatis, propter Ecclesias Achajæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ Athenas profectus est: cum per Palæstinam transiret, & versaretur Cæsareæ, Theoctistus illius civitatis episcopus, approbante, & concurrente Alexandro Hierosolymitano, per impositionem manuum eum ordinavit presbyterum. Demetrio Alexandrino hinc amor in odium vertitur. Et certe non mediocris injuria Demetrio illata esse videbatur, tum ab illis episcopis, qui Alexandrinæ scholæ magistrum eo facto ad ecclesiam suam transferebant, collato jure sedendi, & communicandi cum suis presbyteris: tum ab Origene, qui ab externis episcopis manum sibi imponi passus fuisset, nec ab episcopo civitatis suæ honorem illum presbyterii exspectasset. Itaque celatam dudum Origenis castrationem publice diffamare cœpit, & tanquam irregularem reprehendere ejus ordinationem. Equidem Apostolorum canons 17. sic præcipitur: Qui sibi ipsi virilia amputavit, clericus non efficitor: sui enim ipsius homicida est, & inimicus creationi Dei: sed utrum ea lex tunc lata fuerit, incertum est, si quidem eos canones numquam ei opposuit Demetrius. Aliqui volunt Origenem priusquam fieret presbyter, clericum fuisse Alexandrinum: eodem autem canone id sic prohibetur: Si quis, cum clericus esset, virilia sibi ipsi amputaverit, deponitor. Demetrii epistola ad eosdem episcopos contrarium insinuat, in ea enim laicum vocat Origenem. Alexander vero factum suum excusavit, eo quod juxta testimonium Demetrii, cum

Edit. Cotel. — Hier. de script. eccl. in Alex.

presbyterum constituerit. Inde tamen graves motus in Ecclesia fuere concitati.

CHRISTI An. 225. — Phot. in Bibl. cod. 118.

Compositis in Achaja rebus, quarum causa profectus erat, Alexandriam redit, pristinumque scribendi, & docendi munus resumpsit. Demetrius statim episcoporum, & presbyterorum concilium adversus eum coegit, criminatur ejus ordinationem, quoniam in literis, quas ei dederat, episcopis illis potestatem non fecerat ordinandi hominem; multosque errores in ejus scriptis coarguit. Synodus decretum fecit, Alexandria quidem pellendum Origenem, neque in ea versari, vel docere permittendum: sacerdotii tamen dignitate nequaquam submovendum. Origenem in exilium pulsum Theoctistus Cæsareæ & degere jussit, & de superiore loco docendi potestatem fecit, paremque concessit Alexander Hierosolymorum episcopus; Alexandrinæ scholæ Fideliumque institutioni præpositus est Heraclas. Hæc contigere anno decimo Imperatoris Alexandri. Demetrius novam hanc injuriam non dissimulandam ratus, una cum Ægypti episcopis aliquot, sacerdotio quoque illum abjudicet, subscribentibus huic decreto etiam iis, qui antea Origeni suffragabantur. Romanum porro Pontificem, ac reliquos orbis episcopos, exceptis Palestinæ, & Arabiæ, & Phœnices, atque Achajæ sacerdotibus, in illam Origenis condemnationem consensisse, docet Hieronymus, ejusque defensor Rufinus fatetur. Hinc etiam patet mendosum esse quod legitur in Alexandrino chronico, nullum in Ægypto fuisse episcopum usque ad tempora Demetrii, qui tres instituit, & primus fuit Patriarcha.

Hier. Apolog. 1. adv. Rufin. Rufin. invect. 2.

LXXV. Origenes, ut famæ suæ utcumque consuleret, scripsit ad amicos suos Alexandrinos apologiam adversus literas Demetrii: acerbius in eum, & consentientes ei episcopos invehitur, quamvis a maledictis abstinere se velle profiteatur; sacerdotioque, & Fidelium communione se minime excidisse ratus, publice docebat, & de rebus sacris ad populum disserebat in ecclesia; nec multo post Demetrius fato functus est, cum per tres & quadraginta annos Alexandrinam ecclesiam administrasset. In ejus locum successit Heraclas, qui latam adversus Origenem sententiam ratam habuit, ut constat ex epistola synodica episcoporum Ægypti, cujus hoc fragmentum refert Justinianus: Cum enim impias orationes habere cœpisset Origenes, beatæ memoriæ Heraclas episcopus, qui tunc florebat, tanquam arator, & vinitor veritatis, studiosus agri ecclesiastici, eum e medio pulchræ segetis, sic tanquam vere malam zizaniam evellit. Scholam ad cives in fide instituendos obtinuit Dionysius, qui & ipse unus e discipulis fuerat Origenis. Liberatus diaconus tradit, hanc fuisse solemnem constituendi Patriarchæ Alexandrini rationem: Consuetudo est, inquit, Alexandriæ, illum, qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & e sepulti collo manibus suis accipere beati Marci pallium, & tunc legitime sedere; supposita scilicet ordinatione communi.

Hieron. Apolog. 2. adv. Rufin. Eus. hist. l. 6. c. 26. Gennad. de vir. illust. Justin. in epist. ad Menn. — Liber. brev.

LXXVI. Florebat tunc temporis Firmilianus Cæsareæ apud Cappadocas episcopus, qui tam propenso erga Origenem animo fuit, ut modo illum in suam provinciam ad ecclesiarum utilitatem avocaret: modo ad eum visendum in Judæam usque proficisceretur, & una cum ipso aliquamdiu maneret, ut majorem rerum divinarum notitiam perciperet. Origenes brevi intellexit, infirmum esse hunc paucorum episcoporum favorem adversus reliquos Orbis Christiani episcopos, qui ejus condemnationi cum Romano Pontifice acquieverant. Pietatis causa Hierosolymam profectus, ut erat sacrarum literarum egregius, & eruditissimus interpres, ab sacerdotum collegio ad verba in ecclesia facienda sollicitatur; cumque ab iis vi propemodum ad id agendum impelleretur, ille in pedes consurgens, reliquis versibus prætermissis, postquam hunc unum e Psalmo quadragesimo nono locum attulisset: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* complicatum librum reddidit, flensque, & lacrymans resedit, flentibus cum eo qui aderant universis, nec immerito.

Eus. hist. l. 6. c. 26. & 27. — Epiph. hær. 64.

LXXVII. Origenes, ut ait Hieronymus, quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negat, in errores bene multos delapsus est, quos ejus libri repræsentant, & reprehenderunt sancti Patres, & damnavit Ecclesia: quis autem Catholicus ejus judicio non acquiescet? non tantum

quia

CHRISTI An. 225.

Bal. vineam Dom. Sab. 5. Synod. Huet. in Orig. l. 2. cap. 2. Theodoret. de provid. Rufin. Apolog. Idem ep. ad Macar. Rufin. in prolog.

quis SS. Patrum suffragiis consentaneum est, sed maxime quia sinceram & internam animi subjectionem sub anathemate exigit Ecclesia, etiam pro ejusmodi factis dogmaticis, ubi primum illa definivit; quemadmodum docet & statuit Clemens undecimus, post quintam Synodum; suisque decretis rebelles hac in parte habuit ut schismaticos, seque de his judicare in promissionum virtute testatur; quemadmodum constabit ex actis quintæ Synodi, de quibus inferius. Errandi causa ei fuit Philosophia, cui plus æquo indulsit. Platonicæ enim Philosophiæ placitis, dum accommodat mysteria religionis, multa depravavit. Rufinus illius laudator maximus fatetur, inveniri in ejus libris, quæ veritatis regula non admittit, quæ nos quoque, inquit, nec recipimus, nec probamus, & passim occurrere repugnantia in sententiis. Errorum suorum capita in quatuor libris de principiis conclusit Origenes, dum in iis Christianæ religionis ac veræ Philosophiæ elementa tradere sibi proponit: jam dudum non extant Græce, eorum Latina Rufini versio sola superest, sed infidelis: fallacem suam versionem sic ipse declarat in prologo: Sicubi nos in libris ejus, de principiis aliquid circa id invenimus, quod ab ipso in cæteris locis pie de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc, & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, secundum quam ab ipso invenimus frequenter affirmatum, qua sane, velut peritis jam & scientibus loquens, dum breviter transire vult, obscurius protulit; nos, ut manifestior fieret locus, ea, quæ de ipsa re in aliis ejus libris apertius legeramus, adjecimus explanationi studentes. Corruptelam suam licet dissimulare voluisset, illa facile sese prodidisset: ex eo quippe libro multa in Apologeticum transtulit Pamphilus, quæ in Rufiniana interpretatione desiderantur. Hieronymus novam interpretationem meliori fide adornarat; verum ad hanc ætatem illa non pervenit. Illius operis brevem admodum synopsim nobis exhibet Photius.

Phot. in Bibl. c. 8.

Origenis errores.

LXXXVIII. Antiquiores Patres hæc in eo potissimum redarguunt. Primo docuit Deum Patrem omnipotentem esse eatenus, quod omnia quæ sunt, ejus potestati subjaceant, sicque ei adimit propriam omnipotentiam. Secundo Filium ex substantia quidem Patris esse arbitrabatur, inquit Epiphanius, sed multis in locis invenimus eum unigenitum Deum segregantem a Patris divinitate & substantia, simul vero & Spiritum sanctum. Tertio de anima Christi multiplex fuit ejus error: hanc cum animabus hominum reliquis longe ante corpora procreatam putavit, liberoque donatam arbitrio, quæ cum eximio Auctoris sui amore præ cæteris animabus teneretur; & Verbi jam similis esset per virtutem, ei tam firmiter adhæsit, ut tota ab eo recepta, vel totum recipiens, idque substantialiter, unus cum eo spiritus efficeretur, qui vitii, a quo maxime divina abhorrat natura, minime capax esset; eo quod longo virtutis exercitio non peccare in naturam transiisset: ac nos proinde si singularem animæ Christi erga Deum amorem, quo Deum in se recipere merita est, imitemur, Christi quoque prærogativæ efficiemur participes. Quibus asserendis hoc Davidis utitur testimonio: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus.* Quam doctrinam avide arripuere Pelagiani. Quarto naturas omnes ratione præditas esse ejusdem speciei credidit, easque omnes ante mundum a Deo fuisse conditas, instructasque bene, vel male, agendi facultate; quæ peccarunt gravius, deturbatas in profundum; quæ levius, ad animanda hominum corpora esse dimissas, animasque evasisse, postquam a Dei amore defecerunt. Easdem nunc liberum retinere arbitrium, quo subinde peccant, vel bene agunt; unde fit, ut permutentur illi ordines, atque ex Angelis homines, & rursus ex hominibus dæmones evadant. Gratiæ vero prævenientis auxilium, quod Angelos in sanctitate confirmat, non videtur agnoscere. Contra docuit, in illis solis esse opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt; imo homines perfectos vim quamdam adipisci definit, qua roborati, peccatorum illecebris obniti per sese possint, tandemque ad id perfectionis culmen ascendant, ut ne levi quidem tentationum aura percellantur, nullosque patiantur motus inordinatos. D. Augustinus postquam observavit Origenem a quibusdam defendi tanquam de

Epiph. hær. 64.

Hier. l. 2. apolog. adv. Ruf. Orig. l. 2. de princip. c. 6. & l. contra Cels.

Psal. 44. Orig. in Joan. pag. 38. Huet. ib. c. 5. indicat. textus Orig.

Orig. l. 2. de princip. c. 3.

Trinitate recte sentientem, quos inter numerandus D. Athanasius, qui Arianis opponit ejus authoritatem, statim subjicit: " Sunt & alia illius dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recipit, nec potest ab ejus defensoribus excusari.... Quis enim Catholicus Christianus non vehementer exhorreat eam, quam dicit, purgationem malorum; id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt; ipsum postremo diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos, regno Dei, lucique restitui.... Et rursus: Post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore. De qua vanissima impietate adversus Philosophos, a quibus didicit Origenes, in libris de civitate Dei diligentissime disputavi. "

CHRISTI An. 225. August. hær. 43. Athan. lib. de Synod.

Hos & alios ejus errores in epistola ad Avitum describit Hieronymus, sed brevius in apologia. " Probo ergo, inquit, inter multa Origenis mala, hæc maxime hæretica: Dei Filium creaturam, Spiritum sanctum ministrum, mundos innumerabiles, æternis sibi sæculis succedentes, Angelos versos in animas hominum, animam Salvatoris fuisse antequam nasceretur ex Maria, & hanc esse, quæ, cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitrata, æqualem se esse Deo, sed se exinanivit formam servi accipiens; resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant, quia cessantibus membrorum officiis, superflua membra reddantur, ipsaque corpora tenuia & spiritualia paulatim evanescere, & in auram tenuem, atque in nihilum dissipari: in restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, Cherubim & Seraphim, aliosque Angelorum ordines, dæmones, animas omnium hominum tam Christianorum, quam Judæorum, & Gentilium, unius conditionis & mensuræ fore: cumque ad formam & libram æquitatis pervenerint, & rationabiles creaturas, omni corporum fæce deposita, novus de mundi exilio populi revertentia demonstraverit exercitus, tunc rursus ex alio principio fieri mundum alium, & alia corpora, quibus habentes de cœlo animæ vestiantur; ut verendum nobis sit, ne qui nunc viri sumus, postea nascamur in fœminas; & quæ hodie virgo, tunc prostibulum sit. Hæc in Origenis libris ego hæretica doceo. Tu ostende in quo ejus opere his contraria legeris. "

Hieron. apolog. l. 2. adv. Rufin.

Eum tamen de Trinitate divina recte sensisse contendunt non pauci recentiores, quibus suffragantur Methodius, Eustathius, & Theophilus antiqui Origenis adversarii, qui circa illud mysterium nusquam eum erroris accusarunt. Quapropter ut opiniones concilientur, dicendum videtur; Origenem in libris de principiis quædam saltem perperam & dura scripsisse de mysterio Trinitatis, ut fatetur Rufinus; illud vero in aliis suis operibus Catholice exposuisse, ut constat ex multis Patribus. Alios autem errores manifeste docuit. Fateor quidem eum pleraque modeste proponere tanquam privatas opiniones; sed dogmatum certitudo sic periculosius infringitur, dum quæ fide certa sunt ad opiniones revocantur; de quibus sentire licet pro cujusque arbitrio, vel ut suadet præsens utilitas.

Dixere plures, ejus libros fuisse corruptos: non resisto; idque magna probabilitate dictum videtur; siquidem in iis contraria & repugnantia non solum in diversis, sed etiam in iisdem locis comperiantur, ut demonstravit Illustrissimus & doctissimus Huetius, qualia ab homine non insano, nec penitus mente commoto, scripta nullus suspicari possit. Verum errores omnes refundere in eam corruptionem, temerarium est, cum ipsemet Origenes se in multis errasse confessus sit, atque ut ejus adversarius refert Hieronymus in epistola quam scripsit ad Fabianum Papam, pœnitentiam agit, cur talia scripserit, & causam temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit priusquam recognoscerentur. An vero sincere errores suos ejuraverit, ac postea iis contraria docuerit, vel si quos retinuerit, id humanitus ei contigerit, ut aliis Patribus; certo non constat. Sed multa ei favent; constans hæreses insectandi studium, Valentinianos, Marcionitas, Basilidianos, Apellitas, Helcesaitas confutavit atque vicit, literæ testes pœnitentiæ, quas scripsit ad Fabianum Papam. Communione conjun-

Hieron. epist. 65.

ctus

CHRISTI AN. 228. ctus eum episcopis Catholicis diem extremum obiit, nullamque per se sectam instituit; sed ipso jam dudum mortuo, ex incauta operum ejus lectione exorti sunt Origenistæ hæretici. Denique hanc credendorum regulam proponit tutissimam: Illa sola, inquit, in procemio libri de principiis, credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione; quam secuti sunt plures ejus discipuli Catholicæ veritatis defensores acerrimi, Cæsaream, relicta Hierosolyma, ut rediit.

Euf. hist. l.6. c.30. Gregor. Nyss. vit. Thaum. LXXIX. Origenes, dum consueto docendi munere persungitur, regionis illius non solum incolæ, sed etiam plurimi ex remotissimis provinciis discipuli relicta patria ad eum concurrebant. Horum præcipui fuere Theodorus, qui & Gregorius Thaumaturgus dictus est, & frater ejus Athenodorus, uterque natus Neo-Cæsareæ, quæ Ponticæ regionis urbs nobilis est: uterque patrem habuit, quem cultus numinum a Christi religione alienissimum reddiderat. Hunc mors abstulit, cum Gregorius annum 14. ageret. Matri placuit ut Rhetori commissus, eloquentiæ daret operam. Doctorum unus, quo ad perdiscendam linguam Latinam utebatur, cum legum non imperitus esset, author illi fuit ut & legum Romanarum sibi notitiam compararet. Mox ei injecta est occasio veniendi Cæsaream. Affinis ejus, qui sororem duxerat, a Præside Palæstinæ abductus fuerat administrationis curas participaturus, Assessoris nomine. Is uxorem non multo post evocat, quam ad virum venturam fratres Gregorius, Athenodorusque comitantur, eo consilio, ut Cæsarea se Berytum conferrent, Romani juris scholam nobilem: at invento apud Cæsaream Origene jam sibi fama noto, mutavere consilium, & remansere Cæsareæ; quorum cum egregiam indolem vidisset Origenes, hortatus est eos ad Philosophiam, in qua paulatim Christi fidem subintroducens, sui quoque sectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem. Theodorus proficiscens, orationem Panegyricam scripsit Origeni, & convocata grandi frequentia, ipso quoque Origene præsente, recitavit; quæ usque hodie extat. Hæc est eximiæ ac singularis gratitudinis symbolum, & docta & perelegans.

Gregor. orat. Paneg. Hier. de script. Ecsl.

Gregor. Thaum. orat. Paneg. ad Orig. Profitetur se veram ab eo Verbi divini Incarnati cognitionem accepisse. Et primo quidem pro tanto beneficio gratias agit Deo Patri per Filium. "Nos, inquit, laudationes quidem & hymnos in omnium Regem & moderatorem, perennem fontem omnium bonorum, ei, qui & in hoc ipso infirmitatem nostram sanat, & quod deest, explere solus potest, relinquamus: Præsidi, inquam, animarum nostrarum ac Salvatori, primogenito ejus Verbo, omnium conditori, & gubernatori, ipsi soli pro se ipso, & pro omnibus privatim ac universe facile est assiduas atque perpetuas gratias agere: quia cum sit ipsa veritas, & ipsa Patris universorum & sapientia & potestas, ad hæc & in ipso & cum ipso vere atque omnino conjunctus, nullum est periculum, ne vel per oblivionem, vel per insipientiam, aut præ imbecillitate aliqua, ac si quis ab eo sejunctus & alienus esset, vel assequi laudationis modum nequeat; vel ut assequatur quidem, volens tamen, quod nefas est dicere, Patrem sua laudatione destituat, cum ei soli sit in promptu perfectissime omnes congruentium illi laudum numeros adimplere, quem ipse omnium Pater unum secum faciens, per ipsum tantum non sese circumambiens, æquali usquequaque cum sua virtute quodammodo honorat, & honoretur: quod quidem primus, solusque ex omnibus sortitus est Unigenitus ejus, qui in ipso est, Deus Verbum; reliqui autem omnes ita duntaxat grati & pii esse possumus, si in eo solo pro omnibus in nos a Patre profluentibus bonis omnem dignæ gratiarum actionis conatum offeramus."

Sermonem convertens ad Origenem, explicat quemadmodum in eorum animos instillans Philosophiæ amorem, abjectis prioribus studiis, ad rerum divinarum meditationem traduxerit, operibus magis, factisque, quam verbis incitans ad virtutum exercitium. "Hic vero, inquit, me primus etiam verbis philosophari hortatus est, cum factis verborum cohortationem prævertisset; non verba tantum præmeditata pronuntians, quin ne eloqui quidem dignum putans, nisi puro atque sincero & dicta ipsa exequi studente animo id faceret, talemque seipsum præbere conaretur, qualem verbis eum, qui recte victurus sit, describebat, exemplum sane, dicere volui, proponens sapientis .... Ac nos porro & tales alios effingere studens, non sermonum compotes & gnaros eorum, qui de animi motibus sunt, sed a moribus ipsis ad opera etiam sermones traducens, & cujusque virtutis partem non exiguam, quin potius universam, si capere possemus, in ipsa nobis speculatione inferens; justa quidem agere suæ ipsius privatæ actionis exemplo quodammodo cogens ..... Præter cæteram vero industriam ac studium illud, quo in Theologiæ doctrina & reverentia nobis instituendis est usus, quibus verbis eloqui possim, quo consilio & apparatu omnes de Deo sermones atque sententias edidiscere nos vellet, sedulo cavens, ne uspiam in re omnium maxime necessaria, hoc est, in primæ omnium causæ cognitione periclitaremur .... Nobis ergo ne id ipsum quod imperitæ multitudini eveniret, ad unicum nos philosophicarum opinionum genus non admovebat, nec in eo consistere sinebat, sed per omnia ducebat, nullius nos Græcanici dogmatis rudes aut ignaros esse permittens. Ipse autem simul incedens præibat, manuque ducens tanquam in via, ... quidquid apud singulos Philosophos utile ac verum erat, seligens, atque nobis apponens, quæ vero falsa, secernens, tum alia, tum maxime quæ hominum propria sunt ad pietatem. Et horum quidem, ut nihil attenderemus, suadens, sed ut uni Deo operam daremus, ejusque Prophetis, ipse Prophetarum interpretem agens, & explicans, quidquid usquam obscurum, & ænigmaticum erat, qualia sunt in sacris literis permulta, & in lucem proferens tanquam idoneus & intelligentissimus Dei auditor ... Quare nihil nobis arcanum, nihil abditum, & inaccessum erat; quin omnia perdiscere dogmata licebat ..."

Ibid.

CHRISTI AN. 232.

Demum sic concludit; "Tu vero exurge, o carum caput, & bene precatus jam nos dimitte; qui præsentes sacris tuis disciplinis servasti, serva etiam precibus abeuntes; continuo nos redde ei, qui nos ad te perduxit, Deo: gratias in primis agens pro iis, quæ nobis obtigerunt: orans deinde, ut etiam in posterum ubique præsens nos dirigat, menti nostræ sua mandata suggerens, divinumque nobis timorem suum, optimum pædagogum immittens;.... Ora, ut consolationem aliquam ab eo capiamus, quando a te destituimur; ductoremque bonum mittat comitem Angelum. Pete autem, ut & redire nos faciens iterum ad te deducat, quod unum omnium maxime nos consolabitur." Ex his satis intelligitur, quales fuerint mores Origenis, & quæ ejus docendi ratio. Ambo fratres tantopere in divinis eloquiis eo doctore profecerunt, ut adhuc admodum juvenes Ecclesiarum in Ponto Episcopi fuerint constituti. Origenes per eadem tempora in Isaiam simul & Ezechielem commentarios composuit: in quibus id unum liceat observare circa cultum Angelorum, quos sic prece veneratur: "Omnia, inquit, Angelis plena sunt. Veni Angele; suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente. Suscipiens eum quasi medicus bonus confove atque institue; parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens: & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter, eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem." Ex quibus verbis & illud concludimus, errores ergo, quos juvenis docuerat Origenes, jam senex deposuit. Certum est, istarum homiliarum interpretem esse Hieronymum. Urbanus Romanæ Ecclesiæ Pontificatu octennio perfunctus diem extremum obiit: hunc, quamvis in plena Ecclesiæ pace mortuum, aliqui dixera Martyrem, errore nominis; eumdem reputantes cum Urbano Episcopo, qui Romæ sub Maximino passus est, & sepultus via Nomentana. Successorem habuit Pontianum anno Christi ducentesimo trigesimo secundo.

ibid.

Orig. hom. 1. in Ezech.

Euf. hist. l.6. c.23.

TEX-

TEXTUS GRÆCI LIBRI QUINTI.

NUm. LXXVI. Hippolit. Portuenf. Episc. & Mart. adversùs Beronem. Διὸ καὶ καθ' ἡμᾶς ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἐνήργησε καὶ ἔπαθεν ἀνθρωπίνως ὅσα τῇ φύσει ἐστὶν ἀναμάρτητα, καὶ φυσικῆς σαρκὸς περιγραφὴν ἀναδεξάμενος δι' ἡμᾶς, τροπὴν οὐχ ὑπέμεινε, μηδ' ὅλως παντελῶς ὁ αὐτὸς ὢν ἐν τῇ σαρκί, γενόμενος ἄτρεπτος τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν. ἀλλ' ὥσπερ ἦν δίχα σαρκός, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε, καὶ διὰ σαρκὸς θεϊκῶς ἐνεργήσας ἅπερ θεότητός ἐστιν· ἀμφότερα δεικνὺς ἑαυτοῦ, δι' ὧν ἀμφοτέρως, θεϊκῶς δηλαδὴ καὶ ἀνθρωπίνως ἐνήργησε, κατ' αὐτὴν τὴν ὄντως ἀληθῆ καὶ φυσικὴν ὕπαρξιν· Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ καὶ περιγραπτὸν ἄνθρωπον ὄντα τε καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα, μετὰ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας, ἤγουν φυσικῆς ἰδιότητος, ἐξ ὧν μεμένηκεν ἀεὶ κατὰ φύσιν δίχα τροπῆς τὴν αὐτὴν ἴσμεν διαφοράν . . . . . . καὶ ἀρρήτως τε καὶ ἀρρήκτως εἰς μίαν ἀμφοτέρων γέγονεν ἕνωσιν, πᾶσαν παντὸς γινώσκοντος παντελῶς διαφεύγουσαν γνῶσιν. τὸ γὰρ θεῖον, ὡς ἦν πρὸ σαρκώσεως, ἔστι καὶ μετὰ σάρκωσιν, κατὰ φύσιν ἄπειρον, ἄκτιστον, ἀπαθές, ἀσύγχυτον, ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, αὐτοσθενές, καὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ὑψηλόν, ἐσσιῶδες, μόνον, ἀπειροδύναμον, ἀγαθόν ... οὐ γὰρ γέγονε φύσει θεότης μεταβληθεῖσα τὴν φύσιν, ἡ σὰρξ γενομένη τῇ φύσει θεότητος σάρξ, ἀλλ' ὅπερ ἦν καὶ θεότητι συμφυεῖσα μεμένηκε τὴν φύσιν καὶ τὴν ἐνέργειαν . . . τοὺς γὰρ μαθητὰς τῆς θείας σαρκώσεως, ἀποστόλους τε καὶ προφήτας καὶ διδασκάλους δεικνύειν καὶ διαφορὰν ἔχον διεγνωκέναι τὴν ἐν πᾶσι φυσικὴν θεότητα, ἀναλλοιώτως ὑπάρχουσαν θεότητος, καὶ πλήρους ἐνδεικτικὰ ἀνθρωπότητος ὄν . . . . οἷς θεϊκῶς ὁμοῦ καὶ ἀνθρωπίνως ἐνήργησε, τέλειον κατὰ τὸν ἑκατέρου λόγον σώζων ἑαυτὸν φυσικῶς ἀναλλοίωτον.

Num. LXXXIII. Ἀλλὰ τῷ μὲν εἰς τὸν πάντων βασιλέα καὶ κηδεμόνα, τὴν διαρκῆ πηγὴν πάντων ἀγαθῶν, εὐφημίας καὶ ὕμνους, τῷ καὶ αὐτῷ τὴν αἰδέσιμον ἡμῶν συμμετρίαν καὶ τὸ ἐνδεὲς ἀναπληροῦν μόνῳ δυναμένῳ ἐπιτρέψομεν, τῷ προστάτῃ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν καὶ σωτῆρι, τῷ πρωτογόνῳ αὐτοῦ λόγῳ, τῷ πάντων δημιουργῷ καὶ κυβερνήτῃ, αὐτῷ μόνῳ ὑπέρ τε ἑαυτοῦ, καὶ ὑπὲρ πάντων ἰδίᾳ τε καὶ ἑκάστου· καὶ ἀθρόον ὁμοῦ δυνατῷ ὄντι ἀναπέμπειν διηνεκεῖς καὶ ἀδιαλείπτους τὰς περὶ τῆς εὐχαριστίας, ὅτι αὐτὸς ἡ ἀλήθεια ὤν, καὶ ἡ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ σοφία καὶ δύναμις· προσέτι δὲ καὶ ἐν αὐτῷ ὢν καὶ πρὸς αὐτὸν ἀτεχνῶς ἡνωμένος, οὐκ ἔστιν ὅπως ἢ ἀσοφῶν, ἢ διὰ λήθην, ἢ ὑπ' ἀδυναμίας τινὸς ὥσπερ τις ἀπεξενωμένος αὐτοῦ, ὃ οὐκ ἐφίξεται τῇ δυνάμει τῶν δυναμένων, ἢ ἐφίξεται μέν, ἑκὼν δέ, ὃ μὴ θέμις εἰπεῖν, ἐάσῃ τὸν πατέρα ἀνευφήμητον. μόνῳ αὐτῷ δυνατὸν ὂν τελειότητι πᾶσαν ἀποπληρῶσαι τὴν ἀξίαν τὴν αὐτῷ προσήκοντα αἶνον. ὅντινα αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων πατὴρ ἓν πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος, δι' αὐτοῦ μονονουχὶ αὐτὸς αὐτὸν ἐκπεριέρχεται, τῇ ἴσῃ πανταχοῦ δυνάμει τῇ αὐτοῦ τροπαῖον τινὰ τιμῇ καὶ τιμῶν, ὅπερ πρώτῳ καὶ μόνῳ ἔχειν ἔλαχεν ἐκ πάντων τῶν ὄντων ὁμογενὴς αὐτῷ, ὁ ἐν αὐτῷ Θεὸς Λόγος. τῶν ἄλλων πάντων ὑπὸ μόνον εὐχαριστεῖν, καὶ εὐσεβεῖν εἶναι δυναμένων, εἰ ὑπ' αὐτῷ φέροντες μόνῳ αἰτίῳ πάντων τῶν παρὰ τοῦ Πατρὸς ἡμῖν ἀγαθῶν, τὴν δύναμιν τῆς ἀξίας εὐχαριστίας ἀναθήσομεν.

LIBER SEXTUS.

Alternantibus bonis & malis per totum Orbem crescit Ecclesia. Hanc illustrant viri clarissimi, Origenes scriptis & non obscuris pœnitentiæ indiciis, Gregorius Thaumaturgus miraculis; scriptis Africanus; scriptis & vitæ sanctitate Dionysius Alexandrinus; martyrio insuper Cornelius Papa, & Cyprianus. Econtra Felicissimus, Novatus, & Novatianus schisma conflant, quod tuentur erroribus & calumniis. Gordianus Junior & Philippus Imperatores favent Christianis. Contra Maximinus clerum insectatur, & Decius atrocem persecutionem movet adversus omnes Fideles: hinc multi martyres, & plurimi apostatæ, quibus dum plus æquo indulgent martyres, disciplinam laxant, concessis indiscriminatim pacis libellis & sub nova forma: hanc illibatam conservant Episcopi, præsertim circa reconciliationem lapsorum, & circa publicam pœnitentiam.

CHRISTI AN. 236. *Alexandri mors.* Lamprid. in Alexand.

I. GErmani, quos, dum in Oriente versaretur Alexander, per Legatos expresserat, coactis majoribus copiis, invadunt Gallias & depopulantur. Itaque post Parthicum triumphum adversus eos profectus est Imperator, magnisque itineribus, lætis militibus contendit. Sed cum ibi quoque seditiosas legiones comperisset, abjici eas præcepit: verum Gallicanæ mentes severitatem ejus non tulerunt; Maximinum tyronum Præfectum salutant Imperatorem, reluctantique purpuram injiciunt, aliosque ad suas partes pertrahunt: hic tribuno & centurionibus negotium dat Alexandrum & amicos ejus occidendi. Illi impetu facto in prætorium, ipsum cum matre, amicisque, & honoratissimo quoque obtruncant, 19. Martii. Periit in vico, cui Sicila nomen est, prope Moguntiam, anno Christi ducentesimo trigesimo sexto; vixit annis 29., mensibus tribus: imperavit annis 13. diebus novem. Populus Romanus Senatusque omnis, cum provincialibus cunctis, neque tristius quid unquam, neque asperius acceperunt. Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulchrum amplissimum meruit. Dati sunt & Sodales, qui Alexandrini appellati sunt; addita & festivitas matris nomine atque ipsius. Princeps fuit optimus, & optimæ matris consilio usus est; amicos sanctos & venerabiles habuit; sub eo floruere illustrissimi Juris-consulti, quorum principes fuere Papinianus & Ulpianus. CHRISTI AN. 236.

II. Julius Maximinus, sine decreto Senatus, Augustus ab exercitu appellatus est, patre Gotho, matre Alana in vico Thraciæ genitus, in pueritia pastor: prima ejus stipendia fuere equestria: erat magnitudine corporis conspicuus; octo pedibus altior, virtute bellica clarus, tyronum Præfectura donatus ab Alexandro, quem occidit: rhedam onustam solus movebat, equo, si pugnum dedisset, dentes solvebat, si calcem, crura frangebat; septem fortissimos milites una lucta vicit: ferus fuit moribus, asper, superbus, contemptor, & tam crudelis, ut illum alii Cyclopem, alii Phalarim vocarent. Erat ei persuasum ob generis ignobilitatem, nisi crudelitate Impe- Capitol. in Maximin. *Maximini mors.*

CHRISTI AN. 236.

Imperium non teneri. Immanior factus est factione Magni cujusdam Consularis viri contra se parata: hanc finxisse perhibetur Maximinus, ut materiam crudelitatis augeret, nam sine judicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes suspectos interemit, omnium bona sustulit, & plus quatuor millibus hominum occisis, se satiare non potuit. Persecutione excitata, solos Ecclesiarum antistites, utpote Evangelicæ prædicationis authores, interfici jussit.

Persecutio.

Eodem tempore Origenes librum de Martyrio composuit, quem Ambrosio & Protecteto Cæsariensis Ecclesiæ presbytero dedicavit; eo quod uterque in ea persecutione non mediocre discrimen subierat; unde & maximam gloriam ob confessionem nominis Christi ambo retulisse perhibentur. Memoria digna sunt verba Origenis ad Ambrosium: " Optarim ego, & si tanta possiderem in his terris, quanta tu possides, aut his etiam plura, martyr fieri in Christo Deo, ut multo plura recipiam. „ Ibidem ei proponit fortitudinem Eleazari & septem Machabæorum, quod exemplum e sacra Scriptura se excerpisse testatur, ac proinde Machabæorum libros agnovit divinitus inspiratos. Hæc persecutio varia fuit pro diversitate provinciarum & Præsidum; tunc enim maximis factionibus quassabatur Romanum Imperium. Africam non attigit, cui præerat Gordianus senior, Maximini competitor. Romæ fuit brevis, nam post annum Maximinus hostis a Senatu judicatus est.

Orig. de mart.

Hanc in Oriente sic describit Firmilianus: Temporibus post Alexandrum Imperatorem, multæ istic conflictationes, & pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis; terræ etiam motus plurimi, & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam & Pontum multæ subruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ, dirupti soli hiatu devorarentur, ut ex hoc persecutio quoque gravis adversum nos Christiani nominis fieret; quæ post longam retro ætatis pacem, repente oborta, de inopinato & insueto malo ad turbandum populum nostrum, terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra provincia Præses, acerbus & dirus persecutor. In hac autem persecutione constitutis Fidelibus, & huc atque illuc persecutionis metu fugientibus, & patrias suas relinquentibus, atque in alias partes regionum transeuntibus, erat enim transeundi facultas, eo quod persecutio illa non per totum mundum, sed localis fuisset, maximus extitit Confessorum numerus.

Firmil. epist. 75. apud Cypr.

Plerasque incensas ecclesias refert Origenes, qui ad mortem præ cæteris cum deposceretur, arrepta fuga latuit. Quædam virgo nomine Juliana in Cæsariensi Cappadociæ civitate, studiis ac contemplationi deditissima, & fidelissima dicebatur, quæ Origenem, paganorum seditiones metuendo fugientem, per biennium totum suscepit atque celavit, propriis ei sumptibus necessaria cuncta sufficiens, ac ministerio suo eumdem recreans: Symmachi Bibliotheca jure successionis ad eam pervenerat, quæ eo biennio, quo perduravit persecutio, non inutilis fuit Origeni. Hic insigne Hexaplorum opus tum eum elaborasse multorum est opinio: maximam nactus erat librorum suppellectilem, & interpretationum præsertim Scripturæ, quas in suos usus collegisse verisimile est, cum ipse suam adornaret. Jam primam quidem eorum descriptionem animo præformarat Alexandriæ: magnis sumptibus redemerat Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis, quintæque & sextæ editionis Judaicos scriptores: Cæsareæ Cappadociæ latens, serio manum operi admovit exemplaria conferens, postea Tyri penitus absolvit.

Orig. hom. 28. in Matt. Pallad. Laus. cap. 51. *Origenis Hexapla.* Eus. hist. l. 6. c. 16. Hieron. apolog. in Ruf. l. 2. c. 9. Epiph. hær. 64.

III. Occasione hujus sextæ persecutionis, qua in solos Clericos grassabatur Maximini furor, liceat observare, parum esse probabilem eorum opinionem, qui tonsuræ clericalis institutionem repetunt ab Apostolis. Quantum enim abhorret a vero, Clericos tam publica, tamque manifesta suæ professionis signa palam gestasse iis temporibus, quibus frequentes & diuturnæ sæviebant persecutiones, latebrasque captare necesse erat? infidelium animos tam infensissimos adversus se concitassent his publicis indiciis, paucique admodum mortem effugere potuissent. Apostoli vero solam capillorum brevitatem & modestiam commendarunt. Tonsuram hanc, quæ fit in modum circuli, sæculo quinto nondum in usu fuisse, docet aperte D. Hieronymus, hæc verba Ezechielis explicans: *Caput suum non radent, neque comam nutrient*. Perspicue demonstratur, inquit, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis, atque Serapis, nos esse debere; nec rursus comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque & militantium: sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur, discimus, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos esse demittendos, ut opertum sit caput. Idem docet Gregorius magnus: Sacerdotes, inquit, recte caput probibentur radere, & comam nutrire: capilli in capite sacerdotis servantur, ut cutem cooperiant, & resecantur, ne oculos lædant. Illius tonsuræ primum meminit Concilium Toletanum quartum septimo sæculo. Monachi frequentes tunc promovebantur ad sacerdotium, qui professione sua & vitæ ratione parum immutata, monachalem retinuere tonsuram, quorum exemplum successores imitati sunt; paulatimque usus invaluit in Occidente; nusquam apud Orientales:

Tonsura clericalis. Hier. in cap. 44. Ezech. Gregor. Pastor. part. 2. cap. 7.

IV. Tertullianus quid extremis temporibus egerit, nulla extat memoria, nisi quod sanctus Augustinus testatum reliquit, eum tandem descivisse a Cataphrygibus, quorum errores tam acriter propugnarat, suoque nomine sectam instituisse, cujus sectatores Tertullianistæ fuerint nominati, qui, inquit Augustinus, usque ad nostrum tempus, scilicet per duo sæcula, paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos, omni ex parte consumpti sunt: paucissimi enim qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. Præter ejus errores superius recensitos, addit, illum docuisse, animas hominum pessimas post mortem converti in dæmones, illarumque hic statum per traducem propagari. Ejus opuscula, quorum alia sunt Orthodoxa, alia scatent erroribus, inter Apocrypha retulit Papa Gelasius: nec idcirco omnium lectio penitus improbata, imo suscepta ab omnibus avide. D. Hieronymus narrat, se cognovisse quemdam Paulum Concordiæ, quod est oppidum Italiæ, senem, qui se beati Cypriani grandis ætatis notarium, cum ipse admodum adolescens esset, Romæ vidisse diceret: referreque sibi solitum, numquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem pertransiisse, ac sibi crebro dicere: da Magistrum, Tertullianum significans, cujus ingenium laudandum, errores condemnandi.

Tertulliani mors. Aug. de hær. cap. 86. Hier. de script. Eccl.

V. Nonnulla sunt in libris, quos etiam pro causa Montani scripsit, quæ multum valent ad veritatem confirmandam: cum enim adversus Catholicos, quos Psychicos vocat, invehatur intemperantius, si quid in eorum disciplina vel moribus narrans reprehendit, nec inficiantur Catholici, illud tunc temporis observatum negari non potest.

Quædam ejusmodi jam annotavimus: ejusdem generis sunt quæ leguntur in ejus libello de jejuniis, quæ tunc in Romana Ecclesia observabantur: " Certe, inquit, in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus, & propheticis vetustatibus . . . . Itaque de cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ: „ Et infra. " Præscribitis, constituta esse solemnia huic fidei Scripturis vel traditione majorum, nihilque observationis amplius adjiciendum, ob illicitum innovationis. State in isto gradu, si potestis; ecce enim convenio vos, & præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, & Stationum semi-jejunia interponentes, & vero interdum pane & aqua victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio . . . . Bene autem, quod & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent . . . . Aguntur præterea per Græcias certis in locis concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur . . . Conventus autem illi Stationibus prius, & jejunationibus operati, dolere cum dolentibus; & ita demum congaudere cum gaudentibus norunt. „ Et capite sequenti. Si omnem in totum devotionem temporum, & dierum, & mensium, & annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus?

Tert. de jej. c. 2. *Jejunium Quadragesimæ.* cap. 13. cap. 14.

Cur

CHRISTI An. 236.

Jejunium 4. & 6. feria.

Cur Stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis Parasceven? „ Itaque Tertulliani ætate jejunium ante-paschale servabatur ex imperio secundum antiquam traditionem; Fideles quoque jejunabant feria quarta & sexta. Eorum dierum semi-jejunia vocat, quia post nonam solvebatur jejunium peractis sacrificio & communione populi, quam pacis osculum præcedebat: in Quadragesima vero producebatur ad vesperam, seu, ut loquitur, ad authoritatem stellæ demorantis, sed sine sacrificio & communione & pacis osculo. Hæc jejunia esse institutionis Apostolicæ docet Epiphanius: Sacri porro conventus, inquit, & Synaxes ab Apostolis instituti sunt, his potissimum diebus, quarta sextaque feria, & Dominica. Item quarta sextaque feria jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quod quarta feria comprehensus est Dominus, & sexta in crucem sublatus; ideo per illos dies jejunandum esse decreverunt Apostoli. Porro ista jejunia toto anno in Ecclesia Catholica diligenter observantur, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus.

Epiph. exposit. fid. n. 22.

Episcopi quoque universæ plebi mandare jejunia solebant; sed jejunia quatuor temporum nondum instituta fuisse hinc etiam recte colligitur; Tertulliano enim non excidissent, qui ex ipsis Ecclesiæ jejuniis secundam post Pentecosten Quadragesimam ex obligatione jejunandam probare contendit, juxta insanam Montani prophetiam. In libro quoque de pudicitia cap. 6. indicat, sacras imagines saltem Hieroglyphicas, fuisse in usu Ecclesiastico. " A parabolis, inquit, licebit incipias, ubi est ovis perdita, & a Domino requisita, & humeris ejus subvecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel illis perlucebit interpretatio pecudis illius ..... Patrocinabitur pastor, quem in calice depingitis. „ Emortualis illius annus ignoratur.

Ibid.

Firmil. epist. 75. apud Cypr.

Dæmon multos decipit per mulierem.

VI. Dum Ponticas Serenius Ecclesias persequitur, emersit illic subito quædam mulier, quæ in extasi constituta, Propheten se præferebat, & quasi plena Spiritu sancto sic agebat: ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret & deciperet fraternitatem, & mirabilia quædam, & portentosa perficiens, & facere se terram movere polliceretur: non quod dæmoni esset tanta potestas, ut terram movere, aut elementum concutere jussu valeret; sed quod nonnumquam spiritus nequam præsciens, & intelligens, terræ motum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis, & jactationibus subegerat mentes singulorum, ut sibi obedirent, & quocumque præciperet, & deduceret, sequerentur: faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per asperas nives ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illa discursione: diceret etiam, se in Judæam & Jerosolymam festinare, fingens tanquam inde venisset. Hic & unum de presbyterio Rusticum, item & alium diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur; quod & paulo post detectum est: nam subito apparuit illi unus de Exorcistis vir probatus, & circa religiosam disciplinam bene semper conversatus, qui exhortatione quoque Fratrum plurimorum, qui & ipsi fortes, & laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit se contra illum spiritum nequam revincendum, qui subtili fallacia etiam hoc populo prædixerat, venturum quemdam aversum & tentatorem infidelem. Tamen ille Exorcista, inspiratus Dei gratia, fortiter restitit, & esse illum nequissimum spiritum, qui prius sanctus putabatur, ostendit. Atqui ista mulier, quæ prius per præstigias & fallacias dæmonis multa ad deceptionem Fidelium moliebatur, inter cætera, quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut & invocatione non contemptibili sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino non sine Sacramento solitæ prædicationis offerret; baptizaret quoque multos usitata & legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Firmilianus igitur Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, cujus hæc verba sunt, putavit Eucharistiam esse Sacramentum, & Sacrificium.

Jul. Capitol. in Maxim.

VII. Germania devicta & pacata, Syrmium venit Maximinus, Sarmatis inferre bellum parans, cujus sumptibus ut subveniret, delatores evocavit, crimina finxit, innocentes occidit, damnavit omnes, quicumque in judicium venissent, ex ditissimis hominibus pauperrimos fecit, nec aliunde nisi malo alieno pecuniam quærebat. Senatus eum tantum timuit, ut vota in templis publice privatimque mulieres facerent, ne ille unquam urbem Romam videret; jamque omnes propendebant in defectionem, cujus exemplum dedit Africa, quæ Gordianum Proconsulem fecit Imperatorem. Illius factionis hic ordo fuit. Erat Fisci procurator in Lybia, qui omnes Maximini studio spoliaverat; hic per rusticanam plebem & quosdam milites interemptus est: sed cum viderent authores cædis ejus, acrioribus remediis sibi subveniendum esse, Gordianum Proconsulem, virum venerabilem, natu grandiorem, virtute florentem, reclamantem, opertum purpura imperare coegerunt, instantes cum gladiis, & cum omni genere telorum; & appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud oppidum Tisdrum; inde Carthaginem venit, & Romam ad Senatum literas misit, quæ, occiso Valeriano duce militum Prætorianorum crudelissimo, in odium Maximini gratanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex, & Gordianus juvenis a Senatu Augusti. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores, omnes amici Maximini occisi sunt; sic Infideles, dum mutuis in se invicem cædibus sæviunt, ulciscuntur sanguinem Christianum, quem injuste & crudeliter effuderant.

CHRISTI An. 236. & 238.

Ibid.

Ubi hæc gesta sunt, Senatus magis timens Maximinum, eum ejusque filium Maximinum libere & aperte declarat hostes. Literas deinde mittit ad omnes provincias, ut communi saluti libertatique subveniant; quæ auditæ sunt ab omnibus; ubique amici, & administratores, & duces, & tribuni, & milites Maximini interfecti sunt; paucæ civitates fidem hosti publico servaverunt. Ubi hoc Senatusconsultum Maximinus accepit, homo natura ferus sic exarsit, ut non hominem, sed belluam putares: cohortatus milites ad communes injurias vindicandas, datoque eis stipendio, & quidem ingenti, Romam versus cum exercitu proficisci cœpit. Sed Gordianus in Africa primum a Capeliano quodam agitari cœpit, cui Mauros regenti successorem dederat, contra quem cum filium misisset, acerrima pugna interfecto filio, ipse laqueo vitam finivit. Capelianus victor omnes Gordiani partium interemit atque proscripsit.

Ibid.

Hæc ubi Romam nuntiata sunt, Senatus Maximini naturalem & jam necessariam crudelitatem timens, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex Præfecto Urbis, licet ignobilem genere, virtute clarum, & Clodium Balbinum moribus delicatiorem, Imperatores creavit: sed populo & militibus petentibus, etiam parvulus nepos Gordiani Cæsar dictus est, cum esset annorum sexdecim. Maximus adversus Maximinum duxit exercitum, qui his compertis vehementius sæviens quadrato agmine Hœmonem venit. Provincialium omnium hoc consilium fuit, ut sublatis omnibus, quæ victum præbere possent, intra civitates se reciperent; unde factum est, ut ejus exercitus fame urgeretur. Movet versus Aquilejam, quæ portas clausit; hanc oppugnat, sed irrito conatu: ratus suorum ignavia bellum trahi, duces suos interemit, unde sibi milites etiam iratiores reddidit, qui deficientibus in dies commeatibus sibi timentes, eum & filium ejus quiescentes in tentorio occiderunt, mense Octobri, cum imperasset annis duobus & septem mensibus; eorum capita præfixa contis Aquilejensibus demonstraverunt, & Romam missa sunt, occurrentibus cunctis ad gaudium publicum: ejus Præfecto Prætorii occiso cum amicis clarioribus, milites jurarunt in verba Maximi & Balbini anno Christi ducentesimo trigesimo octavo. Ægro tamen animo milites ferebant Imperatores, quos Senatus elegerat: quapropter seditione facta, eos ignominiose contrucidarunt anno uno a Maximini morte needum evoluto. Gordianus adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat, a militibus & populo & Senatu ingenti studio Augustus est appellatus.

Maximini mors.

Jul. Capitol. in Gord.

Pontiani Papæ mors.

Eus. hist. l. 6. c. 29.

VIII. Mortuo post sex annos Pontiano, quem Martyrologia ferunt jussu Maximini cum Hippolyto presbytero deportatum in Insulam nocivam Sardiniam, ibique fustibus mactatum anno Christi ducentesimo trigesimo octavo, Ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit Anteros. Hic intra unius mensis spatium sacerdotio persunctus, Fabianum successorem reliquit. Hunc Fabianum post Anterotis mortem una cum aliis familiaribus suis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem, opitulante Dei gratia, præter omnium exspectationem ad Pontificatus sortem pervenisse.

Nam

CHRISTI AN. 239.

Fabianus Papa.

Nam cum Fratres omnes successoris ordinandi causa in Ecclesia essent congregati, ac plerique, jam illustres aliquot & nobiles viros eligendos esse conjicerent, de Fabiano quidem, qui tunc præsens aderat, nemo ne tantisper quidem cogitabat. Columbam tamen repente e sublimi delapsam capiti illius insedisse narrant, quæ Spiritus sancti, qui olim sub columbæ specie in Servatorem descenderat, symbolum referre videbatur. Quo spectaculo permotus populus ac divino Spiritu incitatus, summa cum alacritate uno consensu simul omnis exclamare cœpit, dignum esse; statimque comprehensum sacerdotali cathedræ imposuit. Fuit hæc solemnis acclamatio in electionibus Episcoporum: Dignus & justus est: Bene meritus; bene dignus; quæ verba sæpius iterubantur.

Philostorg. l. 9. cap. 10.

Euf. hist. l. 6. c. 31. Hier. de script. Eccl.

IX. Claruit iisdem temporibus Julianus Africanus, insignis ille temporum scriptor, qui sub Heliogabalo Legatum egit urbis Palæstinæ Nicopolis, cujus erat civis; prius Emmaus vocabatur. Eo consilio legatio suscepta est, ut civitas hæc restitueretur. Illius extat epistula ad Origenem, in qua historiam Susannæ, quæ in Danielis libro legitur, spuriam & commentitium esse suspicatur, eo quod in Hebræo non legatur, nec cum Hebraica conveniat etymologia. Opinionem hanc falsam ut corrigeret, ei doctam Epistolam scribit Origenes. "Scias, inquit, non solum in iis, quæ de Susanna, in Græca lingua secundum Græcos, per totam Christi Ecclesiam circumferuntur, quæ tamen in Hebræo posita non sunt: nec solum de aliis duabus sectionibus, ut dicis, circa finem libri, nimirum de Belo & dracone consignatis, quæ pariter in Hebræo Danielis textu non sunt scriptæ, sed & de aliis plurimis, quæ pro mediocritate nostra, dum exemplaribus Hebræis compararemus nostra, pluribus in locis invenimus .... Sed nostra exemplaria, quorum etium voces exposui, alterum erat juxta septuaginta Interpretes, alterum secundum Theodotionem: & sicut apud utrosque positum reperiebatur Susannæ, quod dicis, figmentum, una cum ultimis in Daniele sectionibus; itemque in multis aliis sanctis libris invenimus, ut alicubi quidem plura apud nos extarent, quam apud Hebræos: alicubi vero pauciora. „ Idque probat brevi inductione, deinde concludit: " Videtur-ne tibi, etiamsi ista nos non lateant, flocci facere exemplaria, quæ in Ecclesiis nostris habentur, & Fratribus legem figere; tum abjiciendi sacros libros apud illos usitatos; tum Judæis blandiendi & suadendi, ut nobis puros, & nullum figmentum continentes libros tradant? an vero providentia divina, quæ in sacris Scripturis omnium nobis largita est, in Ecclesiis Christi ædificationem non curavit illorum, qui pretio empti sunt, pro quibus Christus mortuus est; cui, quamvis Filius esset, non pepercit Deus, ipsa charitas, sed quem pro nobis omnibus tradidit, ut cum ipso nobis omnia gratificaretur? Insuper considerias, an non bonum sit recordari illius: *Non transpones terminos æternos, quos posuerunt antecessores tui?* Et hæc quidem dico, non ea pigritia indagandi ipsas secundum Judæos Scripturas, omnesque nostras cum illis conferendi, &, quid differant inter se, videndi: nisi arrogans sit dictu, ut plurimum hoc, quantum fieri potest, præstitimus, ventilantes sensum illarum in omnibus editionibus, & differentiis earum: simul aliquanto instituto examine interpretationis Septuaginta, ne quicquam perperam signasse videremur Ecclesiis, quæ sub cœlo sunt. „

Orig. epist. ad Afric.

Susanna historia est sacra.

Prov. 22.

Ibid.

In reliqua parte hujus epistolæ octo Africani adversus Susannæ historiam argumenta solvit. Africano quærenti cur hæc in Hebræo non legeretur, respondet: " Rem non aliter gestam esse opinor, quam illos, qui censebantur Sapientes, & Principes & Seniores populi, suppressisse talia, quæcumque accusationem aliquam ipsorum continebant apud populum: siquidem Christus in Evangelio, & Apostoli in Epistolis, aliquas eorum recensent actiones, quæ in sacris Veteris Testamenti libris non reperiuntur: sed tantum in quibusdam apocryphis, quæ fortassis & ipsi depravarunt, ut fidem eis adimerent. Non igitur mirum, si hanc, licet veram existentem de Susanna historiam, illi qui non procul aberant a simili proposito Seniorum illorum, suffurati sint, & abstulerint a Scripturis. „ Unde concludit exemplaria nostra esse emendatiora.

Ibid.

Ibidem hæc observat de statu Judæorum: " Nunc temporis Romanis imperantibus, & Judæis didrachmum ipsis pendentibus, quanta permissu Cæsaris, Ethnarcha seu Præfectus populi apud illos possit: ut non aliter vivant, quam dum regnaret ille populus: id experti scimus. Fiunt autem interdum judicia clam secundum legem, ut condemnentur nonnulli eorum ad mortem, non equidem cum omni ad hoc licentia, nec tamen clanculum, & inscio eo, qui regnat. Id quod, cum in regione hujus gentis longo tempore essemus commorati, didicimus, & certo persuasi sumus. „ Hanc sic concludit: " Salutat te qui operam suam contulit in dictanda hac epistola, & adfuit toti illi, ut, quæcumque vellet, corrigeret, dominus meus, & frater, sanctus Ambrosius. Salutant te pariter fidelissima conjux Marcella, una cum liberis, & Anicetus. „ Ac proinde finita jam persecutione liber fuerat dimissus Ambrosius. " Tu optimum nostrum Papam Apollinarium salutato, omnesque nostri amantes. „ Prioribus sæculis Papæ nomen erat commune omnibus Episcopis.

CHRISTI AN. 239.

X. Altera quoque ejusdem Africani extat epistola ad Aristidem, de dissensione quæ videtur esse inter Matthæum & Lucam in stirpe Christi referenda, in qua Evangelistarum consensum sic apertissime demonstrat: " Quoniam, inquit, apud Israelitas generationum nomina vel ex naturæ, vel ex Legis ordine numerabantur: naturæ quidem, cum legitimi filii parentibus succedunt; Legis vero, quoties quis in nomen ac familiam fratris sine liberis defuncti filios sustulit .... Quoniam igitur eorum, qui inter majores Christi recensentur, alii naturali jure, ut filii, parentibus successerunt; nonnulli vero, cum ab aliis procreati essent, aliis adscripti sunt; ideo utrorumque mentio facta est, tam eorum, qui vere Patres, quam illorum, qui quasi Patres fuerunt. Ita fit, ut neutrum Evangeliorum falsum sit, cum alterum naturam, alterum Legem in majoribus enumerandis sequatur. Nam familiæ, quæ cum a Salomone, tum a Nathan deducuntur, adeo inter se permixtæ sunt, partim reparatione nominis eorum qui sine prole decessissent, partim secundis nuptiis, partim etiam seminis suscitatione, ut iidem homines diversos patres habuisse merito credantur; hos quidem fictitios, illos vero naturales. Quo fit ut Evangelii utriusque narratio absolute verissima, vario quidem linearum contextu, sed accurate ad Josephum usque descendat .... Igitur si a Davide per Salomonem generationes cum Matthæo numeraveris, tertius a fine reperietur Mathan, qui genuit Jacob patrem Josephi. Quod si cum Luca a Nathan Davidis filio numeres, tertius itidem a fine reperietur Melchi, cujus filius fuit Heli pater Josephi... cum igitur velut scopus nobis propositus sit Josephus, explicandum nobis est, quomodo uterque pater illius esse dicatur .... Primus Mathan, qui a Salomone genus ducebat, ex Estha filium Jacobum sustulit. Post Mathanis autem interitum, Melchi qui ad Nathanem originem referebat, cum ea eadem tribu, sed diversa familia, editus esset, uxorem eam sortitus, Heli filium suscepit. Hoc modo Jacob & Heli, licet diverso genere prognatos, uterinos fratres reperiemus. Quorum alter, Jacob scilicet, cum frater ipsius Heli sine liberis decessisset, viduam ejus conjugem accipiens, tertium ex ea Josephum genuit, naturali quidem ratione filium suum. Unde etiam scriptum est: *Jacob autem genuit Joseph.* Sed secundum Legem filius erat Heli, quippe cum ejus semen Jacobus frater suscitasset. Proinde nec generis per eum deducta series, vana ac futilis deprehenditur; quam Matthæus quidem recensens, *Jacob*, inquit, *genuit Joseph*. Lucas vero a contrario a filiis ad parentes ascendens, *Jesus*, inquit, *qui erat*, ut putabatur, *Filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi*. Neque enim poterat disertius exprimi fictitia illa generandi ratio, quæ ex Lege profecta est. „ Mendum irrepsit in hanc Africani expositionem, quam a cognatis Domini acceptam testatur. Heli non fuit filius Melchi, sed Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui proinde tertius a fine non fuit, sed quintus, & abavus D. Josephi; sed leve est: restitutisque nominibus, salva manet tam solida responsio. Hanc Evangelistarum conciliationem de Christi genealogia in suis commentariis sequuntur Ambrosius & Hieronymus, laudant & approbant Gregorius Nazianzenus, Augustinus & Thomas. Conformis est igitur Patrum traditioni, Judæorumque consuetudini, Legique divinæ: quibus repugnat

Euf. hist. l. 6. c. 31. Ic. hist. l. 1. c. 7. *Africani epist. ad Aristid.*

Matth. 1.

Ambros. cap. 3. in Luc. Hieron. in cap. 3.

novu

Digitized by Google

CHRISTI AN. 238.

Matth. Gregor. Nazian. Carm. August. l. 2. retract. c. 7. & 12. Thom. 3. p. q. 31. art. 3.

nova paucorum opinio, qui volunt, Matthæum S. Josephi recensuisse progenitores; B. vero Mariæ Virginis parentes retulisse S. Lucam. Id autem nulla probant authoritate Ecclesiastica: Evangeliique sensum naturalem prorsus evertunt; sic enim legimus, Lucæ capite tertio: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, & putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, sicut ibidem de Jacob, *Qui fuit Isaac*, nempe filius. Hic S. Joseph aperte dicitur filius Heli: qui proinde non fuit pater B. Mariæ Virginis; sed Joachim, ut docet traditio Ecclesiastica in oratione, quam ejus die festo recitandam proponit Ecclesia.

Photius cod. 34. Euf. ib.

Africanus etiam quinque de Chronographia libros accuratissime composuerat, sed ad nos non pervenerunt: horum magnam partem suo Chronico inseruit Eusebius. Incipit, inquit Photius, qui eos legerat, a mundi creatione, apud Moysen, pervenitque ad usque Christi adventum; succincte quoque commemorat gesta jam inde a Christi ætate usque ad Macrini Imperatoris tempora; nihil tamen cognitioni necessarium omittit. In his se Alexandriam profectum esse testatur, ob maximam omnium famam atque existimationem de Heracla ejusdem urbis Episcopo. Ibidem dicit, se perduxisse opus illud usque ad annum mundi 5723., Incarnationis vero 223.

Euf. hist. l. 6. c. 32. *Origenis Hexapla & Tetrapla.* ib. c. 16.

XI. Origenes in Græciam profectus aliquandiu Athenis commoratus est, ibique commentarios in Ezechielem absolvit, inchoavit autem expositionem in Canticum Canticorum, quam ad quintum usque librum ibidem agens produxit. Deinde Cæsaream reversus, opus illud decem omnino libris comprehensum ad exitum perduxit. Tantam porro diligentiam in divinis Scripturis perscrutandis adhibebat Origenes, ut Hebraicam etiam linguam didicerit, & authenticos Scripturarum libros Hebraicis scriptos literis, qui apud Judæos habentur, sibi comparaverit; aliorum quoque, qui præter septuaginta Interpretes sacras Scripturas interpretati sunt, editiones pervestigaverit: nonnullas denique interpretationes a tritis illis, & vulgatis, Aquilæ scilicet & Symmachi, & Theodotionis diversas repererit. Quas quidem ille ex nescio quibus erutas angulis, in quibus jam dudum delituerant, primus in lucem produxit: & cum obscurum incompertumque haberet, cujusnam essent authoris, hoc solum de ipsis annotavit, alteram quidem a se repertam fuisse Nicopoli juxta Actium, alteram vero in alio quodam loco. Quia etiam in hexaplis Psalmorum exemplaribus, post insignes illas quatuor editiones, cum non quintam modo, sed etiam sextam, ac septimam apponeret versionem, rursus in principio unius annotavit, illam inventam fuisse Hierichunte in dolio, temporibus Antonini Caracallæ. Has igitur omnes interpretationes cum in unum corpus collegisset, ac per certa cola ac membra primus distinxisset, seu per versus, qui seorsum integrum efficerent, ut sic facilius intelligerentur, & sibi invicem e regione opposuisset, una cum ipso Hebraico textu, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit. Postea vero editionem Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis cum septuaginta Interpretum versione seorsim in Tetraplis digessit. Itaque versuum distinctio, quam hodie in septuaginta Seniorum interpretatione cernimus, Origenis inventum est utilissimum.

Epiph. de pond. & mens. num. 19.

Præterea singulare est in Hexaplis artificium, quod eruditos plerosque latere solet, qui Hexapla legunt; in singulis paginis sex erant columnæ; priores erant duæ editiones Hebraicæ, ita ut primo omnium ipsa Hebræa verba Hebraicis literis poneret Origenes: secundo in loco per ordinem Græcis literis e regione verba Hebræa describeret: tertiam Aquilæ versionem adjungeret, quartam Symmachi, quintam septuaginta Interpretum, sextam Theodotionis collocaret: quibus adjunxit quintam & sextam Veteris Testamenti versionem, quarum authores etiam ab antiquis ignorantur, ut Octopla conficeret: atque ita, cum septuaginta Interpretum editionem accuratissimam esse persuasum haberet, mediam omnium esse voluit, ut ad eam dispositæ utrinque cæteræ, tanquam ad amussim exigi redarguique possent; easque omnes per columnas descriptas opposuit, ut quæ convenirent, quæ inter se differrent, facillime innotesceret. Operis tam egregii fragmenta tantum supersunt.

XII. Aliud præterea diligentiæ Origenis monumentum: septuaginta Interpretum exemplaria varia

CHRISTI AN. 238.

Epiph. de pond. & mens. Orig. in Matth. Hieron. ep. 82.

circumferebantur, sed diversa, sive librariorum incuria, sive temeritate criticorum. Notaverat etiam, Septuaginta, voces aliquas, quæ bis in eodem textu Hebraico leguntur, interpretando neglexisse ut in phrasi Græca supervacaneas; econtra nonnunquam alias addidisse, quæ pleniorem sensum redderent. Ne Judæis igitur ac Samaritanis ullam calumniandi Sacras Literas, quibus in Ecclesiis utimur, occasionem relinqueret, interpretationem septuaginta Senum emendavit ex optimorum exemplariorum fide, atque ejus præsertim, quod in Serapeo servabatur, quod ipsum fuisse autographum affirmant nonnulli Veteres. Asteriscos præterea, ubi quid deesset, cum prætermissis vocibus inseruit; quæ vero illi adjecissent, præfixo obelo signavit. Id, scribens ad Augustinum, reprehendit Hieronymus: Vis, inquit, amator esse verus septuaginta Interpretum? non legas ea, quæ sub asteriscis sunt; imo rade de voluminibus. Reipsa cum frequenter exscriberentur Hexapla in Ecclesiarum usum, asteriscorumque & obelorum adnotationes negligerent librarii, inde ingens incidit rerum perturbatio, confusis & permistis Theodotionis additamentis, quæ inseruerat Origenes; quapropter eam restituere conati sunt Eusebius & Pamphilus, ex ipso authographo, quod erat in Cæsariensi bibliotheca; restitutam vero, & seorsum magna diligentia descriptam publicarunt. Eaque editio Palæstina dicta est; summoque plausu fuit excepta in Orientis Ecclesiis.

Gregor. Nyss. in vita Greg. *Gregorii Thaumaturgi virtus.*

XIII. Secundam in Ægyptum profectionem suscepit Gregorius Thaumaturgus: cum autem degeret Alexandriæ, ejus vitæ puritati & integritati subinfensi adolescentes libidinosi, submisere mulierculam meretricem, quæ eum calumniaretur: dum ille pro consuetudine cum viris doctis atque delectis in habitu gravi & honesto de quadam quæstione Philosophiæ dissereret, hæc accedens se debita mercede fraudatam ab eo conqueritur. Aliis indignantibus, nihil ipse commotus est; sedataque voce, conversus ad quemdam familiarem, heus tu, inquit, numera ei pecuniam, ne diutius importunitate sua propositæ quæstionis tractatum conturbet: sed Deus brevi ejus continentiam miraculo comprobavit. Simul enim atque manu pecuniam accepit, spiritu infelici & maligno correpta, fremituque immani & ferali, diverso a voce humana sono ingemiscens, collabitur, capillos manibus evellens, oculisque inversis, os spumam emittebat; nec prius a dæmonio suffocari desiit, quam Deum pro ea invocasset atque placasset Gregorius. Iterum divertit ad Origenem, & paulo post in patriam revertitur cum variis sapientiæ & scientiæ divitiis.

Ibid.

Universi eum intuebantur, exspectabantque, ut in publicis conventibus divolgata sua eruditione aliquem fructum tot laborum caperet celebritate nominis. Sed ille modis omnibus superbiæ materiam fugiens, quæ plurimis ruinæ spiritualis fuit occasio, nequando animus ejus aliqua ambitione vulneraretur, sæculo rebusque sæcularibus valedicens, secessit in solitudinem, ibique solus soli Deo vacabat. Ubi vero intellexit Phædimum, Amasenfis Ecclesiæ Episcopum, velle ministerio Ecclesiastico illum præficere & consecrare sacerdotem, aliam ad solitudinem transiit. At Phædimus etsi tridui spatio abesset a Gregorio, ad Deum suspiciens, precatus est, ut ipse & ille pariter ab eo respiceretur, loco manus impositionis Gregorio adhibet sermonem, Deo consecrans eum, qui corpore coram non adesset; Cæsareamque civitatem ei destinans, quæ ad hæc usque tempora sic simulacrorum errori dedita fuerat, ut cum infiniti essent tum urbis, tum circumjacentis regionis incolæ, non plures quam septem-decim invenirentur, qui sermonem Fidei recepissent. Sic igitur jugum subire coactus est, scilicet ex obedientia, omnibus, post hæc, quæ fieri solent solemnibus in eo peractis. En solemnis consecratio, qua ordinatur Episcopus, ac proinde prior allocutio fuit tantum destinatio, & quasi nominatio hominis absentis.

Ibid.

Exiguum tempus ad mysterium exactius cognoscendum ab eo, qui sacerdotium ipsi assignaverat, petiit: ac non prius prædicationem sermonis aggredi sustinuit, quam per quamdam apparitionem veritas ei revelaretur: erant enim tunc nonnulli, qui sinceram religionis doctrinam adulterarent, ac per probabiles argumentationes etiam prudentibus veritatem facerent ambiguam. Pervigilem igitur noctem agenti, & de sermone Fidei cogitanti

CHRISTI AN. 238. conspicuus factus est senex, sacrum præ se ferens decorem, qui, sedata Gregorii perturbatione, dixit, se jussu divino ei apparuisse, ut piæ fidei veritas revelaretur. Ostendit augustus ille senex ex alia parte astantem mulierem magna luce præfulgentem, in cujus habitu excellentius quiddam & augustius, quam pro humana conditione videbatur. Ille Joannes erat Evangelista, hæc Domini mater, quæ Joannem hortabatur Gregorio aperire veritatis mysteria. Exposito sermone, qui rei quæsitæ conveniret, subito mirantis ex oculis evanuit: Gregorius extemplo divinam illam institutionem literis mandavit.

Symbolum Greg. Ibid.

Porro mysticæ illius disciplinæ verba hæc sunt: « Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & potentiæ ac characteris sempiterni, perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character & imago Deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & virtus atque potentia universæ creaturæ effectiva, Filius verus veri Patris, invisibilis, ejus qui est invisibilis, & incorruptibilis, corruptioni non obnoxii, ac immortalis, mortis prorsus nescii, & sempiternus sempiterni; unusque Spiritus sanctus, ex Deo existentiam habens, & qui per Filium apparuit, (scilicet hominibus,) imago Filii, perfecti perfecta, vita, viventium causa, fons sanctus, sanctitas, sanctificationis suppeditator; in quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est, & in omnibus; & Deus Filius, qui per omnia est. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate, ac regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur.

Basil. ep. ad Neo-Cæsar. Leont. l. de sect. act. 8. *Gregorii miracula.*

Si quis, subjungit Nyssenus, sibi fidem de hac re fieri cupit, audiat Ecclesiam, in qua sermonem prædicabat, apud quam illa ipsa verba a beata illa manu exarata adhuc etiam nunc conservantur. Aliud fidei symbolum postea ei supposuere Sabelliani Neo-Cæsarienses, quemadmodum testantur D. Basilius, & Leontius.

Ibid.

XIV. Fiducia per illam visionem repletus, relicta solitudine, protinus petiit urbem Neo-Cæsariensem: verum in via nocte captus, dum imber violentior urget, idolorum templum cum comitibus intrat: dæmones statim invocatione nominis Christi perterrefecit, signoque crucis inquinatum aera cum expiasset, uti solebat, noctem in orationibus pervigilem transegit; diluculo profectus iter pergit: sacrificulus mane dum consueto more coleret dæmones, hi sub visibili specie apparentes affirmant, non sibi patere post hæc amplius aditum ad templum, propter eum, qui in eo diversatus esset. Ille lustrationibus & sacrificiis cum frustra eos ad reditum invitasset, furore amens assequitur Gregorium, comminaturque se delaturum ad magistratus, atque vim manu illaturum, quod Christianus, & diis inimicus templum ingredi ausus esset, suoque ingressu sacra perturbasset. His nihil ille commotus, respondit eam esse Dei sui potentiam, ut ejus virtute possit abigere dæmones, vel introducere quoties vellet. Obstupefactus flamen, postulat, illius virtutis faciat experimentum, suosque deos revocet. Statim in exiguo libri frustulo scripsit, *Gregorius Satanæ; intra.* Hanc schedulam altari imposuisse dicitur antistes, peractisque consuetis cæremoniis, vidit quæ prius conspicere solebat. Tum secum reputans divinam prorsus hanc esse virtutem, qua dæmonibus superior esset Gregorius; rursus festinando eum consequitur, priusquam in urbem perveniret, rogatque, ut edoceret, quisnam esset ille Deus, cujus imperio subjicerentur vel ipsi dæmones. Magnus ille vir pietatis mysterium paucis exponit. Sed divini Verbi incarnatio cum ei videretur adversari rationi, Deoque indignum putaret in humana carne conversari cum hominibus; horum fides, inquit Gregorius, non verbis, sed miraculis comprobatur. Probationem accipio, reponit sacrificulus, fac igitur, ut lapis ille prægrandis solo tuo jussu moveatur, & ad hunc locum transeat; quod statim ille perfecit; quo facto persuasus credidit, ac relictis omnibus, uxore, liberis, amicis, sacerdotio, possessionibus, Gregorium secutus in ejus disciplinam se tradidit.

Ibid.

XV. Pervenit prior ad urbem rumor hujusce miraculi; certatim omnes accurrunt obviam, quibus omnibus virtute & modestia major visus est, quam fama prædicaverat. Divinam professus Philosophiam omnibus se bonis abdicarat: nulla igitur ei supererat domus, in quam se reciperet; sollicitis socius dixit: Quid anxii inquiritis, ubi corpora curare oporteat? an parva vobis domus Deus esse videtur? siquidem per eum vivimus, & movemur, & sumus? an angustum cœleste tectum? ut præter illud aliud quæratis? Una vobis domus studio curæque sit, ea videlicet, quæ per virtutes ædificatur. Hæc cum diceret ad familiares, Musonius, vir genere insignis, & opibus potens, rogat eum, ut suo uteretur hospitio: multi idem offerebant, quos benigne salutatos dimisit, divertitque ad eum, qui prior obtulisset. Priusquam sol occidisset, multi crediderunt. Postridie mane multitudo ingens præsertim ægrorum ad ejus fores præsto fuit, quibus & sanitatem, & salutis præcepta dedit, iisque divinæ virtutis indiciis tantum sibi repente populum adjunxit, ut ad templi fabricationem animum adjiceret: cum omnes tam offerendo pecunias, quam operas suas, studium ejus adjuvarent, brevi perfectum est: ætate Gregorii Nysseni, gravissimo terræ motu disjectis omnibus aliis ædificiis, solum illud templum illæsum mansit. Miraculis, probitate, & sapientia brevi apud omnes tantum existimationis habuit, & authoritatis, ut lites omnes ejus arbitrio permitterent: ea erat in iis componendis ejus solertia & juris æquitas, quæ omnium ac singulorum animos inter se conciliaret, unde summa pax in tota civitate regnabat. Duo fratres in divisione paternæ hæreditatis, dissidebant de lacu, cujus possessionem uterque sibi vindicabat. Cum vero ad componendam inter se pacem frustra eos hortatus fuisset, pridie ejus diei, quo prælium collectis armatis committendum erat, Gregorius ad ejus ripam tota nocte pervigilans orabat, & lacum in vastam terram precibus suis redegit: fratresque rediere in concordiam. Centum post annos circa hunc locum adeo exsiccatum, ut ne quidem in concavis aliquid aquæ remanserit, vestigia quædam inundationis extabant; & quidquid prius submersum erat, hoc nemoribus consitum, agris pratisque distinctum multæ habitationes occupabant. CHRISTI AN. 244.

XVI. Aliud non absimile miraculum memoratur. Ibid.
Lycus fluvius, ex improviso aquis inundantibus partem regionis, veluti naufragio in ædibus incolas opprimebat. Universi incolæ cum mulieribus & parvulis ipsum adeunt deprecantes ejus auxilium: omnia se expertos affirmant, aggeresque adversus fluminis impetum resistere non potuisse: innixus baculo Gregorius, locum petit, ubi flumen a suo cursu defluebat: præsentesque sic alloquitur: Deus est, qui terminos aquis constituit, solus ille sua potentia hujus fluminis inordinatum cursum coercere potest. Tum magna voce Christum precatus, scipionem, quem manu tenebat, in corrupto ripæ loco defigit, orans ut veluti claustrum fluvii insolentis esset: & domum reversus est. Nec multo tempore post, baculus radicibus in ripa actis, arbor evasit, quæ flumini pro termino fixa est: quod, inquit Nyssenus, ad hoc usque tempus incolis spectaculo est; cum enim crebris imbribus & torrentibus Lycus inundans terribilis fertur, tunc summis aquis imas arboris radices alluens, rursus intumescens in medium alveum contrahit aquas. Talis magni Gregorii virtus fuit, imo Dei, qui per eum tot edebat miracula, unde Thaumaturgus cognominatus est.

Ibid.

XVII. Postea quam tot miraculorum, quæ virtute fidei in Christum fieri credebantur, fama in omnes regionis partes dimanavit, omnes illius fidei, quæ talium miraculorum testimonio comprobaretur, participes esse cupiebant, & ubique prædicatio procedebat, & sacerdotes apud omnes constituebantur. Comana urbs legationem ad eum mittit, ut apud eos episcopo designato constitueret ecclesiam. Venit ad eos, & aliquot dies una conversatus eorum studium erga fidem incendit; cum jam dies adesset eligendi primarium ecclesiæ sacerdotem, principes & magistratus civitatis curiose & sollicite inquirebant, qui eloquentia, qui generis splendore præcellerent; putabant enim, quoniam & his bonis emineret Gregorius, nec eorum oportere expertem esse, qui ad hoc munus deligeretur. Cum autem in multas partes suffragiis scinderentur, exspectabat magnus ille vir divinitus aliquod sibi consilium suppeditari ad propositum negotium, ipsosque, ut viliorum quoque rationem haberent, hortatur, utpote qui splendore virtutis nonnunquam præstarent. Nonnulli qui suffragiis ferendis præerant, pro contume-

D. Alexander Comanæ Episcop.

lia

Google

CHRISTI An. 244.

lia ſententiam ejuſmodi ducentes , eligendum ergo Alexandrum Carbonarium ſuggerunt. Hic altiori conſilio, & quis eſt, inquit, Alexander ? Hunc in medium producunt pannis vilibus ac ſordidis ne toto quidem corpore amictum , atroque colore oſtendentem opificium, quo vitam ſuſtentabat : in medio ſtetit non ſine riſu omnium. Non urgente paupertate ad hoc vitæ genus devenerat ; ſed vitæ ſanctioris amore ex Philoſopho factus erat Carbonarius , quo lateret ſecurius , nativamque corporis ſui pulchritudinem , fumo quaſi perſona velabat adverſus mundi illecebras , corpuſque laboribus edomabat , ut continentiam , quam profitebatur, ſine periculo conſervaret , aliorumque oculis ne quidem eſſet offenſionis occaſio ; pecuniam ex labore comparatam ad mandatorum executionem diſpenſabat.

Gregorius ex imperturbata vultus conſtantia aliquid eorum ſuſpicatus, ſeorſim abductum interrogat . Hæc omnia cum diligenter cognoviſſet , familiaribus ſuis eum tradit , exequi juſſis , quæ res poſtulabat . Ipſe in concilium reverſus congregatos inſtituebat , de ſacerdotum officio multa proponens, donec alii , uti juſſi erant , reducerent Alexandrum ejus veſtibus indutum , colore jam nitidum , balneo fuligine deterſa . Omnibus ad novam ſpeciem admiratione defixis, nihil novi , inquit ſanctus , vobis accidit : ſi oculis decepti eſtis , pietatis inimica dæmon id intendebat , ut vas electionis ignoratione contectum , otioſum eſſet & inutile. Hæc locutus, juxta conſuetum morem , rituſque ſolemnes eum per ſacerdotium Deo dicat , rogatque , ut aliquam ad Eccleſiam haberet concionem . Oratione intelligentiæ ſententiarumque plena , ſed floribus minus exornata , oſtendit Alexander , haud falſum de ſe fuiſſe Gregorii judicium . Alexander hanc Eccleſiam rexit uſque ad tempora Decii , in cujus perſecutione , igne conſumptus , illuſtre fecit martyrium.

Cypr. epiſt. 60. edit. Pamel. 55.

XVIII. In Africa vero Privatus Lambeſitanus imperante Gordiano damnatus eſt a Synodo . Illius damnationis ſic meminit Cyprianus : " Per Felicianum ſignificavi tibi , frater , veniſſe Carthaginem Privatum veterem hæreticum , in Lambeſitana colonia , ante multos fere annos , ob multa gravia delicta , nonaginta Epiſcoporum ſententia eſſe damnatum ; anteceſſorum etiam noſtrorum , quod & veſtram conſcientiam non latet , Fabiani & Donati literis ſeveriſſime notatum. „ Hujus errores ignorantur . Privatus quieſcere non potuit , ſed imperante Decio confugit ad Romanum Pontificem , ut communicatorias ab eo literas impetraret , ſed rejectus eſt : id conſtat ex Cleri Romani ad Cyprianum

Epiſt. inter Cypr. 36. Pamel. 30.

epiſtola : " Quod autem pertinet ad Privatum Lambeſitanum, pro more tuo feciſti, qui rem nobis ſollicitam nuntiare voluiſti .... Sed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit ; nam cum antehac quidam ex ipſius nequitiæ cohorte veniſſet vexcellarius Privati futurus , & fraudulenter literas u nobis elicere curaret nec quis eſſet latuit , nec literas , quas volebat , accepit.

Euſ. hiſt. l. 6. c. 29. Jul. Capitol. Gord. Jun.

XIX. Per idem tempus mortuo Zebino Antiochenorum Epiſcopo , ſubrogatus eſt Babylas ; & Sapor Perſarum Rex Artaxerxis filius Antiochiam occupavit. Adoleſcens Gordianus, priuſquam ad bellum proficiſceretur , duxit uxorem Furiam Sabinillam Tranquillinam filiam Miſithei doctiſſimi viri, quem Præfectum fecit . Poſtea non puerile jam & contemptibile videbatur Imperium: ſiquidem & optimi ſoceri conſiliis adjuvaretur , & ipſe pro pietate aliquantulum ſaperet , nec per ſpadones ac miniſtros aulicos matris , omnia, etiam Præfecturas militares, ultra vendi paſſus eſt. Tunc fuit terræ motus euſque gravis, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent . Eo ſedato, Gordianus contra Perſas profectus eſt in Mœſiam , & quidquid hoſtium in Thracia fuit, delevit, & fugavit ; inde per Syriam Antiochiam venit, quæ a Perſis tenebatur; illic frequentibus præliis pugnavit & vicit. Antiochiam , Carras , & Niſibim recepit . Hæc omnia per Miſitheum geſta ſunt, effectumque eſt , ut Perſæ , qui jam in Italia timebantur , in regnum ſuum redirent. Sed iſta felicitas longior eſſe non potuit : nam Miſitheus , ut plerique dicunt , artibus Philippi , vel ut alii , morbo extinctus eſt , hærede Romana Republica . Amabatur ab omnibus , quod ſic Rempublicam amaret & Principem . Tribuni & Duces uſque adeo eum timuerunt & amaverunt , ut neque vellent peccare , neque ulla ex parte peccarent . Senatus hominem quadrigis & titulo honeſtavit ; Miſitheo , Eminenti Viro , Parenti Principum , Prætorii Præfecto, Tutori Reip. S. P. Q. R. vicem reddidit.

CHRISTI An. 244. & 245.

Jul. Capitol. Gord. Jun.

XX. Eo mortuo , in ejus locum Præfectus prætorii factus eſt Philippus Arabs, humili genere natus , ſed ſuperbus, qui ſe in novitate fortunæ non tenuit , ſed Gordiano ſtatim inſidias per milites fecit , quæ tales fuerunt . Ejus artibus naves frumentariæ ſunt averſæ , deinde in ea loca deducti ſunt milites , in quibus annona haberi non poſſet . Hinc Gordiano infeſtos milites reddidit , non intelligentes artibus Philippi Juvenem eſſe deceptum . Sed Philippus etiam rumorem per milites ſparſit, adoleſcentem eſſe Gordianum, Imperium non poſſe regere : melius eſſe , illum imperare , qui militem gubernaret , qui Rempublicam ſciret : corrupit etiam Principes , effectumque , ut palam Philippus ad Imperium poſceretur . Amici Gordiani primum vehementiſſime reſiſtebant ; ſed cum milites fame vincerentur , Imperium Philippo mandatum eſt , juſſumque a militibus , ut quaſi Tutor ejus Philippus cum Gordiano pariter imperaret . Ille ſuſcepto Imperio egit ſuperbiſſime ; hominis ignobilis improbitatem non ferens Gordianus in tribunali proceſſit, ſperans poſſe Imperium Philippo abrogari; ſed nihil egit : petiit, ut æquale ſaltem inter eos eſſet imperium, nec impetrevit : dehinc petiit, ut loco Cæſaris haberetur, nec id obtinuit . Ultimæ preces fuerunt, ut eum Philippus pro Duce haberet, & pateretur vivere; ad quod quidem pene conſenſerat Philippus: verum cum ſecum ipſe cogitaret amorem populi Romani , & Senatus circa Gordianum , totiuſque Orbis Romani , cum & nobilis eſſet, & nepos ac filius Imperatorum , poſſe fieri ut factione quandoque militum ei redderetur Imperium ; cum recentes in Gordianum iræ militum famis cauſa vehementes eſſent, clamantem ante conſpectum duci juſſit , ac ſpoliari & occidi. Ita Philippus impie obtinuit Imperium : imperavit Gordianus ſolus annis ſex, vixit viginti ; hæc geſta ſunt anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo quinto.

Gordiani mors.

Euſ. hiſt. l. 6. c. 34.

Philippus Imper.

XXI. Marcus Julius Philippus Romam literas miſit, quibus ſcripſit, Gordianum morbo periiſſe, ſeque a cunctis militibus electum . Appellatus Auguſtus filium cognominem potentiæ ſociavit; percuſſoque cum Perſis fœdere , Meſopotamiam & Aſſyriam eis reliquit , & Romam properavit . Antiochiam cum pertranſiret, fama eſt, hunc, utpote Chriſtianum , in poſtrema Paſchæ vigilia precationum in Eccleſia participem ſimul cum reliquo populo fieri voluiſſe : ſed Babylam , ut refert Leontius , Epiſcopum, qui tunc illi Eccleſiæ præerat, non prius illi aditum permiſiſſe , quam confeſſionem ſcelerum feciſſet ; iiſque , qui humanitus lapſi fuerant , & in pœnitentium ordine ſtabant , ſeſe adjunxiſſet ; ac proinde pœnitentia publica jam tum vigebat : Imperator quidem libenter obtemperaſſe dicitur , ſincerumque ac religioſum affectum timoris Dei ipſis operibus declaraſſe . Illius Euſebianæ narrationis fides circa verum Philippi Chriſtianiſmum , quæ rumoribus innititur , vacillat , ut patebit ex ſequentibus.

Pom. pon. Læt. Euſ. hiſt. l. 6. c. 34. Chron. Alexand.

XXII. Philippus, ubi Romam venit, ordinis Senatoris viros oratione benigna ſibi conciliavit ; & poſtea uſum virilis ſcorti removendum honeſtiſſime conſultavit. Imperii ſui anno ſecundo ludos ſæculares Apollini & Dianæ dedicatos ingenti pompa magnoque apparatu celebravit , circa milleſimum ab Urbe condita annum ; gladiatorum paria mille pugnarunt ; ſcenicos ludos in Pompeii theatro tribus diebus, totidemque noctibus populus ſpectavit , funalibus atque lychnis tenebras vincentibus. Gordianum apud milites divum ſemper appellabat . Hæc autem multum aliena ſunt a profeſſione Chriſtiana. Demum poſt mortem a Senatu Chriſtianis infenſiſſimo inter deos relatus eſt . Non igitur immerito de eo ſcribit Pomponius Lætus : Philippus homo Punica fraude deterior , ut ſcelera tegeret , cultum Chriſtiani nominis ſimulabat . Idem confirmant duo antiqua numiſmata ; in antica prioris ſtat caput Philippi cum radiis ; in poſtica Jupiter dextra fulmen , ſiniſtra haſtam tenet , cum inſcriptione : Jovi Conſervatori : qui nummus cuſus eſt Philippo tertium Conſule. Doctiſſimus Spanhemius meminit alterius nummi Philippi , qui exhibet ſeptem figuras ante aram thurificantes , cum hac inſcriptione : Sæculum Novum : ſæcularibus igitur ludis ſignatus eſt ; quibus proinde diis ſacrificia pro more fecit Philippus . Anno ſequenti , cum Heraclas poſt ſexdecim Epiſcopatus

Vict. Horat. Carm. ſæcul. Jul. Capitol.

Philippus non fuit Chriſtianus.

Euſ. hiſt. l. 6. c. 35.

Christi An. 247.

annos diem extremum obiisset, Pontificatum Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit Dionysius. Ammonius vir desertus & valde eruditus in Philosophia, Origenis in ea præceptor, Alexandriæ sub Heracla clarus habitus est, qui inter multa ingenii sui & præclara monumenta, etiam de Consonantia Moysi & Jesu elegans opus composuit, & Evangelicos canones excogitavit, quos postea secutus est Eusebius Cæsariensis. Hunc falso accusat Porphyrius, quod ex Christiano ethnicus fuerit, cum constet, eum usque ad extremam vitam perseverasse Christianum.

Eus. hist. l. 6. c. 35. Orig. in Exod. hom. 7. Hieron. epist. 65.

XXIII. Eo tempore cum Fides nostra, ut par erat, augeretur in dies, & doctrina Christianorum summa ubique libertate frueretur, Origenes jam sexagenario major, cum ex diuturna exercitatione maximum dicendi usum sibi comparasset, conciones, quas habebat ad populum singulis feriis sextis, & diebus Dominicis, a notariis excipi permisit, cum id antea fieri numquam concessisset; mille, inquit Hieronimus, & eo amplius tractatus in ecclesia locutus est. Quinque præterea ac viginti volumina in Evangelium Matthæi elaboravit; & in duodecim Prophetas expositiones, & in Lamentationes Hieremiæ, & commentarios in Isaiam, & libros duos de Resurrectione edidit. Explicationem Cantici Canticorum ad exitum perduxit: quod opus præstantissimum sic laudat Hieronymus. *Ibid.* Non mihi nocebit, si dixero, Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit. Ipsius epistolas supra centum in unum volumen digesserat Eusebius, quod opus excidit, & pariter epistola Origenis ad Imperatorem Philippum, & altera ad ejus conjugem Severam; duæ tantum nunc supersunt integræ, prior ad Africanum, cujus supra meminimus; Gregorium in secunda hortatur ad jugem Scripturarum meditationem; epistolarum ad patrem & ad amicos Alexandrinos fragmenta descripsimus.

Hier. in prolog. interp. hom. in Ezech.

Infinitus sim, si singula ejus opera persequi velim: Hieronymus in epistolis ad Paulam eorum catalogum concinnavit. Illud unum breviter admonemus ex eoque Hieronymo, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia, primum ejus Excerpta, quæ Græce σχόλια nuncupantur, in quibus ea, quæ sibi videbantur obscura, atque habere aliquid difficultatis, summatim breviterque perstrinxit: secundum Homiliarum genus, de quo & præsens ejus interpretatio est; homilias enim ejus plurimas Latine reddidit Hieronymus. Tertium quod & ipse inscripsit τόμους, nos Volumina possumus vocare, in quo opere tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit, & recedens a terra in medium pelagus aufugit. Triplicem ex Scripturis sensum eruere ac investigare consuevit, Historicum, quem & Literæ Seosum appellat, Mysticum, & Moralem: ab historico sensu ad mysticum, a mystico ad moralem progreditur, literam sæpe negligit; hinc sæpe a vero aberrat. Criticum Origenis operum examen doctissimum instituit Illustrissimus Huetius in suis Origenianis.

Origenes adv. Celsum.

XXIV. Celsus Epicureus Adriano imperante in Christianam religionem invectus est in opusculo, cui titulum fecerat, Sermo Verus: summo cum plausu ab Infidelibus fuerat exceptus. Illius calumnias confutare Origeni persuasit Ambrosius; quamvia ille Christi exemplo eas silentio diluendas putaret. *In Proem.* " Jesus, inquit, semper falsis testimoniis premitur numquam non male apud homines audiens; silet quidem nunc quoque, nec respondet voce: cæterum satis causam suam agit, dum per germanorum discipulorum vitam reclamat suis accusatoribus, ac refellit omnia testium mendacia . . . Præterea Paulus innumera percensens, quæ a dilectione Christi, & ab ea, quæ in Christo est, Dei charitate separare alios soleant, quibus omnibus superior sit ipsius charitas, verba non ponit in hoc numero . . . . Quapropter non ei gratulor, qui in Christo credit, si Celsus ejus fidem potest concutere vel ulla sermonis probabilitate, qui jam dudum defunctus est . . . . Attamen quia fieri potest, ut in vulgo Fidelium reperiantur aliquot, quibus subversionis periculum immineat a scriptis Celsi, a nostra vero apologia salus, si quæ dicam, ea contineant, quæ dicta ejus refutant, & stabiliant veritatem; decrevimus tua jussa capessere, transmissoque ad nos commentario respondere; " Quod per-

Eus. adv. Hierocl.

Christi An. 247.

fecit octo libris, in quibus causas omnes & argumenta complexus est, omnia simul quæcumque super ea re a quocumque vel dicta sunt, vel dicentur post hac, in antecessum dissolvit: non alias tantam doctrinæ Christianæ & profanæ ubertatem, tanta argumentorum pondera expromit.

Orig. l. 1. adv. Cels.

XXV. Christianæ religionis veritatem primo quidem astruit ex prophetiis & miraculis: " Fatendum, inquit, disciplinam nostram habere quamdam demonstrationem propriam, diviniorem, quam sint Græcorum demonstrationes, quam Apostolus nominat demonstrationem spiritus & virtutis; utpote spiritu per prophetias fidem astruente iis quæ de Christo feruntur; virtute vero per prodigia, quæ facta credimus, tum argumentis aliis, tum quia supersunt etiam nunc eorum vestigia duntaxat apud eos, qui vivunt juxta voluntatem ipsius verbi . . . " Et inferius, miraculorum & prophetiæ donum etiam tum vigere apud Christianos affirmat. Christianis eorum credulitatem objicienti Celso respondet. " Si possibile esset omnes homines relictis vitæ curis vacare Philosophiæ, nemini aliam viam insistendam præter hanc solam . . . . Invenietur enim in Christianismo non minor disquisitio rerum creditarum, & enarratio Propheticorum ænigmatum, parabolarumque Evangelicarum . . . . Quod quia est impossibile, tum propter vitæ necessitates, tum propter infirmitatem hominum, quid compendiosius excogitari queat ad subveniendum multitudini, quam quod Jesus Gentibus tradidit? Id experimur in multitudine credentium, liberatorum a vitiorum colluvie, in qua volutabantur antea: his utrum est conducibilius, sine ampliori disquisitione credere pœnas peccatorum, ac bene gestorum præmia, sicque mores corrigere; an aversari nudam credulitatem, & immanere moribus pristinis? Manifestum est perpaucis exceptis, reliquos ne id quidem assecuturos, quod ex nuda fide adepti sunt, ac potius mansuros in vita pessima. Ergo si quid aliud est, quod viam præparat, ut benignitas Christi non sine Dei consilio inter homines commoretur, etiam hæc credulitas inter cætera est numeranda . . . . Et certe cum Græci sectarum Philosophorum Principibus credant; quanto magis hujus universi Domino, & ei, qui docet, hunc solum esse colendum, credendum est? An vero non est rationi consentaneum, cum res hominum omnes a fide pendeant, Deo potissimum credere? " Infra demonstrat Christianam religionem multo esse credibiliorem sectis Philosophorum, & fabulis Poetarum, quibus tamen credidere Gentiles.

Fidei necessitas & utilitas.

Veritas Christianæ religionis. Ibid.

Secundum argumentum ducit a sanctitate & invicta fortitudine Christianæ religionis. " Experientia doctus, inquit, ausim affirmare, ne corpora quidem ægrotantium sine ope divina restitui posse sanitati pristinæ: quod si quis etiam animas liberaret a vitiorum colluvie, libidinibus, iniquitatibus, contemptu Numinis, & experimentum hujus operis in centum hominibus daret: certe nemo haud verisimiliter diceret, absque divino consilio centum illis indidisse rationes tam validas ad liberandum a tot vitiis . . . . Quanto magis qui in Christo fiduciam habet, id demonstrabit; si in vitas eorum, qui se verbo dederunt, inquirens, eorum pristinam vivendi rationem cum ea conferat, quam jam instituerunt, & animadvertat, in quantis impuritatibus, in quantis iniquitatibus fuerint singuli? Ex quo autem tempore verbum receperunt, quanto æquiores sint redditi, graviores, constantiores: adeo ut quidam ex ipsis amore eximiæ puritatis, & quo castiores ad cultum divinum accederent, ne concessa quidem & legitima uterentur venere. Hæc qui secum reputaverit, intelliget, Jesum ausum majora humanis viribus, &, quod aggressus est, effecisse . . . . Omnibus enim jam inde ab initio resistentibus, quo minus per totum terrarum Orbem spargeretur, suæ quibusque ætatis regibus, eorumque tam militaribus, quam civilibus magistratibus, denique omnibus quacumque potestate præditis, & oppidatim populorum præsidibus, vicit Dei verbum, quod sua natura opprimi se non patitur, invictumque permanet. Itaque tot adversariis perdomitis, Græciam totam subegit, majoremque partem Barbariæ, traduxitque ad pietatem innumeras animas . . . " Et infra. " Nec minus mirandum, quomodo disci-

CHRISTI An. 247.

discipulis ejus, non visa, ut obtrectatores Jesu dicunt, resurrectione, nec ullam ipsius divinitatem expertis, in mentem venerit, non timere talem exitum, qualis Præceptoris fuerat, intrepideque periculis se committere, patriisque relictis ex voluntate Jesu, vacare prædicationi verbi ab eo traditi. Arbitror enim, neminem, qui recte res examinet, dicturum, hos elegisse vitam vagam, prædicandæ Jesu doctrinæ gratia, absque vehementi fiducia, quam eis Magister indidit, non solum vivendi juxta suam disciplinam, verum etiam alios inflammandi ad vitæ rationem similem; cum talis esset rerum status, ut capitale periculum præsto esset audenti novare vulgo receptos ritus ubique Gentium, & omnes veterum opinionum tenaces infensos sibi reddere....

Exinde præcipuas de nativitate & vita Messiæ, de passione & morte ipsius prophetias refert, quas commendat ex antiquitate librorum Judaicorum, easque in Christo completas esse demonstrat; unde certo colligit, eum esse Dei Filium, a Deo Patre missum pro salute omnium. Sed & illud non omittendum; ubique Celsum ex variis vitæ Christi circumstantiis impugnare ejus divinitatem, atque irridere Christianos, qui eum ut Deum colerent & adorarent. Christum ut vere Deum a suis discipulis prædicari & coli fatetur Origenes. Hæc igitur fuit fides Christianorum a primis nascentis Ecclesiæ incunabulis, siquidem triginta annis post D. Joannis mortem scripsit Celsus; quo tempore id primo creditum dici non potest; contra tunc exorti sunt plures hæresiarchæ, qui Christi divinitatem negarunt, quos omnes proscripsit Ecclesia; quemadmodum manifestis documentis superius demonstravimus....

Ibid.

Denique Celsus Christi miracula utpote manifestiora cum negare non posset, magicis tribuebat artibus; quem sic confutat Origenes. " Nullus præstigiator per ea, quæ facit, ad morum correctionem spectatores invitat, neque timore Dei perculsos erudiunt id genus spectacula, neque circulator oculos coronæ pascens, suadet ita vivere, ut approbetur vita Deo judici. Nihil horum faciunt præstigiatores, quia non possunt, ac ne volunt quidem negotium habere cum corrigendis hominibus, ut qui ipsi referti sunt turpissimis sceleribus. Is vero qui miraculis suis ad morum correctionem inducebat spectatores eorum, quæ bene faciebat, merito credatur se ipsum exemplum præbuisse vitæ optimæ non solum germanis suis discipulis, sed cæteris quoque omnibus; ut & discipuli instituerentur ad docendos homines, quæ sit voluntas Dei; & reliqui potius Magistri verbis, & vita, quam miraculis docti quomodo oporteat vivere, nihil aliud spectent in factis suis, quam quomodo Deo placeant. Quod si talis erat Jesu vita, quis sanæ mentis conferat eum cum præstigiatorum proposito; ac non potius credat, juxta oracula, Deum esse conspectum in humano corpore, ut in nostrum genus exerceret beneficentiam. „ Idem confirmat ex indefectibilitate Christianæ religionis, quæ tot inter gravissimas persecutiones perseverat, imo & creverat facta numerosior. Cum contra humanæ sectæ & præstigiæ post aliquod tempus aboleantur.

Christus non est impostor.

Orig. l. 2. adv. Cels.

XXVI. In secundo libro respondet criminationibus, quæ Fidelibus e Judaismo conversis Celsus objiciebat. Et primo quidem cur legem majorum more non observarent? " Revera, inquit, introductio est ad Christianismum sacra Moysis Scriptura literæque propheticæ; & post eam introductionem, in harum expositione declarationeque consistit profectus quærentium revelationem mysterii ab æterno taciti, quæ reperitur in Prophetarum vocibus, de adventu Jesu Christi Domini nostri: sed non, sicut objicitur, in progressu contemnunt legis Scripturam, imo majorem honorem addunt ei, ostendentes quam profunda sapientia lateat in eis literis, nunquam a Judæis introspecta, in superficie tantum hærentibus; „ Mosaicæ Legis ceremoniæ & legalia erant figuræ futurorum bonorum, quæ secum attulit Messias; relictis itaque figuris, quæ adimpletæ sunt per Christum, sequimur veritatem quam significabant....

Ibid.

Isaiæ 6.

Secundo. Cur Judæi contempserint quem venturum tanto ante prædixerant eorum Prophetæ? " Non mirum, inquit, quandoquidem & illud prophetatum fuit ab Isaia. *Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere: excæca cor populi hujus .... donec desolentur civitates absque habitatore.* Et manifeste constat videntes Jesum non vidisse quisnam esset, audientesque illum non intellexisse ex ejus dictis divinitatem, quæ in ipso inerat, transferentem suam providentiam a Judæis ad conversos ad fidem ex Gentibus. Itaque videre licet post Jesu adventum Judæos derelictos omnino, nihilque retinentes rerum apud ipsos olim venerabilium, nec ullum divinæ præsentiæ vestigium. Nusquam enim apud eos jam Prophetæ sunt, nusquam miracula, quorum saltem reliquiæ tanto tempore apud Christianos durant, & quædam non exiguæ .... „ Præterea ostendit omnes Christi prædictiones esse opera completas, imprimisque hanc celeberrimam: *Prædicabitur Evangelium in universo mundo, in testimonium ipsis & Gentibus ....* " Omnem humanam naturam vicit sermo prædicatus cum potentia; nec est videre ullum genus hominum, a quo hæc doctrina recepta non sit. „ Hinc liquet quam late primis etiam sæculis diffusus fuerit Christianismus....

Judæorum obstinatio probat veritatem Evangelii.

Matt. 24.

Ibid.

Psal. 15.

Circa Christi resurrectionem docet eam a Propheta Regio fuisse prædictam: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* confirmatam frequentibus apparitionibus, in quibus Christus vulnerum cicatrices conservans, etiam se palpandum præbuit; illud autem, addit: " Perspicuum duxerim argumentum non fictæ resurrectionis quod a discipulis ejus desumitur, qui tanti discriminis disciplinæ se tradiderunt, tantaque constantia verbum prædicarunt; dum non modo alios ipsi ad mortis contemptum promptiores redderent; sed priores hanc ipsi subirent. „ Primorum Fidelium fidem circa Incarnationem sic exprimit: Unita est post dispensationem anima Jesu corpusque cum Verbo Dei.

XXVII. Origenes in tertio libro accusationes, quas adversus omnes Christianos intentat Celsus, diluit. Ostendit primo Christianos a Judæis non defecisse per seditionem; alioquin " non admisissent tam mansuetas leges, quæ præberent inimicis facultatem trucidandi se tanquam pecora, non repugnantia; quas quia servaverunt, plus consecuti sunt, quam si accepissent hostibus resistendi licentiam: nimirum Deo propugnante, & opportunis temporibus cohibente persecutores Christiani nominis. Ut enim commonerentur, aspiciebant paucos pietatis athletas probatiores fieri, ut vero mortem contemnerent, pauci per intervalla temporum, & facile numerabiles pro religione Christiana sunt mortui, Deo vetante ne in totum exscinderetur hoc genus hominum. Subsistere enim id voluit, & omnes terras repleri salutari hac piaque doctrina; e diverso ut infirmiores respirarent a mortis metu atque sollicitudine, Deus prospexit Fidelibus, nutu solo dissipatis cunctis adversariorum conatibus, ut neque Reges, neque provinciarum Præsides, neque populi possent exasperari contra eos amplius. „ Hæc ante Decii persecutionem imperante Philippo scripsit Origenes; florebatque maxime Christiana religio, quam, ut ibidem affirmat, divites honorati, nobilesque mulieres profitebantur. Deinde pauci dicuntur occisi, quia multos plures servavit divina providentia. Celsus nos contradictionis arguebat propter varias dissidentium Christianorum factiones seu hæreses, cui respondet: " Nullam unquam extitisse rem magnæ existimationis, & communi vitæ utilem, quæ non in varias sectas dissecta sit „ idque confirmat exemplo Medicorum & Philosophorum, quorum tot essent sectæ. " Eodem modo quia Christiana religio magnum quiddam & venerabile visa est hominibus .... necessario exortæ sunt sectæ, dum aliqui diversimode Scripturas interpretantur: at neque medicinam sanæ mentis homo fugiat propter sectarum differentias, & parum honeste faciat, si quis simili de causa abhorreat a Philosophia .... quod si hæc non absurde a nobis dicta sunt; an non pari jure etiam Christianorum sectas excusare licet? De quibus miranda mihi videtur Pauli sententia dicentis: „ *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis ....*

1. ad Cor. 11.

Celsus aliquot viros ob sua in homines beneficia Jesu prætulerat. Origenes vero probat in iis nihil omnino fuisse divinum, aliquos dici posse tantum heroas, in aliis facile deprehendi adulationes hominum, dæmonumque præstigias. Jesum vero Angelorum & Prophetarum testimoniis comprobatum, miraculis clarescentem,

CHRISTI AN. 247.

Ibid.

" Ad cujus nomen invocatum fiunt sanationes, dæmonesque coguntur cedere ex infessis semel corporibus, fuit utile humano generi excipere, ut Dei Filium venientem in humana anima & corpore .... Et Deus, qui eum miserat, frustratus dæmonum insidias, effecit ut per universum Orbem ad convertendos corrigendosque homines prævaleret ejus Evangelium, & ubique instruerentur Ecclesiæ, eum ratione vivendi contraria superstitiosorum, intemperantium & injustorum congregationibus; „ idque confirmat ex sanctis Christianorum moribus. Quod argumentum si nunc minus efficax; ideo quia refrixit charitas .... addit de sacris Scriptoribus: " Opinor autem & Jesum ideo voluisse uti talibus dogmatum suorum doctoribus, ne quem locum haberet suspicio, quasi artibus essent instructi Sophisticis: sed evidenter intelligi posset, nihil fuci latuisse in animo tanta simplicitate scribentium; ac proinde dignorum quibus scribentibus adesset divinus Spiritus, multo efficacior quam sint illæ Græcorum artes, dicendi copia, elocutionis ornamenta. „

Ibid.

Philosophos deinde probat Christianorum doctoribus esse longa inferiores: " Philosophi, inquit, pro palam apud vulgus hominum disserentes, non sunt curiosi in discernendis auditoribus, sed promiscue, qui vult, astat, & auscultat: pauci tantum Cynici sermonibus plebeculam ineruditam instituunt. Videamus an non Christiani longe melius plebejam multitudinem ad honestatem provocent? .... Quantum possunt, prærxaminant animos audire se cupientium; ac primo privatim mitigatos, priusquam in cœtum recipiantur; ubi videntur eo profecisse, ut honestæ vitæ sint cupidi, tum demum introducunt, distinctis ordinibus, altero recens admissorum, necdum assecutorum lustrationis symbolum; altero eorum, qui, quantum in se est, demonstrant sibi propositum esse, nil aliud nisi cum Christianis velle & sentire; inter quos nonnulli præpositi sunt, qui in vitam & mores eorum, qui admittuntur, inquirant, ut non concessa facientes candidatos religionis arceant a suis conventibus: cæteros horum dissimiles excipiant ex animo, & quotidianis accessibus meliores faciant. „ Eo triplex Catechumenorum ordo: primus audientium, qui audiebant primas instructiones adversus Paganismum & Judaismum: secundus eorum, quibus post aliquod tempus concedebatur postulare Baptismum: & tunc dicebantur competentes, quasi simul petentes: tertius electorum, quorum mores erant magis probati, ideoque eligebantur ad baptismum, quo accepto vocabantur illuminati.

Christiani quomodo erudiebantur.

Ibid.

Pergit Origenes. " Jam erga peccantes quam severa est disciplina, præcipue contaminatos libidine, quos a sua communione rejiciunt nostri.... atque ut perditos Deoque mortuos lugent eos: ac rursum resipiscentes, haud secus quam redivivos recipiunt, post longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem discendam admitterentur, ea tamen conditione, ut, quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab orationibus, dignitatibus, & magistratibus ecclesiasticis. „ Hæc fuit eorum disciplina temporum: " Nos, quantum possumus, operam damus modis omnibus ut conventus noster constet ex hominibus prudentibus: & quidquid habemus egregium atque divinum, tum demum in popularibus sermonibus promimus in medium, cum præsto est auditorum cordatorum copia: alioquin profundiores sensus celamus, & silentio prætermus in cœtu eorum, qui opus habent lacte, ut vocamus per tropologiam; sic enim Paulus scribens Corinthiis, nondum purgatis a moribus Græcanicis; „ *Lac vobis præbui, non cibum, quem nondum ferebatis.* „ Itaque id observabant Patres antiquiores, ut in exponendis publice sacris Scripturis, quosdam textus sic explicarent allegorice, ut seorsum literalem non excluderent, sed tacerent propter auditores minus idoneos, quibus si evulgassent mysteria, prodidissent. Injuste igitur nobis hos textus objiciunt hæretici, quasi rejecta literali explicatione, Patres solam retinuissent tropologicam.

1. ad Cor. 3.

Orig. l. 4. adv. Cels.

XXVIII. Difficiles circa mysterium Incarnationis quæstiones explicat in prima parte quarti libri, atque dissolvit. Si Deus descendat ad homines, inquiebat Celsus, ut mutetur opus est. Respondet Origenes, " Nos e sacris Literis Deum immutabilem esse discimus.... Isti autem non potuerunt clare cognoscere Dei naturam, quod sit omnino incorruptibilis, simplex, non compositus, nec divisibilis. Id autem

Deus Verbum Incarnatum non mutatur.

quod ad homines descendit, erat in forma Dei, & propter amorem humani generis seipsum exinanivit, ut posset conspici ab hominibus, absque ulla tamen mutatione boni in malum; peccatum enim non fecit: nec ex felicitate decidit in miseriam, sed quamvis humiliatus, nihilominus beatus erat, etiam cum maxime propter utilitatem humani generis se dimitteret .... Et quamvis medicus inspectans molesta, & contrectans insuavia, ut ægrotos sanitati restituat; non adeo tutus est, quin possit in eadem incidere: animarum vero nostrarum sauciarum curator per Verbum Dei, quod ipse est, nihil malorum in se admittere poterat. Quod si Verbum Deus immortalis, quia corpus mortale animamque humanam assumpserit, Celso idcirco immutari videatur; discat Verbum manere Verbum, sua substantia, nec pati eorum quidquam quæ corpus, aut anima patitur; condescendere tamen interdum non valentibus claritatem ac splendorem Deitatis obtueri, & velut carnem loqui corporaliter tantisper, dum auditor paulatim per verbum factus sublimior possit etiam illam pristinam, ut ita nominem, formam ejus contemplari .... Hanc autem dispensationem factam dicimus pro animabus inimicis, morbo & naturalis rationis defectu laborantibus, ut reconciliatæ Deo amicæ fierent; nam manifeste dicitur Jesus omnia pertulisse pro peccatoribus .... „ Et inferius: " Nunc pro omnibus, qui usquam sunt peccatoribus, ut relictis peccatis credant sese Deo, & ut maxima tollat peccata, advenisse prædicatur Jesus, qui juxta idioma gentis, in qua natus est, Dei Christus esse dicitur: „ Ac proinde quantum est in ipso Christo nullus ab ejus redemptione excluditur.

CHRISTI AN. 247.

1. Pet. 2. 2 ad Cor. 5.

ad Hebr. 2.

In secunda parte ejusdem libri sanctitatem Mosaicæ legis & antiquitatem a Celsi calumniis vindicat, ostenditque Moysem Græcis scriptoribus longe antiquiorem, a quibus proinde nihil mutuatus est; sed ipsimet Græci ab eo multa didicere, quæ non intelligentes adulterarunt: eorumque placita carpit. Hic vero de mortuorum resurrectione sic Catholice disserit: " Quapropter credentes resurrectionem mortuorum, dicimus mutari qualitates corporum: quia seminata in corruptione surgunt in incorruptione; & seminata in ignominia surgunt in gloria; & seminata in infirmitate surgunt in potentia; & seminata corpora animalia surgunt spiritualia. " Subjecta enim materia recipit qualitates qualcumque vult opifex.

Ibid.

XXIX. Quintus liber opinionum Celsi circa veram religionem confutationem continet, egregiamque Mosaicæ Legis defensionem, observatque, Celsum hæreticorum fabulas adscribere Christianis. In sexto demonstrat Christianam religionem omni Philosophia longe præstantiorem, quamvis aliquid veritatis tetigerint Philosophi. Criminabatur Celsus Scripturarum nostrarum in eloquendo simplicitatem: " Quam inquit Origenes, ad se collatam splendor cultioris orationis obscurare videtur: cum Prophetæ nostri & ipse Jesus, ejusque Apostoli attenti fuerint potissimum ad orationis modum non solum veracissimum, sed etiam ad attrahendam multitudinem maxime commodum; ut singuli tandem conversi & attracti pro virili percipiant arcana sub sermonis simplicitate latentia. Imo si verum fateri licet, paucis proficit, si tamen proficit, Platonis & similium exculta oratio; multo autem pluribus ista simplicitas hominum, tam stylo, quam doctrina ad captum vulgarem se attemperantium .... Præterea, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei; nos docet divinus sermo, non sufficere id quod dicitur, etsi verum in se sit, ad hominis animum expugnandum, nisi virtus quædam dicenti divinitus detur, & in dictis efflorescat donum & gratia; .... Itaque, ut demus quædam placita nobis esse cum Græcis communia, certe illorum oratio non tantumdem valet ad animas afficiendas. Quo factum est, ut rudes, quantum ad Græcam Philosophiam attinet, Jesu discipuli, peragrando multas Orbis nationes, afficerent eas pro dignitate auditoris cujusque; sicut visum est verbo Dei. „ Philosophi vero, qui ex creaturis cognovere verum Deum, evanuerunt in cogitationibus, & stulti facti sunt, adorantes inania simulacra etiam brutorum animalium .... " Quapropter eruditis Græcorum sapientibus errantibus in opinione divinitatis; quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes .... Cæterum sacræ Scripturæ simplex oratio

Orig. l. 5. & 6. adv. Cels.

Scripturarum simplicitas valde utilis.

ad Rom. 1.

CHRISTI AN. 247.

tio germanum lectorem numine quodam afflatum corripit, quippe qui habet apud se lumen illud, quod in parabola quinque prudentes virgines in lampadibus suis alunt oleo. „ Demum ostendit, Ecclesiam habere viros excellenter doctos, qui a carnali ad divinam ascenderunt sapientiam....

Ibid.

Inferius hæc docet de Ecclesia: " Dicimus ex authoritate Scripturæ, corpori Christi, quod est Ecclesia Dei, pro anima esse Dei Filium, membra autem universi corporis esse quoscumque fideles. Quoniam sicut anima vivificat & movet corpus, quod ex seipso vivum motum non habet; ita Verbum illud mira energia corpus suum incitans ad ea, quæ debet facere, movet simul membra Ecclesiæ singula, nihil sine ratione faciens. „ His omnibus gratiæ interioris vim & necessitatem satis astruit Origenes. Celso quærenti quomodo mala Deus fecerit? Respondet: " Sane juxta morem Scripturæ loquendo proprie bona sunt virtutes, &, quæ ab eis proficiscuntur, operationes: sicut proprie mala his contraria ...., Nam declina a malo, & fac bonum, non dicitur de corporis bonis; ut a quibusdam nominantur, neo de externis; sed de bonis malisve animi. Et qui ejusmodi bona facit veræ vitæ desiderio, consequetur eam ductus amore dies videndi bonos, quibus pro sole est Verbum justitiæ, & ad eos perveniet ope divina liberatus ab hoc præsenti sæculo malo,... Inveniuntur tamen abusive & corporis & externa bona dici, quæ ad hanc naturalem vitam conferunt, mala vero contraria. Sic enim Job uxori suæ loquitur: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Et Isaiæ 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*: & multos sacræ Scripturæ lectores hæc turbarunt; quod non valerent perspicere, quid significetur bonorum malorumque appellatione ...., Nos dicimus, quod malum, hoc est, peccatum, ejusque opera Deus non fecit: alioquin quomodo consisteret prædicatio futuri judicii, in quo mali pro ratione maleficiorum pœnas persoluturi sunt; virtutis autem sectatores jam beati fruentur destinatis a Deo præmiis .... Itaque mala, si intelligantur proprie, Deus non fecit .... Quod si quis de externis, & ad corpus pertinentibus loquatur, quæ abusive mala dicuntur; concedemus hæc interdum a Deo fieri ad aliquorum conversionem. Quid enim hoc absurdum est? ..... Condit enim mala corporis & externa, repurgans & castigans eos, qui nolunt verbis castigari sanaque doctrina. „

Deus est author mali pœnæ, non culpæ.

Job. 2.

In sequentibus quæstionibus Celsus multa de Deo parum accurate dicit, imprimis de modo, quo ad ejus notitiam pervenimus: hunc sic emendat Origenes: " Quapropter si nos Celsus interrogaverit, quomodo putemus nos cognoscere Deum, & per illum salutem acquirere? Respondebimus, idoneum esse Dei Verbum, ut Patrem revelet, qui cerni non potest, nisi per præcedentem adventum Filii. Quis enim alius valeat salvare, & ad Deum Optimum Maximum humanam animam adducere, quam Deus Verbum? Qui cum in principio apud Deum esset, propter carni cohærentes & carnales caro factus est, ut caperetur ab eis, a quibus alioqui ne videri quidem poterat, in quantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat. Nunc corporaliter loquens, & ut caro se præbens, ad se vocat omnes carneos, ut eos primum formatos juxta Verbum, quod caro factum est, deinde ad contemplationem sui ipsius provehat, cernaturque ab ais, quid ante carnem sumptam fuerat: ut per carnem ejus introducti ad sublimiora, dicant illud Apostolicum: *Etsi Christum aliquando secundum carnem novimus, nunc certe non amplius sic eum novimus*. Itaque caro factus est, & factus caro habitavit in nobis, cum non esset nobis extraneus. Postquam autem habitavit, & conversatus est nobiscum, non retinuit formam pristinam, sed subductis nobis in rationalem montem excelsum ostendit formam suam gloriosam ... Quæ quisque contemplatus est, potest dicere „ *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre: plenum gratia & veritate.*

Christi divinitas.

2. ad Cor. 5.

Joan. 1.

Orig. l. 7. adv. Cels.

XXX. Christum a Prophetis fuisse prænuntiatum negabat Celsus, Christianis errores Marcionis adscribens. Secundo prophetiis opponebat oracula Gentilium; demum Prophetias esse obscuras, ambiguas, Deoque parum dignas contendebat. Ejus rationes in septimo libro expendit & refellit Origenes. Primum Celsi argumentum contemnit ut absurdum: Christiani enim eumdem cum Judæis Deum colunt, damnantque figmenta Marcionis. Quantum ad oracula Pythiæ, & Ammonis observat ea non reddi per virum sapientem, sed per mulierculam, nequidem virginem, sed vulgarem, cui modo impurissimo scilicet per partes inferiores communicetur spiritus vatidicus. Secundo. " Quotiescumque illa inflata Phœbo prophetare creditur, extra se rapta, & velut magicis artibus furiata, ipsa quid agat non intelligit. „ Ejusmodi oraculis nihil contineri, quod valeat ad meliorem frugem & mores emendatiores. Unde concludit non opus esse divini Spiritus, sed immundi, " & similis huic dæmonum generi, quod solis precibus ex obsessorum corporibus ejiciunt non pauci Christiani. „

CHRISTI AN. 247.

" Econtra Judæorum Prophetæ divino Spiritu inspirati prophetaverunt, hac ipsa functione sapientes redditi: alii eorum oraculis illustrati animam, similes eorum facti sunt, electi per divinam providentiam, quibus crederentur sancti Spiritus eloquia, propter incomparabilem vitæ integritatem, fortitudinem, libertatem, & contemptum mortis periculorumque omnium. Tales enim Verbum elegit Prophetas Dei Maximi, qui de Jesu Christo prædixerunt. Quæ quidem causa est, ut nihili pendamus Pythia, Dodonæa, Claria, Branchidarum, Ammonisque oracula, & si qua celebrantur alia; solaque miremur Judaica; videntes horum fortem, constantem, honestamque vitam dignam fuisse, ut in animis eorum miro quodam modo divinus Spiritus vaticinaretur, qui cum dæmonum divinationibus nihil haberet similitudinis .... Prophetiarum authores scriptis eas tradiderunt asservandas posteris; ut lectores admirarentur tanquam divina oracula, & proficerent non tantum ex reprehensionibus & admonitionibus, verum etiam ex prædicationibus, & ex earum eventu agnoscentes divinum Spiritum propheticum, juxta pietatis doctrinam se exercerent obediendo Legi & Prophetis. Ipsi Prophetæ, quidquid erat opus mox ab auditoribus intelligi, & quidquid ad corrigendos mores faciebat, absque ullis involucris proposuerunt eis, ut Deus voluit; quidquid autem arcanum erat, & dispiciendum amplius, ut vulgari captu sublimius, id figuris obscurioribus convelaverunt .... „

Prophetiarum veritas.

Ibid.

Gratiæ necessitatem, de qua nonnumquam parum accurate loquitur, astruere videtur in sequentibus: " Nos dicimus, inquit, non esse sufficientem humanam naturam ad quomodocumque quærendum Deum, nedumque pure inveniendum, ni adjuvetur ab ipso, qui quæritur: qui invenitur fatentibus, præter suum conatum „ opus se habere ipsius auxilio, ostendentis se his, quos hoc honore dignatur, quatenus vel natura Dei potest innotescere homini, vel hominis anima valet in corpore manens Deum cognoscere .... „ Dehinc irridet Philosophos, qui post egregias de Deo disputationes, adorabant statuas. Et infra iisdem exprobrat flagitia, quibus se commaculant, & subjicit de Christianis: " Homines autem idiotæ, & ab iis pro nihilo habiti, ut stulti & illiberales, si modo committant se in fidem Dei, & doctrinam Jesu recipiant, tantum absunt ab omni lascivia, spurcitia, turpitudine libidinum, ut in morem perfectorum sacerdotum ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum caste pureque vivant, alieni a congressu mulierum etiam legitimo. „ Christiani sacerdotes igitur etiam tum perfecte continentes matrimonia non contrahebant. " Et apud Athenienses quidem unicus Pontifex, ne ipse quidem satis sibi fidens, quod imperare possit masculis cupiditatibus, cicuta oblitis virilibus potatur satis idoneus ad caste obeundas ejus civitatis solemnes cæremonias. At apud Christianos non desunt viri, quibus cicuta ad hoc nihil opus est, ut Deo caste serviant; sed pro cicuta eis verbum Dei sufficit ad expellendas a cogitatione omnes concupiscentias, & vacandum precationibus. Aliis quoque diis sunt paucæ virgines, quæ videntur perseverare in castitate religionis gratia: verum apud Christianos non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas, viget virginitatis studium; & ubi primum statuerunt Deum habere in notitia, conservantur a Deo in hac mente laudabili, & pietatis officiis. „

Ibid.

Gratiæ necessitas.

Continentia semper floruit in Ecclesia.

Vide textum Græcum.

Christianos credere conjunctam esse cum peccato hominum originem Celsus imperfecte viderat, quem corrigens Origenes subjicit. " Prophetæ autem subindicantes hanc de generationis negotio sapien-

Ibid.

Originale peccatum.

CHRISTI AN. 247.

Vide Græcum textum. Psal. 50. & 57. Gen. 3.

sapientiam, sacrificium pro peccato afferri etiam pro recens genitis ut non mundis a peccato. Dicunt etiam illud, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; & quod *peccatores alienati sunt a vulva*. „ Et paulo superius dixerat :“ Illa execratio, *maledicta terra in operibus tuis*, ad totam terram pertinet, ex qua in laboribus edit omnis homo in Adamo mortuus ..... Et omnis terra, ut maledicta spinas ac tribulos producit omnibus diebus vitæ cujuscumque in Adamo ejecti e paradiso. „ Hic videtur agnoscere originale peccatum.

XXXI. Origenes in ultimo libro reddit rationem, cur dæmones seu spiritus non colant Christiani, sed unicum Deum supremum; quippe solus est vere Deus: alii vero hunc honorem habent ab ignorantia ruditateque hominum errantium. Ibidem communionis Paschalis sic meminit: “ Quisquis item cogitat, Pascha nostrum immolatum esse, celebrandumque hoc festum edendo carnem Verbi, numquam non Pascha facit. „ Hæc pauca ex libris adversus Celsum annotasse sufficit, ut tanti viri vis ingenii & eloquentia manifestetur simul & veritas Ecclesiastica.

Eus. hist. l. 6. c. 37.

XXXII. Hæreticos quosdam, qui in Arabia dogmatis cujusdam a veritate prorsus alieni auctores extiterunt, non minore laude debellavit. Asserebant enim, hominum animas in præsenti quidem sæculo una cum corporibus interire atque corrumpi: rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam esse redituras. Convocato igitur ob eam causam non exiguo concilio, iterum rogatus etiam illuc Origenes, cum disputationem de quæstione illa coram omni multitudine instituisset, tanto robore decertavit, ut qui prius in errorem lapsi fuerant, sententiam mutarent.

Ibid. cap. 38.

Alius quoque tunc temporis error exortus est, Helcesaitarum scilicet hæresis; quæ quidem simul nata, simul extincta est.

Orig. hom. in Psal. 82.

Hanc sic exponit Origenes: “ Quidam, inquit, nuper advenit de se ipse magnifice sentiens, utpote qui impiam & nefariam Helcesaitarum opinionem, quæ adversus Ecclesiam recens exorta est, possit defendere ... Ex universo Scripturæ sacræ canone quædam rejicit, quibusdam vero utitur testimoniis, tum ex Vetere Instrumento, tum ex Evangelio. Paulum quidem Apostolum integrum repudiat. Docet præterea, indifferentem rem esse abnegare Christum: & eum qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia. Librum etiam proferunt, quem e cœlo delapsum affirmant, eosque, qui auscultaverint illi & crediderint, peccatorum veniam consecuturos, & quidem diversam ab illa peccatorum remissione, quam Jesus Christus impertit. „ Hæc hæresis in parte dogmatis convenit cum errore Elxæi, qui vixit Trajani temporibus.

Hier. de script. Eccl. *D. Cypriani initia.* Lact. l. 5. cap. 2.

XXXIII. Origeni suppar facundia, sed sanctitate superior, Christianæ Fidei tunc nomen dedit Cyprianus. Carthagine ex infidelibus parentibus, liberalibusque disciplinis eruditus gloriose docuit Rhetoricam. Erat ingenio facili, copioso, suavi, &, quæ sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Pontius ejus in episcopatu diaconus, exiliique comes individuus egregium volumen ejus vitæ & passionis reliquit, sed scriptum stylo Panegyrico; illius initia neglexit.

Pont. in ejus vit.

Cæcilius vir laudabilis memoriæ, & ætate & honore presbyter eum ad agnitionem veræ divinitatis a sæculari errore correxit, cum prius idololatriæ assertor fuisset: unde quasi in familiam divini senis assumptus prænomen Cæcilii postea sortitus est, & post diligentem institutionem, Carthagine sacrum Baptisma suscepit; ut ipsemet scribit ad Clerum Carthaginensem: Ubi mihi aut melius possit esse, aut lætius, quam illic, ubi me Deus & credere voluit & crescere?

Cypr. epist. 36. nov. edit.

Cypr. epist. ad Donat.

XXXIV. Christianus factus, mutatus est in alium virum, ut ipse testatur scribens ad Donatum; “ Postquam, inquit, undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe deterfa, in expiatum pectus, & purum, desuper lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa. „ Reipsa dicta factis superavit.

Pont. ibid.

Inter fidei suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur: tunc enim posse idoneum fieri pectus, & sensim ad plenam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto & integro sanctimoniæ vigore calcaret. Deinde, quod majus est, cum de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset; statim rapuit quod invenit promerendo domino profuturum. Distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandam, tota prædia pretio dispensans, duo bona simul conjunxit, ut & ambitionem sæculi sperneret, qua perniciosius nihil est, & misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit: & propterea velocitate pietatis, pene cœpit ante perfectus esse, quam disceret. Cyprianus paulo post Baptismum epistolam ad Donatum amicum & in oratoria professione, & in baptismo socium scripsit: in ea baptismi, nec non & Christianæ religionis vim atque virtutem mire extollit, & stylo plane oratorio depingit. Adhuc plebejus scripsit & libellum de vanitate idolorum: cum tales libri Apologetici pro Christianis adversus Gentes a viris eruditis ad fidem conversis scribi solerent.

CHRISTI AN. 247. & 248.

Lact. l. 5. cap. 1. *Cyprianus fit diaconus & presbyter.*

XXXV. Ethnici, ubi primum certo norunt, a tanto patrono se esse desertos, gravissime id tulere; contra Fidelibus omnibus virtutum splendore tantum sui amorem injecit & benevolentiam, ut præter regulam Apostoli statim factus sit presbyter. Verisimile est prius suscepisse diaconatum. Pontius id innuit hisce verbis: Erat sane illi etiam de nobis, scilicet Diaconis, contubernium viri justi Cæcilii tunc presbyteri. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suscipiens, non jam ut amicum, sed tanquam novæ vitæ parentem. Denique ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito provocatus est, ut de sæculo excedens, morte jam proxima commendaret illi ut amico conjugem, ac liberos suos, quos ante sacros ordines susceperat: “ Jam pridem enim concilio episcoporum statutum erat, ne quis de clericis, & Dei ministris tutorem, vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, nonnisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. „

Cypr. epist. nov. edit. 1. edit. Pamel. 66. Pont. ib. *Cyprianus fit episcopus.*

XXXVI. Extincto post aliquot menses Donato Carthaginensi episcopo, judicio Dei & plebis favore ad officium sacerdotii & episcopatus gradum adhuc neophytus, &, ut putabatur, novellus electus est, anno ducentesimo quadragesimo octavo. Id præsentiens, humiliter secessit antiquioribus cedens, & indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret. Quo tunc ardore plebs æstuans fluctuabat? Obsederat fores domus, ad quam confugerat, copiosa fraternitas, & per omnes aditus sollicita charitas circuibat. Erat videre cæteros omnes suspensos anxio spiritu exspectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem. Quidam tamen illi restiterunt, imprimis quinque presbyteri, etiam ut vinceret. Quibus tamen quanta lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulsit, quam clementer ignovit, amicissimos eos & inter necessarios computans!

Pont. ib. *Cypriani mores.*

XXXVII. Cyprianus in tanta dignitate semper sui similis, nihil de prisca consuetudine mutavit; gravis vultus & lætus: nec severitas tristis, nec comitas nimia, sed admixta utrinque temperies; ut esset ambigere, vereri, an diligi plus mereretur: nisi quod vereri & diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus & ipse de medio. Non illum superbia sæcularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordiderat: quia & hoc vestitus genus a jactantia minus non est, quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas. Domus ejus patuit cuicumque venienti, nullus frustra imploravit ejus opem. Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non fecit.

Dionys. epist. ad Fab. Antioch. *Persecutio popularis.* Eus. hist. l. 6. c. 41.

XXXVIII. Anno ultimo Philippi Imperatoris, qui æquissimum se ac benignissimum erga Christianos præstitit, Alexandriæ mota est popularis persecutio, quæ plures fecit martyres. Eam sic refert Dionysius in epistola ad Fabium Antiochenum. Infaustus quidam Vates ac Poeta, quisquis ille fuit, commoverat atque incitaverat adversus Christianos Gentilium turbas ..... Primum itaque senem quemdam Metram nomine correptum impia verba proferre jubent. Quod cum ille abnueret, fustibus hominem verberantes, & acutis arundinibus vultum ejus

oculos-

CHRISTI AN. 248. & 250.

oculosque pungentes, deductum in suburbium lapidibus obruerunt. Post hæc fidelem qusmdam mulierem, Quintam nomine, ad idoli templum productam, illud adorare coegerunt. Quod cum illa aversaretur atque axsecraretur, constrictis pedibus eam per totius civitatis vicos aspero silice constratos rapientes, saxis illisam molaribus, flagria insuper verberantes, ad suburbium itidem abducunt, ibique lapidibus interficiunt. Omnes deinde uno impetu in domos Christianorum irruere cœperunt; & quos quisque sibi vicinos noverat, eos illico properantes agebant, spoliabant, ac diripiebant: ea quidem, quæ maxime pretiosa essent, in sinum congerentes: viliora autem & lignea quæque disjiciebant, ac per vias concremabant: captæ ab hostibus urbis speciem atque imaginem exhibentes. Fratres vero declinabant, & subducebant se fuga, ac direptionem bonorum suorum perinde ac illi, de quibus Paulus testificatus est, cum gaudio exceperunt. Nec eorum quisquam, quod equidem sciam, nisi fortassis unus aliquis in illorum manus incidens, hactenus quidem Deum negavit.

Apollonia martyr. Ibid.

Sed & admirandam illam provectæ jam ætatis virginem Apolloniam tunc comprehenderunt. Et maxillas quidem ejus verberantes, cunctos ei dentes excusserunt. Accenso autem extra urbem rogo, minabantur vivam se illam combusturos, nisi una cum ipsis impia verba pronuntiaret. At illa veniam deprecari paulisper visa, atque interim dimissa, celeriter in ignem insiliit, & conflagravit. Præterea

Serapio martyr.

Serapionem quemdam, cum in ædibus suis deprehendissent, acerbissimis tormentis excruciarunt, & membris omnibus confractum ex cœnaculo præcipitem dejecerunt. Porro nusquam, non per viam publicam, non per angiportus, incedere, aut noctu, aut interdiu nobis licebat: cum omnes ubique & assidue clamarent: quicumque impia illa verba proferre abnuisset, eum illico trahendum esse, & flammis ultricibus absumendum. Et hæc quidem diutissime viguerunt ad hunc modum. Secuta deinde seditio & bellum civile miseros excipiens, crudelitatem, qua in nostros grassati fuerant, in ipsos mutuo convertit. Ac nos paululum respiravimus, dum illorum cessaret furor.

Philippi mors. Zozim. l. 1. c. 21. Eutrop. lib. 10.

XXXIX. Romani Imperii limites invaserant Scytæ, adversus quos missus est Marius: hunc milites salutarunt Imperatorem; quod cum Romæ nuntiatum esset, Decius turbatum Imperatorem hortatus est, ne timeret, Marium brevi pœnas daturum, qui paulo post cæsus seditione militari, pœnas luit. Itaque Decium obsecrat Philippus, ut rebellium legionum, quæ in Pannonia erant, Imperium acciperet, animadverteretque in seditiosos. Milites, ut viderunt Decium ad eos mulctandos venire, periculum, quod imminebat, ut fugerent, Decio invito & reluctanti purpuram injiciunt, eumque cogunt acceptare Imperium: quibus auditis Philippus eum ingentibus copiis, ad opprimendum cum exercitu Decium, proficiscitur; qui ei occurrit circa fines Italiæ. Commisso prælio, complures a Philippi partibus ceciderunt. Ipse postea Veronæ a militibus cæsus est, mense Junio, & Romæ filius a Prætorianis. Ambo Philippi imperarunt annos quinque, & tres menses, & inter divos relati.

Pompon. Læt.

XL. Gneius Messius Quintus Decius, Bubali inferioris Pannoniæ urbe natus, a Senatu Augustus est appellatus anno ducentesimo quinquagesimo, suumque filium Decium fecit Cæsarem. Vir fuit manu strenuus, civilibusque instructus virtutibus; sed præ odio adversus Philippum persecutionem intulit Ecclesiæ. Hæc in visione divinitus sic ostensa est Cypriano. "Sedebat, inquit, pater-familias sedente sibi ad dextram juvene, qui juvenis anxius, & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu sustinens, mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur: & cum miraretur quid hoc esset ille qui vidit, dictum est ei; Juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari & dolere, quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio, ut a patre-familias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas vastitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum quod fuerat ostensum, ut dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis salutaria mandata non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, & minus armatos, & ad repugnandum minus cautos jactu retis nos operiret. Et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene dixerim dormientem, censura cœlestis erexit." Deinde sic describit mores Christianorum: "Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti, quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis cupiditatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis Fratribus subdolæ voluntates, ... jungere cum Infidelibus vinculum matrimonii... non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare: Præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere: Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia Fratribus non subvenire: habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere. Quid mirum igitur, si ad prima statim verba minantis inimici maximus Fratrum numerus fidem suam prodidit.

Ibid. Cypr. ep. 11. nov. edit. Pamel. edit. 8. *Persecutio revelata Cypriano.* CHRISTI AN. 250. Cypr. de Laps. *Causæ persecutionis.*

XLI. Decius statim initio sui principatus adversus Christianos promulgavit edictum, quod misit ad omnes Rectores provinciarum, sub gravissimis pœnis præcipiens, ut Christianos ad patrium idolorum cultum reducerent, etiam omni genere tormentorum; qui neglectis aliis negotiis, in eo toti erant, ut Christianos inquirerent atque punirent. Erant autem non in verborum duntaxat minis terrores, sed una cum his varius carnificinarum, & tormentorum apparatus, omnem afferebat concussionem, etiam ante periculum hominibus formidinem injicens; enses, ignis, bestiæ, scrobes, etiam instrumenta, quibus membra torquerentur, & ferreæ sellæ ignitæ, & ligna erecta, in quibus stantium corpora, dum intenderentur, terribilium unguium violentis admotionibus lacerarentur.... Magna erat omnium trepidatio, omnibus inter se suspectis: filius Græcorum errores amplectens, Fidelium parentum proditor; filii fidem amplexi pater infidelis erat accusator; frater eadem de causa naturam oppugnabat. . . . Hinc plenæ solitudines erant eorum, qui profugissent, vacua vero atque deserta ab habitatoribus domicilia. Carceres capere non poterant eorum multitudinem, qui propter fidem punirentur . . . . Non misericordia infantium, non honor canitiei, non virtutis verecundia in mentem veniebat insensis;. . . ne mulierum quidem naturali sexus infirmitati indulgebatur; sed una adversus omnes crudelitatis erat lex, eodem pœnæ modo, nullo discrimine sexus habito, subjiciens eum qui a simulacris esset alienus.

Gregor. Nyss. in vita Gr. Thaum. *Atrocitas persecutionis.*

Sed illud imprimis terribile & horrificum, quod tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis, tormenta, quæ ad coronam non facile dimittant, sed tamdiu torqueant, quamdiu dejiciant, nisi aliquis divina dignatione subtractus inter ipsa cruciamenta defecerit, adeptus gloriam non termino supplicii, sed velocitate moriendi. Subdolæ illius crudelitatis duplex exemplum refert Hieronymus. Perseverantem in fide martyrem, inter equuleos laminasque victorem Judex jussit melle perungi, & sub ardentissimo sole, ligatis manibus post tergum, resupinari, ne muscarum aculeis cederet. Alter florentem ætatem juvenem in amœnissimos hortos præcepit abduci, & super exstructum plumis lectum resupinari, blandis sericeo nexibus irretitum; cujus formosa meretrix collum strinxit amplexibus, ut libidinem excitaret: quem tormenta non vicerant, voluptas superabat; tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem exspuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.

Cypr. Ibid. Hier. in vita Pauli.

XLII. D. Dionysius in epistola ad Fabium Episcopum Antiochiæ, eorum, qui imperante Decio martyrium Alexandriæ subierunt, certamina refert hoc modo. Omnes certe mirum in modum exterriti sunt, ac multi quidem ex illustrioribus præ metu

Eus. hist. l. 6. c. 41. & 42.

tu

CHRISTI An. 250. tu statim occurrerunt. Alii qui rempublicam administrebant, ipsa actuum suorum necessitata pertrecti veniebant. Decuriones enim & magistratus convenire in curiam ex more, ibique edictum Imperatoris, quo omnes diis sacrificare jubebantur, dum recitaretur, stantes audire necesse habebant. Ita primi omnium statim post recitatum edictum diis sacrificarunt. Alii a notis & familiaribus adducebantur, & nominatim citati ad impura & profana sacrificia accedebant; nonnolli quidem pallidi ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis immolandi essent; adeo ut a circumstante multitudine deriderentur, quippe qui palam omnibus ostenderent, se tum ad moriendum, tum ad sacrificandum pusillo animo esse. Alii vero promptius ad aras accurrebant, audacter affirmantes, nunquam sa antea Christianos fuisse.... Cæteri partim alteruiros eorum, quos diximua, sequebantur: partim se in fugam dabant; partim comprehendebantur. Ex quibus nonnulli, cum usque ad vincula & custodiam progressi essent, quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent, prius tamen quam in judicium inducerentur, fidem ejurarunt. Nonnulli vero cum aliquamdiu tormenta sustinuissent, ad reliqua, quæ intentabantur, supplicia animos despouderunt.

Martyres. Ibid. Verum beati illi ac stabiles columnæ Domini, ab ipso confirmati, & fidei suæ robori congruentem, & es æquo respondantem vim atque constantiam nacti, admirabiles regni illius testes effecti sunt. Quorum Julianus, vir podagræ doloribus constrictus, qui nec stare poterat, nec incedere, una cum duobus aliis, qui ipsum portabant, adductus est. Horum alter statim negavit. Alter nomen Chronion, qui Eunus cognominabatur, nec non & senex ipse Julianus, cum Christum confessi essent, per universam urbem camelis insidentea, flagris sublimes verberati, tandem ardentissimo igne circumfusa totius populi multitudine consumpti sunt. Miles vero, qui ipsis, dum ad supplicium adducerentur, adstabat, & contumeliam inferentes propulerat, Besas nomine, conclamante adversus eum populo, in jus adductus est, ubi fortissimus Dei pugnator, cum in magno illo pro pietate certamine strenue se gessisset, securi percussus est. Alius item oriundus ex Lybia, & vocabulo & divina benedictione Macarius, id est, beatus, cum a Judice modis omnibus sollicitatus, ut Christum negaret, flecti numqnam potuisset, vivus combusitur. Post hos Epimachus & Alexander, cum post diuturnum carceris horrorem, in quo vincti permansetant, ferreos ungues, flagre, ac mille dolorum genere pertulissent, vivæ calcis incendio etiam ipsi colliquefacti perierunt. Eumdem cum ipsis exitum sortitæ sunt quatuor mulieres. Ammoniarium quidem virgo sanctissima, cum a Judice diutissime torta fuisset ingenti cum pertinacia, propterea quod palam prædixeret, nihil eorum, quæ Judex jusserat, prolaturam se esse, pollicitationem suam executioni mandans ad supplicium abducta est. Residuæ vero, Mercuria scilicet, anus imprimis veneranda, & Dionysia plurimorum quidem liberorum mater, sed quæ pignora sua minori quam Dominum charitate complexa est; & alia rursus Ammoniarium, cum Præfectum jam puderet eas ulterius incassum torquere, & a fœminis superari, gladio cæsæ sunt, nullis prius tormentis, scilicet flagellationi, subditæ; etenim earum princeps & antesignana Ammoniarium pro omnibus tormenta pertulerat.

Ibid. Heron etiam & Ater, & Isidorus Ægyptii, cumque illis Dioscorus puer annos circiter quindecim natus, Judici oblati sunt. Et cum Judex primum ante alios adolescentem Dioscorum partim sermonibus ut flexibilem decipere, partim tormentis ut mollem & tenerum cogere tentavisset; ille nec persuasionibus cessit, nec tormentis. Reliqui crudelissime verberati, cum cruciatus fortiter sustinuissent, igni etiam ipsi trediti sunt: Dioscorum vero, qui in omnium conspectu inclaruerat, & qui ad omnia interrogata sapientissime responderat, admiratus Judex dimisit, spatium se illi ad pœnitentiam concedere affirmans, ob ætatis infirmitatem. Et nunc nobiscum versatur divinus Dioscorus, in majus ac diuturnius certamen reservatus. Sed & Nemasion quidam, etiam ipse Ægyptius, primum quidem falso accusatus fuerat tanquam socius & contubernalis latronum; postea vero, cum apud centurionem hanc calumniam a se utique alienissimam depulisset, delatus quod Christianus esset, ad Præfectum vinctus adducitur: at ille nequissimus Judex, postquam eum duplo gravioribus, quam reliquos latrones, tormentis ac verberibus affecisset, inter latrones jussit incendi; & sic vir beatissimus similitudine Christi honoratus est. CHRISTI An. 250.

Porro universus simul militum manipulus, Amon scilicet, Zeno, Ptolomæus, & Ingenuus, cumque illis senex Theophilus ante prætorium stabant; & cum quidam ob Christianam religionem in judicium inductus, jam jamque negaturos Christum videretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu innuere, manus extendere, ac totius simul corporis motus gestusque edere cœperunt. Cumque omnium oculos in se convertissent, priusquam ab aliquo comprehenderentur; ipsi ad subsellium accurrentes, Christianos se esse professi sunt. Quo facto Præfectus & Assessores, qui in concilio aderant, metu perterriti sunt. Ac rei quidem ipsi ad ea quæ perpessuri erant promptissimi & confidentissimi cernebantur: judices autem ipsi contremiscebant. Isti igitur ex Prætorio ovantes processerunt, exultantes ob Fidei confessionem, cum Deus per ipsos gloriosissime triumpharet. Natalis horum martyrum in vetere Martyrologio Romano ponitur die XIII. Kalendas Januarias.

XLIII. Sed & alii complures per oppida & vi- Ib. c. 42.
cos a gentilibus discerpti sunt, ex quibus unum exempli gratia commemorabo. Ischyrion mercede conductus, procurator erat cujusdam Magistratum gerentis: hic ab eo, cujus rem procurabat, jussus idolis immolare, cum minime obtemperaret, primum injuria affectus est; postea, cum in eadem sententia perstaret, variis ab eodem vexatus est contumeliis: quæ omnia cum patienter sustineret, ille prægrandi sude correpta transfixum per media viscera hominem interfecit. Jam quid opus est commemorere multitudinem eorum, qui in montibus ac per solitudinem oberrantes, fame & siti, frigore ac morbis, & latronum, aut bestiarum incursu oppressi interiere? Ex quibus hi, qui supersunt incolumes, testes sunt electionis illorum atque victoriæ. Unicum duntaxat facinus ad declarandam rei veritatem hic adjiciam. Chæremon erat quidam grandævus, Nili urbis Episcopus. Hic una cum conjuge in Arabicum montem fuga delatus, non ulterius reversus est; & Fratres, quamvis accurate omnia perscrutati, nec ipsos post hac, nec ipsorum cadavere reperire potuerunt. Porro multi in Arabico illo monte a barbaris Saracenis capti, & in servitutem redacti sunt; ex quibus alii soluto ingenti pretio vix tandem redempti .... Et infra. Hi divini Martyres qui nunc assessores sunt Christi, & regni illius consortes, ac judicii participes una cum ipso judicaturi, dum hic apud nos essent, quosdam a Fratribus lapsos, & idolis sacrificasse convictos susceperunt, & conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicassent illam placere posse illi qui peccatoris mavult pœnitentiam, quam mortem, eos admiserunt, & collegerunt, atque in cœtum suum receperunt, & in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt. Quid ergo nobis, Fretres, de his suadetis? Quid nos agere debemus? Utrum sententiæ Martyrum accedemus, & rem ab illis judicatam, seu potius gratiam concessam tuebimur, & cum iis, quos illi miseratione prosecuti sunt, benigne agemus? An contra judicium illorum irritum faciemus? Martyres lapsis pœnitentibus privatam orationum communionem indulserant; an idcirco publicam in Ecclesia communionem orationum iisdem concedere debeat absque prævia satisfactione, consulit Dionysius: Sacramentorum autem communio nonnisi reconciliatis post longas pœnitentiæ moras impertiebatur. Sed de his inferius.

XLIV. Quæ autem Dionysio contigerunt, sic ipse Eus. hist.
narrat: ego coram Deo loquor, & ipse scit me ne- l. 6. c. 40.
quaquam mentiri. Nunquam mea sponte, nec sine & l. 7. c.
nutu Dei fugam inii: sed & prius, cum persecu- 11.
tionis edictum sub Decio propositum fuisset, Sabi- Dionys.
nus Frumentarium militem, qui me requireret, ep. adv.
eodem temporis momento misit. Atque ego qui- Germ.
dem quatriduo domi mansi, adventum exspectans Frumentarii. Ille vero omnia circumeundo perscrutabatur, vias, fluvios, agros, ut, ubi me occultari, aut qua transiturum esse suspicabatur, reperiret. Neque enim opinabatur me domi consistere, grassante adversus me persecutione. Vixque post diem quartum, cum Deus mihi ut alio migrarem præcepisset, ac præter opinionem

omni-

Christi An. 250.

Ibid.

omnium viam aperuisset; ego & famuli, multique ex Fratribus simul egressi sumus,......sed circa solis occasum una cum comitibus meis a militibus comprehensus, Taposirim perductus sum. Timotheus vero, Deo ita disponente, tum quidem non adfuit, nec comprehensus est; sed cum postea advenisset, domum vacuam reperit, & satellites, qui eam custodiebant.....

Ausugienti Timotheo agrestis quidam occurrens caussam festinationis percontatur. Ille rem, ut erat, exposuit. Rusticus re audita, (pergebat tunc forte ad nuptiale convivium) ingressus, rem discumbentibus Marentis narrat; qui confestim quasi signo dato omnes uno impetu consurrexerunt, & concito cursu in nos irruentes clamorem ediderunt. Continuo satellitibus, qui nos custodiebant, in fugam conversis, supervenientes, nos in grabatis jacentes deprehenderunt .... meque consurgere, & quam celerrime proficisci jusserunt. Tunc demum intelligens cujus rei gratia venissent, vociferari cœpi, rogans atque obtestans, ut abirent, nosque illic dimitterent .... vel mihi caput demerent. Hæc me vociferantem ut norunt ii qui mihi consortes, & participes omnium ærumnarum fuere, invitum surgere coegerunt. Ac me quidem ipse humi supinum abjeci. Illi vero pedibus manibusque comprehendentes, me trahere atque educere cœperunt. Sequebantur me Cajus, & Faustus, Petrus ac Paulus, qui me suscipientes, ex oppidulo exportarunt, ac deinde nudo impositum asino abduxerunt. Egoquidem nunc, & Petrus, & Cajus soli, reliquis Fratribus orbati, in deserto, & squallido quodam Libiæ loco conclusi sumus.

Dionys. Alexand. epist. ad Domit. & Didym.

Dionysius permansit in hoc exilio usque ad obitum Decii Imperatoris; & scripsit ad Domitium, & Dydimum. Hæc addit in sua epistola: In Urbe autem occultarunt se, ut Fratres clanculo invisant, Maximus, Dioscorus, Demetrius, & Lucius presbyteri; Faustinus enim, & Aquila, utpote in majori hominum luce positi, per Ægyptum vagantur; diaconi vero post illos qui morbo consumpti sunt, superstites, Faustus, Eusebius, Chæremon. Eusebius, inquam, quem jam Deus inde ab initio roboravit, impulitque, ut Confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet, utque consummatorum ac beatorum Martyrum cadavera non sine capitis sui periculo sepeliret. Nam in hunc usque diem non cessat Præfectus nostros, qui præsentiæ ipsius exhibentur, partim interficere crudelissime, partim tormentis dilaniare, partim squallore carceris, & vinculis macerare, interdicens, ne quis ad eos accedat, & perscrutans, num quis forte videatur accedere. Verumtamen Deus ex alacritate, & benignitate Fratrum solatium assidue præstat afflictis. Eusebius diaconus, postea Laodiceæ in Syria Episcopus est constitutus. Maximus vero presbyter post obitum Dionysii administrationem Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit. Faustus denique, qui tunc temporis confessionis titulo una cum Dionysio inclaruit, imperante Diocletiano grandævus jam pene decrepitus martyrium amputato capite consummavit.

Eus. hist. l. 6. c. 11.

XLV. In Palæstina autem Alexander Hierosolymorum Episcopus, rursus propter Christum ad tribunal Judicis adductus, cum ex secunda hac confessione magnam gloriam retulisset, Cæsareæ in carcerem conjectus est ..... Qui cum post præclaram atque illustrem Christianæ Fidei confessionem in præsidiali judicio editam, tandem in custodia animam exhalasset, Mazabanes in ejus locum Episcopus Hierosolymorum renuntiatus est. Eodem modo apud Antiochiam Episcopo Babyla post confessionem in vinculis mortuo, Fabius Ecclesiæ illi præficitur. Quæ autem, & quanta Origeni in ea persecutione acciderint .... vincula scilicet, & corporis cruciatus, & in intimo carceris recessu, ferrei torquis ærumnas, utque multorum dierum spatio pedes in nervo ad quatuor usque foraminum interstitia distenti fuerint: ad hæc ignium minas, & quæcumque alia ab inimicis illata fortiter sustinuit: & cujus modi tandem harum rerum exitus fuerit, Judice omni virium nisu ambitiose contendente ne illum interficeret: denique quos sermones post hæc, quamque utiles, iis qui consolatione indigent, reliquerit, plurimæ ejus epistolæ, inquit Eusebius, non minus vere, quam accurate commemorant: sed ad nos non pervenerunt.

Idem l. 6. c. 39.

Dionysius libellum de martyrio scripsit ad Origenem, laudans ejus in persecutione constantiam. Ex his certo colligimus cum Em. Cardinali Baronio, falsis rumoribus deceptum esse Epiphanium, cum scripsit, Origenem thus adolevisse idolis, ne ab Æthiope stuprum pateretur. Scriptores Epiphanio antiquiores, vel etiam suppares, sive defensores Origenis forent, sive inimici, illius lapsus non meminere, quem tamen non præteriissent, dum multo leviora defendunt, vel accusant. His adde; parum cohærere narrationem Epiphanii, qui id Alexandriæ contigisse memorat, ac proinde vivente Demetrio; siquidem illius Synodi decreto expulsus, numquam reversus est: & consequenter ante Decianam persecutionem, imperante Alexandro, vel Philippo, qui nullam moverunt persecutionem. Demetrius vero, qui longe minora publicavit de Origene, cui erat infensus, illud scelus non tacuisset. Suppositionis igitur argumentum est ejus silentium. Denique temporibus Decii usque ad Gallum floruisse Origenem ob severam vitæ disciplinam fatetur Epiphanius, qui hunc ejus lapsum referens ait; nonnullorum sermonibus jactari, nequaquam Origenem thus adolevisse, sed cum ejus digitis esset impositum, in subjectum aræ focum a gentilibus excussum fuisse. Hoc autem factum a culpa eximit Ancyrana Synodus: Qui fugientes, inquit, comprehensi sunt, aut in custodiam trusi, proclamarunt, se esse Christianos, & eo usque adstricti sunt, ut manus comprehendentes, violenter attraherent, & funestis sacrificiis admoverent,... & luctum rei, quæ contingit, incessabiliter ostendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ, hos velut extra delictum constitutos a communionis gratia non vetamus. De luctu Origenis, & pœnitentia consentit idem Epiphanius.

Hist. Patriarch. Alexand.

Christi An. 250.

Eus. hist. l. 6. c. 46.

Origenis lapsus fictitius.

Epiph. de mens. & pond. idem hær. 64.

Can. 3

XLVI. Gravis quoque Ecclesiæ Carthaginensi malorum incubuit cohors ex Deciana persecutione; atque, ut Alexandriæ, varius fuit Christianorum exitus. „ Plurimi non exspectaverunt, inquit Cyprianus, ut ascenderent apprehensi; aut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati: nec hoc sibi reliquerunt ut sacrificare idolis viderentur inviti; ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quid? illi, qui a magistratibus vespera urgente dilati sunt: quod ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt? At multis proprius interitus satis non fuit, hortamentis mutuis in exitium suum populus impulsus est: mors invicem lethali poculo propinata est.„ Respicit libamina Gentilium, de quibus D. Paulus dicit: *Non potestis calicem Domini bibere, & dæmoniorum.* “ Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti, amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. „ Amiserunt, inquit Augustinus,..... in eorum mente, & voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt, non in seipsis.

Cypr. de lapsis.

1. ad Cor. 10.

Aug. ep. 23. ad Bonif.

XLVII. Plerique exterioris idololatriæ periculum, & infamiam pretio redimebant; numerata magistratibus avaris pecunia, ut ab iis acciperent libellos securitatis, quibus se tuerentur adversus accusatores; unde dicti sunt Libellatici; sed in iis quoque nonnulla fuit diversitas. Aliquando Christianus sibi metuens, & familiæ, submittebat ethnicum, qui ejus personam induens sacrificaret, fidemque ejuraret, & libellum, sive chartam illius, quod egerat, certificatoriam, obtineret alterius nomine; qua, si forte in quæstionem vocari contigerit, delatores averteret, quasi legibus Imperatorum ab ipso fuerit satisfactum. Alii pretio ejusmodi libellum obtinebant, qui hæc ita gesta fuisse profitebatur. De his Libellaticis rectissime dicit Cyprianus: “ Nec sibi, quo minus agant pœnitentiam, blandiantur; qui, etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat abnuentis; fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit..... Christus enim in præceptis suis dicit: *Qui confusus me fuerit, ... confundetur eum Filius hominis.* Et Christianum se putat, qui Christianus esse confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut metuit? Minus plane peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi sanctitatem Fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc eo profecit, ut minor sit culpa, non ut innocens conscientia .... Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc,

Libellatici.

Cypr. de laps.

Marc. 8.

qui

qui deliquit, in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. „ En confessio, satisfactio, & absolutio sacramentalis. " Multi fuere modestius, ut sibi videbantur, mali. „ Quos sic errorem suum confitentes inducit Cyprianus: " Ego prius legeram, & Episcopo tractante, seu concionante, cognoveram, non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere; & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne, quod non licet, faciam. „ Is autem securitatem paciscebatur, accepto libello, qui eum sacrificando diis obtemperasse edictis Imperatorum testaretur, atque ita opportuno mendacio se protegebat. Ejusmodi Libellaticos publicæ pœnitentiæ fuisse subjectos affirmat Cyprianus. " Nunc autem, inquit, etiam iste, qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam; flet auditis nobis, & lamentatur ..... Quorum si pœnitentiam respuamus, habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in hæresim vel schisma (scilicet Felicissimi) rapiuntur. „ Nonnulli demum coram Præside, licet privatim, Christum ejurabant, accipiebantque testem sceleris sui schedulam; quorum crimen parum distabat ab aperta apostasia.

Cyprian. epist. 55. nov. edit. Pamel. 52.

Tantus lapsorum numerus fuit, ut Cyprianus testetur, a Martyribus, qui etiam plures fuere, lapsis dari quotidie libellorum millia. Paucorum præsenti supplicio se manifestavit divina ultio, quo cæteri corrigerentur. " Unus ex his, qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit .... Alia in balneis constituta, illic ab immundo spiritu correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impie, vel locuta .... nec diu superesse postmodum potuit; doloribus ventris, & viscerum cruciatu defecit. Præsente ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum, trepidi, minus sibi consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt; relictam nutrix detulit ad magistratum. Illi ei apud idolum, quo populus confluebat, panem mero mixtum, quod de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Ignoratione obreptum est, ut sacrificantibus nobis, eam secum mater inferret .... Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta est majestas. „ Parvulis igitur Eucharistia post sacrificium etiam sub una vini specie ministrabatur primis Ecclesiæ sæculis.

Cyprian. epist. 20. Pamel. 55.

Ultio divina in quosdam lapsos.

Cypr. de laps.

Communio sub una specie.

Ibid.

At vero ea, quæ ætate provecta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut venena quædam lethalia inter fauces, & pectus admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit, & pressuram jam non persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans, & tremens concidit .... Et cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere; Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. „ Itaque in more erat ut Eucharistiæ participes acceptam panis consecrati portionem, non solum inter sacrorum solemnia comederent, sed reservarent, domumque deferrent, ibique ante cibum sumerent, absque calicis participatione. Quod & sua ætate factum refert Tertullianus. Antiquissimam hanc esse consuetudinem affirmat Basilius. Illi omnes, inquit, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi non est copia sacerdotum, cum habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt.

Communio domestica.

Tert. de orat. cap. 14.

Basil. ep. ad Cæs.

Alexandriæ autem, & per Ægyptum, unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi suæ communionem.

XLVIII. D. Cyprianus sæpius ad leonem petitus in circo, & in amphiteatro, divinis monitis obsequens, Carthagine secessit, cum Victore Diacono suo; dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare: " Non tam, inquit, meam salutem, quam quietem Fratrum publicam cogitans, secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus provocaretur. „ Quamobrem cum non appareret, proscriptus est, edictumque pependit hisce verbis: Si quis tenet, vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani Episcopi Christianorum .... " Absens autem corpore, uti scribit ad Clerum Romanum, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui; quo minus, secundum Dei præcepta, fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem. Et quid egerim, loquuntur vobis epistolæ pro temporibus emissæ numero tredecim, quas ad vos transmisi: in quibus nec Clero consilium, nec Confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandum Dei misericordiam allocutio, & persuasio nostra defuit .... Postquam vero, & tormenta venerunt, sive jam tutis fratribus nostris, sive adhuc, ut torquerentur, inclusit, ad corroborandos, & confirmandos eos noster sermo penetravit. Item, cum comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam suam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna, & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine, atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; literas feci, quibus Martyres, & Confessores consilio meo, quantum possem, ad Dominica præcepta revocarem: Item Presbyteris, & Diaconibus non defuit sacerdotii vigor, ut quidam minus disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipsi, quantum potuimus, animos composuimus, & ut Ecclesiastica disciplina servaretur, instruximus. „ Præcipuarum ex his literis fragmenta describemus.

Pont. in ejus vit.

D. Cyprianus latens suorum curam gerit.

Cyprian. epist. 20. ad Cler. R. Pamel. 15.

XLIX. Et primo quidem statim post secessum ad Clerum suum dedit literas, in quibus sic eum hortatur: " Et quoniam mihi interesse nunc non permisit loci conditio, peto, vos pro fide, & religione vestra, fungamini illic, & vestris partibus, & meis; ut nihil vel ad disciplinam, vel ad diligentiam desit. Quantum autem ad sumptus suggerendos sive illis, qui gloriosa voce Deum confessi, in carcere sunt constituti: sive iis, qui pauperes, & indigentes laborant, & tamen in Domino perseverant, peto, nihil desit; cum summa omnis, quæ redacta est, illic sit apud Clericos distributa propter ejusmodi casus; ut haberent plures unde ad necessitates, & pressuras singulorum operari possint. „ Ex his patet summa Christianorum charitas. Alteram scripsit epistolam ad Sergium, & Rogatianum; aliusque Confessores, quibus gratulatur, quod digni habiti essent pro Christo contumeliam pati: hortatur, ut futurorum bonorum spe præsentia supplicia contemnant, " & sequantur in omnibus Rogatianum presbyterum gloriosum senem, viam nobis ad gloriam temporis nostri, religiosa virtute, & divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper, & sobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparavit, & metator quodammodo vester, nunc quoque vos antecedit; quod ut consummetur in vobis, assiduis orationibus Deum deprecamur. „ In sequenti pauperum, & peregrinorum curam iterum commendat; " Viduarum, inquit, & infirmorum, & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis; sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi: quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum Acoluthum aliam portionem, ut largius, & promptius circa laborantes fiat operatio. „ Ex his duabus epistolis intelligimus, Fidelium oblationes in tres partes fuisse divisas, quarum una Episcopo, secunda Clero cederet, tertia

Cyprian. epist. 5.

Cyprian. epist. 6. Pamel. 81.

Ejusd. 7. Pamel. 36.

Divisio bonorum ecclesiasticorum.

CHRISTI AN. 250. tertia distribueretur in pauperes: temporis decursu quarta adjecta est pro refectione templorum.

Greg. Nyss. in vit. Thaum. L. Neo-Cæsareæ D. Gregorius Thaumaturgus author fuit Ecclesiæ suæ terribilem illum impetum atque incursum fuga paulisper declinare; satius esse ducens, per fugam animas eorum servari, quam stantes in acie certaminum atque periculorum, Fidei fieri desertores. Ipse primus cum Diacono suo desertum collem occupat. Cum autem a Præside Maximo studiose quæreretur, divinitus servatus est. Fugæ locum ex cujusdam indicio didicerant insequutores; magno numero collis radices obsideant, ne possit effugere: alii montem subeunt. Jam appropinquabant ad locum, in quo manibus expansis orabat cum Diacono; dumeta, saxa, cavernas cum summa diligentia perscrutantur; inde ad suos reduces affirmant, neminem se vidisse præter duas arbores. Digressis scrutatoribus, subsistit qui detulerat indicium, atque utrumque vidit orantem: divina virtute factum esse judicans, ut persequentibus arbores esse viderentur, procumbens ad Gregorii pedes, credidit in Christum, propter quem & profugus factus est. Ibidem divina revelatione cognovit nobilem adolescentem nomine Troadium martyrii corona fuisse redimitum. Attonitus his auditis ejus Diaconus, ejus precibus se commendans, urbem repetit, martyriique veritatem comperit. Multi Fideles in aliis partibus comprehensi, ad urbem trahebantur, adeo ut carceres complerentur; & magistratus, omissis aliis negotiis publicis, toti erant in excruciandis Christianis. Alexander Carbonarius, quem Ecclesiæ Comanensi Gregorius præfecerat, martyr occubuit igne consumptus.

Acta Sync. mart. LI. Martianus Consularis, Christianæ legi inimicus, Achatium Melitiæ Episcopum ad se jussit adduci, quem scutum quoddam ac refugium Antiochenæ regionis audierat; eique dixit: Debes amare Principes nostros. Respondit Achatius: Et cui magis cordi est, vel a quo sic diligitur Imperator, quemadmodum ab hominibus Christianis? Assidua enim nobis est pro eo ac jugis oratio, ut prolixum ævum in hac luce conficiat, ac justa populos potestate moderetur, & pacatum maxime Imperii sui tempus accipiat. Deinde pro salute militum, & pro statu mundi & orbis. Martianus ait: Hæc & ipse collaudo: sed ut obsequium tuum plenius Imperator agnoscat, sacrificium illi solve nobiscum. Achatius dixit: Ego Dominum meum, qui est verus & magnus, pro salute Regis obtestor: sacrificium vero nec ille exigere, nec nos debemus exsolvere. Quis enim homini sacra persolvat? Martianus ait: cui Deo precem fundis? ut ipsi etiam nos sacra reddamus, nomen ejus mihi enuntia. Achatius dixit: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Martianus ait: Quis est iste? Respondit Achatius: Altissimus, Adonai, sedens super Cherubim & Seraphim. Martianus ait: Quæ te Philosophia vana decepit? Sperne invisibilia; potius deos veros, quos aspicis, recognosce. Respondit Achatius: Qui sunt dii, quibus sacrificare me præcipis? Martianus ait: Apollini Servatori nostro, famis & pestilentiæ depulsori. Achatius, recensitis Apollinis impuris amoribus, subjicit: Ipsi, qui cum Neptuno aliquando servivit; ipsi, qui aliena pecora servavit; huic me sacrificare præcipis? An adulteræ Veneri, an Æsculapio fulminato sacrificium impendam? ... Quorum facta nunc si quis admittat, num severitatem legis vestræ poterit effugere? Et modo in aliis colitis quæ in aliis vindicatis.

Ibid. Martianus ait: Christianorum consuetudo est, multa in deos nostros maledicta confingere ... Aut sacrifica, aut morere. Achatius ait... nihil formido, nihil timeo. Jus publicum punit scortatorem, adulterum, furem, corruptorem sexus virilis, maleficum & homicidam. Horum si reus sum, ante vocem tuam jam me ipse condemno: sin vero, eo quod Deum, qui est verus, colo, ducor ad pœnam; non legis, sed judicis voluntate condemnor..... Ideo te purgare non potes: ut judicas, sic judicaris. Martianus ait: Non sum jussus judicare, sed cogere... Unde si contempseris, certus esto de pœna. Respondit Achatius: Et mihi præceptum est, nequando Deum meum negem; si inservis homini fragili ... quanto magis ego potentissimo Deo obedire debeo, cujus virtus constat in sæcula, & cujus illud est

Matt. 10. dictum: *Qui me denegaverit coram hominibus, & ego denegabo eum coram Patre meo, qui est in cœlis.*

CHRISTI AN. 250. & 251. Martianus ait: Quod discere semper optabam, repente confessus es errorem vestræ persuasionis & Legis. Habet ergo, ut dicis, filium Deus? Respondit Achatius: Habet. Martianus ait: Quis est filius Dei? Respondit Achatius: Verbum veritatis & gratiæ.

Ibid. Martianus ait: Nomen explana .... S. Achatius respondit: Jesus Christus vocatur. Martianus ait: Ex qua uxore conceptus est? Respondit S. Achatius: Non hominum more Deus filium ex muliebri coitu genuit ... Filius Dei verbum veritatis ex Dei corde processit.... Martianus ait: Cataphryges aspice, homines religionis antiquæ, ad mea sacra conversos, reliquisse quæ fuerant, & nobiscum diis vota persolvere: & tu similiter parare festina, omnes Catholicæ legis collige Christianos, & cum his religionem nostri Imperatoris imitare. Veniat tecum omnis populus, qui ex tuo pendet arbitrio. Respondit Achatius: Illi omnes non meo nutu, sed Dei præcepto regantur. Audiant me itaque, si justa persuadeam; sin vero perversa & nocitura, contemnant.

Martianus ait: Omnium trade mihi nomina. Respondit Achatius: Nomina eorum cœlesti libro, & divinis paginis sunt annotata. Quomodo ergo oculi mortales aspicient quod immortalis virtus Dei & invisibilis annotavit? Martianus ait: Ubi sunt magi socii artis tuæ, vel doctores artificiosæ fallaciæ? Respondit Achatius: Nos omnia meruimus a Deo, & meremur; sectam vero magicæ artis horremus .... Timemus nos illum, non quem fabricamus, sed a quo fabricati sumus; qui nos creavit ut dominus, amavit ut pater, & æternæ morti, quasi bonus patronus, eripuit. Martianus ait: Da nomina, ne pœnæ ipse succumbas. Respondit Achatius: Ante tribunal ipse assisto, & nomen inquiris? An speras, quod multos valeas vincere, quem ego solus extinguo? Si cordi tuo nomina sunt, Achatius dicor; ... Et Piso Trojanorum Episcopus, & Menander Presbyter. Fac jam quod placet. „ Hi duo D. Achatii socii videntur. " Martianus ait: Recipieris in carcerem, ut Imperator gesta cognoscat, & ejus nutu, quid de te agi debeat, decernatur. Lectis itaque omnibus gestis, Decius Imperator altercationem jam redditæ responsionis admirans, versus in risum est; & Martiano præfecturam Pamphiliæ mox dedit; Achatium vero vehementer admirans, æstimationi propriæ, & Legi suæ reddidit.

LII. Romanum Martyrologium quinto Februarii sic meminit illustris virginis ac martyris. Catanæ in Sicilia natalis sanctæ Agathæ virginis & martyris, quæ temporibus Decii Imperatoris, sub Quinctiano Judice, post alapas, & carcerem, post equuleum & torsiones, post mamillarum abscissionem, post volutationem in testulis, & carbonibus, tandem in carcere Deum precando consummata est. Ejus martyrium Damasus Papa carmine celebravit. Eadem sæviente persecutione, Fabianus decimo tertio sui Pontificatus anno Romæ martyrium pertulit anno Christi ducentesimo quinquagesimo primo. Ejus sedes Cypr.
annum & amplius vacavit propter rerum & tempo- epist. 30.
rum difficultates. Post passionem Fabiani, Moyses & Pamel.
Maximus Presbyteri, & Nicostratus diaconus Romæ 31.
comprehensi sunt, & in carcerem missi: unaque cum iis, Urbanus, Sidonius, & Celerinus.

LIII. Clerus Romanus, audito secessu D. Cypriani, ad eum & ad ejus Clerum dedit literas. Prior ad Cyprianum desideratur: D. Fabiani Papæ agonis & martyrii circumstantiis continebat. Posterior ad Clerum Carthaginensem de secessu Cypriani, sic habet: " Didicimus, secessisse benedictum Papam
Cyprianum a Clementio subdiacono, qui a vobis Cypr.
ad nos venit, certa ex causa, quod utique recte epist. 8.
fecerit. Deinde hortatur: Caveant, ne pastores mer- Pamel. 3.
cenarii inveniantur, qui imminente periculo fugiunt; sed curam agant gregis etiam cum capitis periculo.„ Quod & se præstitisse testatur cum omni sollicitudine & periculo sæculari. Et infra: " Ascendentes ad hoc, quod compellebantur, scilicet ad sacrificandum, revocavimus: Ecclesia ista fortis est in Fide, licet quidam terrore ipso compulsi, sive quod essent insignes personæ, sive apprehensi timore hominum ruerunt: quos quidem separatos a nobis non derelinquimus, sed ipsos cohortati sumus, & hortamur agere pœnitentiam, si quo modo indulgentiam poterunt recipere ab eo qui potest præstare: ne, si relicti fuerint a nobis, pejores efficiantur. Videtis ergo, Fratres, quoniam & hoc

CHRISTI AN. 252. vos facere debetis, ut etiam illi, qui ceciderunt, hortatu vestro corrigentes animos eorum, si adprehensi fuerint, iterato confiteantur, ut possint priorem errorem corrigere. Et alia, quæ incumbunt vobis, etiam ipsa subdidimus: ut si qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint adprehendi infirmitate, & agant pœnitentiam facti sui, & desiderent communionem, Utique subveniri eis debet, sive viduæ, sive clinomeni, seu infirmi in lecto decumbentes, qui se exhibere non possunt, sive hi, qui in carceribus sunt, sive exclusi a sedibus suis, utique habere debent, qui eis ministrent. Sed & Cathecumeni adprehensi infirmitate, decepti esse non debebunt ut eis subveniatur per baptismum, Et, quod maximum est, corpora martyrum, aut cæterorum si non sepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus. „ Hic prima fit mentio

Subdiaconorum origo. subdiaconorum; quorum tamen ecclesiastica institutio non erat recens in Ecclesia Occidentali, ut ex Cornelii Papæ Epistola colligitur. Crescente Fidelium multitudine, cum jam diaconi pares esse non possent obeundis suis officiis, quæ minoris sunt momenti, commissa sunt subdiaconis, quorum ordo est

Can. 42. derivatio quædam diaconatus. In canonibus qui dicuntur Apostolorum, semel fit mentio Hypodiaconi. Hinc cum Cleri gradum etiam in Orientali Ecclesia antiquum esse colligimus.

Cypr. epist. 9. Pamel. 4. LIV. His literis respondit Cyprianus: “ Accepi a vobis literas ad me missas per Clementium Hypodiaconum, quibus plenissime de glorioso Fabiani exitu instruerer: & exultavi satis, quod, pro integritate administrationis ejus, consummatio quoque honesta processerit ..... Nam quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina Præpositi, in tantum econtra utile est & salutare, cum se Episcopus per firmamentum fidei Fratribus præbet imitandum. Legi etiam literas, in quibus nec qui scripserint, nec ad quos scriptum sit, significanter expressum est. „Quibus verbis notat scriptam ad suum Clerum Epistolam, qua ejus fuga indirecte perstringebatur: hanc remisit Romam quasi supposititiam. Epistolam suam agnovere Romani. Ea vero sic pupugit animum Cypriani, ut necesse sibi esse duxerit, literas ad eos facere, quibus & actus sui, & disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur: quod præstitit Epistola vigesima, cujus supra meminimus. Hanc Apologiam approbavit Clerus Romanus, ut constabit ex infra dicendis.

LV. Proconsul Africæ, quisquis ille fuit, venit Carthaginem, cujus adventu persecutio, hactenus per magistratus exercita, valde exacerbata est. Nam primo hoc potissimum tempore ad tormenta ventum est; & qui coram Proconsule Christianos se professi sunt, non jam extorres, seu exules fiebant, sed vel statim tormentis subjiciebantur, vel carceribus inclusi, ut mox torquerentur, vel morte crudelissima afficiebantur. Tunc Saturninus in pœna ungularum fortiter confessus est, & mox Romam petiit.

Decimo sexto Aprilis coram Proconsule cruciatus

Martyrolog. Rom. & alia. Mappalicus, & decimo septimo die martyrio coronatus est: plerique cum eo passi sunt, ut Martyrologia testantur, licet eorum memoria mense Februario celebretur. Post ejus martyrium statim literas ad

Mappalicus & ejus socii Mart. Confessores & ad Martyres gratulatorias dedit Cyprianus. Confessores dicti sunt, qui coram Judicibus interrogati, Christum professi erant; Martyres vero,

Cypr. epist. 10. Pamel. 9. qui Christum professi, & præterea, ut abnegarent, pœnam aliquam passi perseverabant. Omnium fortitudinem Christiano modo prædicat, eosque hortatur ad perseverantiam, exemplo Mappalici & sociorum ejus proposito. Hanc sic concludit: “ Quod si ante diem certaminis vestri de indulgentia Domini pax supervenerit, vobis tamen maneat voluntas integra, & conscientia gloriosa: nec contristetur aliquis ex vobis, quasi illis minor, qui ante vos tormenta perpessi, victo & calcato sæculo, ad Dominum glorioso itinere venerunt: Dominus scrutator est cordis, arcana perspicit, & intuetur occulta: ad coronam Dei promerendam sufficit ipsius testimonium solum, qui judicaturus est. Ergo utraque res, fratres charissimi, sublimis est & illustris: illa securior ad Dominum victoriæ consummatione properare; hæc lætior, acceptu post gloriam commeatu, in Ecclesiæ laude florere .... Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem, ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas. „

Cypr. epist. 11. Pamel. 8. Presbyteris & Diaconis aliam scripsit hortatoriam ad preces assiduas. “ Oremus, inquit, instanter, & assiduis precibus ingemiscamus. Nam & hoc nobis non olim per visionem, fratres charissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus; nam & Dominus ipse disciplinæ magister ... frequenter & vigilanter oravit .. Quod si pro ... delictis nostris ille laborabat ... & precabatur; quanto nos magis ... ipsum Dominum rogare, rum deinde per ipsum Deo Patri satisfacere debemus. Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum & Deum nostrum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat, & confitentes atque intelligentes delicta nostra, quibus nunc Dominum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere spondeamus. Itaque vera pœnitentia secundum Cyprianum includit peccatorum detestationem cum proposito non peccandi; confessionem & satisfactionem, quæ a Christi satisfactione trahat valorem suum. CHRISTI AN. 252.

Et infra: “ Persecutio ista examinatio est atque exploratio pectoris: explorari nos Deus voluit & probari, sicut suos semper probavit: nec tamen in probationibus ejus aliquando auxilium credentibus defuit. Denique ad minimum famulum suum, & in delictis licet plurimis constitutum, & dignatione ejus indignum: tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est: Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est; sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui, qui probentur .... Dissimulare hæc singula & apud conscientiam meam solus occultare non debui, quibus unusquisque nostrum & institui & regi possit. Nec ipsi utique apud vos hanc epistolam teneatis occultam, sed legendam Fratribus suggeratis. *Persecutionis finis revelatur Cypriano.*

LVI. Celerinus initio persecutionis coram Decio Romæ Christum confessus, & postea liber dimissus, Lucianum Confessorem Carthaginensem literis interpellat pro Numeria, Candida, & Etecusa Romæ lapsis, ut eis pacem ab Afris Martyribus impetret, sic postulans: “ Rogo itaque, Domine, & peto per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cæteris collegis tuis, fratribus tuis & meis, meis dominis referas, & ab eis petas, ut quicunque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris, Numeriæ & Candidæ tale peccatum remittat. Nam & ipsam Etecusam semper appellavi, id est, dum ad sacrificandum duceretur, revocavi, testis est nobis Deus, quia pro se dona numeravit, ne sacrificaret; sed tantum ascendisse videtur usque ad Tria Fata, (qui locus in foro erat Romæ notissimus,) & inde descendisse. Hanc ergo non sacrificasse ego scio. Quarum jam causa audita, præceperunt eos Præpositi Ecclesiæ tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur ... Peto ergo .... ut omnibus dominis meis fratribus tuis Confessoribus referas de hoc facto, ut a vobis auxilium recipiant. Nam hoc, Domine frater, scire debes, me non solum hoc pro eis petere; sed Statium & Severianum, & omnes Confessores, qui inde huc a vobis venerunt, ad quos ipsæ in portum descenderunt, & in urbem levaverunt, quod sexaginta quinque, pro Fidei confessione exulibus, ministraverunt, & usque in hodiernum in omnibus foverunt ... Salutant te Macarius cum sororibus suis Cornelia & Emerita, qui lætantur tua confessione florida, sed & omnes Fratres & Saturninus, qui & ipse luctatus est cum diabolo, qui & Christi nomen est confessus, qui & ibi in pœna ungularum fortiter est confessus. Salutant te fratres tui Calphurnius & Maria. „ Hæc fuit prærogativa Martyrum, ut lapsis, quibus pacis libellos dedissent, pœnæ canonicæ partem relaxarent Episcopi: quod certum est indulgentiarum indicium. Ejusmodi pacem dare non potuisse Confessores pro Christo carcere inclusos, vel etiam aliquid passos, ex his liquet. Cypr. ep. 21. Pamel. 21.

LVII. Lucianus Celerini petitioni annuens rescripsit: “ Literas tuas, quas & ego optabam ... beneficio tantæ tuæ humilitatis legere exultavi: qui scribens mihi diceres; si dignus fuero frater nominari tuus, hominis qui apud pusilliores, scilicet magistratus Carthaginenses, nomen Dei cum timore confessus sum. Nam tu Deo volente ipsum anguem majorem, (nempe Decium,) metatorem Antichristi, non tantum confessus deterruisti, sed vocibus & verbis Deificis .... vicisti .... scire debuisti, quid circa nos actum sit, cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me & dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post arcessitionem meam abs te pacem petierit, des in Cypr. epist. 22. Pamel. 20. *Paulus martyr.*

nomine

Digitized by Google

CHRISTI An. 252.

nomine meo: ſed & omnes, quos Dominus in tanta tribulationa arceſſera dignatus eſt, univerſi literis ax compacto nniverſis pacem dimiſimus ..... Juſſi ſumus ſecundum præceptum Imperatoris ſame & ſiti necari, & reeluſi ſumus in duabus cellulis, ita ut nos afficerent ſame & ſiti, ſed & ignis vapore; & preſſura noſtra intolerabilis erat; ſed nuuc ipſam claritatem conſecuti ſumus. Et iden, frater chariſſime, ſaluta Numeriam & Candidam, quæ ſecundnm præceptum Pauli & cæterorum martyrum, quorum nomina ſubjicio, Baſſi in petrario, Mappalici in quæſtiona, Fortunionis in carcera, Pauli a quæſtiona, Fortunæ, Victorini, Victoris, Hereni, Credulæ, Herenæ, Donsti, Firmi, Venuſti, Fructi, Juliæ, Martialis & Ariſtonis, qui, Deo volente, in carcere necati ſunt; (quorum & nos ſocios futuros intra dies audietis.) Jam anim ut iterato reeluſi ſumus, ſunt dies octo, in die quo tibi literas ſcripſi. Nam & aote dies octo, per dies quinque medios modicum panis accepimus, & aquam ad manſuram; & ideo, frater, peto, ut ſicut hic cum Dominus cœperit ipſi Eccleſiæ pacem dare, ſecundum præceptum Pauli, & noſtrum tractatum, expoſita canſa apud Epiſcopum, & facta exomologeſi, habeant pacem, non tantum hæ, ſed & quas ſcias ad animum noſtrum pertinere ..... ſalutant vos collegæ mei univerſi. „

Martyres.

Cypr. de lapſ.

Cyprianus his martyribus annumerat Caſtum, & Æmiliam, " quibus aliquando Dominus ignovit, ſic in prima congreſſiona devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent qui ignibus ante ceſſiſſent; & unde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. „

LVIII. Lucianus Pauli conceſſiona, & prærogativa Martyrum uſus non ſecundum ſcientiam, magnas turbas escitavit pro reconciliatione lapſorum; qoibus ſic indiſcriminatim pacis literas dedit, ut, nulla præmiſſa ſatisfactiona publica, ſtatim ad communionem recipi vellent. Quam indulgentiam erudelem, noaiam, Evangelio contrariam vocat Cyprianus; ad quem etiam Confeſſorum omnium nomioe ſic ſcripſit: " Scias, nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc formam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus. Optamus ta cum ſanctis martyribus pacem habere. „ Præſenta da Clero, & Exorciſta, & Lectore, Lucianus ſcripſit: hic non multo poſt emiſſus eſt a carcere.

Luciani zelus indiſcretus turbat Eccleſiam.

Ibid.

LIX. Omnibus his auditis, Cyprianus optaſſet repetere Carthaginam; " Ut, inquit, aa, quæ circa Eccleſiæ gubernaculum utilitas communis expoſcit, tractare ſimul, & plurimorum conſilio examinata limare poſſemus: tamen potius viſum eſt adhuc interim latebram & quietem tenere, reſpectu utilitatum aliarum, quæ ad pacam omnium noſtrum pertinent & ſalutem. „ Alias quinque in ſeceſſu ſcripſit epiſtolas: primam, ad Presbyteros & Diaconos, quibus ſic commendat humanitatem erga Confeſſores in carcere conſtitutos: " Corporibus etiam omnium, qui etſi torti non ſunt in carcera, tamen glorioſo exitu mortis axcedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propenſior. Neque enim virtus aorum aut honor minor eſt, quo minus ipſi quoqua inter beatos martyres aggregentur ..... non enim ipſi tormentis, ſed ipſis tormenta defuerunt ..... Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes corum inter memorias martyrum celabrare poſſimus: quanquam Tartullus fideliſſimus & devotiſſimus frater noſter pro cætera ſollicitudine ſua & cura ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcare beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis axitu tranſeunt; & celebrentur hic a nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationem eorum, quæ ciro vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus. (Epiſtola vero decima nona dicit,) martyrum paſſiones, & dies, anniverſaria commemoratione per Africam celebrari. „

Cypr. epiſt. 14. Pamel. 6.

epiſt. 12. Pamel. 37.

Cultus religioſus Martyrum.

Ex his quædam certo elareſcunt: primo, majores ſaltem Eccleſias ſuum habuiſſe Martyrologium. Fabianus ſub initio Decii dicitur ſeptem inſtituiſſe ſubdiaconos, qui ſeptem notariis imminerent, & geſta Martyrum in integro colligerent. Secundo, religioſum cultum martyribus exhibitum. Tartio, Presbyteros tunc obtuliſſa Deo verum ſacrificium die eorum commemorationis, quod de ſola Euchariſtia intelligi poteſt. Dies etiam feſtos in honorem Martyrum inſtitutos docet D. Gregorius Nyſſenus; ac de illis celebrandis legem ſtatuiſſe D. Gregorium Thaumaturgum: Apud omnes ubique populos ſanxit, inquit, ut nomina eorum, qui pro Fida decertaſſent, dies feſti & ſolemnes conventus celebrarentur: cumque alii in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarium circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes. Illorum etiam meminit Tertullianus. Hujus cultus prima indicia vidimus in D. Polycarpo D. Joaonis Apoſtoli diſcipulo.

CHRISTI An. 252.

Greg. Nyſſ. in vit. Greg. Thaum.

Tert. de coron. milit.

LX. Alteram ſcripſit ad Confeſſores, quos inter eminebat Rogatianus presbyter: hortator eos, ut qui adverſarium hac prima congreſſione vicerint, gloriam ſuam humili, forti, & conſtanti virtute teneant: imprimiſque a contentione & æmulatione abſtineant: reprehendit eos, qui juſſu Imperatoris facti exules, clam in patriam regrediebantur; ne deprehenſi, non tanquam Chriſtiani, ſed quaſi nocentes pereant. In tertia Epiſtola eoſdem monet, deſideria ſua pro lapſis moderentur. " Sollicitudo, inquit, loci noſtri & timor Domini compellit, fortiſſimi ac beatiſſimi Martyres, admonere vos literis noſtris, ut a quibus tam devote & fortiter ſervatur fides Domino, ab iiſdem lex quoque & diſciplina Domini reſervetur ..... Credideram quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic ſunt præſentes, monere vos & inſtruere pleniſſime circa Evangelii legem; ... ſicut ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum deſideria conſiliis ſuis, & Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognoſco, non tantum illic vobis non ſuggeri divina præcepta, ſed adhuc potius impediri ..... Cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dari poſtulaſtis, cum perſecutiona finita convenire in unum cum Clero & recolligi cœperimus: illi, ſcilicet Presbyteri, contra Evangelii legem, contra veſtram honorificam petitionem, anta actam pœnitentiam, anta exomologeſim graviſſimi atqua extremi delicti factam, anta manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerra pro illis, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini corpus profanare audeant? ..... Petitiones & deſideria veſtra Epiſcopo ſervent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus exſpectent ..... „

Cypr. epiſt. 13. Pamel. 7.

Cypr. epiſt. 15. Pamel. 11.

Martyres quid pecaverint in ſuis pacis libellis.

" Oro vos etiam quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint; vos quoque ſollicita & cauta petentium deſideria ponderetis .... Inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum, ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis; na, ſi quid abrupta & indigna val a vobis promiſſum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcera incipiat .... Sed & illud ad diligentiam veſtram redigara & emendara debetis, ut nominatim deſignetis eos, quibus pacem dari deſideratis: audio enim quibuſdam libellos ſic dari, ut dicatur: Communicat ille cum ſuis: Quod nuſquam omnino a Martyribus factum eſt, ut incerta & cœca petitio invidiam nobis poſtmodum cumulat: late enim patet quando dicitur: Illa cum ſuis; Et poſſunt nobis viceni, & tricani, & amplius offerri, qui propinqui, & affines, & liberti, ac domeſtici eſſa aſſeverentur ajus, qui accipit libellum; & ideo peto, ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos Fidei ac diſciplinæ congruentes literas dirigatis.

Ibid.

LXI. Quartam ſcripſit ad Presbyteros & Diaconos; quos violatæ diſciplinæ graviſſima reprehendit: communionem enim lapſis, non præmiſſa publica pœnitentia, indulſerant. " Hæc, inquit, qui ſubtrahunt Fratribus, decipiunt miſeros; ut qui poſſunt agentes pœnitentiam veram, Deo qua Patri & miſericordi precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, ut magis pereant .... Nam cum in minoribus peccatis, reſpectiva ad apoſtaſiam, agant peccatores pœnitentiam juſto tempore; .... & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, ... ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, ſcilicet, una cum precibus, quæ pro iis offeruntur in ſacrificio; & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum eis manu ab Epi-

Cypr. epiſt. 16. Pamel. 10.

Christi An. 252.

Cypr. de lapsis. *Confessio secretorum peccatorum.*

scopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur .... Quanto & Fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarant, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesio conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt? „ En confessio peccatorum secretorum facta apud sacerdotes.

Ibid.

Tum subdit: " Castigare nos divina censura, nec noctibus desinit, nec diebus: præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in extasi videt oculis, & audit, & loquitur ea quibus nos Dominus instruere & monere dignatur. Et audietis omnia, quando ad vos reducem me fecerit Dominus, qui, ut secederem, jussit. „ Ecclesiæ disciplina, & turbarum occasio pro reconciliatione lapsorum, ex his manifeste intelligitur. Ea erat Martyrum prærogativa, seu eorum, qui jam Christum in tormentis confessi erant, ut lapsos, seu apostatas ad privatam orationum communionem reciperent; examinatisque causis, designatisque singulorum nominibus, darent libellos supplices ad Episcopos, ut pariter eos reciperent ad publicam orationum communionem in Ecclesia, atque eis condonarent eas pœnas, quibus subjiciuntur pœnitentes duarum primarum classium; Eorumque intercessionis maximam rationem semper habuerunt Episcopi. Martyres in Decii persecutione hos fines transgressi, cum vellent omnes indiscriminatim admitti statim & absque prævia satisfactione ad participationem Eucharistiæ, ingentibus turbis & tandem schismati dederunt occasionem. Proconsul sanguine Martyrum satiatus, Carthaginem reliquit, ut in aliis potius civitatibus Christianos paulo mitius persequeretur. Ubi primum discessit, persecutio multo remissius in dies per magistratus Carthagine exercebatur: imo nonnulli Confessores carcere liberati, nimis sibi indulserunt; & factis suis & exemplis, fuere aliis offensioni, quos graviter objurgat Cyprianus. Contra Asiæ Præfecti in Christianos sævierunt atrocius.

Quid lapsis indulgebant Martyres

Cypr. epist. 14. Pamel. 6.

Act. Sinc. *Maximus martyr.*

LXII. Famulus Dei Maximus, vir sanctus, ultro se palam ostendit. Comprehensus igitur oblatus est Optimo Proconsuli apud Asiam provinciam ..... Proconsul dixit: Christianus es? Maximus respondit: Etsi peccator, Christianus tamen sum. Proconsul dixit: Num cognovisti decreta invictissimorum Principum, quæ nuper advenerunt? Maximus respondit: Quæ? Proconsul dixit: Ut omnes Christiani, relicta superflua superstitione, cognoscant verum Principem, cui omnia subjacent, & ejus deos adorent. Maximus respondit: Ego non sacrifico nisi soli Deo, cui me ab ineunte ætate sacrificasse congratulor. Proconsul dixit: Sacrifica, ut salveris; quod si nolueris, variis faciam te deficere tormentis. Maximus respondit: Hoc est, quod semper optavi; propterea enim me manifestavi, ut tandem carens miserabili & temporali vita, æternam reciperem. Tunc Proconsul jussit eum fustibus cædi: cumque cæderetur, dicebat ei: Sacrifica, Maxime, ut ab his liber sis tormentis. Maximus respondit: Hæc non sunt tormenta, quæ pro nomine Domini nostri Jesu Christi inferuntur, sed sunt unctiones ....

Ibid.

Tunc Proconsul jussit eum in equuleo suspendi; cumque torqueretur, dicebat ad eum: Jam resipisce miser, & sacrifica, ut animam lucreris. Maximus respondit: Animam meam lucrabor, si non sacrificavero: quod si sacrificavero, perdam eam. Mihi enim nec fustes, nec ungulæ, nec ignis sentiendi dant dolorem; quia in me manet gratia Christi, quæ me salvum faciet in æternum ..... Tunc Proconsul dedit in eum sententiam dicens: Eum, qui sacris legibus assensum noluit accommodare, ut magnæ deæ Dianæ sacrificaret, ad metum reliquorum Christianorum, obrui lapidibus præcepit divina clementia. Et sic raptus est athleta Christi ..... ductusque foras muros, lapidibus cæsus reddidit spiritum, secundo Idus Maji.

Acta Sinc. *Petrus martyr.*

LXIII. In locis Lampsaci urbis Asiæ minoris ad Hellespontum comprehensus est quidam Petrus nomine valde fortis in fide .... & oblatus est Proconsuli, qui ei dixit: Christianus es? Petrus respondit: Etiam, Christianus sum. Proconsul dixit: Habes ante oculos decreta invictissimorum Principum: sacrifica ergo magnæ deæ Veneri. Petrus respondit: Miror, si persuadeas mihi, Optime Proconsul, sacrificente impudicæ mulieri, & sordidæ..... Nam & vos turpia, quæ gessit, in impudicis ponitis. Etsi vos impiam illam nominatis, & publicam meretricem, quomodo me tam sordidam meretricem adorare, & sacrificare compellitis? Oportet ergo me magis Deo vivo & vero, Regi omnium Christo sacrificium orationis offerre. Audiens hæc Proconsul, jussit eum adhuc ætate adolescentulum tendi in rotis; & inter ligna in circuitu posita vinculis ferreis totum ejus corpus fecit constringi; ut minutatim ossa ejus comminuerentur. Quanto autem plus torquebatur famulus Dei, tanto magis fortior apparebat. Constans vero in aspectu, & ridens de ejus stultitia, conspiciens in cœlum ait: Tibi ago gratias, Domine Jesu Christe, qui mihi hanc tolerantiam dare dignatus es ad vincendum nequissimum tyrannum. Tunc Proconsul jussit eum gladio percuti.

Christi An. 252.

Ibid.

Eodem tempore, eunti Proconsuli ad Troadem civitatem, oblati sunt Andreas, Paulus, & Nicomachus; cumque eos interrogasset, unde essent, & cujus essent religionis? Nicomachus impatienter magna voce respondit: Ego Christianus sum. Proconsul dixit ad Andream & Paulum: Vos quid dicitis? Responderunt ei: Nos Christiani sumus. Proconsul Nicomacho dixit: Sacrifica diis, secundum quod jussum est. Nicomachus respondit: Ut scis, Christianus non debet sacrificare dæmoniis. Itaque Proconsul jussit eum appensum torqueri. Cumque nimium vexaretur, & jam prope esset, ut redderet spiritum, exclamavit voce magna: Nunquam fui Christianus, sed sacrifico diis. Statim fecit eum Proconsul deponi. Cum ergo sacrificasset, statim arreptus est a dæmone, & in terram allisus, dentibusque linguam suam comedens, emisit spiritum.

Ibid.

Exspectantibus turbis, quædam puella & virgo, nomine Dionysia, annos habens sexdecim, exclamavit dicens: Miser & infelicissime homo, cur propter unius horæ spatium acquisisti tibi perpetuam & inenarrabilem pœnam? Et cum hæc audisset Proconsul, jussit eam in medium pertrahi, & interrogavit eam, si esset Christiana? At illa respondit: Etiam, Christiana sum. Propter quod infelicem illum plango: quare adhuc modicum non toleravit, ut perpetuam requiem inveniret? Proconsul dixit ..... Tu igitur sacrifica; ne turpiter illusam, vivam incendam. Dionysia respondit: Deus meus est major quam tu; ideoque minas tuas non timeo, qui potens est mihi dare in omnibus, quæ intuleris, tolerantiam. Tunc Proconsul tradidit eam duobus juvenibus corrumpendam. Andream vero & Paulum jussit in custodiam recludi. Juvenes ergo acceptam castissimam Dei puellam duxerunt ad suum hospitium. Cumque ad mediam noctem insisterent, ut ei vim turpitudinis inferrent, marcescebat cupiditatis eorum libido. Circa autem mediam noctem, quidam splendidissimus juvenis apparuit eis, illuminans totam domum. Illi vero timore percussi magno, ceciderunt ad pedes mundissimæ puellæ. At illa elevavit eos dicens: Nolite timere, iste est enim tutor meus, & custos .....

D. Dionysiæ & soc. mart.

Ibid.

Mane autem facto, venit proclamans omnis turba ad Proconsulem, petentes sibi tradi Andream & Paulum ..... Cumque eos præcepisset adduci Proconsul, dixit eis: Andrea & Paule, sacrificate mirandæ Dianæ. Responderunt: Nos neque Dianam, neque alia dæmonia, quæ colitis, cognoscimus, nec aliquando coluimus, nisi solum Deum. Cum hæc audisset turba, orabant Proconsulem, ut eos traderet eis extinguendos. Videns Proconsul quod nequiret Sanctorum superare perseverantiam, flagellis cæsos, populo tradidit lapidandos. Illi ergo eos acceptos trahebant extra civitatem ligatis pedibus, ut lapidarentur. Et cum lapidarentur, audivit hæc virgo Dei Dionysia. Clamans ergo & plorans, & de custodia se proripiens, cucurrit ad locum, jactavitque se super eos dicens: Ut vobiscum possim vivere in cœlis, opto vobiscum hic mori in terris. Nuntiantur ista igitur Proconsuli, qui jussit ut decollaretur quod factum est: die Iduum Majarum.

Cyp. in exhort. ad Mart. *Martyrum multitudo.*

LXIV. De Martyrum multitudine sic scribit Cyprianus: " Hoc ampliorem gloriam computantes temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum copia virtutis & fidei, numerari non possunt Martyres Christiani .... Quod si tantus ostenditur & probatur Christiano-

CHRISTI AN. 252.

stianorum Martyrum populus, nemo difficile vel arduum putet esse Martyrem fieri, quando videat Martyrum populum non posse numerari. „ Sed præterquam quod multorum nomina literis non fuere consignata, innomera passionum acta, vel injuria temporum, vel Diocletiani incendio periere, vel hominum nequitia, vel zelo imprudenti depravata sunt, dum fabulose exornantur. Paucorum tantum, quorum dies natalis tabulis Ecclesiasticis reperitur adscriptus, hic meminisse sufficiat: Romæ Abdon, & Sennes Persæ plumbatis cæsi, deinde gladio interfecti sunt. In agro Sabino Victoria, & Anatolia virgines Romanæ. In Colonia Tusciæ Secundianus, Verianus, & Marcellinus. In Italia Magnus, & Andreas, & socii milites. Nicææ Bassus Episcopus; Astorgæ in Hispania Martha virgo. Nicomediæ, Quadratus capite truncatur; ibidem Tryphon, Respicius, & Nympha. Pergæ Pamphiliæ Nestor Episcopus; in Lycia Christophorus. Cæsareæ in Cappadocia Mercurius pro Fide Christi nobile certamen exegit; cum antea Præfectus militum, strenue pugnasset adversus hostes Imperii. Melitinæ in Armenia Polyeuctus. In Creta Theodorus, & Saturninus, & socii, omnes numero decem. Cortynæ Cyrillus Episcopus; eadem sæviente mirum in modum persecutione, complures sibi timentes, loca deserta petierunt, & alios inter, septem juvenes timore perculsi, in antrum fugientes, occluso a persecutoribus ostio, in Domino obdormierunt propter Ephesum, unde & nomen sunt consecuti, & dicti sunt septem Dormientes.

Marty-rol. Rom. & alia.

Hier. vit. Paul. *D. Pauli eremitæ initia.*

LXV. Per idem tempus, quo multas apud Ægyptum, & Thebaida Ecclesias tempestas sæva populata est; apud inferiorem partem Thebaidæ, cum sorore, jam viro tradita, post mortem amborum parentum tum in hæreditate locupleti Paulus relictus est, literis tam Græcis, quam Ægyptiacis apprime eruditus, mansueti animi, Deum valde amans, & cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem, & secretiorem secessit. Verum, quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Sororis maritus cœpit prodere velle quem celare debuerat. Non illum uxoris lacrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus ab scelere revocavit. Adhæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem convertit; ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cujus radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur: quo remoto, animadvertit grande vestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis, vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens..... Igitur adamato, quasi quod a Deo sibi offerretur, habitaculo, omnem ibidem in orationibus vitam, & solitudine duxit ætatem: cibum, & vestimentum ejus palma præbebat. Paulus ad annos centesimum decimum tertium vitam extendit suam, annos nonaginta & amplius in desertis locis visit: ac proinde, dum fugit, annos viginti duos natus erat.

Acta Sync. *Lucianus & Marcianus Martyres.*

LXVI. SS. Luciani, & Marciani martyrium per idem tempus contigit. Maleficiis ac magicis artibus dediti aliquandiu vixerant..... Sed Deus, qui ingratis tribuit gratiam, ad cognitionem nominis sui sic eos perducere dignatus est. Famula quædam erat Dei, casta, & fidelis, nuptias contemnens, virginitatem custodiens, forma speciosa, & anima tamen pulchrior. Lucianus, & Marcianus hanc concupierunt, & cum aliter superare non possent, hanc magicis artibus aggressi sunt: sed frustra. Causam requirunt a dæmonibus, qui responderunt: Hæc virginitatem illibatam servat Jesu Christo, Domino suo, & Deo omnium; ipse eam custodit, & nos affligit; iden nihil contra eam facere possumus, nec in aliquo superara. Christi potentiam postea secum recogitantes, ad ipsum se convertere, & ipsum colere statuerunt. Sed ubi abundavit peccatum, superabundavit, & gratia..... Statim codices suos publice in media deferentes civitate, igni combusserunt; euntesque ad Ecclesiam, confessi sunt omnia quæ gesserant. Cumque facti fuissent Christiani, & postea baptizati, perfusi lumine, omnibus derelictis, sacra loca petierunt. Ita se jejuniis, & orationibus affligebant, ut tertio quoque die nihil aliud, quam panem, & aquam acciperent. Post hæc prædicarunt verbum Dei cum fiducia, & objurgabant gentes, quod inanibus erroribus detinerentur. At illi repleti furore, comprehensos adduxerunt eos ad Proconsulem Sabinum, eique dixerunt: Ecce, quæ ante prædicabant, nunc impugnant; & quæ impugnabant, prædicant.

CHRISTI AN. 252.

Ibid.

LXVII. Proconsul eis dixit: Quis vobis persuasit, ut relinquentes venerandos deos..... ad mortuum, & crucifixum vos transferretis, qui nec seipsum salvum facera potuit? Marcianus respondit: Ille nobis donavit qui & S. Paulo; qui cum esset Ecclesiarum persecutor, postea ejus gratia factus est prædicator. Proconsul dixit: Consulite vobis, & redite ad pristina,.... ut vitam lucremini. Lucianus dixit: Loqueris quasi unus de insipientibus. Nos autem gratias Deo agimus, qui nos erutos de tenebris, & umbra mortis, ad hanc gloriam perducere dignatus est. Proconsul dixit: Quare vobis non adest, ne mortem incurratis? S. Martianus dixit: Christianorum gloria hæc est, ut hac, quam putas esse vitam, carentes, veram, & perpetuam, perseverantes in finem, consequantur..... Proconsul dixit: Anilia sunt quæ loquimini. Audite me, & sacrificate diis, implentes regalia præcepta; ne excitatus furore, novis vos, & exquisitis pœnis impendam. S. Marcianus respondit: In hoc parati sumus, ut quibus volueris nos impendas tormentis..... Proconsul tunc dedit adversus eos sententiam, dicens: Quoniam Lucianus, & Marcianus, transgressores divinarum nostrarum legum, qui se ad Christianam vanissimam legem transtulerunt, hortati a nobis, atque conventi, ut, adimplentes invictissimorum Regum præcepta, sacrificarent, & salvarentur, & contemnentes audire noluerunt; flammis exuri præcipio. Cumque perducti essent ad locum, tanquam ex uno ore gratias agentes Deo, dixerunt: Tibi, Domine Jesu, insufficientes laudes dicimus, qui nos miseros, & indignos de errore gentilitatis erutos, ad hanc summam, & venerabilem passionem propter nomen tuum perducere dignatus es, atque omnium Sanctorum tuorum participes efficere. Tibi laus, tibi gloria; tibi etiam animam, & spiritum nostrum commendamus. Et cum complevissent orationem, statim quæstionarii supposuerunt ignem. Sic quoque venerabiles Martyres complentes agonem suum, passioni Domini participara meruerunt septimo Kalendas Novembris.

LXVIII. Persecutio licet in Africa esset remissior, gravem pro suis sollicitudinem patiebatur Cyprianus, qui jam diu nullas a Clero literas recepisset, quamvis plures ipse scripsisset; simulque usus opportunitate temporis æstivi, quod infirmitatibus assiduis, & gravibus infestabatur, temperamentum pro lapsis proposuit, concilio Cleri Romani maxime accommodatum. " Occurrendum, inquit, puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incomodo aliquo, & infirmitatis periculo præoccupati fuerint, non exspectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Præsbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentia imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt. Exomologesis porro facta dicitur apud Diaconum, qui manum in pœnitentia imponeret; non quod Diaconus, etiam in casu necessitatis, Sacramenti Pœnitentiæ minister esse possit, vel absolutionem impertire sacramentalem; hoc enim jus, inquit Ambrosius, solis permissum sacerdotibus est. Sed cum plures essent lapsorum ordines; quorum alii etiam idolis sacrificarant, unde dicti sunt Sacrificati; alii, ne sacrificarent, præmium dederant, sed vel actis publica habitis coram Magistratibus Christum negarant; vel absentes, ut acta fierent, mandarant, & libello accepto dicebantur Libellatici. Plurimi ad prima statim verba minantis inimici fidem suam prodiderant; alii suppliciis victi cesserant. Itaque urgente morbo, lapsus æger, si non esset copia sacerdotis, apostasiæ suæ speciem exponebat coram Diacono, qui ei declarabat pœnitentiam publicam, quam secundum canones agere teneretur, si convalesceret; imponebatque manum, ut in album pœnitentium atque in Fidelium

Cyprian. epist. 18. Pamel. 13.

Diaconus nunquam est minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Ambros. l. 2. de pœn. c. 2.

[Christi An. 252.] [Cyprian. epist. 19. Pamel. 14.] communionem reciperet; demum in extremo vitæ discrimine Eucharistiam contrito porrigebat. Pergit Cyprianus. "Cæteram quoque partem plebis, quæ lapsa est, præsentia vestra fovete, ut a fide, & misericordia Domini non deficiant, vestro solatio focillate..... Audientibus, seu Catechumenis, siqui fuerint periculo præventi, & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit. Implorantibus divinam gratiam, misericordia Domini non denegetur." Verum cum significassent Presbyteri, quosdam communicationem accipiendam vehementer urgere, priori sententiæ standum putavit, & addit: Cæteri, qui nullo libello a Martyribus accepto, invidiam faciunt, quoniam non paucorum, nec Ecclesiæ unius, aut unius provinciæ, sed totius orbis hæc causa est, exspectent de Domini protectione Ecclesiæ ipsius publicam pacem..... Qui si nimium properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plus, quam postulant, largiente. Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur. Si commissi vere, & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet, qui differri non potest, potest coronari."

LXIX. His ita compositis, tempus jam advenisse ratus est Cyprianus, quo se suaque Clero Romano facile probare posset. Quamobrem nunc tandem, non tantum secessum suum excusat, quem notasse Clerus Romanus literis ad Clerum Carthaginensem scriptis videbatur; sed sinistris etiam rumoribus, quos adversarii sui, & lapsorum socii procul dubio Romæ spargendos curaverant, occurrit: [Cyprian. epist. 20. Pamel. 15.] "Quoniam, inquit, comperi, fratres charissimi, minus simpliciter, & minus fideliter vobis renuntiari quæ hic a nobis gesta sunt, & geruntur, necessarium duxi, has ad vos literas facere, quibus vobis actus nostri, ac disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur." Tum describit ea, quæ supra recensuimus; quæ ut confirmaret, ad Clerum Romanum transmisit tredecim epistolas, quas e secessu ad Clerum, & Confessores, & plebem suam dederat. Priusquam Romam pervenirent, Clerus Romanus, & Confessores ad Clerum, & Confessores Carthaginenses dederunt literas, quæ non extant; earum tamen argumenta satis nota sunt. Nam, ut Cyprianus ipse testatur, in illis Evangelii plenus vigor, & disciplina robusta legis Dominicæ continebantur.

[Cyprian. epist. 24. Pamel. 19.] LXX. Haud diu post Caldonius Episcopus literis suis Cyprianum consuluit, quid in eorum causa facere oporteret. "Qui, posteaquam sacrificaverunt, iterato tentati, extorres sunt facti. Videntur ergo mihi abluisse prius delictum, dum possessiones, & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes, Christum sequuntur. Ergo Felix, qui presbyterium subministrabat sub Decimo; & Victoria conjux ejus, & Lucius, Fideles, extorres facti, reliquerunt possessiones, quas nunc fiscus tenet. Sed & mulier nomine Bona, quæ tracta est a marito ad sacrificandum, quæ conscientia non commisit, sed quia tenentes manus ejus, ipsi sacrificabant, cœpit dicere contra: Non feci, vos fecistis. Sic & ipsa extorris facta est. Cum ergo universi pacem peterent, dicentes: Recuperavimus fidem, quam amiseramus, pœnitentiam agentes, & Christum publice sumus confessi: Quamvis mihi videantur pacem accipere, tamen ad consultum vestrum dimisi, ne videar aliquid temere præsumere." [Cyprian. epist. 25. Pamel. 20.] Respondit Cyprianus; hujuscemodi fratribus impertiendam esse pacem; atque adjunxit: "Utinam sic & cæteri post lapsum pœnitentes in statum pristinum reformarentur. Quos nunc urgentes, & pacem temere atque importune extorquentes, quomodo disposuerimus ut scires, librum tibi cum epistolis quinque misi, quas ad Clerum, & ad plebem, & ad Martyres quoque, & Confessores feci. Quæ epistolæ jam plurimis collegis nostris missæ placuerunt, & rescripserunt, se quoque nobiscum in eodem consilio secundum Catholicam fidem stare. Quod ipsum etiam tu, ad Collegas nostros, quos potueris, transmitte, ut apud omnes unus actus, & una consensio secundum Domini præcepta teneatur." Utriusque epistolæ exemplum Clero suo transmisit. [Cyprian. epist. 26. Pamel. 18.] "Quod totum, inquit, peto fratribus nostris legatis, ut magis ac magis ad patientiam componantur."

LXXI. Cyprianus Clerum Romanum certiorem reddidit de seditiosa lapsorum postulatione, ut ad pacem restituerentur, & de inverecundia Luciani Confessoris, qui fide quidem calidus, virtute robustus, sed minus Dominica lectione fundatus, imperiti jam pridem se vulgi auctorem constituens, Pauli Martyris, & Aurelii adolescentis tormenta perpessi nomine libellos pacis gregatim dedit, admonitusque, ut ageret moderatius, universorum Confessorum nomine scripserat, se universis pacem dedisse. [Cyprian. epist. 27. Pamel. 23.] "Quæ res, inquit, majorem nobis conflat invidiam, ut nos, cum singulorum causam audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare quod se nunc omnes jactant a Martyribus, & Confessoribus accepisse. Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Nam in provincia nostra per aliquot civitates in Præpositos impetus per multitudinem factus est, & pacem, quam semel cuncti a Martyribus, & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt; territis & subactis Præpositis suis, qui ad resistendum minus virtute animi, & robore fidei prævalebant." His adjunxit libellum Luciani, ejusque, & Celerini literas; aliam quoque dedit epistolam gratulatoriam ad Confessores Romanos. Ut autem hæ literæ solenniter juxta morem Ecclesiæ mitterentur, Lectorem fecit Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confessorem, easque per eosdem misit: cujus rei statim Clerum suum fecit certiorem, quippe eos post diligens examen ad Clerum promovendos judicarat.

[Apud Cyprian. epist. 30. Pamel. 31.] [*Disciplinæ severitas.*] LXXII. Clerus Romanus Cypriani gesta comprobans rescripsit. "Idem omnes credimur operati, in quo deprehendimur eadem omnes censuræ, & disciplinæ consensione sociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini rigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est..... Neque hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est;.... sed antiqua apud nos hæc severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua. Quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo: *Quia fides vestra prædicatur in toto mundo*; nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset; quarum laudum, & gloriæ degenerem fuisse, maximum crimen est...... Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa Fidei majestate dissolvere; ut cum adhuc non tantum jaceant, sed & cadant eversorum Fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia .... Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere..... Quanquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus, propter rerum, & temporum difficultatem, constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate, & consilio habere rationem.

[Ibid.] Quanquam nobis in tam ingenti consilio placeat, quod tu, & ipse tractasti prius, Ecclesiæ pacem sustinendam; deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem: quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Aspice totum orbem pene vastatum, & ubique jacere dejectorum reliquias, & ruinas, & idcirco tam grande experti consilium, quam late propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina, quam vulnus est. Non sint minora remedia, quam funera.... Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu, & quidem multi cum quibusdam Episcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe positos persecutionis illius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus; sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus; ut interim, dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur. Eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum, caute, & sollicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat, qualiter judicii sui exami-

Christi An. 252.

examinet pondera ; nobis tamen anxie curantibus, ne nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem ; nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. „ Novatianus hocce decretum Cleri Romani exaravit, eique subscripsit cum cæteris Presbyteris, ut testatur ipse Cyprianus. Huic subjectæ erant literæ, quas idem Clerus in Siciliam quoque miserat, quæ desiderantur. Adjecerunt etiam Confessores Romani literas suas; omnesque per Saturum & Optatum miserunt. Qui facilem erga magnos peccatores indulgentiam vocant misericordiam, & charitatem, legant & intelligant, hunc abusum pœnitentibus nocivum dici ab Ecclesia; facilitas quippe veniæ est incentivum delinquendi.

Cyprian. epist. 55. Pamel. 52.

Cyprian. epist. 32. Pamel. 32.

LXXIII. His acceptis, sic ad suos scripsit Cyprianus : " Quales literas ad Clerum Romæ agentem secerim, quidque illi mihi rescripserint, quid etiam Moyses & Maximus Presbyteri, & Nicostratus & Rufinus Diaconi, & cæteri cum eis Confessores in custodia constituti, æque ad literas meas rescripserint, ut scire possetis, fratres charissimi, exempla vobis legenda transmisi. Vos curate, quantum potestis, pro diligentia vestra, ut scripta nostra, & illorum rescripta fratribus nostris innotescant. Sed & si qui de peregrinis Episcopi collegæ mei, vel Presbyteri, vel Diacones præsentes fuerint, vel supervenerint, hæc omnia de vobis audiant ; & si exempla epistolarum transcribere, & ad suos perferre voluerint, facultatem transcriptionis accipiant. „ Unde factum est, ut Cleri Romani literæ per totum mundum missæ, & in notitiam omnibus Ecclesiis & universis Fratribus perlatæ sint; ut in Ecclesiarum statu interim componendo servetur ab omnibus una & fides & consensio.

Cyprian. epist. 34. Pamel. 38.

Cyprianus vetat communicare cum iis, qui cum lapsis communicaverant.

LXXIV. Epistola sequenti laudat Clerum suum, quod consilio quorumdam Episcoporum, qui præsentes erant, cum Gajo Diddensi Presbytero, & Diacono ejus, censuerant, " Non communicandum cum iis, qui communicando cum lapsis, & offerendo oblationes eorum, in pravis erroribus suis frequenter deprehensi, & semel atque iterum ab Episcopis moniti, ne hoc facerent, in præsumptione & audacia sua pertinaciter perstiterunt .... " Et infra : " Vos itaque secundum literas meas fideliter & salubriter consulentes, a consiliis melioribus non recedatis . . . Interea si quis immoderatus, & præceps, sive de nostris Presbyteris vel Diaconibus, sive de peregrinis ausus fuerit ante sententiam nostram communicare cum lapsis, a communicatione nostra arceatur ; apud omnes nos causam dicturus temeritatis suæ, quando in unum, permittente Domino, convenerimus. Desiderastis quoque, ut de Philumeno & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolutho, qui medio tempore recesserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur, rescribam. Cui rei non potui me solum judicem dare, cum multi adhuc de Clero absentes sint . . . Interim se a divisione mensurna tantum contineant, non quasi a ministerio Ecclesiastico privati esse videantur. „ Romanum Clerum de omnibus certiorem fecit Cyprianus ; has ultimas epistolas simul ad eum mittens per Fortunatum Subdiaconum. Sancti Episcopi vigorem laudavere Romani.

Epist. inter Cyprian. 36. Pamel. 30.

Cypr. epist. 37. Pamel. 16.

Cyprianus gratulatur Roman. Martyribus.

LXXV. Proconsul Africæ brevi successorem accepturus, Christianorum sanguine satiatus, placatiorem eis sese exhibuit. Quo tempore nobilis Confessor Celerinus Roma venit Carthaginem, & Cyprianum in secessu adit : eique Moysis reliquorumque Confessorum affectus repræsentat, qui jam per annum pro Christo carceris molestias perferebant. Hisce permotus, ad eos scripsit Cyprianus : " Nos quidem, inquit, vestri diebus ac noctibus memores, & quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, & cum in secessu privatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam a Domino faventiam postulamus . . . . Beatum facit prima & una confessio : vos totiens confitemini, quoties rogati, ut de carcere recedatis, carcerem fide & virtute præeligitis : tot vestræ laudes, quot dies : quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit qui statim patitur : at qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur ; quotidie coronatur . . . Ecce, dignitas cœlestis in vobis honoris annui claritate signata est . . . Beati satis, qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes, jam de sæculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei, ad complexum & osculum Domini, Domino ipso gaudente, venerunt. Sed & vestra non minor gloria, qui adhuc in certamine constituti, & comitum glorias secuturi, pugnam diu geritis. Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior. Agon unus, sed multiplici præliorum numerositate congestus. Famem vincitis, & sitim spernitis, & squalorem carceris, ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic subigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, sed optatur, quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, ut vitæ æternitate, qui vicerit, coronetur. „ Reipsa D. Moyses presbyter ærumnis confectus martyr obiit.

Cyprian. epist. 38. Pamel. 33.

Aurelii & Celerini elogium.

LXXVI. Nonnulli etiam Episcopi convenere Cyprianum, qui una cum ipsis celebravit ordinationem, inconsultoque præter morem Clero, Aurelium & Celerinum Confessores ordinavit Lectores. Carthaginensem Ecclesiam de hac ordinatione sic fecit certiorem : " Aurelius frater noster, illustris adolescens, sed in virtutis ac fidei laude provectus, gemino hic agone certavit, bis confessus, & bis confessionis suæ victoria gloriosus . . . . Parum fuerat, sub oculis ante paucorum, quando extorris fiebat, congressum fuisse; meruit & in foro congredi clariore virtute, ut post magistratus etiam Proconsulem vinceret, & post exilium tormenta superaret . . . Ita & dignitate excelsus est, & humilitate submissus, ut appareat, illum divinitus reservatum, qui ad Ecclesiasticam disciplinam cæteris esset exemplo, quomodo servi Dei in confessione virtutibus vincerent, post confessionem moribus eminerent. Merebatur talis Clericæ ordinationis ulteriores gradus. Sed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat; quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam . . . Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt . . . . Dominico legit interim nobis, id est, auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem. „ Lectores igitur in Ecclesia legebant Evangelium, sed non in Missarum solemniis, sed prædicanti prælegebant, ut habet ordo Romanus.

Cyprian. epist. 39. Pamel. 34.

Celerinum vero multorum Martyrum nepotem sic prædicat. " Exultate & gaudete nobiscum . . . Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter & moribus gloriosum, Clero nostro non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum : qui cum consentire dubitaret Ecclesiæ, ipsius admonitu & hortatu in visione per noctem compulsus est, ne negaret nobis suadentibus . . . Hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe & auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi cæteris viam fecit . . . Per decem & novem dies custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit . . . . Ejus caro famis ac sitis diuturnitate contabuit . . . Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa . . . Sunt magna, sunt mira, quæ de virtutibus ejus ac laudibus Fraternitas audiat . . . „ Et infra. " Hos Lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam sub candelabrum poni, unde omnibus luceat . . . . Cæterum Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut & sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum provectis & corroboratis annis suis . . . Admonitos nos præterea & instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, & nobiscum sedeat in Clero, luce clarissima confessionis illustris . . . Qui hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit : quique uxorem adhærentem lateri suo, concrematam simul cum cæteris, lætus aspexit. Ipse semiustulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquireret, semianimis inventus, & extractus, & refocillatus a comitibus, quos ipse præmiserat, remansit invitus. Sed remanendi, ut videmus, hæc fuit causa; ut eum Clero nostro Dominus adjungeret, & desolatam per lapsum quorumdam Presbyterii nostri copiam, gloriosis sacerdotibus adornaret. Et promovebitur quidem, cum Deus permiserit, ad ampliorem locum religionis suæ, quando in præsentiam protegente Domino venerimus.

Cyprian. epist. 40. Pamel. 35.

Schisma Novati.

LXXVII. Novum subinde malum exoritur, dirum schisma, quod Romanam & Carthaginensem turba-

Digitized by Google

Christi An. 252.
Hier. in Chron.
Pacian. epist. 2.
Cyprian. epist. 52. Pamel. 49.

turbavit Ecclesiam. Novatus presbyter Cypriani, ut testantur Eusebius, & Hieronymus, & Pacianus, "rerum novarum cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogans, quasi hæreticus, semper & perfidus, omnium sacerdotum voce damnatus, curiosus semper, ut prodat, ad hoc adulator, ut fallat, hostis quietis, pacis inimicus. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium, partus expressus. Hanc conscientiam criminum jam pridem timebat; propter hoc se non de Presbyterio excitari tantum, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat. Et urgentibus Fratribus, imminebat cognitionis dies, quo apud nos, inquit Cyprianus, causa ejus ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam evadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens, judicium sacerdotum voluntaria discessione præcessit. Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum, Diaconum, nec permittente Cypriano, nec sciente, sua factione & ambitione constituit." Hic Novato sceleratis moribus non absimilis, veteribus fraudibus, & rapinis & stupris adjunxit nefarium schisma,

Cyprian. epist. 41. Pamel. 38.

Cyprianoque semper infensus, ab eo divisit portionem plebis, præsertim lapsos, quos contra Episcopi sententiam a Clero Romano confirmatam, statim, non præmissa publica pœnitentia, ad communionem recipi volebat. Quin & seduxit quosdam Confessores, qui lapsis pacis libellos concesserant; ut probabilissimum est, eis persuadens, injuriam ipsis facere Cyprianum, qui pacis ab eis concessæ rationem non haberet.

Cyprian. epist. 43. Pamel. 40.

Seditioso quinque favebant Presbyteri, quos ordinationis suæ principio Cyprianus tulerat adversarios, qui de iis sic scribit epistola quadragesima tertia: "Nunc apparuit Felicissimi factio unde venisset, quibus radicibus, & quibus viribus staret. Hi fomenta olim quibusdam Confessoribus tribuebant, ne concordarent cum Episcopo suo..... Ac ne parum fuisset, corrupisse quorumdam Confessorum mentes, & contra sacerdotium Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluisse, nunc se ad lapsorum perniciem venenata sua deceptione verterunt; ut ægros, & saucios, & ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruinæ suæ minus idoneos, a medela vulneris sui avocent.... & ad exitiosam temeritatem mendacio captiosæ pacis invitent:... Persecutio est hæc alia, & alia tentatio; & quinque illi Presbyteri nihil aliud sunt, quam quinque primores illi, qui edicto nuper magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subverterent .... Eadem nunc rursus eversio per quinque Presbyteros Felicissimo copulatos ad ruinam salutis inducitur; ... ut post culpam criminis tollatur & pœnitentia." Ne vero aliquid seditioni deesset, Felicissimus cum suis separatim conventus suos agebat in monte, seu in excelso urbis

Cyprian. epist. 41. Pamel. 38.
Cyprianus excommunicat schismaticos.
Epist. 42. Pamel. 39.

loco, unde sectatores ejus dicti sunt Montenses; & cum contumelia Episcopi totum sibi vindicans, palam comminatus est, non communicaturos in monte secum qui communicarent Cypriano. Qui tantis malis occurrendum ratus, sententiam excommunicationis in eum tulit, & in Augendum, aliosque omnes, qui ejus factioni se adjunxerint; illiusque executionem demandavit Caldonio & Herculiano Episcopis, & Rogatiano & Numidico presbyteris, quos vicarios suos instituerat; monetque, ut literas suas Fratribus legant, & Carthaginem ad Clerum quoque transmittant, additis nominibus eorum, quicumque se Felicissimo junxerint. Illi rescripserunt: "Abstinuimus communicatione Felicissimum & Augendum, item Repostum de extorribus, & Irenem Rutilorum, & Paulam sarcinatricem. Item abstinuimus Sophronium, & ipsum de extorribus Soliassum budinarium." In his fuere duo Confessores, Repostus & Soliassus, etiam pro Christo multati exilio.

Cyprian. epist. 43. Pamel. 40.
Petrus unitatis Ecclesiasticæ fundamentum.

LXXVIII. Ecclesiæ Carthaginensi scripsit Cyprianus, ut ab ea schismaticorum seductione præcaveret: "Deus unus est, inquit, & unus Christus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri præter unum altare, & unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancerem & pestem fugiendo vitate ... Vitate lupos, qui oves a Pastore secernunt." Ibidem conqueritur, schismaticos sua perfecisse perfidia, ne ad eos ante diem Paschæ venire liceret: "Dum conjurationis suæ, inquit, memores, & antiqua illa contra Episcopatum meum venena retinentes, instaurant veterem contra nos impugnationem suam... Persecutionis istius novissima hæc est, & extrema tentatio, quæ & ipsa cito Domino protegente transibit, ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis; quibus præsentibus, secundum arbitrium quoque vestrum, & omnium nostrum commune consilium, sicut semel placuit, ea, quæ agenda sunt, disponere pariter & limare poterimus. Si quis autem pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, ad Felicissimi & satellitum ejus partes concesserit, & se hæreticæ factioni conjunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, & cum Episcopis & plebi Christi communicare non posse." Ex his patet in Africa prorsus desiisse persecutionem; quandoquidem Cyprianus brevi redire Carthaginem & Synodum celebrare destinabat.

Eutrop. lib. 10.
Finis persecutionis.

LXXIX. Reipsa cum plurimi Gothi Istrum fluvium transmeassent, Misam & Nicopolim capientes vastaverunt. Quamobrem Decius quamprimum Roma digressus est; inde etiam Romæ deferbuit persecutio. Utrobique convenere Episcopi, ut res Ecclesiæ componerent. Cyprianus jam de factione Felicissimi securus, ex secessu prodit, & sedem suam occupat, omniaque præparat ad celebrandum pro more concilium, quod lapsorum, & Felicissimi, & Presbyterii ejus causam judicaret. Novatus Episcoporum judicium declinans, Romam fugit, ut schisma, si posset, hic promoveret; quo recedente, gloriosi ac boni Confessores, qui de Ecclesia, illo incitante, decesserant, ad Ecclesiam reverterunt.

Cyprian. epist. 42. Pamel. 49.

Cypr. epist. 55. Pamel. 52.
Cornelius Papa.

LXXX. Interea Romæ, ut scribit Cyprianus, "Cornelius factus est Episcopus, de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis suffragio, & de sacerdotum antiquorum collegio, scilicet a sexdecim Episcopis;" inter quos fuere duo Africani, Pompejus & Stephanus. "Cum nemo ante se factus esset; cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret," a pluribus mensibus. "Non iste ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Episcopatum nec ipse postulavit, nec voluit; sed quietus, & modestus, & quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam, (scilicet postea Novatianus,) vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet. Plures Episcopi, qui tunc in urbe Roma aderant, literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt Episcopis, quorum universus numerus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Deinde, quanta in ipso suscepto Episcopatu suo virtus? quantum robur animi? Sedit intrepidus Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cum Decius infestus sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cum multo patientius, & tolerabilius audiret, levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem."

Pacian. epist. 3.
Novatiani schisma & mores.

LXXXI. Supervenit Novatus ex Africa, & Novatianum, Episcopatu Cornelii anxium, cum aliquantis ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid speret, hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero, qui tempestatem persecutionis illius evaserant, apud quos de lapsis receptis Cornelio conflavit invidiam, cum ipse Carthagine Fideles commovisset adversus Cyprianum, ut lapsi etiam sine prævia satisfactione reciperentur ad communionem. Dat eorum epistolas ad Novatianum. Ille ex earum authoritate Cornelii electionem ut illegitimam publice traducit, & abrogare conatus est, ut ejus sedem invaderet, multis licet prohibitus impedimentis canonicis. Illi quippe causam atque initium credendi præbuit satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquamdiu commoratus. Cumque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum

Cornel. epist. ad Fab. anth. apud Euf. l. 6. cap. 43.

Christi An. 252. vissimum collapsus, dum jam jamque moriturus crederetur, in ipso, in quo jacebat, lectulo perfusus, baptismum suscepit. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab Episcopo consignatus est sacramento Confirmationis. Attamen postea per gratiam Episcopi Presbyteri gradum consecutus est: cui cum universus Clerus, multique ex populo refragarentur, eo quod non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo, periode ac ille, perfusi fuissent, in Clerum assumi; postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ordinari a se paterentur.

Ibid. Aliquanto post, persecutionis tempore, præ metu ac nimia vivendi cupiditate, presbyterum se esse negavit. Admonitus autem & rogatus a Diaconis, ut ex cubiculo, in quo se ipsum incluserat, egressus, Fratribus auxilio indigentibus succurreret, tantum abfuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret; quin potius ira & indignatione percitus, abiit ac discessit; neque enim presbyterum se amplius velle esse respondit. Verumtamen, ipso scribente atque subscribente, perlatum est Cleri Romani decretum, ut lapsis in mortis articulo subveniretur; alii vero pacem Ecclesiæ exspectarent, sacerdotumque judicium. Postea, ut criminaretur Cornelium, qui apostatas recipiebat, lapsos quidem hortandos ad pœnitentiam dixit, reservandosque divinæ misericordiæ; sed negabat per sacerdotes eis pacem posse concedi. Eaque falsa specie disciplinæ austerioris plerosque Fideles & quinque Presbyteros ad suum schisma pertraxit; quodque magis luctuosum, ei se adjunxere plerique Confessores, quos inter eminebant Maximus presbyter, Nicostratus diaconus, Urbanus, Sidonius, Macarius.

Cypr. ep. 49. Pamel. 46.

Cypr. ep. 55. Pamel. 52.

LXXXII. Novatus vero per calumniam ubique vulgabat, Cornelium libelli labe maculatum, sacrilegam cum Episcopis, qui sacrificaverant, miscuisse communionem, Trophimumque designabat; iisque mendaciis non paucos ab ejus communione separavit. Tunc Novatianus, qui se doctorem & Ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, & tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat, se Episcopatum non concupiscere, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines plane rudes, ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, constantissime affirmans, ipsos quamprimum Romam proficisci oportere; ut omnis, undecumque orta discordia, ipsorum una cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent, homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, eos ille a quibusdam suis simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos, adumbrata quadam, & inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim coegit; eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat, factus primus Antipapa.

Corn. ep. ib. ut supra.

Novatianus 1. Antipap.

Ibid. Nec multo post unus ex illis Episcopis ad Ecclesiam rediit, delictum suum cum lamentis ac fletibus confitens. Quem nos, inquit Cornelius, cum universus populus pro illo intercessisset, ad communionem laicam suscepimus; nempe deposito, ut inter laicos communicaret, permisit. Reliquis etiam duobus Episcopis successores ordinavimus, eosque in loca illorum direximus. Ergo ille Evangelii vindex ignorabat, unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica; in qua tamen sciebat, Presbyteros quidem esse quatuor & quadraginta, septem autem Diaconos, totidem Subdiaconos, Acoluthos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis & egentibus plusquam mille & quingentas, quibus universis gratia & benignitas Dei alimenta suppeditat. Et tamen tanta, tamque necessaria in Ecclesia multitudo, cum immenso ac pene innumerabili populo, ab ejusmodi desperatione & audacia illum deterrere, & ad Ecclesiam revocare non potuit. Talis fuit ordinatio Novatiani, qui primum schisma conflavit in Romana Ecclesia, & sectæ Catharorum author extitit; quippe solos se puros, seu peccatorum communione non pollutos gloriabantur ejus discipuli.

Clerus Romanus.

Pacian. epist. 3. Cypr. ep. 55. Pamel. 52.

LXXXIII. Novatianus schisma suum fovit nova hæresi: primo quidem dixit lapsis veniam sine scelere non posse concedi; cum autem a Cypriano & aliis urgeretur, quod ipse adulteros Libellaticis deteriores reciperet; omnia peccata Stoicorum quodam more, paribus docebat æstimanda mensuris, seu esse æqualia; mortale peccatum Ecclesiam donare non posse, imo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. Ipse vero etiam sceleratissimos ab Ecclesia recedentes recipiens rebaptizabat; damnabat etiam secundas nuptias. Illius sectatores illius dogma sic temperarunt, ut refert Ambrosius. Sed ajunt, inquit, se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem author vestri erroris Novatus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit .... In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a nobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione commisit .... Ita nec Novatus probatus, qui veniam interclusit omnibus; nec vos imitatores ejusdem, sed condemnatores, qui ibi minuitis studia pœnitentiæ, ubi augeri oportet, quia graviora peccata majoribus sustinenda fulcris docuit Christi misericordia. Graviorum scelerum nomine intelligebant apostasiam, homicidium, fornicationem, & adulterium, sub quibus alia peccata carnis his graviora comprehenduntur. Horum reos hortabantur quidem ad satisfactionis pœnitentiam, sed nusquam ad pacem & communionem recipiebant Novatiani. Quos ibidem confutat D. Cyprianus, ostendens irrisorium esse, hortari peccatores ad pœnitentiam, & ipsis subtrahere de satisfactione medicinam.

Christi An. 252.

Novatiani hæresis.

Ambr. l. 1. de pœnit. c. 2.

Cypr. Ibid.

LXXXIV. Novatianus aliud facinus tentavit, ut suos asseclas sibi magis devinceret. Oblatione facta, portionem singulis dividens, dum eam tradit, miserus homines benedictionis loco jurare cogit; manus ejus, qui portionem accipit, ambabus suis manibus comprehensas retinens dicebat: Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum. Ita miser ille, cum Panem illum accipiens dicere debuisset, Amen, ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.

Eus. hist. l. 6. c. 43.

LXXXV. Cyprianus Carthaginem reversus, ut ipse scribit ad Antonianum, secundum quod antea fuerat destinatum, persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi cum quadraginta duobus Episcopis habuit Synodum de lapsorum negotio, quæ prima dicitur Carthaginensis. Hujus decreta sic refert: "Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, eo quod sibi Ecclesia clauderetur... Nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent: sed traherentur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia; & examinarentur causæ & voluntates, & necessitates singulorum... Si qui autem infirmitatibus occupantur, illis, sicut placuit, in periculo subveniatur... „ Et infra. „ Pœnitentiam autem non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum. „ Episcoporum Afrorum illud judicium, licet acerbius, satis indicat, quid sentiendum sit de pœnitentia, cujus nulla indicia præcessere mortis articulum. Hanc quidem concessit Augustinus cum aliis plurimis; sed vereor, inquit, ne & ipsa moriatur.

Cypr. epist. 55. Pamel. 52.

Synodus 1. Carthag. Cypr.

LXXXVI. Moris erat insignioribus Episcopis, ad collegas de sua ordinatione vel epistolas, vel legationes mittere, ut scirent, quos adire scripto, aut communione sibi sociare deberent. Id prior præstiterat Cornelius. Carthaginense Concilium, acceptis ejus & collegarum literis, quibus tum Cornelii electio, tum grave schisma repræsentabatur, nondum audita Novatiani ordinatione, has quidem Clero & populo legi præcepit; "religiosam enim simplicitatem sonabant, nec ullis convitiorum latratibus perstrepebant: „ sed ne quid in re tam gravi ageret præpropere, Caldonium & Fortunatum Episcopos Africanos cum literis ad eum aliosque Coepiscopos misit, ut non tantum persuasione literarum, sed præsentia sua eniterentur,

epist. 44. Pamel. 41.

ut

Digitized by Google

CHRISTI AN. 252.

ut ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem scissi corporis membra componerent, statuitque, ut omnia interim integra suspenderentur, donec redirent Legati, qui secum deferebant duas Cypriani epistolas; prior erat de Felicissimo, posterior de Presbyteris: qui ei adhæserant.

Cypr. ep. 44. Pamel. 41.

Cyprianus rejecit Legatos Novatiani.

LXXXVII. Aliquot post diebus Carthaginem venerunt missi a Novatiano Maximus presbyter, & Augendus diaconus, & Macheus quidam, & Longinus, deferentes secum librum adversus Cornelium plenum criminosis accusationibus. " Sed, inquit Cyprianus, cum ex literis, quas secum ferebant, & ex eorum sermone atque asseveratione, Novatianum Episcopum factum comperissemus, illicitæ & contra Ecclesiam Catholicam factæ ordinationis pravitate commoti, a communione eos nostra statim cohibendos esse censuimus, refutatis interim ac retusis quæ obstinate & pertinaciter asserere tentabant; Legatorumque nostrorum reditum exspectabamus. Supervenerunt vero Pompejus & Stephanus, collegæ nostri, qui & ipsi quoque, ad instruendos istic nos, manifesta secundum gravitatem ac fidem suam indicia ac testimonia protulerunt; ut nec accesse fuerit audiri ultra eos, qui a Novatiano venerant missi .... Quibus semel responsum dedimus, ut perniciosa dissensione & concertatione deposita, impietatem esse sciant, Matrem deserere; & agnoscant & intelligant, Episcopo semel facto; & collegarum ac plebis testimonio & judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse, „ Novatiani legati sic rejecti non desistunt, sed ostiatim per multorum domos, & oppidatim per quasdam civitates discurrentes, obstinationis suæ & erroris quærunt comites. Quorum omnium Cornelium fratrem suum certiorem reddidit Cyprianus epistola per Primitivum presbyterum missa, quæ sic inscribitur, sicut & sequentes: *Cyprianus Cornelio fratri salutem.*

Africa recepit Cornelium.

LXXXVIII. Cyprianus ejusque collegæ ut negotia Ecclesiæ Africanæ pertractarent diligentius, Carthagine convenientes, in suo Concilio Felicissimum & quinque Presbyteros nuper ab Ecclesia profugos audierunt, eosque auditos abstinuerunt. Et quoniam ex reditu & relatione Caldonii & Fortunati, ordinatio Cornelii, & ratio justa, & gloriosa innocentia apparuit, in totam Africæ provinciam, in Numidiam etiam, & Mauritanias, literas scripserunt, ut universi Episcopi & Cornelium & communicationem ejus probarent firmiter ac tenerent. Quin etiam Sinodicæ literæ ad Cornelium scriptæ sunt, ut, quid de Felicissimo & Presbyteris ejus actum esset, scire posset, suaque manu subscriptas miserunt per Metium hypodiaconum, & Nicephorum acoluthum: sed hæ literæ desiderantur, superestque sola Cypriani epistola. Et quoniam quorumdam Confessorum nomine per omnes Ecclesias literæ calumniis & maledictis plenæ adversus Cornelium frequentes missæ sunt, ipse dat ad eos epistolam, qua eos, ut ad matrem Ecclesiam revertantur, breviter hortatur; Metioque in mandatis dedit, ut eam prius Cornelio communicaret. Hæc præsidente Cypriano gesta sunt in Carthaginensi concilio; quod interruptis actionibus celebratum videtur; cumque jam omnia Concilii authoritate composita essent, legati a Novatiano missi Africa expulsi sunt.

Cypr. ep. 46. Pamel. 44.

LXXXIX. Dionysius Alexandrinus ad eosdem Confessores Novatiani fautores dedit literas, & Novatiano, qui scripserat se repugnantem electum Romanum Episcopum, sic paucis rescripsit: Siquidem invitus, ut asseris, eo adductus es, id nobis ostendes, tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat, quidvis pati, ne Ecclesia Dei dissolveretur; nec minus gloriosum fuisset, idcirco subire martyrium, ne Ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares: imo illud, meo quidem judicio, illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima; illic pro omni Ecclesia martyrium quis sustinet. Si tamen vel nunc persuaseris Fratribus, aut eos coegeris, ut ad concordiam redeant, majus erit meritum tibi, quam culpa: & hæc quidem non imputabitur; illud vero prædicabitur. Quod si Fratribus parere recusantibus id efficere non potes, tuam ipse animam serva. Opto, te paci studentem in Domino bene valere.

Eus. hist. l. 6. c. 45.

Quam grave peccatum sit schisma.

Eus. ibid.

Romana Synodus.

XC. Cornelius, acceptis Synodi Carthaginensis actis, Concilium convocavit. Sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri vero, ac Diaconi multo plures convenerunt: cumque reliqui in provinciis antistites, quid agendum esset, seorsim consuluissent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est. Novatianum quidem, & eos qui una cum ipso sese insolentius extulerant, & quicumque inhumanissimæ & a fraterna charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse: Fratres vero, qui in calamitatem inciderant, seu lapsos, pœnitentiæ remediis curandos esse, & consovendos, juxta canones Synodi Carthaginensis. Cornelius Romanæ Synodi decreta dissitis Ecclesiis, & Fabiano Antiochiæ Episcopo communicavit, datis ad eos literis, in quibus omnium quoque per Italiam, & Africam, aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur. Novatianus ubique damnatus, atque proscriptus ad novas confugit artes. Misit in Africam Evaristum suæ partis Episcopum, Novatum Carthaginensis Ecclesiæ presbyterum, Nicostratum diaconum, unum ex Confessoribus, cum Primo etiam & Dionysio; ut partes suas, quoquo modo possent, promoverent. Quare Cornelius, literis per Augendum confessorem missis, de eorum discessu Cyprianum admonuit; sed literæ illæ desiderantur.

CHRISTI AN. 252.

Novatianus ubique damnatus.

Socrat. l. 5. c. 19.

XCI. Episcopi, qui hactenus soli publicam pœnitentiam administrarant, Novatiani erroris occasione, & propter lapsorum multitudinem in persecutione Deciana, Pœnitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt; ut qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur. Duplex autem fuit pœnitentia, ut omnes norunt, quantum ad modum satisfactionis: alia privata, alia publica; cujus leges hic paucis exponere non abs re fuerit.

apud Eus. l. 4. c. 23.

Quoslibet peccatores vere pœnitentes semper suscepit Ecclesia.

2. ad Cor. c. 6.

Eus. l. 3. c. 23.

XCII. Cunctos, qui a quovis lapsu sive delicto, sive etiam ab hæretica pravitate, resiliunt, semper benigne suscipi voluit Ecclesia, ut docet Dionysius Corinthiorum Episcopus. Illius disciplinæ multa hactenus exempla protulimus. Incestuoso Corinthio condonavit Paulus: adolescentem multis sceleribus, præsertim latrociniis & publicis homicidiis coinquinatum Ecclesiæ reconciliavit D. Joannes: sedente Hygino, Cerdon impius hæreticus ad omologesim Romæ non semel receptus est: Natalis, qui hæreseos Episcopus factus fuerat, a Zephyrino Papa tandem ad communionem admissus est: Montanistas & Novatianos, qui gravioribus sceleribus veniam negabant, damnavit Ecclesia: adulteris, homicidis, & apostatis veniam relaxabant sacerdotes, ætate Cypriani, scilicet labente jam tertio sæculo. Confessionem, seu peccatorum etiam occultorum declarationem apud sacerdotes, semper in usu fuisse, multis exemplis demonstravimus. Cyprianus, cujus verba mox laudavimus, hanc passim libro de lapsis aperte declarat.

Ad confessionem publicam nullo lex obligavit.

Trid. sess. 14. cap. 5.

Nulla vero lege divina, vel ecclesiastica impositam esse Fidelibus obligationem peccata sua publice, seu coram multis, confitendi docet Tridentinum: *Caterum*, inquit, *quo ad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exempla, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non tamen divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione sic aperienda.* Constanter hanc fuisse praxim Ecclesiæ sic docet Sozomenus: Cum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturæ sit, & humana præstantioris; pœnitentibus vero, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit; cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat; grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret; huic officio præfecerunt; ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat pœnitentes, postquam a seipsis pœnas exegissent. Satisfactio vero erat publica, sed non quo ad omnia.

Sozom. hist. l. 5 c. 16.

Vide textum græc.

Ibid.

Hic enim mos in Occidentalibus Ecclesiis, ac præcipue in Ecclesia Romana, studiose observabatur. In propatulo est pœnitentium locus, in quo illi stant mœsti, ac veluti lugentes, peractisque jam Missarum solemnibus, exclusi a communione sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terram abjiciunt. Tum Episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humi provolvitur, ac universa Ecclesiæ multitudo simul confitens lacrymis perfunditur. Post hæc vero primus exurgit Episcopus, ac prostratos erigit: factaque, ut decet,

precа-

CHRISTI AN. 252.

precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abstinentia, vel aliis, quibus jussus est, modis, tempus quantumcumque ipsi ab Episcopo constitutum est, exspectat. Ubi vero præstitutus dies advenit, tanquam debito quodam persoluto, a pœna commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesiæ populo sociatur. Hæc Episcopi urbis Romæ jam inde ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem, id est, ad Theodosii junioris tempora, custodiunt. Itaque pœnitentia dicebatur publica, non propter publicam peccatorum sacramentalem confessionem; sed quia publica satisfactione se gravium peccatorum reos profitebantur ejusmodi pœnitentes; unde veteres eam dixere Exomologesim, qua significatione usurpatur a Tertulliano: Exomologesis, inquit, prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem.

Tert. de pœn. c. 8.

Peccata subjecta publicæ pœnitentiæ.

XCIII. Controversum est, quænam peccata publicæ pœnitentiæ subjicerentur: quod intelligendum est secundum communes leges Ecclesiæ; neque enim facta privatorum, vel speciales alicujus Ecclesiæ leges hic consideramus. Itaque dicimus, non omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ fuisse subjecta, longe esse probabilius. Id aperte docet Gregorius Nyssenus: Altera autem species idololatriæ, inquit, sic enim divus Apostolus avaritiam appellat, nescio quomodo absque ulla pœnæ medela a Patribus prætermissa est. Idem de occulto furto affirmat D. Leo in epistola ad Rusticum Narbonensem, capite ultimo; sicque explicat disciplinam Ecclesiæ: Qui convivio gentilium escis immolatis usi sunt, possunt jejuniis & manus impositione purgari, ut deinceps ab Idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes: Si autem idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti. Hinc discimus, privatam fuisse pœnitentiam, quam pro mortali peccato agebat Fidelis, qui in gentilium convivio vescebatur Idolothytis; publicam vero pœnitentiam apostatis, homicidis, fornicatoribus, quo nomine omnia peccata carnis fornicatione graviora comprehenduntur, fuisse impositam, sed tantum, quando fuere publica, scilicet cum per idoneos testes, vel certa moraliter indicia innotescebant Ecclesiæ, quamvis multos laterent, ut aperte colligitur ex canone trigesimo secundo Concilii tertii Carthaginensis, cui interfuit Augustinus: Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente: cujuscumque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur. Idem canone octavo statuit Vasense Concilium. Quod si se tantum Episcopus alieni sceleris conscium novit, quamdiu probare non potest, nihil proferat; sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret: quod si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publicæ ingesserit, etiamsi Episcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licet ab his qui nihil sciunt, secedere ad tempus, pro persona majoris authoritatis, jubeatur, illo, quamdiu nihil probari potest, in communione omnium, præterquam ejus qui eum reum judicat, permanente. Jam vero qui potuisset Episcopus ad publicam pœnitentiam adigere, quem, licet sciret maxime reum, tenebatur relinquere in communione omnium, quamdiu crimen probare non poterat? Et certe Confessionis sigillum cum sit juris naturalis atque divini, quomodo propter occultum crimen, ex sola rei confessione cognitum, pœnitentem ad publicam pœnitentiam adigere potuisset sacerdos? Numquid eum coegisset ad publicam sui manifestationem?

Greg. Nyss. ep. can. ad Letoium.

Præterea, si quod grave damnum immineret ex publica pœnitentia, peccatores, expertes quidem sacræ communionis, cum reliquis Fidelibus interesse divinis officiis concedebant Episcopi. Hujusce disciplinæ testis est Basilius: Adulterio pollutas mulieres, inquit, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt; ne convictis mortis causam præbeamus; eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ. Notissima quoque est ejusdem Basilii præscriptio de Clericis: Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur; a laicorum autem communione non arcentur: non enim vindicabis bis in ipsum. Hanc quoque disciplinam observavit Romana Ecclesia: Illud quoque, inquit Siricius Papa, nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere, scilicet publicam, cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci. Quem Leo magnus morem deducit ab Apostolis: Sine dubio, inquit, ex Apostolica traditione descendit, quod Presbyteri Diaconique inter pœnitentes non censeantur. Denique Pastores mitius agebant cum adolescentibus, qui nondum vigesimum annum attigerant, ut constat ex canone decimo sexto Concilii Ancyrani.

Basil. can. 34. in ep. ad Amphil.

Pœnitentia publica Clericis non fuit imposita.

cap. 32.

Leo ep. ad Rust.

XCIV. Patres duorum priorum sæculorum nihil habent determinatum circa modum satisfactionis; quam tamen austeram requirunt. Publicam tamen in usu fuisse pœnitentiam, testis est Tertullianus in libro de pœnitentia, quem quinquaginta annis ante Novatianos scripsit adhuc Catholicus. Initio tertii sæculi quatuor pœnitentium ordines institutos legimus, quos sic describit Gregorius Thaumaturgus: Fletus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem, oportet Fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Ejusmodi pœnitentes, cum essent sub dio, dicebantur Hyemantes. Auditio est intra portam, in loco quem Narthecem vocant; ubi oportet eum, qui peccaverit, stare post Catechumenos, & illinc egredi; Audient enim, post Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Substratio est, ut intra portam templi stans, cum Catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum Fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio sacramentorum. Itaque pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petebant, attonsis comis, & in veste pulla & sordida sistebant se Episcopo, qui receptis per manuum impositionem, cilicium super caput imponebat; mulieres vero velabantur, & mutabant habitum; tunc has quatuor classes sic decurrebant. Qui sua sponte interfecit, inquit Basilius, & postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur: debet quatuor annis flere stans extra fores oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuncians. Post quatuor autem annos, inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem annis, cum iis, qui in substratione orant, egredietur. Per totum illud tempus pœnitens ludis abstinens, in mandatis habebat, ut docet Tertullianus, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare, pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa, plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus Fratribus legationes deprecationis injungere. Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora, quamvis canonibus determinata, permittebantur: eique licebat pro ecclesiasticæ œconomiæ utilitate tempus auditionis contrahere, & celerius ad conversionem deducere, & rursus hoc quoque tempus contrahere, & celerius communionem reddere. En indicium Indulgentiarum. Ejusmodi pœnitentia semel tantum concedebatur, quia, inquit Ambrosius, sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Salubriter hoc provisum affirmat Augustinus, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis, minus utilis esset ægrotis.

4. Ordines pœnitentium.

Greg. ep. can. 11.

Concil. Tolet. 3. c. 12. & Agathen. can. 15.

Basil. ep. can. 56.

Pœnitentiæ publicæ leges.

Tert. de pœn. c. 9.

Conc. Carthag. c. 3. c. 81.

Greg. Nyss. ep. ad Leta.

Ambr. lib. 2. de pœn. c. 10.

Aug. ep. alias 54.

Quandonam vero pœnitentes reconciliarentur, certo non constat. Petavius putat, & quidem probabilius, tertiæ classis initio per impositionem manuum sacramentalem illis absolutionem fuisse impertitam; qua statione impleta, rursus per manus impositionem jus communicationis accipiebant. Siquis in decursu pœnitentiæ graviter ægrotaret, ei quidem communio concedebatur; sed si superviveret, stabat in ordine pœnitentium, ut, ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum manus impositione reciperet. Sacramentalis reconciliationis tempus incertum fecit forma seu modus absolutionis. Sacerdotes Græcos etiam Catholicos orationem pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consuevisse, expresse affirmat Clemens octavus. Patriarchatus Constantinopolitani Euchologium non aliam continet. Patres Græci & Latini, ordo Romanus manuscriptus, Missale D. Eligii, & quædam Latina Ritualia anti-

Reconciliationis tempus.

Cypr. ep. 9.

Cl. VIII. in Bul. de rit. Græc.

Euchol. Venet. edit.

CHRISTI AN. 252.

antiquiora, meminere tantum impositionis manuum & orationis, Goartiique Euchologium, quod his subjungit formam alteram absolutam, est Armenorum, aliorumque Græcorum Orientalium, qui ritibus suis quosdam inseruere Romanos, dum aliqua necessitate compulsi redirent ad unitatem. Itaque cum sæpe & variis temporibus pœnitentibus manus imponerent Episcopi, variasque dicerent orationes, quarum nullam esse Sacramenti formam multi volunt; hinc certo cognosci non potest ex antiquitatis monumentis, quandonam vere peccata dimitteret Sacerdos potestate judiciaria: fatentur enim omnes, hanc Græcorum orationem reconciliatoriam, habere suum effectum ex opere operato. Itaque cognitis causis cum eam pronuntiet sacerdos, qui peccata dimittit, dum ea aliis retinet, verum exercet judicium. Instante mortis, vel persecutionis periculo, publice pœnitentes statim reconciliati fiebant participes divinæ Eucharistiæ; ea tamen lege, ut reddita pace, vel sanitate, reliquam pœnitentiæ partem peragerent. Hæ sunt pœnitentiæ publicæ leges præcipuæ, quas ad privatam pœnitentiam qui transferre volunt, id tentant, quod nunquam in usu fuit in Ecclesia; quemadmodum demonstravit vir doctissimus.

Bail. 3. part. exam.

Pœnitentia publica, cum sit institutionis ecclesiasticæ, fuit obnoxia mutationi. At non eadem est ratio confessionis sacramentalis, quam Christus instituit. Peccatores enim mortalis peccati rei sub mortis æternæ pœna tenentur illud sacerdotum judicium adire, adeoque peccata confiteri, ut expresse docet D. Augustinus: Si præter uxores vestras, inquit, cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occulte ago apud Deum. Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.

Aug. hom. 49. ex 50.

Basil. ep. ad Amph cap. 61. Siric. ep. ad Himer.

XCV. Præter publicam & privatam pœnitentiam erat quædam media, dicebaturque semiplena. Illius meminit D. Basilius: Qui furatus est, si seipsum accusaverit, per annum a sola Sacramentorum communione arcebitur. In reliquis ergo eum Fidelibus communicabat. Huic pœnitentiæ subjacebant in capitale crimen iterum prolapsi: Quia, inquit Siricius Papa, jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus de his discernendum, ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, & sacræ Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a Dominicæ autem Mensæ convivio segregentur; quos tamen viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. His accensendi sunt Clerici gravium scelerum rei, qui communione privabantur.

Corn. apud Cypr. ep. 49. Pamel. 46.

XCVI. Confessores Romani, quos e carcere prodeuntes schismaticus & hæreticus error exceperat, Cypriani & Dionysii literis inducti, de reditu ad Ecclesiam cœperunt cogitare. " Urbanus & Sidonius Confessores ad presbyteros Cornelii venerunt, affirmantes, Maximum Confessorem, & presbyterum secum pariter cupere in Ecclesiam redire: sed quoniam multa præcesserant ab iis designata, ut non temere eis fides haberetur, ex ipsorum ore & confessione, ista, quæ per legationem mandaverant, placuit audiri. Qui cum venissent, & a Presbyteris, quæ gesserant, exigerentur, novissime quod per omnes Ecclesias literæ calumniis & maledictis plenæ, eorum nomine frequentes missæ fuissent, & pene omnes Ecclesias perturbassent; circumventos se esse affirmarunt, nec quid in literis inesset, scisse; tantummodo circumductos commisisse se schismata, & hæresis auctores fuisse; ut paterentur ei, (scilicet Novatiano) manus quasi in Episcopum imponi. Qui, cum hæc & cætera fuissent exprobrata, ut abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati sunt.

Confessores, qui Novatiano adhæserant, recipit Cornelius.

Cornelius his cognitis contraxit Presbyterium: " Adfuerunt etiam Episcopi quinque, ut, firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur. His ita gestis in presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique Fratres qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea, quæ ante fuerant gesta, in oblivione cederent, nullaque eorum mentio haberetur; proinde atque si nihil esset commissum, vel dictum, invicem omnibus remissis. Omnis hic actus populo fuit insinuatus, ut ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes & palabundos jam diu viderant, & dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus Fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos, quasi eo die fuissent pœnæ carceris liberati. Confessores vero palam coram omnibus profitebantur: Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ, electum a Deo omnipotente, & Christo Domino scimus. Nos errorem nostrum confitemur. Nos imposturam passi sumus. Nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico & hæretico homine habuisse; sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere. „

CHRISTI AN. 252.

Cypr. epist. 55. Pamel. 52.

XCVII. Maximum presbyterum locum suum retinere jussit Cornelius; cæteros cum ingenti populi suffragio recepit propter duplicem eorum confessionem: hæc Cypriano scripsit per Nicephorum acoluthum. Severius in apostatas animadvertit Romanus Pontifex: Trophimum presbyterum, qui persecutionis tempore idolis sacrificarat, magnamque partem plebis secum seduxerat, postea pœnitentem, quamvis omnes, quos deceperat, secum reduceret, ea tantum lege suscepit, ut e gradu dejectus inter laicos deinceps communicaret; quæ lex pro Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus lapsis vigebat in tota Ecclesia, ut docet Cyprianus: " Manifestum est, inquit, ejusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere; maxime cum nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus ac justus decreverit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque sacerdotali honore prohiberi. „ Hanc tamen disciplinam ut laxiorem criminabantur Novatiani. Cornelius literis suis subjungendas curavit sententias Episcoporum & Presbyterorum in eo negotio prolatas, quæ desiderantur. Scripsit & festinanter breves literas, quibus Africanos doceret, quales essent qui a Novatiano missi erant, ac præcipue Nicostratus *furti reus*, & Evaristus author schismatis, *in cujus locum* Zetum constituerat Episcopum.

Cypr. epist. 67. Pamel. 68.

Dexipp. apud Georg. Syncel. vict. de Imper.

Decii mors.

XCVIII. Decius cum filio natu majore Abruti in Mœsia juxta paludem circumseptus a Gothis, fraude Galli extinguitur, cum imperasset menses fere triginta, anno Christi ducentesimo quinquagesimo secundo, quinto Kalendas Octobris. Decius pater, ut credibile est, cum filium sagitta occisum vidisset, ne vivus in manus hostium perveniret, insiliit in voraginem paludis: nam quæsitum ejus cadaver nusquam repertum est. Cajus Vibius Trebonianus Gallus invasit Imperium, ut suæ proditionis præmium; legionesque, quæ a prælio refugerant, sibi conciliavit; Volusianum filium suum creavit Cæsarem; Hostilianum secundum Decii filium adoptavit, & Augustum declaravit; cum Gothis fœdus percussit, non sine Romani nominis ignominia. Tunc primum populus Romanus tributa pependit; tunc primum Respublica jugum Scythicæ servitutis accepit: tributum fuit ducentarum dragmarum aurearum. Secus evenit quam sperabat Imperator. Barbarus ex victoria, insolentior Græciam & partem Asiæ depopulatus est: Parthi Armeniam occupans, & vastans Syriam. Ita Imperium Galli infaustum atque infelix. Sed inde plena pax Ecclesiæ, non sedata atque sopita, sed prorsus finita persecutione, a Deo indulta est; ut initio libelli de lapsis indicat Cyprianus: " Pax, inquit, ecce dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est, & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est. „ Sub idem tempus septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, scilicet Turonicis Gratianus, Arelatensibus Trophimus, Narbonæ Paulus, Tolosæ Saturninus, Parisiacis Dionysius, Avernis Stremonius, Lemovicinis Martialis est destinatus.

Pax Ecclesiæ.

Episcopi missi in Gallias.

Gregor. Tur. hist. Franc. cap. 30.

TEX-

TEXTUS GRÆCI LIBRI SEXTI.

Num. XIII. Symbolum Gregorii Thaumat. Εἷς Θεὸς Πατὴρ Λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου· τέλειος τελείου γεννήτωρ, Πατὴρ Υἱοῦ μονογενοῦς. εἷς Κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ· χαρακτὴρ, καὶ εἰκὼν τῆς Θεότητος, Λόγος ἐνεργής· σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτική· καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική· Υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ Πατρὸς, ἀόρατος τοῦ ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. καὶ ἓν Πνεῦμα Ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον· καὶ δι' Υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις, εἰκὼν τοῦ Υἱοῦ τελείου τελεία, ζωὴ ζώντων αἰτία, πηγὴ Ἁγία, ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός. ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ Πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι· καὶ Θεὸς ὁ Υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. Τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη.

Num. XXV. Origenes l. 1. contra Celsum. Ἐγὼ μὲν οὖν οὐ κολακεύων τὸν λόγον, ἀλλὰ πειρώμενος ἐπιθεωρουμένως ἐξετάζειν τὰ πράγματα, φήσαιμι ἂν ὅτι οὐδ' οἱ σώματα πολλὰ καμόντα θεραπεύσαντες, ἀθεεὶ συγχαίρουσι τῷ κατὰ τὴν ὑγίειαν τῶν σωμάτων τέλει. εἰ δὲ καὶ ψυχάς τις δύναιτο ἀπαλλάττειν τῆς κατὰ τὴν κακίαν χύσεως, καὶ ἀκολασταινόντων καὶ ἀδικοπραγμάτων καὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον καταφρονήσεως, καὶ δεῖξιν διδοίη τοῦ τοιούτου ἔργου, βελτιωθέντας τὸν ἀριθμὸν ἑκατόν· ἔστω γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον ὁ λόγος. οὐδὲ οὕτως ἂν εὐλόγως φήσαι τις ἀθεεὶ λόγον τοσούτων κακῶν ἀπαλλακτικὸν ἐμπεποιηκέναι τοῖς ἑκατόν. εἰ δ' ὁ εὐγνωμόνως ταῦτα ἐξετάζων συγκαταθήσεταί τῳ, μηδὲν κρεῖττον ἐν ἀνθρώποις γεγονέναι ἀθεεί· πόσῳ πλέον τὸ τοιοῦτον περὶ τοῦ Ἰησοῦ ἀποφανεῖται, συνεξετάζων πολλῶν προσερχομένων αὐτοῦ τῷ λόγῳ ἀρχαιοτέρους βίους μετὰ νεωτέρους, καὶ κατανοῶν ἐν ὅσαις μὲν ἀκολασίαις, ὅσαις δὲ ἀδικίαις καὶ πλεονεξίαις ἕκαστος αὐτῶν ἦν, πρὶν, ὥς φησι Κέλσος, καὶ οἱ τὰ αὐτὰ αὐτῷ νομίζοντες, ἀπατηθῶσι, καὶ παραδέξωνται λόγον λυμαινόμενον, ὡς ἐκεῖνοι λέγουσι, τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον; ἐξ οὗ δὲ παρειλήφασι τὸν λόγον, τίνα τρόπον γεγόνασιν ἐπιεικέστεροι καὶ σεμνότεροι, καὶ εὐσταθέστεροι, ὥς τινας αὐτῶν, διὰ τὸν ἔρωτα τῆς ὑπερβαλλούσης καθαρότητος, καὶ διὰ τὸ καθαρώτερον θρησκεύειν τὸ θεῖον, μηδὲ τῶν συγκεχωρημένων ὑπὸ τοῦ νόμου ἅπτεσθαι ἀφροδισίων· ἐξετάζων δέ τις τὰ πράγματα, ὄψεται, ὅτι μεῖζον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐτόλμησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ τολμήσας ἤνυσε.

Num. XXVIII. Idem l. 4. Οὐδὲ γὰρ δεδύνηνται οὗτοι βασανίσαι τὴν φυσικὴν τοῦ Θεοῦ ἔννοιαν, ὡς πάντῃ ἀφθάρτου καὶ ἁπλοῦ καὶ ἀδιαιρέτου. ὁ δὲ καταβεβηκὼς εἰς ἀνθρώπους, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, καὶ διὰ φιλανθρωπίαν ἑαυτὸν ἐκένωσεν, ἵνα χωρηθῆναι ὑπ' αὐτῶν δυνηθῇ. οὐ δήπου δ' ἐξ ἀγαθοῦ εἰς κακὸν γέγονεν αὐτῷ μεταβολὴ, ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ ἐκ καλοῦ εἰς αἰσχρὸν, οὐ γὰρ ἔγνω ἁμαρτίαν. οὐδὲ ἐξ εὐδαιμονίας ἦλθεν εἰς κακοδαιμονίαν. ἀλλ' ἑαυτὸν μὲν ἐταπείνωσεν, οὐδὲν δὲ ἧττον μακάριος ἦν, καὶ ὅτε συμφερόντως τῷ γένει ἡμῶν ἑαυτὸν ἐταπείνου.... εἰ δὲ καὶ σῶμα θνητὸν καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην ἀναλαβὼν ὁ ἀθάνατος Θεὸς Λόγος, δοκεῖ τῷ Κέλσῳ ἀλλάττεσθαι, καὶ μεταπλάττεσθαι, μανθανέτω ὅτι ὁ Λόγος τῇ οὐσίᾳ μένων Λόγος, οὐδὲν μὲν πάσχει ὧν πάσχει τὸ σῶμα ἢ ἡ ψυχή. Συγκαταβαίνων δ' ἔσθ' ὅτε τῷ μὴ δυναμένῳ αὐτοῦ τὰς μαρμαρυγὰς καὶ τὴν λαμπρότητα τῆς θεότητος βλέπειν, οἱονεὶ σὰρξ γίνεται, σωματικῶς λαλούμενος, ἕως ὁ τοῦτον αὐτὸν παραδεξάμενος κατὰ βραχὺ ὑπὸ τοῦ Λόγου μετεωριζόμενος, δυνηθῇ αὐτοῦ καὶ τὴν, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, προηγουμένην μορφὴν θεάσασθαι.... ἦλθε δὲ ὑπὲρ τῶν πανταχοῦ ἁμαρτωλῶν, ἵνα διαλείπωσι τὴν ἁμαρτίαν καὶ πιστεύσωσι τῷ Θεῷ ἑαυτούς, ἐπιδεδημηκέναι, καὶ διὰ τὰ μέγιστα ἁμαρτήματα, κηρύσσεται ὁ Ἰησοῦς παρά τισι τοῖς λόγοις αὐτοῦ συνήθεσι καὶ Χριστὸς εἶναι λεγόμενος τοῦ Θεοῦ.

Num. XXIX. Idem l. 6. Λέγομεν ὅτι σῶμα Χριστοῦ φασὶν εἶναι οἱ θεῖοι λόγοι ὑπὸ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ψυχούμενον τὴν πᾶσαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν. μέλη δὲ τούτου τοῦ σώματος εἶναι ὡς ὅλου τοὺς δή ποτε ὄντας πιστεύοντας. ἐπείπερ ὥσπερ ψυχὴ ζωοποιεῖ καὶ κινεῖ τὸ σῶμα, οὐ πεφυκὸς ἀφ' ἑαυτοῦ κινεῖσθαι ζωτικῶς· οὕτως ὁ Λόγος κινῶν ἐπὶ τὰ δέοντα καὶ ἐνεργῶν, τὸ ὅλον σῶμα τὴν ἐκκλησίαν κινεῖ, καὶ ἕκαστον μέλος τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας, οὐδὲν χωρὶς λόγου πράττοντα.... Κυρίως δὲ κατὰ τὰς θείας γραφὰς, ἀγαθαί εἰσιν αἱ ἀρεταὶ, καὶ αἱ κατὰ ταύτας πράξεις. ὥσπερ κυρίως κακὰ, τὰ ἐναντία τούτοις.... ὁμοίως δὲ φαμὲν ὅτι κακὰ μὲν τὴν κακίαν καὶ τὰς ἀπ' αὐτῆς πράξεις ὁ Θεὸς οὐκ ἐποίησε. τὸ γὰρ εἰδὸς τοῦ Κέλσου κήρυγμα παρρησίαν ἔχειν, διδάσκον κολάζεσθαι μὲν ἐπὶ ταῖς κατὰ κακίαν πράξεσι, κατ' ἀναλογίαν τῶν ἡμαρτημένων τοὺς φαύλους. Μακαρίους δὲ εἶναι καὶ τεύξεσθαι τῶν ὑπὸ Θεοῦ γερῶν τοὺς κατ' ἀρετὴν βιώσαντας, ὁ τοὺς κατ' ἀρετὴν πράξεις ποιήσαντας....

κακὰ εἶναι, οὐ μὲν τὰ κυρίως οὕτως ὀνομαζόμενα ἐξετάσουσι, ὁ Θεὸς ὁ πεποίηκεν.... οὐδὲ τὰ καταχρηστικῶς οὕτως ὀνομαζόμενα, λεγόμενα σωματικὰ κακὰ καὶ ἐκτός τις φησὶ, δίδομεν οὐθ' ὅτε τούτων τινὰ πεποιηκέναι τὸν Θεὸν, ἵνα διὰ τούτων ἐπιστρέψῃ τινάς. καὶ τί ἄτοπον ὁ λόγος ἔχειν δύναται;... κτίζει γὰρ τὰ σωματικὰ ἢ ἐκτὸς κακὰ καθαίρων καὶ παιδεύων τοὺς μὴ βουληθέντας παιδευθῆναι λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ ὑγιεῖ.

Idem ibid. Ἀποκρινούμεθα ὅτι ἱκανός ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, γενόμενος ἐν τοῖς ζητοῦσιν αὐτὸν, ἢ τοῖς ἐπιφανέντα αὐτὸν παραδεχομένοις, γνωρίσαι καὶ ἀποκαλύψαι τὸν Πατέρα, πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ οὐχ ὁρώμενον. τίς δὲ ἄλλος σῶσαι καὶ προσαγαγεῖν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ δύναται τὴν τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴν, ἢ ὁ Θεὸς Λόγος; ὅστις ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν ὢν διὰ τοὺς κολληθέντας τῇ σαρκὶ καὶ γενομένους ὅπερ σὰρξ, ἐγένετο σὰρξ, ἵνα χωρηθῇ ὑπὸ τῶν μὴ δυναμένων αὐτὸν βλέπειν καθὸ Λόγος ἦν, καὶ Θεὸς ἦν. καὶ σωματικῶς γε λαλούμενος, καὶ ὡς σὰρξ ἀπαγγελλόμενος, ἐφ' ἑαυτὸν καλεῖ τοὺς ὄντας σάρκα, ἵν' αὐτοὺς ποιήσῃ πρῶτον μορφωθῆναι κατὰ Λόγον τὸν γενόμενον σάρκα. καὶ μετὰ τοῦτο αὐτοὺς ἀναβιβάσῃ ἐπὶ τὸ ἰδεῖν αὐτὸν, ὅπερ ἦν πρὶν γένηται σάρξ. ὥστε αὐτοὺς ὠφεληθέντας καὶ ἀναβιβασθέντας ἀπὸ τῆς κατὰ σάρκα εἰσαγωγῆς εἰπεῖν τὸ, εἰ καὶ Χριστὸν ποτὲ κατὰ σάρκα ἐγνώκαμεν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν. σὰρξ οὖν ἐγένετο, καὶ γενόμενος σὰρξ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν οὐκ ἔξω γενόμενος ἡμῶν. σκηνώσας δὲ καὶ γενόμενος ἐν ἡμῖν οὐκ ἔμεινεν ἐπὶ τῆς πρώτης μορφῆς. ἀλλ' ἀναβιβάσας ἡμᾶς ἐπὶ τὸ λογικὸν ὑψηλὸν ὄρος, ἔδειξεν ἡμῖν τὴν ἔνδοξον μορφὴν ἑαυτοῦ.... ὁ δὲ ταῦτα θεωρήσας εἴποι ἂν τὸ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν ὡς μονογενοῦς Πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

Num. XXX. Idem l. 7. Οἱ δ' ὑπ' αὐτῶν ὡς ἰδιῶται ἐξουθενούμενοι καὶ μωροὶ καὶ ἀνδράποδα εἶναι λεγόμενοι, καὶ τὸ μόνον πιστεύσαντες ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, παραδεξάμενοι τὴν τοῦ Ἰησοῦ διδασκαλίαν, τοσοῦτον ἀπέχουσιν ἀσελγείας καὶ ἀκαθαρσίας καὶ πάσης τῆς ἐν συνουσίαις ἀσχημοσύνης, ὡς καὶ τρόπον τελείων ἱερέων πᾶσαν συνουσίαν ἀποστρεφόμενοι πολλοὶ αὐτῶν παντελῶς καθαρεύειν, οὐ μόνον ἀπὸ πάσης μίξεως. καὶ ὡς μὲν τις παρ' Ἀθηναίοις ἱεροφάντης, οὐδὲ πιστεύσας ἑαυτῷ τὰς ἀρσενικὰς ὀρέξεις, ὡς Κέλσος αὐτὸν εἶναι δυνάμενος, καὶ κρατεῖν αὐτῶν εἰς ὅσον βούλεται, κωνειάσας τὰ ἀρσενικὰ μέρη, καθαρὸς εἶναι νομίζεται πρὸς τὴν νενομισμένην παρ' Ἀθηναίοις ἁγιστείαν. ἔστι δὲ ἐν Χριστιανοῖς ἰδεῖν ἄνδρας μὴ δεηθέντας κωνείου, ἵνα τὸ θεῖον καθαρῶς θεραπεύσωσιν, ἀλλ' ἀρκεσθέντας λόγῳ ἀντὶ κωνείου, ὡς πᾶσαν ἐπιθυμίαν ἀπὸ τῆς διανοίας αὐτῶν ἐξελάσαντας τὸ θεῖον εὐχαῖς θεραπεύσωσι. παρ' ἄλλοις δὲ νομιζομένοις θεοῖς εἶναι, παρθένοι τινὲς ὀλίγαι, αἳ ὑπὸ ἀνθρώπων φρουρούμεναι εἴη καὶ οὐ, οὐ γὰρ τοῦτο πρόκειται νῦν ἐξετάζειν· δοκοῦσι διατελεῖν τῇ διὰ τὴν εἰς τὸ θεῖον τιμὴν καθαρότητι. ἐν δὲ Χριστιανοῖς, οὐ διὰ τὰς παρ' ἀνθρώποις τιμὰς, οὐ διὰ μισθοὺς καὶ ἀργύρια, οὐδὲ διὰ δοξάριον, ἀσκοῦσι τὴν παντελῆ παρθενίαν.

Idem ibid. Οἱ δὲ προφῆται αἰνιττόμενοι ὅτι περὶ τῶν γενέσεως πραγμάτων σοφὸν, θυσίαν περὶ ἁμαρτίας λέγουσιν ἀναφέρεσθαι καὶ περὶ τῶν ἄρτι γεγεννημένων ὡς οὐ καθαρῶν ἀπὸ ἁμαρτίας. φασὶ δὲ καὶ τὸ, ἐν ἀνομίαις συνελήφθην, καὶ ἐν ἁμαρτίαις ἐκίσσησέ με ἡ μήτηρ μου. ἀλλὰ καὶ ἀποφαίνονται ὅτι ἀπηλλοτριώθησαν οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀπὸ μήτρας, παραδόξως λέγοντες καὶ τὸ, ἐπλανήθησαν ἀπὸ γαστρός. Antea dixerat: τὸ γὰρ, ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου, ἐν λύπαις φαγῇ αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου, περὶ ὅλης εἴρηται τῆς γῆς, ἧς ἐν λύπαις, τουτέστι πόνοις, ἐσθίει πᾶς ἄνθρωπος ἐν τῷ Ἀδὰμ ἀποθανὼν, καὶ ἐσθίει πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς. καὶ ὡς ἐπικατάρατος πᾶσα ἡ γῆ ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς τοῦ ἐν τῷ Ἀδὰμ ἐκβληθέντος ἀπὸ τοῦ παραδείσου.

Num. LVIII. Greg. Nyss. in vita Gregorii Thaumat. E. 22. (sub finem.) Κατιδὼν πάλιν ἐπὶ τὴν πόλιν, καὶ πάσας περιοδεύσας ἐν κύκλῳ τὴν χώραν ἐποιεῖτο τοῖς ἀπανταχοῦ λαοῖς τῆς περὶ τὸ θεῖον σπουδῆς, τὰς ὑπὲρ τῶν ἐναθλησάντων τῇ πίστει πανηγύρεις νομοθετήσας, καὶ διαλαβόντες ἄλλοι ἀλλαχῇ τῶν Μαρτύρων τὰ σώματα κατὰ τὴν ἐτήσιον τοῦ ἐνιαυσιαίου κύκλου περίοδον συνιόντες, ἠγάλλοντο τῇ τιμῇ τῶν Μαρτύρων πανηγυρίζοντες.

Num. XCI. Sozom. Hist. l. 7. c. 16. Ἐπεὶ γὰρ τὸ μὴ παντελῶς ἁμαρτεῖν θειοτέρας ἢ κατ' ἄνθρωπον ἐδεῖτο φύσεως, μεταμελομένοις δὲ καὶ πολλάκις ἁμαρτάνουσι συγγνώμην νέμειν ὁ Θεὸς παρακελεύεται, ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεὼν, φορτικὸν, ὡς εἰκὸς, ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας, τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. πρεσβύτερον δὲ, τῶν ἄριστα πολιτευομένων ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα ἐπὶ τούτῳ τετάχασιν. ᾧ δὴ προσιόντες οἱ ἡμαρτηκότες, τὰ βεβιωμένα ὡμολόγουν. ὁ δὲ πρὸς τὴν ἑκάστου ἁμαρτίαν, ὅτι χρὴ ποιῆσαι ἢ ἐκτίσαι ἐπιτίμιον θεὶς, ἀπέλυε, παρὰ σφῶν αὐτῶν τὴν δίκην εἰσπραξομένους.

LIBER SEPTIMUS.

Ea ætate grassantur hæreses & schismata Privati, Sabellii, Nepotis, Pauli Samosateni, & Manichæi, quæ Deus opera SS. Cornelii Papæ, utriusque Dionysii, & Cypriani, & Synodorum authoritate compressit. Dionysius Alexandrinus, dum in Sabellium minus caute invehitur, venit in suspicionem, sed Orthodoxum se probavit, Filiumque Dei Patri consubstantialem cum Dionysio Papa confessus est. Cyprianus vero hæreticorum baptisma male respuit ut invalidum. Hunc errorem reprobavit Stephanus Papa; neminem tamen excommunicavit. Has contentiones consopivit superveniens persecutio, quæ identidem renascens plurimos fecit Martyres. His difficillimis temporibus enituit summa Christianorum charitas atque liberalitas, præsertim peste sæviente. S. Gregorius Thaumaturgus vitæ sanctitate & doctrina Fidem propagat. S. Antonius vitæ monasticæ fundamenta jacit.

CHRISTI AN. 252.

Aug. l. 1. de baptismo cap. 18.

I. Yprianus de perfecta Romanorum Confessorum reconciliatione, ipsorum & Cornelii literis factus certior, gratulatoriam epistolam eis rescripsit, simulque misit duos libellos, unum de unitate Ecclesiæ, alterum de lapsis; cujus brevem synopsim hisce verbis proponit: " Ubi lapsis nec censura deest, quæ increpet, nec medicina, quæ sanet. " Ex ejus fragmentis, & quadraginta Cypriani Epistolarum, magnam partem superioris libri composuimus. Uberior eorum expositio videtur inutilis.

II. Libellus vero de Catholicæ Ecclesiæ unitate Novatiani quidem schismatis occasione conscriptus est; omnium autem schismatum & hæreseon originem indicat, demonstrat impietatem, audaciamque confutat. Ostenditque primo schismata & hæreses oborta, dum Romanus Pontifex unitatis & veritatis origo & caput superba quorumdam præsumptione contemnitur. " Cavenda sunt, inquit, fratres dilectissimi, non solum quæ sunt aperta & manifesta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus...., excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses invenit & schismata, quibus subverteret Fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem... Transfigurat se velut angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros justitiæ; asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi; ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. "

(margin: Cypr. de unit. Eccl.)

" Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni Cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et iterum eidem post resurrectionem dicit: *Pasce oves meas*. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas oves mandat. Et quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui retinueritis, tenebuntur.* Tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus una consensione pascatur. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? .... Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus..... Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine.... A fonte præscinde rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum, radios suos spargit...., Profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput est; & origo una.... Quisque ab Ecclesia segregatus recedendo a capite & origine unionis, Adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur; nec pervenit ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est: habere jam non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem. "

(margin notes: Schismatum & hæreseon origo. — Ibid. — Matt. 16. — D. Petri primatus. — Joan. 21. — CHRISTI AN. 252. — Ab Ecclesia recedere non licet. — Cathedra Petri origo & centrum unitatis ecclesiasticæ.)

En synopsis ratiocinii D. Cypriani: Ideo hæreses & schismata contingunt, quia ad veritatis & unitatis originem non reditur, nec caput quæritur. Illius autem veritatis & unitatis origo & caput est Cathedra Petri, super quem Deus fundavit Ecclesiam suam; ac proinde hæreses & schismata contingunt, quia non reditur ad Cathedram Petri, sed ab ea receditur. Qui autem ab illa unitatis origine discedit, a Christi promissionibus alienus est. Hunc Cypriani locum simulata restitutione non parum depravarunt Rigaltius atque Fellus. Pelagius vero Papa II. in secunda ad Episcopos Istriæ Epistola, de Petri primatu verba refert eadem, quæ descripsimus ex Pamelii editione.

Cyprianus pergit: " Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat. Per Apostolum præmonet Spiritus sanctus, & dicit: *Oportet ut probati manifesti sint in vobis*. Sic probantur Fideles, sic perfidi deteguntur: sic & ante judicii diem hic quoque a frumento paleæ separantur.... Quam sibi igitur pacem promittunt inimici Fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest qui in Ecclesia non est; ad regnum pervenire non poterit qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem Christus nobis dedit: concordes atque unanimes esse præcepit:

(margin notes: Schismaticorum falsa præsumptio. — Ibid. — 1. ad Cor. 1. — Extra Ecclesiam non est salus.)

dile-

CHRISTE AN. 252. dilectionis & charitatis fœdera incorrupta & inviolata servari mandavit: exhibere se non potest Martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem .... Pertinere non potest ad Christum, qui dilectionem Christi perfida dissensione violavit .... Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt .... Occidi talis potest, coronari non potest. „

" Vitate, quæso vos, ejusmodi homines, & a latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete ... Contestantis Apostoli vox

2. ad Thessal. cap. 3. est: *Præcipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* .... Nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est a fugientibus, vel imo fugiendum; ne, dum quis male ambulantibus jungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & Fides una, & plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest; nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsim vivere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit. „ Videant quid his Cypriani verbis, quibus consentiunt cæteri Patres, respondeant qui ab Ecclesiæ capitis communione dissociantur, vel sectas instituunt, & conventus separatim agunt, vel opiniones suas adversus ejus judicium & Episcoporum tuentur pertinacius.

III. Cyprianus suis quoque literis perfecit, ne in Africa schisma propagaretur. Nutantem imprimis confirmavit Antonianum Numidiæ Episcopum. Is ejus consilio communicarat cum Cornelio; acceptis postmodum a Novatiano literis, quibus Cornelium variis insimulabat criminibus, præsertim quod Trophimum aliosque Thurificatos admisisset in Eccle-

Cyprian. epist. 55. Pamel. 52. siam, his permotus, ad Cyprianum dat literas inquirens, quam hæresim invexisset Novatianus, & utrum vera essent quæ scripserat de Cornelio? Cyprianus præclaram rescripsit epistolam, in qua de lapsorum causa plene disserit, seipsum sedulo purgat, Cornelium copiose defendit. Novatianum acriter perstringit, placita prioris concilii explicat, & tuetur. Ejus epistolæ præcipuas partes in superiori libro retulimus.

IV. Fabius Antiochensis austeriore Novatiani disciplina delusus, ejus partibus favebat. Hunc nutan-

Eus. hist. l. 6. c. 44. tem ut confirmaret Dionysius Alexandrinus, ad eum dedit literas, in quibus postquam alia multa, quæ ad pœnitentiam spectant, exposuit, & Martyrum, qui recens Alexandriæ martyrium subierant, certamina commemoravit, inter cætera facinus quoddam refert admiratione dignissimum. Unum, inquit, tibi exemplum proponam, quod apud nos contigit.

Communio morientium sub una specie. Ibid. Erat in hac urbe Serapion quidam senex a numero Fidelium, qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat, sed in persecutione lapsus, sæpenumero veniam petierat, nec quisquam ei attendebat, eo quod sacrificasset. Idem postea morbo correptus, vocis usu sensuque omni carens triduo permansit. Quarto demum die paululum recreatus, nepotem ex filio ad se vocat; &, Quo usque tandem, inquit, me detinetis, fili? properate, quæso, & me quantocius absolvite. Accerse mihi unum ex Presbyteris. Hæc cum dixisset, rursus illum vox destituit. Puer ad Presbyterum cucurrit. Jam nox erat: Presbyter autem ægrotabat. Sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, si peterent, & maxime, si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei plenì ex hac vita migrarent, exiguam Eucharistiæ partem tradidit, jubens, ut in aqua intinctam, seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens; & cum appropinquaret, priusquam ingrederetur, recreatus iterum senex: Venisti, inquit, fili; ac presbyter quidem ipse venire non potuit ..... Tu fac citius quod imperatum est; & dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, & in os senis infudit. Qui ea paulatim absorpta, continuo animam exhalavit. En communio sub una specie panis. Et certe cum Christus sub alterutra specie sit totus & integer, atque in calice non alio modo quam in pane sit, qui sumit unam speciem, vere manducat ejus corpus, & bibit ejus sanguinem, specierumque diversitas soli sacrificio necessaria est,

Præterea id etiam observandum. Cum Alexandria civitas admodum spatiosa esset, Presbyteri per singulas urbis regiones erant dispositi, quo morientibus facilius subveniretur. CHRISTI AN. 252.

V. Idem Cornelio Papæ significavit, se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, & a cæteris, qui cum Eus. hist. illo convenerant, Firmiliano scilicet Cappadociæ, & l. 6. c. 46. Theoctisto Palestinæ provinciæ Episcopis invitatum fuisse, ut ad Synodum Antiochenam occurreret, in qua quidem Novatiani schisma confirmare tentabant: sed priusquam Concilium conveniret, sibi nuntiatum esse, quod Fabius diem extremum obiisset; Demetrianus vero in ejus locum Episcopus Antiochenæ Ecclesiæ esset constitutus. Hic celebravit Synodum, quæ deposuit Novatianum, tanquam qui Lib. peccatis faveret, dum homines in eis relinqueret, Synod. neque ullum pœnitentiæ fructum in hac vita sperandum doceret, atque ita pœnitendi viam præcluderet. tom. 1.

VI. Cyprianus inter Paschæ hujus anni prima solemnia scripsit ad Fortunatum, aliosque Episcopos, qui in Capsensi civitate propter ordinationem Episcopi convenerant, respondens ad quæstionem sibi Cyprian. propositam, quam sic exponit cum sua sententia: epist. 56. " Scripsistis mihi, fratres charissimi, quod retulerit Pamel. ad vos Superius frater & collega noster: Ninum, 53. Clementianum, Florum, fratres nostros, qui in persecutione prius apprehensi fuerant, & nomen Domini confessi, violentiam magistratus, & populi frementis impetum vicerant; postmodum cum apud Proconsulem pœnis gravibus excruciarentur, vi tormentorum subactos esse, & de gradu gloriæ, ad quam plena Fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus excidisse: nec tamen post hunc gravem lapsum, non voluntate, sed necessitate susceptum, a pœnitentia agenda per hoc triennium destitisse. De quibus consulendum putastis, an eos ad communicationem jam fas esset admittere. Et quidem quod ad animi mei sententiam pertinet, puto, his indulgentiam Domini non defuturam .... ut quod in novissima infirmitate carnis subactum videtur, meritorum præcedentium defensione relevetur: & sit satis talibus gloriam perdidisse, non tamen debere nos eis & veniæ locum claudere, atque eos a paterna pietate, & a nostra communione privare; quibus existimamus, ad deprecandam clementiam Domini posse sufficere, quod triennio jugiter ac dolenter, ut scribitis, cum summa pœnitentiæ lamentatione planxerunt. „

" VII. Certe non puto, incaute & temere his pacem committi, quos videmus militiæ suæ fortitudine, nec prius pugnæ defuisse; & si acies etiam denuo venerit, gloriam suam posse reparare. Nam cum in Concilio placuerit pœnitentiam agentibus in infirmitatis periculo subveniri, & pacem dari; debent utique in accipienda pace præcedere, quos vidimus non animi infirmitate cecidisse, sed in prælio congressos & vulneratos per imbecillitatem carnis confessionis suæ coronam non potuisse perferre; maxime cum cupientibus mori non permitteretur occidi, sed tamdiu fessos tormenta laniarent, quamdiu non Fidem, quæ invicta est, vincerent, sed carnem, quæ infirma est, fatigarent. Quoniam tamen scripsistis, ut cum pluribus collegis de hoc ipso plenissime tractem, & res tanta exigit majus & impensius de multorum collatione consilium, & nunc omnes fere inter Paschæ prima solemnia apud se cum Fratribus demorantur; quando solemnitati celebrandæ apud suos satisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum singulis plenius, ut de eo, quod consuluistis, figatur apud nos, & rescribatur vobis firma sententia, multorum sacerdotum consilio ponderata. „ Bis quot annis habebantur Synodi pro- Apost. vinciales Episcoporum, post Pascha, & tempore canon. autumni, quæ pro necessitate quandoque protractæ, 36. vel frequentius habitæ sunt. Decreta religionis in *Synodus* eis examinabant Episcopi, & incidentes ecclesiasticas *Carthag.* controversias componebant. *2. pro*

VIII. Quadraginta duo Episcopi Idibus Maji anni *lapsis.* ducentesimi quinquagesimi tertii cum Carthaginem Cyprian. se contulissent, habitum est Concilium Carthagi- epist. 57. nense secundum. Quid in eo gestum sit, patet ex Pamel. ejus Synodica epistola, quam omnium nomine Cy- 54. prianus misit ad Cornelium. " Statueramus, inquit, jam pridem, ut qui in persecutionis infestatione lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam; &, si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent ....

CHRISTI An. 253. Sed cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, crebria atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & parati simus .... necessitate cogente censuimus, tia qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui dia non destiterunt, pacem dandam esse; & eos ad prælium, quod imminet, armari & instrui oportere .... ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus; sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium voluimus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. „ Excludit ab ea indulgentia apostatas, qui post lapsum gentili more vivunt, vel ad hæreticos deficiunt. Lapsis igitur pœnitentibus pax & communio maturius danda decernitur, ob ingruentem persecutionem, quam testatur, divinitus jam sæpe præmonstratam.

Schisma Fortunati. Cypr. Epist. 59. Pamel. 55. IX. Concilio sedente, Carthaginem venit Privatus, olim Lambesæ in Numidia Episcopus, qui ante aliquot annos ob multa & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatus fuerat, & Presbyterio Romano, Sede vacante, frustra obrepere conatus erat. Venit autem non solus, sed cum Felice pseudo-Episcopo a se constituto, Jovino & Maximo comitantibus, & Repostio Tubursicensi adjuncto: quibus stipatus in Concilio apud Episcopos causam suam agere se velle dixit; sed amissus non est. Rejectus, per audacissimum scelus Fortunatum, unum ex quinque Presbyteris Carthaginensibus anno priori de Ecclesia profugis, absente Cypriano, Carthaginis pseudo-Episcopum fecit. Qui statim, quasi legitima hant Cathedram adeptus, Legatos pro mort ad Cornelium Papam misit, ut primæ Sedis communione frueretur. Legationis princeps fuit Felicissimus totius schismatis antesignanus: qui stipatus factione desperatorum, & literas ferens, Romam navigavit. Cujus legationem cum Cyprianus intelligeret, nactus occasionem Feliciani acoluthi, literas ei dedit ad Cornelium quamprimum perferendas, quibus eum de ordinatione Fortunati, & Maximi etiam schismatici, quem pars Novatiani in Africa constituerat Episcopum, & de legatione Felicissimi certiorem facit.

Ibid. Sed, dum Felicianus moras trahit, Felicissimus prior Romam pervenit, sistitque se Cornelio, qui eum cum suis de Ecclesia pepulit, ejusque literas accipere recusavit, atque confestim ad Cyprianum literas ipse scripsit, dilectionis fraternæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ, & sacerdotalis censuræ satis plenas, quæ desiderantur. Felicissimus vero ejusque comites, hanc repulsam indigne ferentes, pro solita sua obstinatione atque audacia, Cornelium minis atque terroribus aggrediuntur; multa turpia & probrosa in Cyprianum proferunt: viginti quinque Episcopos ordinationi Fortunati affuisse jactitant: ac denique summa desperatione comminantur, quod si Cornelius literas, quas attulerant, non accepisset, ipsi eas publice recitarent. Hisce comminationibus Cornelius ipse nimia commotus, Feliciano acolutho nondum advenientte, literas aliis prioribus subjunxit, quibus culpam in Cyprianum transfert, quod ille de Fortunato pseudo-Episcopo nihil adhuc scripsisses. Sed & hæ literæ perierunt.

Cypr. Epist. 58. Pamel. 56. *Adhortatio ad martyrium.* X. Dum hæc Romæ aguntur, appropinquante jam, imo imminente Galli persecutione, Cyprianus scripsit ad Thibaritanos, qui frequenter desideraverant ut ipse Thibarim veniret, & præsens exhortatione sua Fraternitatem corroborare dignaretur. Sed cum nec rerum ratio, nec temporis conditio permitteret, vicarias pro se ad eos misit literas, rationibusque ex Scriptura deductis eos accendit ad martyrium. " Scire debetis, inquit, ac pro certo credere & tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum sæculi atque Antichristi tempus appropinquasse; ut parati omnes ad prælium stemus, nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominicæ cogitemus .... Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes, idcirco se *quotidie* calicem Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. „ Instante igitur necessitate, tunc Fideles quotidie cœlesti epulo se reficiebant ...

Ibid. Et infra: " Nec quisquam, fratres dilectissimi, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis, & spargi, conturbetur, quod collectam Fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat .... Ubicumque in illis diebus unusquisque Fratrum fuerit, a grege interim necessitate temporis corpore, non spiritu separatus, non moveatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens deserti loci solitudine terreatur. Solus non est qui, templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est. Et si fugientem in solitudine & montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempestas, ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubique pugnantem, & persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. Nec minor est martyrii gloria, non publice & inter multos periisse; cum pereundi causa sit, propter Christum perire. „ Denique sic concludit. " Portemus fortiter scutum Fidei, quo protegente, quidquid jaculatur inimicus, possit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, ut muniantur aures, ne audiant edicta feralia: muniantur oculi, ne videant detestanda simulachra: muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur: muniatur os, ut dominum suum Christum victrix lingua fateatur: armemus & dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum amplectatur. „ Alludit hic ad sui temporis ritum, quo Eucharistia in manus laicorum porrigebatur.

XI. Cyprianus interim binis a Cornelio literis de Felicissimi legatione acceptis, ei gratias agit, quod eos ejecerit; tum subjicit: " Sed enim, lecta alia tua Epistola, satis miratus sum, cum animadvertissem, te minis atque terroribus eorum fuisse commotum .... Quod si ita res est, frater charissime, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant; actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate .... Quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur? Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur; cui si secundum magisteria divina obtemperaret Fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem jam non Episcopi sic solamniter electi & constituti, sed Dei se faceret: nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsim foris hæresim novam conderet. „ Ecce Episcopos Christi vicarios, ejusque vice judices, quibus omnes obtemperare debeant, aperte docet Cyprianus. Cypr. epist. 59. Pamel. 55.

Deinde Felicissimi & Novati pseudo-Episcopi Carthaginensis damnationem & scelera paucis perstringens, eos graviter reprehendit: " Quod a primo statim persecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, & sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ lapsorum atque ora fumarent, communicare cum lapsis, & pœnitentiæ agendæ intercedere non destiterunt. „ Quo scelere gravis Ecclesiæ & Deo fit injuria; " lapsis salutis via præcluditur sub falso pacis nomine; (imminente persecutione,) exarmatur fides militantis populi, dum tollitur vigor & timor Christi. „ Ideo enim tunc Episcopi leges pœnitentiæ severas esse voluerunt, ut tot inter tentationes & persecutiones Fideles in officio continerent, redderentque in Fide confitenda constantiores: dum scirent, aut laboriosissimam per annos multos agendam esse pœnitentiam, aut æterna ignis inextinguibilis sibi reservata supplicia. Ibid.

XII. Schismatici Episcoporum Africæ concilio damnati ad Romanum Pontificem provocarant. Eorum impudentem audaciam ibidem sic redarguit Cyprianus: " Post ista scelera, adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad *Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*, a schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare, Cypr. epist. 59. Pamel. 55.

eos

Christi An. 253.

eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum .... Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum; & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque ac gubernet, rationem sui actus Domino redditurus: oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi si paucis desperatis perditis minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt.„

Quas appellationes ad Papam improbet Cyprian. Lib. 4. num. 50.

Cyprianum hic damnare etiam in materia Fidei appellationes ad Sedem Romanam, quam Petri Cathedram, & principalem Ecclesiam vocat, quidam opinati sunt; sed perperam. Eas tantum improbat, quæ sacris adversantur canonibus, & disciplinæ tunc receptæ, cujus ea erat lex, ut in Marcione vidimus, ne excommunicatum a proprio Episcopo, nisi ipso consulto & consentiente, quis reciperet. Quod aperte declarat trigesimus primus canon Apostolicus. Præterea hæc subordinatio tunc servabatur in judiciis ecclesiasticis. Clericus secundi ordinis, violatæ disciplinæ reus, deferebatur ad tribunal Episcopi; qui congruam ferebat sententiam. Injuste vero damnatus provocabat ad Metropolitanum, qui in Synodo totius provinciæ decretorium ferebat judicium; nec ei licebat, ulterius fallaci temeritate extraneos fatigare Episcopos, qui rursus de ejus causa cognoscerent. Perantiquam hanc judiciorum formam canone quinto confirmat Nicænum concilium. Cyprianus igitur Africæ Primas merito reprehendit Fortunatum suum presbyterum, ejusque fautores, qui licet in Synodo Carthaginensi, ipso præsidente, excommunicati, Romam profugerant, oblatoque libello supplici, Cornelii Papæ communionem subripere nitebantur: jureque contendit ad Africanos judices remittendos. Episcopi vero in Synodo damnati provocare poterant ad Romanum Pontificem; ut multis constat exemplis, & postea statuit Synodus Sardicensis. Sed de his inferius.

Cypr. ep. 58. Eus. hist. l. 7 c. 2.

XIII. Persecutio, tot ostentis & admonitionibus prævisa atque prædicta, a Gallo tandem excitata est. Hujus occasio fuisse videtur gravis pestilentia, quæ plures Imperii provincias invaserat, & Hostilianum Augustum absumpserat. Cum in dies ingravesceret, Gallus & Volusianus ad aras deorum suorum confugiunt, nummosque cudi curant cum hac inscriptione: *Apollini Salutari*. Edicta emittunt in provincias, quibus sacrificia præcipiebantur. Inde persecutio in Christianos, qui sacrificia, quæ ethnici adeo saluti Reipublicæ necessaria putabant, celebrare vel attingere prorsus recusabant. Cyprianus tunc scripsit libellum de exhortatione martyrii, ut Dei plebem ea lectione firmaret. Scripturæ multis testimoniis demonstrat, quod solus Deus sit colendus, qui facile non ignoscit idololatris, cujus sceleris authores jussit interfici. Fidelium animos erigit spe divini auxilii, æternæque mercedis, quæ solis in fide & cœlesti gratia perseverantibus retribuitur. Ibidem dicit: " Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. „ Hac in re secutus calculum Africani, qui docuit anno a mundo condito 5500. Christum natum esse; nunc ab ea opinione multum recedunt peritiores.

XIV. Cornelius Papa confessionis dux Fratribus extitit, quorum animos exemplo suo sic confirmavit, ac reddidit firmiores, ut plures sub Decio lapsi, in eo agone restituti steterint fortes, ipsoque dolore pœnitentiæ facti sint ad prælium fortiores. Hic, diis sacrificare cum recusasset, ab Imperatore Gallo in exilium pulsus est; locus exilii Centum-cellæ fuit, nunc dicitur Civita-Vecchia. Cyprianus ei gratulatoriam de exilio scripsit epistolam: " Virtus, inquit, illic Episcopi præcedentis publice comprobata est: adunatio sequentis Fraternitatis ostensa est: dum apud vos unus animus, & una vox est: Ecclesia omnis Romana confessa est .... Dum sic unanimes, dum fortes estis, magna cæteris Fratribus unanimitatis, & fortitudinis exempla tribuistis: docuistis, granditer timere Deum, Christo firmiter adhærere .... Prosilierat adversarius terrore violento Christi castra turbare; sed quo impetu venerat, eodem pulsus est ..... Intellexit, milites Christi vigilare, jam sobrios & armatos ad prælium stare: vinci non posse; mori posse: & hoc ipso invictos esse, quia mori non timent .... Quid ad Hæc Novatianus? .... Agnoscitne jam, qui sit sacerdos Dei? quæ sit Ecclesia, & domus Christi? qui sint Dei servi, quos diabolus infestet? qui sint Christiani, quos Antichristus impugnet? Neque enim quærit illos, quos jam subegit, aut gestit evertere quos jam suos fecit .... Hortamur plane quantum possumus, ut quoniam providentia Domini monentis instruimur, ... appropinquare jam certaminis & agonis nostri diem, jejunus, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus: incumbamus gemitibus continuis, & deprecationibus crebris; hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare & perseverare fortiter faciunt.

Cypr. ep. 60. Pamel. 57.

Christi An. 253.

Acta select. Martyr. Hippolyt. cum sociis mart.

Eadem persecutione Romæ passus est Hippolytos presbyter: cujus passionem descripsit Poeta Prudentius. Hippolytus Novati schisma fuerat secutus; sed cum raperetur ad supplicium, magna populi concomitante turba, consultus quænam pars foret melior, respondit: Execrandum fugite Novatum, & reddite vos populis Catholicis; vigeat una Fides, quam Petri Cathedra tenet. Aliter docuisse jam piget. His ubi verbis plebem, quam prius seduxerat, reduxit ad unitatis & salutis viam, sistitur Præsidi, qui tunc Ostiæ persequebatur Christianos, quorum cædibus & sanguine prius Romam repleverat. Pro tribunali sedebat inter carnifices armatos catenis, virgis, loris, ungulis, & uncis, quibus excruciatos Fideles cogerent abnegare Christum; sed nullus his cessit. Inde furens Judex eos jussit interfici. Hic capite damnatus est; alier actus in crucem; plures rimosæ cymbæ impositi, moxque depressi, consumpsere martyrium.

Hæc persultanti offertur senior Hippolytus ferreis vinculis religatus; acclamant Infideles, hunc Christianorum ducem esse insolito mortis genere ad aliorum terrorem excarnificandum, atque conficiendum. Quis dicitur, inquit Judex? Affirmant, dici Hippolytum. Præfectus alludens ad alium Hippolytum Thesei filium apud Poetas celebrem, qui patris iram fugiens, equis fortuito perterritis, loris implicitus, misere descerptus est; Ergo sit, inquit, Hippolytus, & feris equis dilaceratus intereat. Nec mora: duos cogunt equos indomitos, vixque sociant reluctantes; vice temonis protenditur in longum funis, cujus extrema parte pedes Martyris alligant, equosque instigant clamoribus, stimulis, & flagellis. Hæc senis vox audita est ultima: Hi rapiunt artus, tu rape, Christe, animam. Prorumpunt equi, atque per dumeta & saxa dum terrore cæco feruntur, corporis membra minutatim discissa sparguntur, quæ diligenter collecta, Romam in cryptas deferunt Fideles, atque sub altari recondunt. Ejus memoria celebratur Idibus Augusti.

Christi An. 255. Eus. hist. l. 7. c. 2. *Lucius Papa & martyr.*

XV. Anno Christi ducentesimo quinquagesimo quinto Cornelius Pontifex Centumcellis exul obiit. Ejus quatuor epistolas ad Fabium Antiochensem vidit Hieronymus: nunc tantum quædam earum fragmenta supersunt apud Eusebium; qui tres annos Pontificatus ei assignat. Lucius in ejus locum substituitur, qui statim pulsus in exilium, non multo post in Urbem revocatur. Cyprianus ejus ordinationis & confessionis factus certior, utriusque gratulatorias cum collegis suis literas ad eum dedit, quæ quidem non supersunt, sed earum meminit Cyprianus in sequenti ad eum epistola post ejus reditum scripta. " Et nuper quidem tibi, inquit, frater charissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione Confessorem pariter, & sacerdotem constituit divina dignatio; sed & nunc non minus tibi & comitibus tuis, atque universæ Fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria & laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini & larga protectio .... Regredientibus vobis breviata non est in Episcopo confessionis suæ dignitas, sed magis crevit sacerdotalis authoritas, ut altari Dei assistat Antistes, qui ad confessionis arma sumenda, & facienda martyria, non verbis plebem, sed factis cohortetur .... „ Lucius Papa vix octo mensium spatio perfunctus eo munere, moriens Episco-

Cypr. epist. 61. Pamel. 58.

CHRISTI An. 256.

Euf. hift. l. 7. c. 2. Cypr. ep. 68. Pamel. 67. Nyff. vit. Greg. tom. 3. pag. 575.

pale officium Stephano dereliquit, anno ducentesimo quinquagesimo sexto. Lucium pro Christi confessione multa passum, & fortasse mortem, testis est Cyprianus scribens ad Stephanum: "Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii & Lucii honor gloriosus .... Illi enim pleni Spiritus Dei, & in glorioso Martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt. „

XVI. Lues, quæ in dies magis sæviebat, salutis æternæ occasio fuit Neocæsariensibus, ut refert Gregorius Nyssenus. Solemnes feriæ quædam erant in urbe dæmoni domestico, ad quas omnes ex vicina regione confluebant. Plenum erat theatrum, novisque supervenientibus, tantus fuit mutuo sese comprimentium tumultus, ut nec audiri tibicines, nec circulatores artes suas exercere potuerint. Tum omnes una voce conclamarunt: Jupiter, fac nobis locum. Quibus auditis, Gregorius Thaumaturgus per quemdam eis significavit, laxitatem ipsis mox datum iri majorem, quam optarent. Reipsa pestis mox invasit hanc multitudinem adhuc ludos celebrantem, ignis in modum domos depascens & familias: adeo ut ædes sacræ, quo spe remedii confugiebant, morientibus replerentur: fontes, aquæductus, & putei obsidebantur eorum multitudine, quos atrocitate morbi sitis exurebat, nec aqua poterat restingui. Multi ad sepulchra transibant; jam enim vivi non sufficiebant humandis mortuis. Tot inter strages mirabiliter eluxit divina bonitas. Pestilentiam præcedebat ubique spectrum, quod videbatur in ædibus, quibus imminebat, illudque præsagium certo sequebatur lues. Una periclitantibus salutis ratio erat, si illas ædes ingrederetur Gregorius, ac precibus suis morbum depelleret. Primi, qui sic sanati sunt, rem evulgarunt. Statim ad omnes miraculi fama pervenit: omissis itaque sacrificiis, oraculis, piaculis, & reliquis gentilitatis superstitionibus, certatim eum evocabant; qui per opera virtutem Fidei cognoverant, eam suscipiebant; hanc unam mercedem ille quærebat: atque ita simulacrorum errore deprehenso, omnes ad nomen Christi transierunt.

Neocæsar. mirabilis conversio.

Pont. in vit. Cypr.

XVII. Pestilens morbus etiam occupavit Africam, & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie: quasi cum illo peste morituro etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim tota civitate, non jam corpora, sed cadavera plurimorum. Nemo respexit aliud præterquam lucra crudelia; nemo inter Infideles fecit alteri, quod sibi fieri voluit. Cyprianus aggregatam plebem Christianam de misericordiæ bonis instituit. Subjungit, non esse mirabile, si nostros tantum debito charitatis obsequio foveremus: eum esse perfectum, qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit .... Distribuitque continuo pro qualitate hominum ministeria: pauperes, qui sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant: proprio labore compensabant mercedem divitiis omnibus cariorem; fiebatque exuberantium operum largitate quod bonum est ad omnes, non solum ad Domesticos Fidei. Itaque in tanta calamitate, ægris etiam Infidelibus nullum pietatis officium a Christianis defuit. Contra vero Gentiles etiam charissimos refugiebant, ut ex diversa agendi ratione discrimen & religionis patesceret.

Christianorum charitas sæviente peste.

XVIII. Cyprianus tunc etiam scripsit de mortalitate libellum, quo debiles ad tolerantiam excitaret, & ad contemptum humanæ vitæ amore cœlestis. Et primo quidem docet inter calamitates id imprimis considerandum, quod a Deo prædictæ sint tanquam signa regni cœlestis jam nobis appropinquantis; a morte exspectandam fidam tranquillitatem, & perpetuam securitatem: unde concludit ex infidelitate fieri, quod mortem adeo aversemur. "At enim, inquit, quosdam movet, quod æqualiter cum gentilibus nostros morbi illius valetudo corripiat; quasi ad hoc crediderit Christianus, ut immunis a contactu malorum, mundo & sæculo feliciter perfruatur, & non omnia hic adversa perpessus ad futuram lætitiam reservetur. Quo ad usque istic in mundo sumus, cum humano genere carnis æqualitate conjungimur, spiritu separamur .... Quin imo si qua conditione, qua lege crediderit Christianus, noscat, & teneat, sciet plus sibi, quam cæteris in sæculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet & præmonet Scriptura divina dicens .... *In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum & argentum;* homines vero receptibiles in camino humiliationis ... Ad omnia te paratum facere timor Dei, & Fides debet .... Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria .... Hoc denique inter nos & cæteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur & murmurant; nos adversa non avocant a virtutis & Fidei veritate, sed corroborant in dolore .... Mortalitas ista, ut Judæis & Gentilibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est. Hoc quod sine ullo discrimine generis humani cum injustis moriuntur & justi, non est, quod putetis bonis & malis interitum esse communem: ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti. „

Cypriani liber de mortalitate.

Pati utile & necessarium Christianis.

Eccl. 2.

"Præterea meminisse debemus, voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam præposterum est, quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & pervicacium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia & mœrore perducimur, exeuntes isthinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus & petimus, ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat? „ Et infra: "Ut manifestius divinæ providentiæ indicia clarescerent, quod Dominus præscius futurorum suis consulat ad veram salutem: cum quidam de collegis & consacerdotibus nostris jam infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti, & jam pene morienti juvenis honore & majestate venerabilis, statu excelsos, & clarus aspectu, & quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de sæculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? .... Audivit frater noster & Collega moriturus, non sibi, sed nobis. Nam quid disceret jam recessurus? Didicit imo, nobis remanentibus, ut dum sacerdotem Dei, qui commeatum petebat, increpitum esse comperimus, quid cunctis expediat, agnosceremus. Nobis quoque ipsis minimis & extremis quoties revelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione præceptum est, ut contestarer assidue, & publice prædicarem, Fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de sæculo liberatos, cum sciamus non eos amitti, sed præmitti; nec accipiendas esse atras vestes, „ uti mos erat apud Romanos in signum luctus, " quando illi ibi jam vestimenta alba sumpserint. „

Zozim. in Voluf.

XIX. Pestilentiæ fames accessit atque bellum. Persæ Orientem, Gothi Europam populabantur. Tot malorum causam Christianis, qui deos non colerent, delegabant ethnici: hæc eis imprimis imputabat Demetrianus Judex Carthaginensis; quem dure sic excepit Cyprianus, hanc falsam accusationem refellens: "Oblatrantem te, & adversus Deum, qui unus & verus est, ore sacrilego, & verbis impiis obstrepentem, frequenter, Demetriane, contempseram .... Nam cum ad me sæpe, studio magis contradicendi, quam voto discendi venires; & clamosis vocibus personans, malles tua impudenter ingerere, quam nostra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum .... Qui alios judicas, aliquando esto tui judex .... Innocuos, justos, Deo caros, domo privas, patrimonia spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. „ Unde colligimus, atrocem fuisse persecutionem, cujus incentor fuit ipse Demetrianus.

Cypr. ad Demetr.

"Sed enim, cum dicas, plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, nobis imputari, tacere ultra non oportet, ne jam non verecundiæ, sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus; & dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere .... Respondeo igitur & tibi, Demetriane, pariter & cæteris, quos tu forsan concitasti; .... Non, sicut tua falsa querimonia, & imperitia veritatis ignara jactat & clamitat, ista accidunt, quod dii vestri a nobis non colantur; sed quod a vobis non colatur Deus.

Hominum peccata sunt causa calamitatum.

Ibid.

Nam

CHRISTI AN. 256.

Nam cum ipse sit mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio ejus & nutu garantur, nec quidquam fieri possit, nisi quod eut fecerit, eut fieri permiserit: utique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, a quibus Deus colitur; sed delictis & maritis vestris irrogantur, a quibus Deus omnino nec quæritur, nec timetur, nec, relictis vanis superstitionibus, religio vera cognoscitur; ut qui Deus unus est, unus colatur ab omnibus & rogetur.... Indignatur ecce Dominus & irascitur, & quod ad eum non convertamini, comminatur. Et tu miraris, eut quæraris, si in hac obstinatione & contemptu vestro, aerem pestilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo consumat; cum omnia peccatis provocantibus vaniant, & plus exacerbetur Deus, quando nihil talia & tanta proficiant.... Ecce irrogantur divinitus plagæ, & nullus Dei metus est.... Quid, si non intercederet rebus humanis vel ista censura; quanto adhuc major in hominibus esset audacia, facinorum impunitate secura? Satis non est quod ipse tu Deum non colis, adhuc insuper eos, qui colunt, sacrilega infestatione persequeris.... Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, & simplici ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis; excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas. „ Et infra. " Si quid diis tuis est numinis vel potestatis, ipsi in ultionem suam surgant: aut quid præstare colentibus possunt, qui se de non colentibus vindicare non possunt? „

Persecutionis atrocitas.

Fidelium potestas adversus dæmones. Ibid.

XX. " O si audire eos velles, & videre, quando a nobis adjurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur; quando ejulantes & gementes voce humana, & potestate divina flagella & verbera sentientes, venturum judicium confitentur. Veni, & cognosce, vere esse quæ dicimus; & quia sic deus colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede; aut, si volueris & tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit.... Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas; timeri ab eis quos tu times, & quos tu adoras; videbis sub manu nostra stare vinctos, & tremere captivos, quos tu suscipis, & veneraris ut dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris & audieris deos tuos, quid sint, interrogatione nostra statim prodere, & præsentibus licet vobis, præstigias illas & fallacias non posse celare. „ Tertullianus antea provocabat ad idem experimentum, quo constat, Christianos magnum in dæmones hisce primis sæculis exercuisse imperium.

Deus suorum injurias ulciscitur. Ibid.

His addit: " Lædere servos Dei & Christi persecutionibus tuis desine; quos læsos ultio divina defendit. Inde est, quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctetur: nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus noster sit populus, ulciscitur.... Certi & fidentes, quod inultum non permaneat quodcumque perpetimur: quantoque major fuerit persecutionis injuria, tanto & justior fiat, & gravior pro persecutione vindicta. Ut memorias taceamus antiquas; .... documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis rerum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. „ Loquitur de clade Deciorum .... " Nec idcirco quis putet Christianos iis, qui accidunt, non vindicari, quod & ipsi videantur accidentium incursione perstringi. Pœnam de adversis mundi ille sentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo est, cujus caduca & brevis vitæ, hic aliquam dulcedinem computat & voluptatem: quando isthinc excesserit, pœna jam sola superest ad dolorem. Cæterum nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. „

XXI. Barbari Numidiæ finitimi, Imperio Romano minime subjecti, hoc tempore famis & pestilentiæ, cum Gallus negligenter administraret Imperium, in Numidiam irrumpunt, eamque populantur, compluresque Christianos cum aliis captivos abducunt, qui tamen ob hostium viciniam haud difficulter redimi potuerunt. Sed cum earum partium facultates ad omnium eorum redemptionem procurandam non sufficerent, octo Episcopi, datis ad Cyprianum literis, aliquod subsidium ab ejus Ecclesia postulant. Ille statim Cleri & plebis suæ, & quorumdem Episcoporum, qui præsentes erant, collatione collecta, sestertium centum millia misit; quæ summa secundum aliquorum æstimationem conficit viginti quinque millia librarum Gallicarum, seu duodecies mille & quingentos florenos Rhenanos: hanc alii ad septies mille quingentas libras, sive ter mille septingentos quinquaginta florenos reducunt, sed minus probabiliter. Simulque scripsit: " Si tale quid accideret, ne cunctentur nuntiare suis literis, pro certo habentes, Ecclesiam nostram, ne hoc ultra fiat, precibus orare; si facta fuerint, libenter & largiter subsidia præstare. Nam, cum dicat Paulus Apostolus, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; in captivis fratribus nostris contemplandus est Christus, & redimendus de periculo captivitatis, qui nos redemit de periculo mortis: ut qui nos de diaboli faucibus eruit, nunc ipse, qui manet & habitat in nobis, de barbarorum manibus exuatur, & redimatur nummaria quantitate, qui nos cruce redemit & sanguine: qui idcirco fieri hæc interim patitur, ut fides nostra tentetur, an faciat unusquisque pro altero quod pro se fieri vellet, si apud barbaros teneretur ipse captivus. „

Cypr. epist. 62. Pamel. 60.

Christo benefit in pauperibus.

XXII. Nonnulli Episcopi in consecrando Calice Domini solam aquam adhibebant, non quidem semper, vel ex superstitione, ut hæretici Aquarii, qui vinum ut rem malam aversabantur; sed persecutionis tempore, quo antelucanis horis divina mysteria celebrabant, putarunt ex simplicitate & ignorantia aquam ut suspicionibus minus obnoxiam posse sufficere: præsertim cum ex vini odore detegere potuerint Ethnici eos, qui tam mane vinum olebant, esse Christianos. Cyprianus hunc abusum redarguit datis ad Cæcilium literis; docetque, vinum in sacramento Calicis esse necessarium ex institutione Christi. " Admonitos, inquit, nos scias, ut in Calice offerendo traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut Calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. „ Dicitur autem mixtus, quia vino aqua miscebatur: vini necessitatem in Calice Domini probat ex figuris Veteris Testamenti, imprimis Melchisedech sacerdotis, qui " Christi typus fuit, & sacrificii dominici sacramentum præfiguravit, dum protulit panem & vinum. Nam quis magis sacerdos Dei summi fuit, quam dominus noster Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod obtulerat Melchisedech, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. „ Idem confirmat Novi Testamenti testimoniis. Denique concludit: " Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum Calici; nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni...... Nam si Jesus Christus Dominus Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur qui id, quod Christus fecit, imitatur; & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. „ Ex his certo constat, Eucharistiam esse & dici verum sacrificium.

Cypr. epist. 63. Vinum aqua temperatum consecravit Christus. Eucharistia sacrificium, quod præfiguravit Melchisedech.

XXIII. Extremo Galli tempore Origenes anno ætatis suæ septuagesimo mortuus est Tyri, & sepultus. Hunc mortuum laudavit Dionysius Alexandrinus, scribens ad Theotecnum Cæsariensem Episcopum: ac proinde mortuum extra communionem Ecclesiæ non putavit. Tanti viri brevem, sed verissimam imaginem sic delineat Vincentius Lyrinensis: Dicebamus ergo in superioribus, quod in Ecclesia Dei tentatio esset populi, error magistri; & tanto major tentatio, quanto ipse esset doctior qui erraret........ Sed ego ita arbitror, quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pene sit, qui Origenis tentationi valeat comparari; in quo plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem quivis ille facile judicaret. Nam si vita facit authoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illu-

Origenis mors & caracter. Phot. Bibl. cod. 232. Vincent. Lyr. Common. l. 1. c. 23.

Christi An. 256.

illustrata martyrio? deinde pro Christo, non solum patre, sed omni facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis sæpius, ut ferunt, affligeretur. Neque vero hæc in illo sola erant, quæ cuncta postea tentationi forent; sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longeque superaret. Tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divina, pene fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur; cujus scientiæ eum Græca concederent, Hebræa quoque elaborata sint. Eloquentiam vero quid memorem, cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quædam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimpidavit? Quæ factu ardua non, ut facillima viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus adsertiones suas texuit? Imo plane nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus divinæ Legis uteretur exemplis. Sed credo pauca conscripsit? Nemo mortalium plura; ut mihi sua omnia non solum perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Cui ne quidquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo doctores, Confessores & Martyres extiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum non pene ut Prophetam, quis Philosophorum non ut magistrum veneratus est? Hic autem Origenes tantus ac talis dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique latis credit, cum parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de eo quoque Ecclesiæ diceretur: Si quis surrexerit in medio tui Propheta, ... non audies verba Prophetæ illius. Vere non solum tentatio, sed etiam magna tentatio fuit. Extitit alter Origenes, qui sub Galieno floruit; at nihil præter libellum de dæmonibus scriptum reliquit, ut tradunt Porphyrius & Longinus ejus coæquales.

Victor. de Cæsar. Zozim. *Galli mors.*

XXIV. Secure agentibus Gallo & Volusiano, ut voluptatibus fruerentur suis, Gothi depopulatis multis Europæ provinciis, jam Mysiam diripiebant. Æmilianus, qui Pannoniæ legionibus præerat, militibus suis cum animos addidisset, repente barbaros adoritur, & magnam eorum partem occidit; eosque usque ad proprias sedes persequitur, atque cædit. His præclare gestis, animos militum, quos preda locupletarat, sibi demeruit, eorumque suffragiis proclamatur Imperator. Tum quam celerrime coactis omnibus copiis, movit versus Italiam, cum imparatis Gallo & Volusiano dimicaturus; qui tamen adversus eum proficiscuntur: sed ubi Inter-amniam venere, propeque constitissent hostiles exercitus, Galli milites, qui numero impares erant, ejusque negligentiam & mollitiem habebant contemptui, eum cum filio interficiunt, anno Christi ducentesimo quinquagesimo quarto. Annis duobus & fortassis aliquot menses imperarant. Sola pestilentia, & morbis, & fame, & persecutione Christianorum notus fuit eorum pincipatus.

Jornand. cap. 19. Vict. de Cæs. *Æmilianus imperat, & occiditur.*

XXV. Æmilius Æmilianus genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps, deficiente ad eum Galli exercitu, Imperium stabilisse suum videbatur; imprimis cum modeste uteretur suprema potestate. Sed Licinius Valerianus, parentibus ortus splendidissimis, qui & Consul & Censor fuerat, missus a Gallo ut Celticas & Germanicas legiones adduceret, Imperator a militibus acclamatur. Audita morte Galli, in Norico purpuram sumpsit. Æmiliani milites, ne civili bello, & cognatorum sanguine se inficerent, contemplantes illius generis humilitatem, & nobilitatem Valeriani, simul & mores laudatissimos, eum occidunt apud Spoletum, prope pontem, quem ab ejus cæde sanguinarium accepisse nomen ferunt. Quatuor mensibus imperavit, quorum pars cum Galli, pars cum Valeriani imperio conjungenda est.

Vict. de Cæs. *Valeria.*

XXVI. Valerianus anno Christi 254., vel initio 255. exercituum & ordinum omnium consensu factus est Imperator: ejus filium Galienum Senatus Cæsarem creat. Summam rerum adeptus, magno rebus constituendis studio incubuit: compressaque Galli persecutione, plenam pacem indulsit Ecclesiæ. Neque ullus superiorum principum, inquit Dionysius Alexandrinus, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia Nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio principatus sui; totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur. Postquam autem pax tam insperata post tot revelationes Cypriano aliisque lectas reddita est, quæ secura & firma per triennium perduravit, Synodos celebrarunt Episcopi. Jam enim, quantum per temporum iniquitatem licebat, vigebat ea lex, quæ habetur Apostolorum canone trigesimo octavo: Bis in anno Episcoporum concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoveant.

Christi An. 256. *nus Imperat. Ecclesiæ pax.* Eus. hist. l. 7. c. 10.

Synodus Carthag. tertia. Cypr. epist. 64. Pamel. 59.

XXVII. Hoc anno Synodus sexaginta sex Episcoporum Carthagine coacta est: in ea lectæ sunt literæ Fidi Episcopi, quibus primo querebatur de Therapio Episcopo, qui Victori presbytero in persecutione lapso præpropera festinatione pacem dederat, concessa tantum laica communione. Secundo. Consulebat de baptismo infantium, quos negabat intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari oportere; sed observari volebat legem circumcisionis antiquæ, ut octavo tantum die infans baptizaretur. Prima quidem querela concilium valde commovit; " quod recessum esset a decreti sui auctoritate, ut ante legitimum & plenum satisfactionis tempus, & sine petitu & conscientia plebis, & nulla necessitate urgente, pax concederetur, " Sed, inquit, Cyprianus, librato apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium, quod temere hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocumque a sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam. Quantum vero ad causam infantium pertinet: in hoc, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare; quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. „ Originalis peccati fidem manifeste supponit hæc concilii Carthaginensis definitio. Et infra, hanc clarius exponit Cyprianus: " Porro si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. „

Infantes recens nati baptizandi.

Originale pecc.

XXVIII. Eidem concilio delata videtur Fortunati Episcopi querela de Superbo diacono, qui contumeliis & injuriis suis eum exacerbaverat. Ejus humilitatem laudat Cyprianus, quod cum pro sua authoritate potuisset punire Diaconum contumeliosum, Synodo de eo conqueri maluerit. Et addit: " Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Quod si nos audere aliquid contra Dominum possumus, qui Episcopos facit; possunt & contra nos audere Diaconi, a quibus fiunt. Et idem oportet Diaconum, de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, & honorem sacerdotis agnoscere, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere. Hæc sunt enim initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, & præpositum superbo tumore contemnant, ... Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum deponas, vel abstineas. „

Cypr. epist. 3. Pamel. 65.

XXIX. Ejusdem Synodi nomine Clero plebique Furnensi sic scripsit Cyprianus: " Graviter commoti sumus ego & collegæ mei, qui præsentes aderant, cum cognovissemus, quod Geminius Victor frater noster de sæculo excedens, Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominarit: cum

Cypr. epist. 1. Pamel. 66.

jam

Digitized by Google

CHRISTI AN. 256.

Clerici non debent esse tutores.

Altaris sacrificium oblatum pro mortuis.

jam pridem in concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati, & in Clericorum ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant: ac si quis hoc fecisset, *non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros voluit avocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, *non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur*. „ En orationes quæ fiebant, & sacrificium quod offerebatur pro mortuis. Hic etiam observandum, ex jure Romano, tutelam pupillorum pro munere publico habitam, onus fuisse, a quo non nisi ex certis, iisque gravissimis causis lege definita excusatio concederetur. Exspectandum non erat, ut privilegio aliquo tam particulari, ex indulgentia ethnicorum Imperatorum fruerentur sacerdotes Christiani; tamen ex mutuo inter se consensu, & vi canonum caveri potuit, ne quis Christianus id oneris cuiquam de Clero vellet imponere, idque sub pœnis iisdem canonibus expressis. Itaque hic non agitur de tutela, vel cura, quæ ex jure contingeret. Constantinus Imperator, postea ab omnibus publicis oneribus immunes voluit esse Clericos.

L. Spadon. 15. §. 6.

Eus. hist. l. 10. c. 7.

XXX. Hoc etiam tempore pacis, cum in aliis provinciis, tum etiam in Africa Episcopi & Presbyteri lapsi, & censura Ecclesiæ sacerdotio privati, gradum suum retinere, vel recuperare conati sunt. Erat in provincia proconsulari Assuri sedes Episcopalis; cujus Episcopus Fortunatianus sub persecutione Decii sacrificaverat, & propter illud scelus dejectus ab Episcopatu, hic autem pro integro agere voluit; & Episcopatum sibi vindicare cœpit: quod ubi cognovit Cyprianus, graviter motus scripsit ad Epictetum Episcopum & plebem Assuris consistentem, licitum non esse Fortunatiano quondam eorum Episcopo suas exercere functiones, nec posse præesse Ecclesiæ, eamque administrare; ideoque monet ut se ab ejus fallacia separent, & contagione secernant. Ejusmodi enim homines quæstum ex oblationibus Fidelium, non animarum lucra quærunt. Ex hac Cypriani epistola patet, Clerum non alios reditus habuisse, quam munera & spontaneas Fidelium oblationes.

Cyprian. epist. 65. Pamel. 64.

XXXI. His similia contigerunt in Hispania. Basilides Legionis, & Martialis Emeritæ Episcopi " nefando Idololatriæ libello se contaminarant. Basilides præter libelli maculam cum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverat, & se blasphemasse confessus, & Episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere deponens, ad agendam pœnitentiam se convertit, Deum deprecans, & satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret. Unde Sabino de universæ Fraternitatis suffragio, & Episcoporum judicio, in ejus locum delatus est Episcopatus. „ Basilides postea clam Romam ad Stephanum profectus, subreptitias per fraudem ab eo obtinuerat literas, quibus in sedem suam restituebatur. " Martialis quoque præter gentilium turpia & lutulenta convivia, & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulchra depositos; actis etiam publice habitis apud procuratorem Ducenarium, obtemperasse se idololatriæ, & Christum negasse contestatus est. „ Ducenarii fiscales pecunias exigebant: sic nuncupati sunt a ducenis sestertiis, quæ in stipendium accipiebant. Istiusmodi homines per occasionem officii sui sæpe vexabant Christianos, nisi pactione vexationem redimerent; ut fecit Martialis, in cujus locum Felix ordinatus est, quem expellere nitebatur.

Cyprian. epist. 67. Pamel. 68.

XXXII. Sabinus autem & Felix in Africam ut viciniorem & magni nominis Ecclesiam navigant, adeuntque Cyprianum, qui recitatis in concilio triginta sex Episcoporum literis, quas ab Ecclesiis suis scriptas attulerunt, sic omnium nomine respondit: " Diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ Fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, & gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in Episcopatum, de quo fuerat juste depositus. Hoc eo pertinet, ut Basilidis, non tam abolita, quam cumulata delicta; ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen accesserit... „

Ibid. *Episcoporum electio.*

CHRISTI AN. 256.

Clerici apostatæ depositi sine spe restitutionis.

" Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quo minus ipse quoque delictis gravibus involutus, Episcopatum tenere non debeat, quando & Apostolus moneat & dicat: *Episcopum oportet esse sine crimine, quasi Dei dispensatorem*. Quapropter cum (sicut scripsistis, fratres dilectissimi; ut Felix & Sabinus collegæ nostri asseverant; atque alius Felix de Cæsar-Augusta Fidei cultor ac defensor veritatis, literis suis significat) Basilides & Martialis nefandæ Idololatriæ libello contaminati sint... Cumque alia multa sint & gravia delicta, quibus implicati tenentur, frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur; cum manifestum sit, ejusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec sacrificia Deo offerre debere. Maxime cum jam pridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, Sacerdos pacificus ac justus, & martyrio quoque, dignatione Domini, honoratus, decrevit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque sacerdotali honore prohiberi. „ Hæ literæ sic inscribuntur: Felici presbytero, & plebibus consistentibus ad Legionem & Asturicæ; item Lælio diacono, & plebi Emeritæ consistentibus, fratribus in Domino salutem. Emerita igitur Ecclesia nullum tunc habebat Presbyterum, sed Episcopo ministrabant aliqui Diaconi, quorum primus erat Lælius: quod in minoribus Ecclesiis observatum a tempore Apostolorum vidimus.

Cyprian. epist. 68. Pamel. 67.

Cyprianus hortatur Stephanum Papam, ut jubeat deponi Marcianum.

XXXIII. Marcianus Arelatensis in Gallia Novatiano se jam diu conjunxerat, & a Catholicæ Ecclesiæ unitate discesserat, lapsis quantumvis pœnitentibus etiam in mortis articulo pacem & communionem negans. Episcopi vicini tantum scandalum non diutius ferendum rati, querelas ad Stephanum Papam deferunt: sed cum ista causa protraheretur, Faustinus Lugdunensis semel atque iterum sollicitat Cyprianum, ut Marciani damnationem urgeat apud Romanum Pontificem; qui statim Stephano scripsit: " Huic rei nostrum est consulere & subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis & curandis vulneratis, bonitatis & misericordiæ divinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad co-episcopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod nec dum videatur a nobis abstentus, qui jam pridem jactat & prædicat, quod Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens, a communicatione se nostra segregaverit... Dirigantur in provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te literæ, quibus abstento Marciano, alius in ejus locum substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus contemnitur, colligatur ... Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus. „ Omnia peracta esse ex sententia Cypriani satis indicat antiquus Arelatensis Ecclesiæ catalogus, in quo Marciani nomen non legitur, licet priores & posteriores Episcopi in Ecclesiæ pace mortui, in eo recenseantur.

XXXIV. Florentius Pupianus Episcopus, ut videtur, Africanus, qui sub persecutione Decii præclaram confes-

Digitized by Google

Christi An. 256.

confeſſionem fecerat, poſtea parti Novatiani ſe dederat, multaque nefanda atque turpia Cypriano, Novatiani ac Feliciſſimi factioni nimia credulus, objecerat.

Cyprian. epiſt. 66. Pamel. 69.

Cyprianus ſexto Epiſcopatus anno, ut ipſe teſtatur, his calumniis reſpondit, ac pro conſcientiæ ſuæ puritate, authoritateque ſacerdotali, Pupianum acriter, & vehementer corripit; innocentiam ſuam ordinationemque copioſe defendit; denique concludit: " Quamobrem, frater, ſi Majeſtatem Dei, qui ſacerdotes ordinat, cogitaveris; ſi Chriſtum, qui arbitrio, & nutu, & præſentia ſua, & præpoſitos ipſos, & Eccleſiam cum præpoſitis gubernat, aliquando reſpexeris; ſi de innocentia ſacerdotum, non humano odio, ſed divino judicio credideris; ſi temeritatis, & ſuperbiæ, atque inſolentiæ tuæ agere vel ſero pœnitentiam cœperis; ſi Deo, & Chriſto ejus, quibus ſervis, & quibus puro atque immaculato ore ſacrificia, & in perſecutione pariter, & in pace indeſinenter offero, pleniſſime ſatisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos divinæ cenſuræ reſpectu, & metu, ut prius Dominum meum conſulam, an tibi pacem dari, & te ad communicationem Eccleſiæ ſuæ admitti ſua oſtenſione, & admonitione permittat. Memini enim quid jam mihi ſit oſtenſum, imo quid ſervo obſequenti, & timenti, de Dominica, & divina authoritate præceptum; qui inter cætera quæ oſtendere, & revelare dignatus eſt, & hoc addidit: Itaque qui Chriſto non credit Sacerdotem facienti, poſtea credere incipiet Sacerdotem vindicanti ...., Hæc, & ſuperiora ſatis indicant, divinas revelationes fuiſſe tunc frequentes.

Cyprian. epiſt. 2. Pamel. 61.

XXXV. Alii privatim conſulebant Cyprianum. Eucratius Thenarum Præſul quæſivit quid ipſi videretur de hiſtrione, qui quidem a theatro ceſſaverat, ſed alios docebat. Tunc ejuſmodi homines palam erant obſcœniſſimi. Negavit hunc ad communionem eſſe recipiendum, donec dimittat diſcipulos. " Quod ſi, inquit, penuriam talis, & neceſſitatem paupertatis oſtendit, poteſt inter cæteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari, ſi tamen contentus ſit frugalioribus, ſed innocentibus cibis; nec putet ſalario ſe eſſe redimendum ut a peccatis ceſſet, quando hoc non nobis, ſed ſibi præſtet. „ Eccleſia vivens ex oblationibus Fidelium, nec habens beneficia ſimplicia, ſeu quibus adjuncta non ſit animarum cura, obligationem ſuſtentandi pauperes etiam ex ſuis retributionibus ſemper agnovit.

Cyprian. epiſt. 4. Pamel. 62.

Pomponius quoque epiſcopus ad Cyprianum literas miſit per Paconium Epiſcopum, poſtulans ut ſibi reſcriberet, quid ipſi videretur de virginibus, quæ cum in ſtatu ſuo eſſe, & continentiam firmiter tenere decreverint, detectæ ſunt poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unus erat Diaconus; ſed aſſeverabant ſe integras eſſe. Re deliberata cum quatuor Epiſcopis, & pluribus Presbyteris, omnium nomine reſcripſit Cyprianus: " Scias nos ab evangelicis, & apoſtolicis traditionibus non recedere, quo minus fratribus, & ſororibus noſtris conſtanter, & firmiter conſulatur, & per omnes utilitatis, & ſalutis vias eccleſiaſtica diſciplina ſervetur ..... Nec patiamur virgines cum maſculis habitare, non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul vivere; quando, & ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari, & regi debeat, ne inſidianti diabolo, & ſævire cupienti ad nocendum detur occaſio, quando & Apoſtolus dicat: *Nolite locum dare diabolo* ..... Intercedendum eſt cito talibus, dum adhuc ſeparari innocentes poſſunt, quia dividi poſtmodum noſtra interceſſione non poterunt ....

Ad Epheſ. 4.

Quod ſi ex Fide ſe Chriſto dicaverunt, pudice, & caſte ſine ulla fabula perſeverent; ita fortes, & ſtabiles præmium virginitatis exſpectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt; melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant. „ Nullum igitur perpetuum caſtitatis votum emiſerant: " Et cum omnes omnino diſciplinam tenere oporteat, multo magis præpoſitos, & diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum, & documentum cæteris de converſatione, & moribus ſuis præbeant. Quomodo enim poſſunt integritati, & continentiæ præeſſe, ſi ex ipſis incipiant corruptelæ, & vitiorum magiſteria procedere? .... Et idcirco conſulte, & cum vigore feciſti, frater chariſſime, abſtinendo Diaconum, qui cum virgine ſæpe manſit; ſed & cæteros, qui cum virginibus dormire conſueverunt. Quod ſi pœnitentiam hujus illiciti concubitus ſui egerint, & a ſe invicem receſſerint, inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter; & ſi virgines inventæ fuerint, accepta communicatione, ad eccleſiam admittantur; hac tamen interminatione, ut ſi ad eoſdem maſculos poſtmodum reverſæ fuerint, aut ſi cum iiſdem in una domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore cenſura ejiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodum facile recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt; & ideo æſtimato juſto tempore, poſtea exomologeſi facta, ad Eccleſiam redeat. Quod ſi obſtinate perſeverant, ſciant ſe cum hac ſua impudica obſtinatione nunquam a nobis admitti in Eccleſiam poſſe, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis ſuis facere incipiant. „

Cypr. de opere & eleemoſ.

XXXVI. Cyprianus circa idem tempus ſcripſit tractatum de opere, & eleemoſynis. Bonorum operum, & præſertim eleemoſynæ neceſſitatem, & virtutem ad divinam miſericordiam promerendam mirifice prædicat. " Nec haberet, inquit, quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, niſi iterum pietas divina ſubveniens, juſtitiæ, & miſericordiæ operibus oſtenſis, viam quamdam tuendæ ſalutis aperiret, ut ſordes poſtmodum, quaſcumque contrahimus, eleemoſynis abluamus. Loquitur in Scripturis divinis Spiritus Sanctus, & dicit: *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum* ..... Agnoſcamus itaque, fratres chariſſimi, divinæ indulgentiæ munus ſalubre, & emundandis purgandiſque peccatis noſtris, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus, medelis ſpiritualibus vulnera noſtra curemus. „

Eccl. 3.

Id autem confirmat multis Scripturæ ſacræ exemplis, & authoritatibus: unum ſit pro omnibus: " Raphael quoque Angelus paria teſtatur, & ut eleemoſyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens: *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna: quia eleemoſyna a morte liberat, & ipſa purgat peccata* ..... Revelat Angelus, & manifeſtat, & firmat, eleemoſynis petitiones noſtras efficaces fieri; eleemoſynis vitam de periculis redimi; eleemoſynis a morte animas liberari ..... Sed metuis, ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis: & neſcis miſer quia dum times, ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus deficit: & dum, ne quid rebus minuatur, attendis, non reſpicis, quod ipſe minuaris, amator magis mammonæ, quam animæ tuæ: ut dum times, ne pro te patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pereas .... Sed enim in domo multi ſunt liberi; & retardat numeroſitas filiorum, quo minus bonis operibus largiter inſiſtas. At quin hoc ipſo operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures ſunt, pro quibus Dominum deprecaris; multorum delicta redimenda ſunt, multorum purgandæ conſcientiæ, multorum animæ liberandæ ... Si ergo vere filios tuos diligis, operari magis debes, ut filios tuos Deo juſta operatione commendes .... in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſervatur .... Hoc eſt caris pignoribus in poſterum providere .... Secundum fidem Scripturæ Sanctæ dicentis: *Qui converſatur ſine vituperatione in juſtitia, beatos poſt ſe filios relinquet.* „

Ibid. Tob. 12.

Prov. 20.

Ibid.

Denique concludit: " Ad hanc operum ſalutarium palmam libenter ac prompte certemus: omnes in agone juſtitiæ, Deo, & Chriſto ſpectante, curramus; & qui ſæculo, & mundo majores eſſe jam cœpimus, curſum noſtrum nulla ſæculi, & mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel perſecutionis invenerit, nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit; in pace viventibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit. „

Trid. ſeſſ. 6. c. 16.

Itaque opera bona, in hac vita, & futura, præmium habebunt apud Deum, cujus miſericordiam promerentur. Cum enim Chriſtus, tanquam caput in membra, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera antecedit, & concomitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſint; nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus bene illis quidem operibus, quæ in Deo facta ſunt, divinæ Legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe,

& vi-

Digitized by Google

CHRISTI AN. 256.

& vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur. Absit tamen ut Christianus in seipso confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Ex illo vim habent: ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.

Sess. 14. c. 8.

XXXVII. Anno Christi ducentesimo quinquagesimo quinto dum pax vigeret in Ecclesia, difficilis apud Africam exoritur quæstio, an baptismus ab hæreticis collatus valeret; quæ alias etiam non parum turbavit Ecclesias. Huic occasionem dedit Magnus, consuluerat Cyprianum, an inter cæteros hæreticos, eos quoque qui a Novatiano veniant, post profanum ejus lavacrum baptizari & sanctificari in Ecclesia Catholica legitimo, & vero & unico Ecclesiæ baptismo oporteat. Quæsierat item, quid censeret de illis qui in infirmitate & languore baptismum consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Clinicorum baptismum approbans rescripsit Cyprianus: " Nec quemquam movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam consequuntur; quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur & dicat: *Et aspergam super vos aquam mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis vestris* .... Unde apparet, aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere; & quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit dantis & accipientis fides integra, stare omnia, & consummari ac perfici posse majestate Domini, & Fidei veritate. „

Cypr. epist. 69. Pamel. 76.

Baptismus per aspersionem.

Ezech. 36.

Hæreticorum vero baptisma reprobans, eo quod fidem dantis & accipientis putaret esse necessariam, priori quæstioni sic respondit: " Dicimus, omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis ac juris, Propter quod Novatianos nec debet, nec potest excipi ..... Quod si aliquis illud opponit, ut dicat, eamdem Novatianum Legem tenere, quam Ecclesia Catholica teneat; eodem symbolo, quo & nos, baptizare; eumdem nosse Deum Patrem, eumdem Filium Christum, eumdem Spiritum sanctum; ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione baptismi a nobis non discrepare. Sciat quisquis hoc opponendum putat; primum non esse unam nobis & schismaticis symboli legem, neque eamdem interrogationem. Nam cum dicunt: Credis remissionem peccatorum, & vitam æternam per sanctam Ecclesiam? Tunc deinde voce sua ipsi confitentur, remissionem peccatorum non dari, nisi per sanctam Ecclesiam posse; quam non habentes, ostendunt remitti illis peccata non posse. „ Semel tamen in baptismo remissam peccatorum dari fatebatur Cyprianus: suam ea de re sententiam ante triennium jam ostenderat in libro de unitate Ecclesiæ: " Quando, inquit, aliud baptisma præter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur hæretici ..... Non Deo nativitas illa, sed diabolo filios generat. „ Hac ille primum doctrina imbutus fuit, hanc a prædecessore Agrippino, hanc a magistro suo Tertulliano hauserat, qui in libro de pudicitia: Apud nos, inquit, Ethnico par est, imo & supra ethnicum hæreticus etiam per baptisma veritatis utroque homine purgatus admittitur.

Hæreticorum baptisma reprobat Cyprianus.

Ibid.

Cypr. l. de oper. & eleem.

Cyprianus unum baptisma confitebatur.

XXXVIII. Hæc Cypriani opinio ubi primum divulgata est, multarum controversiarum & dissensionum occasio fuit & materia. Novatianos ad Ecclesiam redeuntes sine baptismo admittere nolebant non pauci Episcopi. Plures, veteri consuetudine ducti, docebant, homines ab hæreticis venientes sola manuum impositione recipiendos esse. Octodecim Episcopi in Numidia convenientes, quid statuant incerti, Cyprianum & Episcopos Africanæ provinciæ consulunt per literas, quæ non extant. Hi triginta & unus Concilium celebrabant præside Cypriano, qui omnium nomine sic respondit: " Cum simul in concilio essemus, fratres charissimi, legimus literas vestras, quas ad nos fecistis de iis, qui apud hæreticos & schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quæ una est, venientes baptizari debeant? De qua re quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimatis, sententiam nostram non novam promimus, sed jam pridem ab antecessoribus nostris statutam, & a nobis observatam, vobiscum pari confessione conjungimus; censentes scilicet, & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum, & scriptum sit, Domino dicente: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare. „ Et infra: " Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia est, unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. „ Hinc duo colligimus: primo, oleum, quo baptizati ungebantur, coram Eucharistia consecrari solitum. Secundo, hanc fuisse mentem Cypriani, nihil sanctum, ac proinde nullum Sacramentum ab hæreticis vel schismaticis posse confici. Errabat Cyprianus, quod baptismi effectum præcipuum ab ipso Sacramento non satis distingueret. Adulti quidem, de quibus hic potissimum est quæstio, si communicantes cum hæreticis ab eis baptizentur, effectum Sacramenti, scilicet gratiam sanctificantem, non recipiunt: valet tamen Sacramentum.

Episcoporum dissensio circa baptismum hæreticorum.

Cypr. epist. 70. *Synod. 1. rebaptizantium.*

CHRISTI AN. 256.

XXXIX. Quintus Mauritaniæ Episcopus per Lucianum presbyterum rogavit Cyprianum, ut sibi significaret, quid ea de re sentiret. Cyprianus Quinto transmisit exemplar literarum, quas concilii nomine dederat ad Episcopos Numidiæ, ut per eum reliquis Mauritaniæ Episcopis innotescerent; privatimque duobus adversariorum argumentis respondet secundum suam opinionem. Fatetur quidem, unum esse baptismum, sed negat valere datum extra Ecclesiam. " Nos autem dicimus eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil est; sed veniunt ad nos, ut hic accipiant, ubi & gratia & veritas omnis est; quia & veritas & gratia una est. „ Agnoscit autem sibi adversari antiquam consuetudinem; sic enim respondet: " Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, *& super quem ædificavit Ecclesiam suam*, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit; ut diceret se primatum tenere, & obtemperari a novellis & posteris sibi potius oportere .... sed consilium veritatis admisit. „ Jurisdictionis primatum in D. Petro aperte confitetur Cyprianus, cujus usum vult esse moderatum, ita ut inferiorum legitimis rationibus acquiescat superior, emendetque quidquid minus considerate fecerit.

Cypr. epist. 71. Pamel. 71.

Consuetudinem veterem sibi contrariam fatetur Cypr.

Agrippini authoritate confirmat suum de baptismo hæreticorum dogma; " Quod, inquit, Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit. Quorum sententiam & religiosam, & legitimam, & salutarem, Fidei & Ecclesiæ Catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus. „ Fatetur, baptizatos in Ecclesia Catholica, qui transeunt ad hæreticos, postea revertentes ad Ecclesiam, & pœnitentiam agentes, non esse rebaptizandos.

Ibid.

XL. Episcopi plures in Africa, Numidia, & Mauritania, Agrippini & Cypriani conciliorum decretis cum parum moverentur; sed veteri quadam consuetudine, quæ ante Agrippinum obtinuerat, potius ducti, docerent, homines ab hæreticis venientes non baptismo ecclesiastico, sed sola manuum impositione recipiendos esse; ut dissensiones & scandala, quæ ex hac opinionum diversitate possent oriri, averteret Cyprianus, scripsit librum de bono patientiæ, generalibus usus argumentis, præsentemque leviter attingens controversiam, ut omnium animos facilius in pace retineret, eumque misit ad Jubajanum. Convocatis etiam non tantum Africæ provinciæ proconsularis, sed & Numidiæ Episcopis, Carthagine secundum habuit de præsenti quæstione concilium, cui interfuere septuaginta & unus Episcopi; quorum judicium eidem sic exponit: " Hoc idem sententia nostra firmavimus, statuentes, unum baptisma esse, quod sit in Ecclesia Catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari a nobis. Quicumque ergo ab adultera & profana aqua veniunt, abluendi sunt, sanctificandi salutaris aquæ veritate. „

Cypr. epist. 73. Pamel. 73. *Synod. 2. rebaptizantium.*

Hanc

CHRISTI AN. 256.

Ibid.

Hanc ſuam opinionem Cyprianus ibidem nititur confirmare multis rationibus, quæ id unum evincunt, adultos hæreticis conſentientes dum ab iis baptizantur, baptiſmi gratiam non recipere. Sed obſervandum quod dicit de eis, qui in Samaria baptizati fuerant a Philippo diacono, & poſtea per impoſitionem manuum Petri & Joannis acceperunt Spiritum ſanctum: " Idcirco quia legitimum & eccleſiaſticum baptiſma conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id a Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro iis habita & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur. „ En ritus exterior, ſcilicet oratio & manus impoſitio, uſurpatus ab Apoſtolis, permanens in Eccleſia, diverſus ritu baptiſmatis, baptizatis applicatus, quo datur Spiritus ſanctus: ac proinde annexam habens promiſſionem gratiæ; & conſequenter verum Chriſti Sacramentum.

Confirmationis Sacramentum.

XLI. Cyprianus aliique Epiſcopi Synodicas hujuce ſecundi & prioris concilii literas cum epiſtola ad Quintum tranſmiſere ad Stephanum Romanum Epiſcopum; rati, quod decreta ſua comprobaret, atque ita finiretur controverſia. Ejuſmodi literarum ſynopſim hic ſubjicimus. " Ad quædam diſponenda, & conſilii communis examinatione limanda, neceſſe habuimus, frater chariſſime, convenientibus in unum pluribus ſacerdotibus, cogere & celebrare concilium, in quo multa quidem prolata atque tranſacta ſunt: ſed de eo vel maxime tibi ſcribendum, & cum tua gravitate ac ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat & ad ſacerdotalem authoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem, de divinæ diſpoſitionis ordinatione venientem, eos, qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos & ſchiſmaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere: eo quod parum ſit, eis manum imponere ad accipiendum Spiritum ſanctum, niſi & accipiant Eccleſiæ baptiſmum ..... Adjungimus, frater chariſſime, conſenſu & authoritate communi, ut etiam ſi qui Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Eccleſia Catholica prius ordinati fuerunt, & poſtmodum rebelles contra Eccleſiam ſteterint, vel apud hæreticos a pſeudo-epiſcopis, & anti-chriſtis contra Chriſti diſpoſitionem profana ordinatione promoti ſint, & contra altare unum atque divinum, ſacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre conati ſint; eos quoque hac conditione ſuſcipi, cum revertuntur, ut communicent laici, & ſatis habeant, quod admittantur ad pacem qui hoſtes pacis extiterint; nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint .... Hæc ad conſcientiam tuam, frater chariſſime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione pertulimus, credentes, etiam tibi pro religionis tuæ & Fidei veritate placere, quæ religioſa pariter & vera ſunt .... Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus. „ Non igitur putabat id ad Fidem pertinere.

Cyprianus Stephano Papæ ſua decreta mittit.

Cypr. epiſt. 72.

XLII. Concilium delegavit duos Epiſcopos, qui haſce literas deferrent ad Stephanum. Ille, cognita eorum legationis cauſa, eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admiſit, præcepitque Fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet. Cypriano tamen reſcripſit. Exciderunt ejus literæ. Præcipua quædam earum fragmenta nobis ſervavit Cyprianus. Primo quidem profitens ſe Petri Cathedram habere per ſucceſſionem, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, ſic præcipit: " Siquis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. Cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum. „ Communionem ſuam ſe negaturum baptizantibus venientes ab hæreticis comminatur.

Firmil. ep. apud Cypr. 75.

Cypr. epiſt. 74.

Stephanus approbat baptiſmum hæreticorum.

XLIII. Mirari ſatis non poſſum temeritatem quorumdam recentium, qui Stephani definitionem ut excedentem reprehendere non verentur, quam tantopere laudarunt ſancti Patres. Baptiſmum Chriſti, inquit Auguſtinus, in nullo iterandum eſſe cenſebat. Stephanus ergo loquebatur de baptiſmo, qui ſub ritu, quem Chriſtus inſtituerat, adminiſtrabatur. Idem ſatis indicat Firmilianus, Stephano licet adverſarius: Et quoniam, inquit Stephanus, & illi, qui conſentiunt, contendunt dimiſſionem peccatorum, & ſecundam nativitatem in hæreticorum baptiſmo procedere, apud quos etiam ipſi confitentur, Spiritum ſanctum non eſſe ..... Illud quoque abſurdum, quod non putant, quærendum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, Filii, & Spiritus ſancti. Stephanus igitur, teſte Firmiliano, decreto ſuo tantum eos comprehendebat hæreticos, qui, invocata Trinitate, nominum Patris & Filii & Spiritus ſancti baptiſma conferebant. Demum Cypriano Stephanus opponebat conſuetudinem, quam ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe docet Auguſtinus. Non igitur pſeudo-baptiſmum recipiebat, ſed ſuit conſtantem partibus. Quanto ſapientius igitur alii dicunt cum Vincentio Lirinenſi: Stephanum reliquos omnes tantum Fidei devotione viciſſe, quantum loci authoritate ſuperabat. Intelligebat enim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, qua fide a patribus ſuſcepta forent, eadem fide a filiis conſignarentur: noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi vellemus: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? Retenta eſt antiquitas: exploſa novitas; ſed nonniſi poſt Nicænum concilium, ut dicemus inferius.

Mens Stephanus Papæ

CHRISTI AN. 256.

Aug. c. 14. contra Petil.

Firmil. Ibid.

Vincent. Lyr. in Common. cap. 9.

XLIV. Jucundiores a Dionyſio Alexandrino literas accepit Stephanus. Epiſcopos, qui Novatiano faverant, ad unitatem Eccleſiæ rediiſſe ſcribebat. " Scias, inquit, frater, cunctas per Orientem & ulterius poſitas Eccleſias, quæ prius erant diſciſſæ, nunc tandem ad unitatem reverſas eſſe, & omnes Eccleſiarum ubicumque Antiſtites unum idemque ſentire, & ob redditam inſperato pacem incredibili gaudio exultare: Demetrianum ſcilicet Epiſcopum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Æliæ poſt mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiceæ vero poſt Thelymidris obitum Heliodorum, Helenum Tarſi, cunctaſque Ciliciæ Eccleſias; Firmilianum denique cum univerſa Cappadocia, ... Syriarum quidem provinciæ omnes cum Arabia, quibus identidem neceſſaria ſuppeditatis: Meſopotamia quoque, Pontus ac Bythinia: ac ſic uno verbo abſolvam, omnes ubique terrarum lætitia geſtiunt, Deoque gratias agunt, ob hanc concordiam fraternamque charitatem. „ Quam late igitur Novatiani ſchiſma in Oriente graſſatum eſt!

Euſ. hiſt. l. 7. c. 5.

XLV. Stephani Papæ reſcriptum ad manus Cypriani cum perveniſſet, tertium concilium convocavit ex provinciis Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, Kalendis Septembris anni 256. Octoginta ſeptem convenere Epiſcopi; quindecim inter eos erant Confeſſores; aliqui poſtea fuere Martyres: hi omnes unanimiter Cypriani ſententiam confirmarunt. Illius Synodi acta, & ſingulorum Epiſcoporum ſententiæ & rationes habentur inter opera Cypriani; prologuium hic tantum inſerimus. " Cum in unum Carthagine conveniſſent Kalendis Septembris Epiſcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris & Diaconibus, præſente etiam plebis maxima parte, & lectæ eſſent literæ Jubajani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubajanum reſcriptæ, de hæreticis baptizandis; „ quippe ſtatum quæſtionis & rationes accurate proponebant: Cyprianus dixit: " Audiſtis, collegæ dilectiſſimi, quid mihi Jubajanus coepiſcopus noſter ſcripſerit, conſulens mediocritatem noſtram de illicito & prophano hæreticorum baptiſmo; & quid ego ei reſcripſerim, cenſens ſcilicet, quod ſemel atque iterum cenſuimus, hæreticos ad Eccleſiam venientes, Eccleſiæ baptiſmo baptizari & ſanctificari oportere. „ Hæc non per modum ſuffragii dicta ſunt, ſententiam enim ſuam ultimus tulit, ſed ut ſtatus quæſtionis proponeretur. Quapropter ſubjungit: " Supereſt, ut de hac ipſa re ſinguli, quid ſentiamus, proferamus; neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum Epiſcoporum ſe conſtituit: aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia

Synod. 3. rebaptizantium.

Act. concil. Carthag. apud Cypr.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 256. centia libertatis & potestatis suæ, arbitrium suum proprium: tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare. „ Opinor, inquit Augustinus, in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt; vel dum ferunt sententiam in libera Synodo: ac proinde ex his omnibus id unum concludi potest, Cyprianum cum suis non putasse rescriptum Stephani Papæ esse infallibile & decretorium judicium, nisi accederet consensus Fraternitatis; cuilibet Episcopo licitum esse, liberum de proposita quæstione ferre suffragium.

Illud mihi mirum videtur, nullam literarum Stephani fieri mentionem. An fortassis prætermissæ silentio? Si enim recitatæ sunt, cur in actis id non legitur, cum ibidem de Cypriani & Jubajani literis lectis non taceatur? Auget suspicionem, quod Pompejus Africanus Episcopus scripserit ad Cyprianum, postulans ut Stephani rescriptum ad suam notitiam perferre non gravaretur. Non fuit igitur publicatum. Ille commotior, illius quidem exemplum misit, sed adjecta gravi reprehensione, & acerbiore confutatione. Hæc summi Pontificis verba reprehendens: Nihil innovetur, nisi quod traditum est. “ Unde est, inquit, ista traditio? Utrumne de dominica & evangelica authoritate descendens; an de Apostolorum mandatis, aut literis veniens? „ Respondet Augustinus: Apostoli nihil quidem ex inde præceperant; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. Cyprianus ibidem in signum pacis Stephanum vocat fratrem: vicit enim pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.

Aug. l. 5. adv. Donat. c. 23.

Aug. l. 5. de bapt. adv. Donat. c. 25.

XLVI. Cyprianus Synodi judicium cum Stephani decreto, & suis ad Stephanum & Jubajanum literis per Rogatianum diaconum misit Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo; qui rescribens, in Stephanum durius invehitur; si tamen epistola, quæ sub ejus nomine habetur, est genuina: hanc ignoravit Augustinus; primus edidit Morellus Calvinista; nec stylum, nec Græcam dictionem redolet: acerbior & plena contumeliis, aliena videtur a mansuetudine ac humilitate Christiana; ac proinde minus conveniens Firmiliano sancto Episcopo. Ex ea tamen nonnulla nobis notanda sunt. Stephanus jusserat, ut servaretur quod traditum est, scilicet quod in recipiendis hæreticis semper observaverat Ecclesia Catholica. Respondet, consuetudini præferendam veritatem. “ Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse: cæterum nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem sed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes, quod a Christo & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctum baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus ..... Plurimi, (scilicet quinquaginta Episcopi) convenientes in Iconio diligentissime tractavimus, & confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma quod sit extra Ecclesiam constitutum. „ Id ex aliqua parte verum est: plerique enim hæretici in Oriente, scilicet Valentiniani, Marcionitæ, Carpocratiani, Ophitæ, Apellatiani, Cataphryges, & alii, baptismi ritum omnino corruperant. Hinc venientes ad Ecclesiam baptizabantur.

Cypr. epist. 75. Pamel. 75.

Firmiliani epistola videtur supposititia

XLVII. Stephanus, ut refert Dionysius Alexandrinus, etiam literas scripserat de Heleno & Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis; sese ob eam causam ab eorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent. Dionysius, his auditis, Stephani praxim licet sequeretur, ad eum tamen scripsit orans atque obtestans, ne communionem abrumperet cum Episcopis qui id sequerentur quod in maximis conciliis fuerat decretum.

Euf. hist. l. 7. c. 5.

XLVIII. Ejusmodi contentiones compescuit superveniens exeunte eodem anno persecutio, quæ per annos tres & sex menses sæviit. Dionysius Alexandrinus hæc verba Apocalypseos: *Datum est illi os loquens magna & impia, & data est illi potestas per menses quadraginta duos*, explicat de Valeriano persecutore. Ejus author fuit Macrinus vir manu & consilio strenuus, Romanorum opulentissimus. Affectabat Imperium; ejus ambitionem suis artibus fovebant Magi & Aruspices, quibus magnam gratiam ob speratum Imperium, & magna munera obtulit. Hic Valeriano initiationes impuras, & abominanda maleficia, & execranda sacrificia peragere, immolare liberos infelicium parentum, recens natorum rimari viscera persuasit, & persequi Christianos, qui his omnibus adversarentur, solaque sua præsentia dæmonum præstigias disturbare possent. Pollicebatur, eum hujuscemodi facinoribus ad summam felicitatem esse perventurum. Promissi fidem conciliavit victoria Aureliani, qui Scythas & Gothos Orientis provincias vastantes internecione delevit.

Euseb. l. 7. c. 10.

Valeriani persecutio.

CHRISTI AN. 257. & 258.

Vopisc.

XLIX. Anno sequenti, Christi 257., die vigesima Januarii, D. Maximum Romæ passum, exeunte anno ibidem sanctas Rufinam & Secundam gloriosum fecisse Martyrium ferunt. Divus autem Stephanus Papa cum multa pro Fidei defensione pertulisset, vel in carcere, vel in exilio diem extremum obiit anno ducentesimo quinquagesimo octavo; cum Ecclesiam duobus annis administrasset. Eum inter Martyres merito recensent Martyrologia, quamvis ejus passionis acta dubia videantur peritioribus. D. Xistus in ejus locum successit. Paucis post diebus milites invenerunt Tarsicium acoluthum Christi, Corporis sacramenta portantem. Inquirentibus quid gereret, ille indignum judicans porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere sacro-sancta mysteria; qui eum tamdiu fustibus & lapidibus mactaverunt, quo usque spiritum exhalaret: revolutoque ejus corpore, nihil valuerunt de sacris mysteriis reperire. Initio tamen mitior fuit persecutio, nec adhuc sanguine transigebatur, sed exilio, & vinculis, ut constat ex edicto Valeriani, atque ex actis sequentibus, Cyprianique epistolis: sed conventuum prohibitio in plures animadvertendi fuit occasio.

D. Stephanus Papa martyr.

Euf. hist. l. 7. c. 5.

Act. consul. Afric. & Ægypt.

L. Exilium suum sic describit D. Dionysius Alexandrinus: “ Veni ad Æmilianum Ægypti præfectum, non solus, sed concomitantibus me Maximo compresbytero, & Fausto, & Eusebio ac Chæremone diaconis. Marcellus quidam ex Fratribus Romanis, qui tum aderant, nobiscum ingressus est. Æmilianus id primum egit, ne ipsi Christiani essemus, & ab eo cultu desistere me jubebat; ratus scilicet, si ego ab eo cultu descivissem, cæteros exemplum meum secuturos. Respondi: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Sed palam & aperte contestatus sum, me illum, qui solus est Deus, neque alium ullum præter hunc adorare; nec a proposito discessurum me esse, nec commissurum unquam, ut Christianus esse desinerem. Post hæc abire nos jussit in vicum quemdam solitudini proximum, cui nomen est Cephro ...... Tum adjecit: Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscumque aliis, conventus agere, aut ea, quæ vocantur cœmeteria, adire. Quod si quis apud eum, quem jussi, locum, minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus, is sibi ipse periculum arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur quo jussi estis: statimque me, tametsi ægrotantem, proficisci compulit, ne diei unius quidem dilatione concessa .... „

Euf. hist. l. 7. c. 11.

D. Dionysii Alexandr. exilium.

“ Sed neque a corporali conventu, Domino juvante, abfuimus. Verum eos, qui in urbe erant, perinde ac si adessem, majore studio congregavi in Ecclesiam, absens quidem corpore, animo autem præsens. Apud Cephro vero nobiscum magna Fidelium adfuit multitudo, partim eorum, qui nos ab urbe secuti fuerant; partim aliorum, qui ex reliqua Ægypto confluebant. Ibi quoque januam nobis patefecit Deus ad prædicationem verbi sui. Et initio quidem persecutionem passi, & lapidibus impetiti sumus. Postmodum vero non pauci ex gentilibus, relictis simulachris, ad Deum conversi sunt. Tunc enim primum apud illos verbi divini per nos sparsa sunt semina, cum illud antea non suscepissent. Postquam illud ministerium implevimus, Æmilianus iterum nos transtulit in asperiora quædam loca, & ut credebar, magis Lybica. Et cunctis undecumque ad Marcoticam præfecturam confluere jussis, vicos per regionem illam dispersos singulis assignavit; nos vero magis ad viam publicam, ut primi comprehenderemur, collocavit. Ibid.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 258.

Id enim præcipue agebat ac moliebatur, ut quomodocumque voluisset, omnes nullo negotio capi possemus. Ego vero cum Cephro primum abire jussus sum, tametsi ubinam locus ille situs esset, ignorabam, ... nihilominus alacri constantique animo perrexi. „

Ibid. “ Postquam vero mihi renuntiatum est, ut ad Colluthionis regionem migrarem, norunt ii, qui tum præsentes aderant, quomodo affectus animo fuerim ... Principio quidem ægre admodum ac moleste tuli. Etsi enim regio illa notior nobis, magisque familiaris erat, quam Cephro; tamen Fratribus ac probis viris vacuus esse locus dicebatur, & viatorum turbis latronumque incursionibus obnoxius. Sed multum mihi consolationis attulit, quod Fratres me admonuerunt, locum illum a civitate propius abesse. Itaque quamvis Cephron maximam nobis multitudinem Fratrum ex Ægypto confluentium adduxisset, adeo ut laxius jam conventus agere possemus; illic tamen, ob vicinitatem urbis, charissimorum & conjunctissimorum hominum adspectu crebrius nos ajebant esse fruituros. Idque ita contigit. Sed fortasse Germanus multis Fidei confessionibus gloriatur. Quot vero enumerare potest periode atque ego, sententias judicum, publicationes, proscriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloriæ sæcularis, laudum a Præfectis & Decurionibus profectarum despectus, minarum denique, quæ coram intentabantur, vociferationum, discriminum, persecutionum, fugæ, ærumnarum, & cujusque modi malorum tolerantiam? cujusmodi sunt ea quæ sub Decio & Sabino, & quæ in hunc usque diem sub Æmiliano nobis contigerunt. „ Dionysium ex illustri familia oriundum ex his multa pro Fide passum esse constat. Germanus hunc accusabat neglectorum conventuum ante persecutionem; eaque exorta, statim fuga consuluisse suæ saluti. Atrox accusatio: quoties enim ingruebat persecutio, solebant prius Episcopi populum congregare, ut eum ad retinendam Christi fidem exhortarentur. Deinde infantes & Catechumenos baptizabant; Eucharistiam Fidelibus dividebant; cum incertum esset quamdiu duratura esset persecutio. Ex dictis patet quam injusta fuerit accusatio.

Dionysii pro Fide passiones.

Suggest. Germ. & Felic. ad Hormisd. Pap.

LI. Dionysius Alexandrinus exul pro Fide Christi multum pro ejus conservatione laboravit: præsertim ut pacem inter Episcopos conciliaret, multas scripsit epistolas. Prima est ad Xistum Romanum Pontificem. Primam ejus partem, quæ est de Stephani literis ad Firmilianum, jam retulimus. In secunda illius parte de Sabellianis hæreticis, qui tunc temporis increscebant, Xistum certiorem facit. Sabellius Afer erat, Pentapolitanus, Noeti discipulus, cujus errorem multum propagavit, ideoque ex illo famosius hæc hæresis nomen accepit. Eumdem esse dicebat Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant. Quem errorem ex apocryphis quibusdam hauserunt Noetiani, præsertim ab Ægyptiorum Evangelio. Plures habuit sectatores, præsertim Romæ, & in Mesopotamia. In Pentapoli superioris Lybiæ quidam Episcoporum tunc temporis cum Sabellio sentiebant; tantumque suis commentis invaluerant, ut vix ultra Filius Dei in Ecclesia prædicaretur. Hujusce rei certior factus Dionysius, cui earum cura Ecclesiarum incumbebat, mittit, suadetque authoribus, ut a pravis opinionibus desistant. Quibus impudentius in impietate perseverantibus, necessitate compulsus est eorum impudentiam epistola ad Euphranorem & Ammonium data coercere, humanaque Salvatoris ex Evangeliis exponere; & cum audacius illi Filium negarent; & humana ejus Patri adscriberent; ostendit ipse non Patrem, sed Filium pro nobis hominem esse factum, ut imperitis illis persuaderet, Patrem non esse Filium, eoque pacto homines ad veram Filii Deitatem credendam, & ad Patris cognitionem reduceret.

Euseb. l. 7. c. 6. *Sabellii heresis.* Ibid. Epiph. hær. 57. Aug. de hær. 41. Epiph. hær. 65. Athan. Epist. de senten. Dionys.

LII. Tertiam epistolam ad Philemonem Ecclesiæ Romanæ presbyterum de baptismo scripsit Dionysius: “ Ego vero, inquit, in libris & traditionibus hæreticorum cognoscendis operam posui, execrandis quidem illorum sententiis animum meum tantisper coinquinans: hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis quam antea detestarer. Et cum Frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus, ne forte nequitiæ illorum cœno commiscerer; quippe animum meum contaminatum iri ajebat; & quidem verissime, ut ipse sentiebam; visione cœlitus missa confirmatus sum. Et vox ad aures meas perlata diserte mihi præcepit hoc modo: Lege omnia quæcumque in manus venerint. Idoneus namque es, qui singula disquiras & examines. Amplexus sum visionem illam; utpote quæ Apostolicæ voci consentiret, robustissimos quosque ita compellanti: Estote periti nummularii. „ Periculosam igitur librorum hæreticorum lectionem, solisque doctis & piis concedendam putarunt sancti Patres.

Eus. hist. l. 7. c. 7. *Hæreticorum libri non legendi.*

CHRISTI AN. 258.

Ibid. Infra, hæc pauca de baptismo subdit: „ Hanc ego regulam & formam a beatissimo Papa nostro Heracla accepi. Eos enim, qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent, seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem; cum Fratribus communicantes, clam perversæ doctrinæ magistros adire delati essent, ab Ecclesia ejectos, post multas tandem preces non prius admisit, quam quæcumque ab adversariis audierant, palam exposuissent: Ac tum demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato baptismate eis opus esse. Quippe jam antea Spiritum sanctum ab ipso acceperant. „ Eumdem morem cum suis tenebat Cyprianus; sic enim scribit in sua ad Quintum epistola: “ Quod & nos, inquit, quoque hodie observamus, ut quos constat hic baptizatos esse, & a nobis ad hæreticos transiisse; si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto, ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere. „ Sed baptizatos ab hæreticis per novum baptismum recipi volebat; ejusmodi praxim esse damnandam negabat Dionysius, quamvis eam non sequeretur, quippe de ea sic scribit: Illud præterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse; sed & multo antea, superiorum Episcoporum temporibus, in Ecclesiis populosissimis, & in conciliis Fratrum apud Iconium & Synada, & apud alios plurimos idem sancitum fuisse. Quorum sententias & statuta subvertere, eosque ad jurgia & contentiones excitare equidem nolim. Scriptum est enim: *Non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui constituerunt.* „

Cypr. ep. 71. — Eus. hist. l. 7. c. 7. — Deut. 9.

Adversariorum suorum praxim pariter non damnabat Cyprianus. Hinc patet, plerosque magni nominis Episcopos existimasse, hanc quæstionem esse puræ disciplinæ; ac proinde cuilibet morem Ecclesiæ suæ sequendum esse. Contra vetus Ecclesiæ consuetudo hæc erat, ut tam apostatæ, quam simpliciter hæretici redeuntes ad Ecclesiam, per manus impositionem susciperentur; sed cum eo discrimine: apostatæ, utpote majoris criminis rei, nonnisi post diuturnam pœnitentiam ab Ecclesia suscipiebantur; quæ benignius agebat cum baptizatis in hæresi, ut docet D. Augustinus: Ecclesia Christi aliter tractat eos, qui eam deserunt, si hoc ipsum pœnitendo corrigunt: aliter eos, qui nondum in ea fuerunt, & tunc primum ejus pacem accipiunt: illos amplius humiliando, istos lenius suscipiendo.

Aug ep. 93 alias 48. ad Vincent.

LIII. Quarta ejus de baptismo epistola scripta est ad Dionysium tunc Romanæ urbis presbyterum, quem laudat ut virum eruditissimum & admirandum. In ea de Novatiano sic scribit: “ Novatianum merito aversamur, quippe qui Ecclesiam discidit, & quosdam ex Fratribus ad impietatem blasphemiamque pertraxit; qui nefariam de Deo doctrinam invexit; & clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum quasi implacabilem calumniatur: qui præterea sacrum lavacrum obliterat; fidemque & confessionem quæ baptismum præcedunt, evertit; & Spiritum sanctum penitus ab illis fugat. „

Eus. hist. l. 7. c. 7. & 8.

Extat & quinta ejusdem epistola ad Xistum Romanæ urbis Episcopum. Hujusmodi quiddam sua ætate contigisse narrat: “ Profecto opus habeo, frater, consilio tuo, & sententiam tuam expeto, ne forte ipse hallucinor, tali ad me negotio delato. Quidam ex Fratribus, qui ad Ecclesiam conveniunt, jam pridem pro Fideli habitus, & qui ante meam ordinationem cœtus Fidelium particeps fuerat, cum interfuisset baptismo eorum qui nuper baptizabantur, & interrogationes illorumque responsiones audiisset, ad me accessit flens, & vicem suam ingemiscens; pedibusque meis advolutus, confiteri, atque dejerare cœpit, baptismum,

Eus. hist. l. 7. c. 9. *Dionysius non rebaptizat baptizatos ab hæreticis.*

quo

Christi An. 258.

quo apud hæreticos fuerat initiatus, non hujusmodi esse, nec eum hoc nostro quidquam commune habere; quippe illum esse plenum blasphemiæ & impietatis. Proinde orabat, ut hoc purissimo lavacro, verissimaque adoptione & gratia donaretur. Quod equidem, frater, non sum ausus; sed diuturnam illi communionem ad id sufficere dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit, & qui cum cæteris responderit, Amen; qui ad sacram mensam astiterit, & manus ad suscipiendum sacrum Cibum porrexerit, qui illum exceperit, & Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum ego de integro renovare non ausim. Porro ut bono animo esset, & cum firma fide bonæ spei plenus ad Dominici corporis participationem accederet, jussi. Verum ille lugendi nullum finem facit, & ad mensam accedere penitus exhorrescit: vixque rogatus orationibus interesse sustinet. „ Collatum igitur ab hæreticis baptismum recipiebat Dionysius, nec iterandum putabat. Præterea quid necesse fuisset eum tot de baptismo scribere literas, ne quid gravius in Cyprianum aliosque ejusdem sententiæ Episcopos decerneretur, si Stephanus Papa rebaptizantes subjecisset anathemati? Stetit igitur intra minas summus Pontifex: ejus quidem responsio ad Dionysium non extat; sed id satis indicat secundæ Synodi Antiochenæ Synodica, quæ Firmilianum

Ib. c. 20.

vocat, sanctæ recordationis virum. Scripsit etiam duas Paschales epistolas, encomia in illis & panegyricos sermones de Paschali festo contexens, probatque festum Paschæ diem non nisi post æquinoctium vernum celebrari oportere, octoque annorum canonem publicavit.

Pont. in vita Cyprian. Cypr. passio ex actis select. Cypr. epist. 77. Pamel. 78. *D. Cyprianus exul pro fide.*

LIV. Cyprianus in Africa primus Christum confessus pellitur in exilium. Quid sacerdos Dei Proconsule interrogante responderit, inquit Pontius ejus diaconus, sunt acta quæ referant. Hæc autem sic habent. Imperatore Valeriano quartum, & Gallieno tertium consulibus, tertio Kalendarum Septembrium, Carthagine, in Secretario, Paternus Proconsul Cypriano Episcopo dixit: Sacratissimi Imperatores Valerianus & Gallienus literas ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos, qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas cæremonias recognoscere. Exquisivi ego de nomine tuo, quid mihi respondes? Cyprianus dixit: Christianus sum & Episcopus, nullos alios deos novi, nisi unum & verum Deum, qui fecit cœlum & terram, mare, & quæ in eis sunt omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus.

Paternus dixit: In hac ergo voluntate perseveras? Cyprianus respondit: Bona voluntas, quæ Deum novit, immutari non potest. Paternus dixit: Poteris ergo secundum præceptum Valeriani & Gallieni exul ad urbem Curubitinam proficisci. Cyprianus respondit: Proficiscor. Interrogatus vero de suis Presbyteris, eos indicare noluit. Proconsul adjecit: Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, ne cœmeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre præceptum non observaverit, capite plectetur. Cyprianus Episcopus respondit: Fac quod tibi præceptum est. Tunc Paternus jussit beatum Cyprianum Episcopum in exilium deportari.

Pont. in vita Cyprian.

LV. Curubis in deserto Zeugitanæ provinciæ sita est: huc decimo quarto Septembris pervenit comitante Pontio ejus diacono; qui de ejus exilio ista scribit: Provisum esse divinitus etiam pro animo tanti viri apricum & competentem locum, hospitium pro voluntate secretum, atque, ut omittam frequentiam visitantium Fratrum, ipsorum & inde civium charitatem, quæ repræsentabat omnia, quibus videbatur esse fraudatus; admirabilem visitationem Dei non prætereo: quæ Antistitem suum sic in exilio esse voluit de futura passione securum, ut imminentis martyrii pleniore fiducia non exulem tantummodo Curubis, sed & Martyrem possideret. Eo enim die, quo primum in exilii loco mansimus, apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum enormis; qui cum me quasi ad Prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum Proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, adnotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam; nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim juvenis, qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus legit quidquid fuerat annotatum. Et quia id verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in literis tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa & complanata ad majoris gladii modum, ictum solitæ animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram.

Ibid.

Rogare cœpi, & petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prerogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula cœperat nescio quid adnotare: sensi tamen de vultus serenitate, Judicis mentem quasi justa commotione commotam. Sed & ille juvenis, qui jam dudum de passionis indicio, gestu potius, quam sermone prodiderat, clandestino identidem nutu, concessam dilationem, quæ in crastinum petebatur, contortis post invicem digitis, significare properavit. Ego, quamvis non esset lecta sententia, etsi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde gauderem, metu tamen interpretationis incertæ sic tremebam, ut reliquiæ formidinis cor exultans adhuc toto pavore pulsarent...... Hic dies unus significabat annum, quo ille post visionem acturus in sæculo fuerat. Nam, ut manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. Hic per undecim menses moratus, Ecclesiæ utilitati, & pauperum necessitatibus providit.

Cypr. epist. 76. Pamel. 77. *Confessoribus gratulatur Cyprianus.*

LVI. Interea Præses Numidiæ novem Episcopos cum Presbyteris & Diaconis, Christi nomen confessos, primum fustibus cædit; deinde ad metalla damnat. Quibus consolatoriam epistolam scripsit Cyprianus, excusans se, quod eos non inviserit exilio coercitus. Eorum nomina, quæ leguntur in actis Synodi Carthaginensis, sic recenset: Nemesianus, Felix, Lucius, alter Felix, Litteus, Polianus, Victor, Jader, Dativus: quos sic alloquitur: “ An ego possim tacere, & vocem meam silentio premere, cum de charissimis meis tam multa & gloriosa cognoscam, quibus vos divina dignatio honoravit: ut ex vobis pars jam martyrii sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de Domino receptura; pars adhuc in carcerum claustris, sive in metallis & vinculis demoretur... ”

Ibid.

Deinde sic describit quanta hic patiantur. “ Imposuerunt compedes pedibus vestris, & membra felicia & Dei templa infamibus vinculis ligaverunt..... Quantum vult, hic vel invida crudelitas vel maligna nexibus vos suis & vinculis teneat, cito a terris & pœnis istis ad cœlorum regna venietis. Non fovetur in metallis, lecto & culcitris corpus, sed refrigerio & solatio Christi fovetur. Humi jacent fessa laboribus viscera; sed pœna non est cum Christo jacere..... Squallent sine balneis membra situ & sorde deformia, sed spiritualiter intus abluuntur..... Panis illic exiguus; at non in solo pane vivit homo, sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest; sed qui Christum induit, & vestitus abundanter, & cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit?..... Omnis ista deformitas detestabilis gentilibus, quali splendore pensabitur?.... Sed nec in illo, fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis, aut fidei jactura sentiri, quod illic nunc Sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi divina sacrificia. „ Hæc si non intelligantur de sacrificio Eucharistiæ, dicant adversarii, quodnam esset illud sacrificium, quod in metallis offerre non poterant sacerdotes.

Ibid.

Pergit Cyprianus: “ Exemplum vestrum secuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata est; connexa vobis vinculo fortissimæ charitatis, & a præpositis suis nec carcere, nec metallo separata; cujus numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quasque ad cœlestem coronam gloria geminata provexit. In pueris quoque virtus major ætate, annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum gregem & sexus & ætas omnis ornaret. „ Has literas cum grandi pecunia misit per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Maximum, & Amantium acoluthos.

CHRISTI AN. 258. & 259. Apud Cypr. epist. 77. Pamel. 78. *Cypriani caracter.*

Hos Episcopos ad tres fodinas seorsim fuisse damnatos, quarum una Siguense metallum dicebatur, ex triplici eorum responso apparet. Lucii nomen in responsis desideratur: unde conjicere licet, hunc eum obiisse extremum diem. Cypriani caracterem sic nobis exhibent. "Quæcumque bona in multis libris tuis intulisti, nescius ipsum te nobis designasti; es enim omnibus in tractatu major, in sermone facundior, in consilio sapientior, in patientia simplicior, in operibus largior, in abstinentia sanctior, in obsequio humilior, & in actu bono innocentior. Scis & ipse, charissime, nostrum optabile votum esse, quod te videamus doctorem & amatorem nostrum ad coronam magnæ confessionis pervenisse: nam quasi bonus & verus doctor, quid nos discipuli secuti apud Præsidem dicere deberemus, prior apud acta Proconsulis pronuntiasti." Et gratias agunt de subministratis auxiliis, & cuidam Quirino, qui pecuniæ partem contulerat.

Vopisc. in Aurel. Cyprian. epist. 80. Pamel. 82.

LVII. Anno sequenti Memmio Fusco & Basso consulibus Valerianus Imperator adversus Persas movens cum potenti exercitu, Macriano totam rempublicam credidit. Hujus consiliis factus in Christianos acerbior rescripsit ad Senatum, ut Episcopi & Presbyteri, & Diacones, in continenti animadvertantur; Senatores vero & egregii viri, & equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur; & si ademptis facultatibus Christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur; matronæ quoque ademptis bonis in exilium relegentur: Cæsareani quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, & vincti in Cæsareanas possessiones descripti mittantur, ut duram hic serviant servitutem. Subjecit etiam Valerianus orationi suæ exemplum literarum, quas ad Præsides provinciarum de Christianis fecerat.

Bucher. *D. Xistus martyr.* Ambr. l. 1. off. cap. 41.

LVIII. Valeriani rescripto apud Senatum proposito, Xistus Pontifex, qui mense Junio corpora sanctorum Apostolorum Petri & Pauli noctu levata transtulerat ad catacumbas, quo securius laterent, dum propter temporum difficultatem iret in cœmeterium, ut divina perageret, deprehenditur. Dum autem duceretur ad supplicium, Laurentius ejus archidiaconus natione Hispanus, flens his verbis eum appellare cœpit: Quo progrederis sine filio Pater? quo, sacerdos sancte, sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit, Pater? numquid degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris; cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem; cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide, ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur... Tunc Xistus: Non ego te, fili, relinquo ac desero; sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus; te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies; flere desiste. Post triduum me sequeris.. Tibi commendo nostræ virtutis successionem. Xistus autem in cœmeterio Callisti capite plectitur, cruci affixus dicitur a Prudentio, octavo Iduum Augustorum, primo pontificatus anno, jam a mense completo, Christi ducentesimo quinquagesimo nono; & cum eo Quartus passus est. Romæ Sedes vacavit per annum, quo tempore penes Presbyteros Ecclesiæ Romanæ cura fuit. Postea Dionysius presbyter creatus est Episcopus. Eodem die, licet fortassis non eodem anno, DD. Felicissimum & Agapitum diaconos Romæ passos esse testantur Martyrologia.

Cyprian. epist. 80. Pamel. 82.

Sacrament. Gregor. Kalend. Bucher. 8. Idus Aug. *D. Laurentius martyr.* Prudent. hymn. in D. Laur.

LIX. Urbis Præfectus putans Christianos auri argentique acervos habere reconditos, Laurentium sisti jubet. Soletis, inquit, conqueri, sævire nos justo amplius. Nunc blande & quiete efflagito quod sponte facere debens. Antistites vestros vasis aureis & argenteis uti in suis sacris ferunt; præterea vos habere immensas ex oblationibus collectas pecunias. Nunc depromе hos thesauros: hos poscit usus publicus, & Cæsar, ut militibus stipendia præbeat. Laurentius obtemperaturum innuit, postulans inducias, ut Ecclesiæ pretiosissima quæque proferat. Præfectus lætus triduum concedit, ut thesauros repræsentet. Laurentius infirmos & pauperes, quos sustentabat Ecclesia, colligit, singulorum nomina describit, atque circa ædes sacras ordine disponit, invitatque Præfectum, ut condicto die veri Dei pretiosissimos thesauros recognoscat. Ille præeuntem sequitur: ut ventum est ad sacram januam, ubi stabant catervæ pauperum, Præfectus stupens, conversus ad Laurentium, multis minatur. Contra ille: Quid minitaris, aut quid displicet? Num sordida hæc aut vilia existimas?.. Si membra morbus dissecat, animus viget robustior. En veras Ecclesiæ opes, suscipe; ornabis Urbem, ditabis Principem, & ipse fies ditior.

CHRISTI AN. 259.

Ibid.

Ridemur, exclamat fremens Præfectus! Operam dabo, ut mors, quam optas, post longos veniat dolores. Craticulam imponi jubet prunis tepentibus, ut ipsum lento igne torreret. Decumbe, inquit, digno lectulo; tunc, si libebit, disputa, nihil esse ignem meum. Tortores nudant Martyrem, & vincta membra distendunt. Ejus vultum insolito fulgore splendentem, suavemque tosti corporis odorem se deprehendisse testabantur Fideles recens baptizati; occultum sensere Gentiles. Laurentius postquam diu tostum est unum latus, sic compellat judicem: Assum est; versa, & manduca. Mox cœlum intuens, orat, ut Roma fieret Christiana; emisitque spiritum. Senatores, quibus mira tanti Martyris constantia Christum esse Deum suaserat, humeris extulere sanctum corpus, sepultumque est in crypta agri Verani juxta viam Tiburtinam. Quarto Idus Augusti Romæ plures esse passos aperte indicat Cyprianus: Huic persecutioni, inquit, quotidie insistunt Præfecti in Urbe; ut, si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur; & bona eorum fisco vindicentur.

LX. Aspasio Paterno Africæ Proconsuli successerat Galerius Maximus, qui sanctum Cyprianum ab exilio revocatum, sibi jussit præsentari, & in hortis suis prope Carthaginem remanere permisit. Illi ipsi horti erant, quos inter initia suæ fidei vendiderat, pauperibusque pretium distribuerat: ac Dei beneficio restitutos iterum vendidisset, nisi invidiam vitare voluisset. Hic varia & incerta de persecutione cum nuntiarentur, aliquos Romam misit, qui exploratam veritatem ad se referrent. Valeriani rescriptum, ejusque literas retulerunt, & de Xisto, inquit Pontius, bono & pacifico sacerdote, & beatissimo Martyre. Quibus verbis innuit Xistum cum Cypriano egisse pacifice, ut suaserat Dionysius Alexandrinus. Inde quotidie sperabat veniri ad se, scilicet ut interficeretur, sicut illi ostensum fuerat.

Cyprian. epist. 80. Pamel. 82. Act. pass. Cypr.

Pont. in vita Cypr.

Conveniebant tum plures egregii & clarissimi ordinis & sanguinis viri, qui propter amicitiam ejus antiquam, secessum subinde suaderent, & loca, in quæ secederet, offerebant. Ille vero jam mundum, suspensa ad cœlum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat; Dei servos, prout dabatur occasio, exhortationibus Dominicis instruebat, curavitque, quæcumque rescierat, aliis Episcopis innotescerent, ut ubique hortatu eorum possit Fraternitas corroborari, & ad agonem spiritualem præparari. Interim Imperatoris literis Uticæ acceptis, Proconsul frumentarios misit, qui Cyprianum Uticam perducerent. Id cum audisset, & consilio charissimorum persuasum esset, ut de hortis secederet, justa interveniente causa, consensit; "eo quod congruat Episcopum in ea civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri, & plebem universam Præpositi præsentis confessione clarificari. Quodcumque enim sub illo confessionis momento confessor Episcopus loquitur, aspirante Deo, ore omnium loquitur... Quapropter ego & pro me, & pro vobis apud vos confiteri, & ibi pati, & exinde ad Dominum proficisci orationibus continuis deprecor. Exspectamus ergo hic, in secessu abdito constituti, adventum Proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores super Christianorum Laicorum, & Episcoporum nomine mandaverint, & dicturi, quod ad horam Dominus dici voluerit." Denique monet Fideles, ne quis tumultum moveat, aut ultro se gentilibus offerat. Hanc ultimam ad Clerum & suam plebem epistolam scripsit Cyprianus.

Cyprian epist. 80

Cyprian. epist. 81. Pamel. 83.

Act. pass. Cyprian. *D. Cyprianus mart.*

LXI. Proconsul revertitur Carthaginem; hortosque suos repetit Cyprianus. Repente Idibus Septembris Fusco & Basso consulibus, venerunt ad eum principes duo, unus strator officii Galerii Maximi Proconsulis, & alius equistrator a custodiis ejusdem officii, qui & in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, & in Sexti perduxerunt; ubi Galerius Maximus Proconsul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia, secesserat, qui in aliam diem Cyprianum sibi reservari præcepit. Cyprianus in hospitio stratoris in vico, qui dicitur Saturni, mansit. Illuc universus populus Fratrum convenit, quod cum comperisset cu-

stodiri

CHRISTI AN. 259.

ſtodiri puellas præcepit, quoniam omnes in vico ante januam hoſpitii Principis manſerant. Et ita altera die mane, multa turba convenit ad Sexti ſecundum præceptum Proconſulis ..... Cumque oblatus fuiſſet Cyprianus, Proconſul ei dixit: Juſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores cæremoniari. Cyprianus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Conſule tibi. Cyprianus reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt: in re tam juſta nulla eſt conſultatio. Galerius collocutus cum conſilio, ſententiam vix ægre dixit hujuſmodi: Diu ſacrilega mente vixiſti, & plurimos nefariæ tibi conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te diis Romanis, & ſacris legibus conſtituiſti, nec te pii & ſacratiſſimi Principes Valerianus & Galienus Auguſti, & Valerianus nobiliſſimus Cæſar, ad ſectam cæremoniarum ſuarum revocare potuerant; & ideo, cum ſis nequiſſimorum criminum auctor & ſignifer deprehenſus, eris ipſe documento his, quos ſcelere tuo tecum aggregaſti: ſanguine tuo ſancietur diſciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit. Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus dixit: Deo gratias.

Ibid.

Poſt hanc vero ſententiam turba Fratrum dicebat: Et nos cum ipſo decollemur. Propter hoc Fratrum tumultus exortus eſt, & multa turba eum proſecuta eſt. Et Cyprianus in agrum Sexti productus eſt, ſeu, ut explicat Romanum Martyrologium, in Sextum milliare ab urbe Carthagine juxta mare; & ibi ſe lacerna byrro exſpoliavit, & genu in terra flexit, & in orationem ſe Domino proſtravit; & cum ſe dalmatica exſpoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, & cæpit ſpiculatorem ſuſtinere. Cum veniſſet autem ſpiculator, juſſit ſuis ut eidem ſpiculatori viginti quinque aureos darent. Linteamina vero & manualia a Fratribus ante eum mittebantur, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur a terra .... Poſtea vero beatus Cyprianus manu ſua oculos ſibi texit, qui cum lacinias manuales ligare ſibi non potuiſſet, Julianus presbyter, & Julianus ſubdiaconus ei ligaverunt. Et ita beatus Cyprianus paſſus eſt; ejuſque corpus propter Gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt cum cereis & ſcolacibus. Paſſus eſt autem beatiſſimus Cyprianus primus Martyr inter Epiſcopos Carthaginenſes, die octava decima Kalendarum Octobrium, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo octavo. Poſt paucos dies Galerius Maximus proconſul deceſſit. D. Auguſtinus hæc D. Cypriani paſſionis acta refert atque laudat. Cypriano in Epiſcopatu Carthaginenſi ſucceſſit Lucianus, poſt quem ſedit Menſurius.

Aug. ſer. 309. nov. edit. Optat. Milev. contra Parm. lib. 1. Vict. de perſecut. Vandal. Aug. de div. ſer. 113.

LXII. Carthagine memoriæ ſancti Martyris templa duo conſecrata ſunt; unum ubi ſanguinem fudit, alterum ubi ſepultus eſt, qui locus Mapalia vocatur. In priore celebris illa menſa fuit, de qua Auguſtinus: In eodem loco menſa Deo conſtructa eſt, & tamen dicitur menſa Cypriani; non quia ibi unquam Cyprianus eſt epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus: & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. Sed ut menſa, quæ Dei eſt, etiam Cypriani vocetur, hæc cauſa eſt ..... quia ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur; poſtremo ibi illa erecta eſt, ubi proſtratus eſt. Auguſtinus hic clare demonſtrat, exhibitum Martyribus cultum, erectamque Deo altare, in quo offertur ſacrificium, ad quod convenirent Fideles ipſo natali B. Martyris die. Cyprianum magnis laudibus extulere plerique Patres.

Auguſt. epiſt. 93. alias 48. ad Vinc. *Auguſtinus excuſat D. Cyprianum.*

LXIII. Cyprianum ait Auguſtinus ſenſiſſe aliter de baptiſmo, quam forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ; in ſuis & in concilii literis invenitur: correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur ..... Sed hunc quaſi nævum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis, & copioſiſſime defendit, & perſeverantiſſime tenuit vinculum pacis ..... Acceſſit huc etiam, quod tanquam ſarmentum fructuoſiſſimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce paſſionis. Unde, niſi quis hærens in diffuſione vitis, radicem non deſeruit unitatis. Nam, etſi traderet corpus ſuum, charitatem autem non haberet, nihil ei prodeſſet .... Hinc collegas ſuos diverſa ſentientes, nec judicandos, nec a jure communionis amovendos eſſe decrevit. Quibus, ut infert Auguſtinus, oſtendit, ſe faciliime correcturum ſententiam ſuam, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Et fortaſſe factum eſt; ſed neſcimus.

CHRISTI AN. 259.

Aug. l. 2. de bapt. contra Donat. cap. 4.

Præterea certum eſt, ignoraſſe Cyprianum, quænam eſſet hac in re conſuetudo & praxis totius Eccleſiæ. Idem antea in concilio Africæ ſtatuerat Agrippinus; ejus judicio ſuffragabantur Africa, Numidia, & Mauritania, & quinque Aſiaticæ provinciæ. Tot conciliorum decreta reprobari nolebat Dionyſius Alexandrinus. Quænam eſſet aliarum Eccleſiarum ſententia, ne cognoſceret, ingruens poſt quatuor menſes a receptis Stephani literis prohibuit perſecutio Valeriani. Hinc, ut ait Auguſtinus, noluit vir graviſſimus rationes ſuas etſi non veras, quod eum latebat, ſed tamen non victas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere. Sed mirum prorſus, nonnullos eo exemplo tueri ſuam adverſus decreta Eccleſiæ rebellionem: dum illum tot modis excuſare tentat Auguſtinus, erratum agnoſcit, ac proinde nullatenus imitandam, ut aperte docet adverſus Donatiſtas.

Aug. l. 6. de bapt. cap. 8.

Hallucinantur etiam qui D. Cyprianum volunt a Stephano excommunicatum, ac proinde defunctum extra communionem Eccleſiæ, cujus concordiſſimum vinculum tanta humilitate ſervavit, atque in concordia omnium, in pace communi, ut teſtatur Pacianus Barcinonenſis, in Confeſſorum grege paſſus eſt, cujus memoria ab omnibus omnino Orbis Chriſtiani Eccleſiis celebratur.

Auguſt. ſer. 312.

LXIV. Mirum eſt, a quibuſdam hodiernas Epiſcoporum veſtes in veſtitu Cypriani repertas fuiſſe. Epiſcopis & aliis Clericis ſi tunc fuiſſent veſtes ſpeciales, quibus a laicis diſtinguerentur, iis profecto ſe prodidiſſent Judicibus, a quibus potiſſimum ad mortem quærebantur. Præterea quis neſcit Pallium tunc fuiſſe veſtem Philoſophicam, quam & laici ſumerent? Imperator Caracalla juſſit, ut populus Romanus cum longioribus palliis obviam ei procederet. Byrrus vero & lacerna, ſive ſit duplex, ſive unum veſtimenti genus coloris ruſi, plebeiorum propria fuit veſtis, ut docet Auguſtinus de Amaſio loquens: Si illi dixerit fæmina, nolo te habere tale Byrrum, non habet. Dalmaticam vero geſtabant quandoque Cæſares: Heliogabalus, ut refert Lampridius, dalmaticus in publico poſt cœnam ſæpe viſus eſt. Vulgarem igitur Romanam veſtem, ſed modeſtam, tunc geſtabant Epiſcopi & Presbyteri.

Clericorum veſtes prioribus ſæculis.

Lex 1. Cod. Theodoſ. Giſclin. Artemid. Auguſt. ſerm. 18. de verb. Apoſt. Lampr. cap. 26.

LXV. Multa etiam ex ejus epiſtolis aliiſque libris huic operi inſeruimus: ſuperſunt tres ejus tractatus legitimi, de quibus nihil diximus. Primus eſt teſtimoniorum adverſus Judæos, tribus conſtans libellis, quibus quam plurima tum Veteris, tum Novi Teſtamenti teſtimonia contexuit; quæ, ut ſcribit Quirino, (legenti proſint ad prima fidei lineamenta formanda.) Eorum argumentum ſic exponit ipſe Cyprianus: "Obtemperandum fuit, fili chariſſime, deſiderio tuo ſpirituali, impenſiſſima petitione divina magiſteria poſcenti, quibus nos Dominus per Scripturas ſanctas erudire & inſtituere dignatus eſt, ut a tenebris erroris abducti, & luce ejus pura & candida illuminati, viam vitæ per ſalutaria Sacramenta teneamus. Et quidem ſicut petiſti, libellus compendio breviante digeſtus eſt, excerptis capitulis, quibus non tam tractaſſe, quam tractantibus materiam præbuiſſe videamur ...... Complexus ſum libros duos pari æqualitate moderatos: unum, quo oſtendere niſi ſumus, Judæos ſecundum quæ fuerant ante prædicta, a Deo receſſiſſe, & indulgentiam Domini, quæ ſibi jam pridem data, & in poſterum promiſſa fuerat, perdidiſſe; ſucceſſiſſe vero in eorum locum Chriſtianos, fide Dominum promerentes, & de omnibus gentibus, ac de toto orbe venientes. Item libellus alius continet Chriſti Sacramentum, quod idem venerit, qui ſecundum Scripturas annuntiatus eſt, & geſſerit ac perfecerit univerſa, quibus intelligi & cognoſci poteſt, quod ipſe ſit, qui prædictus eſt." De tertio ſic habet: "Quantum potuit mediocritas noſtra complecti, collecta ſunt a me quædam præcepta Dominica, & magiſteria divina, quæ eſſe facilia & utilia legentibus poſſint, dum in breviarium pauca digeſta, & velociter perleguntur, & frequenter iterantur."

Teſtim. Cypr. adverſus Judæos. Cypr. præf. ad Quirin.

LXVI. Secundus tractatus eſt de habitu virginum, ſeu, ut loquitur Pontius, de congruente pudicitiæ diſci-

CHRISTI AN. 259.

Cypr. de habitu virg.

Div. Cyprianus laudat virginitatis professionem.

disciplina, & habitu sanctimonia digna. Primo quidem laudat disciplinam Christianam, quæ imprimis in tuenda castitate versatur; cum subjicit: " Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior est gloria, major & cura est. Hæ sunt ecclesiastici germinis flores, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas. Ad has loquimur ..... neque enim hæc cautio est, & vana formido, quæ ad salutis viam consulit .... ut quæ se Christo dicaverint, & a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum; nec ornari jam, aut placere cuiquam, nisi Domino studeant, a quo & mercedem virginitatis exspectant." En virgines Christo dicatæ, quæ mente, & corpore se Deo voverunt, easque, non ad nuptias, sed ut in sancto proposito permaneant, spe æterni præmii adhortatur Cyprianus.

Ibid.

Continentia cum corporis cultu non consistit.

Tum ostendit, cum corporis cultu non consistere continentiam: " Quod si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur; quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis? quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt... Neque enim fas est, & virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne, aut de ejus pulchritudine gloriari; cum nulla sit illis magis, quam adversus carnem colluctatio...... Sed sunt aliquæ divites, & se bonis suis uti debere contendunt:" Respondet: " Quæcumque terrena sunt in sæculo accepta, & hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cujus pompis, & deliciis jam tunc renuntiavimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus .... Locupletem te dicis, & divitem: sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum, sua voce præscribit: *Sint*, inquit, *mulieres cum verecundia, & pudicitia componentes se, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa, sed ut decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem*. Quod si mulieres ille admonet coercendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosa observatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum; quanto id magis observare virginem fas est? .... "

1.Tim.2.

Ibid.

" Cæterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas; excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Redarguit cultus improbus, & impudicus ornatus .... Ornamentorum enim ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt .... Fugiant castæ virgines, & pudicæ habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam Spiritu Sancto plenus Isaias, & filias Sion auro, & argento, ac veste corruptas increpat .... Hoc Deus culpat .... hinc corruptas esse virgines, hinc a cultu vero, & divino descivisse pronuntiat. Exaltatæ ceciderunt, comptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt, sericum, & purpuram indutæ, Christum induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus ornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Quis non id execretur, & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat, & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo?..... "

Ibid.

" Et quidem isto in loco, pro timore quem nobis Fides suggerit, non virgines tantum, aut viduas, sed & nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei, & factura ejus, & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine..... Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus non te recognoscat, & ad sua præmia, & promissa venientem removeat, & excludat, increpans vigore censoria, & judicis dicat: opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est; cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit." Nunquid absurdum est, his opponere, quod alius mos nunc vigeat.

CHRISTI AN. 259.

Aug. l. de grat. & lib. arb. Hilar. in Matth. cap. 5. *Cypr. de oratione Dominic.*

LXVII. Tertius est de oratione Dominica, cujus lectionem commendat D. Augustinus: eumque ut numeris omnibus absolutum laudat D. Hilarius. Orationis necessitatem, leges, vim, & efficaciam singulas petitiones percurrendo demonstrat: " Qui fecit vivere, inquit, docuit & orare benignitate ea, qua & cætera dare, & conferre dignatus est, ut dum prece, & oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur ..... Sic ait, orate, *Pater noster qui es in cœlis* .... Quanta Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus, & bonitatis ubertas; qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, & ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filii nuncupemur ..... Meminisse itaque, fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus; ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat ille de nobis ..... Nec sit degener actus noster a Spiritu, ut qui cœlestes, & spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia, & cœlestia cogitemus, & agamus ..... Post hoc dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*; .... scilicet in nobis; ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveremus, & hoc quotidie deprecamur: opus est enim nobis quotidiana sanctificatione; ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra assidua sanctificatione repurgemus..... Sequitur in oratione: *Adveniat regnum tuum* .... Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum cœleste, quia est terrestre regnum. Sed qui renuntiavit jam sæculo, major est, & honoribus ejus, & regno; & ideo qui se Deo, & Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat.

Ibid.

Gratiæ necessitas.

Addimus quoque, & dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*. Non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus, quod velit, faciat? sed quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus, & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei; quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope ejus, & protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, & misericordia tutus est...... Voluntas autem Dei est, quam Christus fecit, & docuit: humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina; injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare; cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo, quod Pater est, timere quod Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit; charitati ejus inseparabiliter adhærere; cruci ejus fortiter ac fidenter adsistere; quando de ejus nomine, & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur, in quæstione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur ... Hoc est voluntatem Patris adimplere. "

Ibid.

Eucharistiæ frequens usus.

" Procedente oratione postulamus, & dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quod potest simpliciter, & spiritaliter intelligi: nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus: *Pater noster*, quia intelligentium, & credentium Pater est; sic & *Panem nostrum* vocamus, quia Christus, noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus, *& Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus*, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante, & monente: *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi, si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita.*" Itaque prioribus sæculis panis Eucharisticus, qui Christi caro est, Christianis erat quotidianus.

Joan. 6.

Ibid.

" Post hæc, & pro peccatis nostris deprecamur dicentes: *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*. Post subsidium cibi petitur & venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat .... Quam providenter, & salutariter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut, dum indulgentia de Deo petitur,

con-

Digitized by Google

Christi An. 259.

conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat, instruitur & docatur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare .... Adjunxit plane & addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus; scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus .... Illud quoque admonet Dominus, ut in orationa dicamus: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*. Qua in parte ostenditur, nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit; ut omnia timor noster, & devotio, atque observatio ad Deum convertatur quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur .... Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ ...., ne quis superbe & arroganter aliquid assumat, ... Ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo; quidquid supplicitea cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. „

Ibid.

“ In novissimo ponimus: *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; a quibus non potest esse fida & firma turela, nisi nos Deus liberet, nisi deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet. „ Demum ostendit, necesse esse ut attente & devote fiat oratio, & conjuncta sit cum operibus bonis. “ Quando autem, inquit, stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur, Ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*; ut dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. „ Hinc patet antiquitas illius formulæ. Scripsit etiam librum de zelo & livore optimum, quem qui legerit, non dubitabit annumarare operibus carnis invidiam. Hunc pariter laudat Augustinus.

Hier. in comment. in epist. ad Galat. cap. 5.

LXVIII. Gelasius Papa in suo decreto recipit opera D. Cypriani. Ibidem infra legitur: Cypriani opuscula apocrypha. Aliqui mendum esse putant: Censuram hanc de tractatibus pro rebaptizandis hæreticis, intelligendam docet Cardinalis Baronius. Eadem censura notatur liber de pœnitentia Cypriani. Opus de singularitate Clericorum, quod Cypriano male adscribunt viri periti, pariter notatur in novo decreto librorum prohibitorum Romæ emisso, ut refert doctissimus P. Pagi. Computus de Pascha Cypriano non prorsus adjudicandus est. Alii tractatus sunt subdititii: hos inter est libellus adversus eos, qui hæreticos rebaptizandos esse decernunt; quem aliqui putant esse D. Stephani, vel subsequentium Pontificum; sed perperam; illius enim author, ut observat doctissimus P. Pagi, est Ursinus monachus Afer, cujus Gennadius & Honorius Augustodunensis meminere, qui floruit sub Theodosio Juniore anno Christi quadringentesimo quadragesimo.

Tract. pro non rebapt. inter oper. Cypr.

Hic proposito quæstionis statu, sic eam resolvit. “ In quo genere quæstionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, *si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium authoritate, & necessaria humilitate, nihil innovare gestiret*; cum locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Namque omne, quod anceps & ambiguum est, & diversis sententiis fidelium virorum constitutum est, si contra priscam & memorabilem cunctorum emeritorum Sanctorum & Fidelium solennissimam observationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim composita & ordinata, quodcumque est illud quod contra Ecclesiarum quietem atque pacem in medium producatur, nihil, præter discordias & simultates, & schismata, allaturum: ubi nullus alius fructus reperiatur, nisi hic solus, ut unus homo, quicumque ille sit, magnæ prudentiæ & constantiæ esse apud quosdam leves homines inani gloria prædicetur, & hæreticorum stupore præditus, quibus hoc unicum perditionis solatium est, si non soli peccare videantur, errores & vitia universarum Ecclesiarum correxisse apud simillimos sui & compares celebretur. Hæreticorum enim omnium hoc studium atque propositum est, sanctissimæ matri nostræ Ecclesiæ ejusmodi & plurimas calumnias nectere, & invenisse aliquid quod ei crimini, vel etiam leviter, dari possit, summam gloriam ducere. Quod cum nullum sanæ mentis Fidelium tenere, vel maxime nullum omnino in quocumque Clero constitutum, ac multo magis Episcoporum, cudere deceat, monstri simile est, ipsos Episcopos talia scandala cogitare, & turpitudinem matris Ecclesiæ, si quam putant in hoc negotio esse, contra præceptum Legis & omnium Scripturarum nimis irreverenter cum sua ipsorum turpitudine & periculo non vereri detegere. Quanquam nulla sit in hoc, nisi in errore illorum ipsorum, turpitudo Ecclesiæ. Itaque deterius delinquitur ab hominibus ejusmodi, si id, quod in observatione antiquissima tanquam non recte fiat, reprehenditur; & ab his qui ante nos fuerunt, tum etiam a nobis recte observatum, & observari manifeste ac fortiter ostendatur; ita ut, si paribus argumentis ex utraque parte congrederemur, tamen, quia non poterat id, quod innovabatur, sine dissensione Fratrum & damno ecclesiastico consistere, utique non debeat contra fas quod ajunt, & nefas, id est, contra bonum & æquum, Ecclesiæ matri quasi macula temere infligi, eisque, qui hoc adtentarint, audaciæ hujus atque impietatis ignominia merito debeat adscribi. „ Valeat ergo semper hæc Stephani Papæ regula: *Nihil innovetur, servetur quod traditum est.*

Ibid. Superbia mater hæreseon.

Hier. in dialog. adv. Lucifer.

Quamvis plures Episcopos post Cypriani mortem ad eam redisse verisimillimum sit. De Afris quidem non dubia est Hieronymi sententia: Illi ipsi Episcopi, inquit, qui cum beato Cypriano statuerant, hæreticos esse rebaptizandos, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Sed illius non meminit D. Augustinus, qui tamen idem testatur de Orientalibus: Si omnino jam credendum sit, inquit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto Orbe displicuit; cur non potius etiam ipsos Orientales suum judicium correxisse dicamus, non, ut tu loqueris, rescidisse. S. Pontii Cypriani diaconi festum recolunt vetera Martyrologia, & præsertim Romanum die octava Martii.

Aug. l. 3. adv. Crescon. c. 3.

LXIX. Persecutio per alias quoque Africæ regiones exarsit. Uticæ trecenti Martyres ex omni sexu & ætate, viva & ardenti calce consumpti sunt. Hippone D. Theogenes Episcopus, qui inter Patres Concilii Carthaginensis de rebaptizandis hæreticis quartus decimus sententiam tulit, martyrio coronatus est; quem laudat D. Augustinus, memoriæque in illius honorem extructæ meminit. Maxima, Donatilla, & Secunda annis nata duodecim, omnes nobiles, passæ Tuburbii in Mauritania.

Prudent. hym. 3. *Martyres.*

August. ser. 273. Martyrol. 30. Jul.

LXX. Galerio Maximo proconsulari Africæ, qui tot innocentes victimas ceciderat, evocato ad divinum judicium, Solonis fisci procuratoris jussu apprehensi sunt Lucius, Montanus, Flavianus diaconus, Julianus, Victorinus, Primolus, Renus, & Donatianus catechumenus, qui baptizatus in carcere statim spiritum reddidit, ab aquæ baptismo ad martyrii coronam immaculato itinere festinans. Primolus similem exitum habuit; sed ipsum ante paucos dies habita confessio baptizavit. Custodes milites sex aliis nuntiarunt sententiam judicis, qui vivos exurere cogitarat; sed assiduis apud Deum precibus deprecati sunt tam atrox supplicium, & quod tota fide postularant, acceperunt .... Mutata igitur sententia, Præses eos deduci jussit in teterrimum carcerem, cujus tormenta, ut ipsi testantur, nulla affirmatione capiuntur; sed divina illustrationa recreati sunt. Tunc Reno, qui cum ipsis erat, somno apprehenso, ostensum est, produci singulos; quibus prodeuntibus lucernæ singulæ præferebantur: cujus autem lucerna non præcesserat, nec ipse procedebat; & cum processimus nos cum lucernis nostris, inquiunt Martyres actorum suorum authores, expergefactus est; & ut nobis retulit, læti sumus, fidentes nos cum Christo ambulare, qui est lucerna pedibus.

Act. sync.

Ibid.

Plures alii in eodem carcere propter Fidem inclusi tenebantur. Eadem die subito rapti sumus ad Procuratorem, qui defuncti Proconsulis partes administrabat. Stridentibus catenis onusti, circumducti

sumus

Christi An. 259. sumus huc atque illuc per totum forum. Tum nos in Secretarium vocavit; unde postremo diaboli victores sumus in carcerem reversi, & ad alteram victoriam reservati. Hoc prælio victus diabolus ad ulteras se astutias vertit, diebus multis nos fame & siti tentare molitus. Hoc necessitatis tempus ad Deum pertinuit, qui nos tentari voluit, ut allocutionem in ipsa tentatione haberemus. Victori presbytero commartyri nostro, qui statim post hanc visionem passus est, hoc ostensum est. Videbam, inquit, puerum huc in carcerem introisse, cujus fuit vultus perlucidus super splendorem inenarrabilem, qui nos deducebat per omnia loca, ut exiremus; egredi tamen non potuimus. Et ait mihi: Adhuc modicum laboratis, quia nunc impedimini; sed confidite, quia ego vobiscum sum. Dic illis, quia gloriosiorem coronam habebitis. Victor eum de paradiso interrogavit: Ostende illum, inquit, mihi. Qui ait illi: Et ubi erit fides? Quintillosia pariter, cujus maritus & filius ante triduum passi erant, in somnis certior facta est, alimenta Confessoribus Deum einde provisurum. Eo quidem die, & sequenti jejuni permanserunt: sed laboribus nostris refrigerium Dominus per Lucianum præbuit, qui disrupto catenarum durissimo obice, per Herennianum hypodiaconum, & Januarium catechumenum alimentum indeficiens omnibus ministravit. Hoc subsidium ægros & laborantes nimium suffulsit. Quam religiose tenenda sit concordia charitatis, alia visione docuit Dominus.

Ibid. LXXI. Hæc scripsere Martyres Flaviani diaconi jussu: reliqua subjunxere præsentes eorum passioni. Dum per plurimos menses reclusi tulissent carceris pœnas, & fame & siti diu laborassent, tandem sero produci jubentur, & ad Prætorium Præsidis admoveri; & omnibus quidem gloriosa voce confessis, cum Flaviani amici reclamarent amore perverso, negantes, eum esse Diaconum, quod confitebatur. Nam præcipue in Clericos mortis pœ-

Cypr. epist. 80. Pamel. 82. nam decreverat Valerianus. In cæteros, id est, Lucium, Montanum, Julianum, Victorinum, dicta sententia est, Flavianusque rursum in carcerem receptus est. Et quamvis haberet plenam doloris materiam, quod scilicet de tam bono collegio separatus est; tamen fide & devotione, qua vixit, credebat id fieri quod Deus vellet, & tristitiam solitudinis destitutæ religio sapientiæ temperabat. Interim cæteri ducebantur ad victimæ locum. Concursus fit undique gentilium, & omnium Fratrum, qui tunc officio pleniore, & copia majore convenerant. Erat illic videre Martyres Christi felicitatem gloriæ suæ vultus hilaritate testantes; ita ut possent cæteros provocare ad propriæ virtutis exempla, etiamsi tacerent. Sed & cohortatibus suis singuli plebem Dei corroboraverunt. Et Lucium quidem præter ingenitam lenitatem, & probam & modestam verecundiam, infirmitas etiam gravis & labor carceris fregerat: ac propterea cum comitibus paucioribus solus ante præcesserat; & comites suos, quomodo potuit, instruxit. Julianus quoque & Victorinus insinuata diu Fratribus pace, & commendatis omnibus Clericis, maxime iis qui famem carceris passi erant, ad passionis locum cum gaudio & sine pavore venerunt.

Ibid. Montanus & corpore & mente robustus, quoquam & ante martyrium gloriosus, ea semper, quæ veritas postularet, constanter & fortiter dixerit, sine ulla exceptione personæ, tamen de martyrio proximo crescens, prophetica voce clamabat: Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli. Et hoc frequenter iterabat. Hæreticorum quoque superbiam & improbam contumaciam retundebat, contestans eos, ut vel de copia martyrum intelligerent Ecclesiæ veritatem, ad quam redire debeant .... Virgines quoque singulas admonebat, ut sanctitatem suam tuerentur. Generaliter omnes docebat, ut Præpositos venerarentur. Præpositis quoque ipsis concordiam pacis insinuans, nil esse melius ajebat, quam Præ-

Ibid. positorum unanimem voluntatem. Cum autem jam carnifex immineret, & gladius super cervices ejus libratus penderet, expansis ille ad cœlum manibus voce clara oravit rogans & deprecans, ut Flavianus, qui per suffragium populi de comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertia. Et quo præcie suæ fidem faceret, manualem, quo oculos fuerat ligatus, in partes duas discidit, & jussit alteram reservari, qua Flaviano oculi post crastinum ligarentur. Sed in medio eorum in area solum servari jussit, ut nec sepulturæ consortio privaretur: quod post biduum perfectum est. Christi An. 259.

LXXII. Flavianus in carcerem revocatus, nihil de animi vigore remiserat. Hærebat lateri ejus incomparabilis mater; filium suum, quem optabat occidi, remansisse contristabatur intimo dolore ... Sed ille collaudans matris animum, ut dilationem suam non doleret, hortabatur: Scis, inquit, mater merito charissima, ut semper tentaverim, si confiteri contigisset, martyrio meo frui, & frequenter catenatus videri, & sæpe differi. Si ergo contigit quod optavi, glorificandum est potius, quam dolendum. Postquam vero produci tertio die jussus est, rumore cognito confluebant increduli & perfidi fidem Martyris probaturi. Attamen admirans erat turba gentilium, qui vocem Montani petentis audierant. Egrediabatur de carcere Dei testis .. habens in animo certum, quod & fides propria, & petitio antecessorum suorum extorqueret Præsidi vel invitam, licet populo reclamante, sententiam. Unde & occurrentibus Fratribus & salutare cupientibus fide tota pollicebatur, quod in Fusciano cum omnibus pacem facturus esset ... Ingressus Prætorium, exspectabat, dum vocaretur ... Gentiles quidam ejus condiscipuli suadebant cum lacrymis, ut præsumptione deposita, sacrificaret interdum, postea, quidquid vellet, facturus .... Sed ille gratias agens, quod pro amicitia, quantum in ipsis erat, consultum sibi vellent; tamen de Fides & divinitate non tacuit. Ibid.

His illi retusi & revicti, postquam per suadelas nihil obtinere potuerunt, ad crudeliorem se misericordiam contulerunt. Interrogatus a Præside, quare mentiretur se Diaconum, cum non esset; mentiri se negavit. Et cum Centenarius diceret, notariam seu relationem sibi datam esse, qua contineretur, eum fingere; respondit: An non est verisimile me mentiri, & illum vere dicere, qui notariam falsam dedit? Et cum, reclamante populo ac dicente: Mentiris, iterum a Præside interrogaretur, an vere mentiretur? respondit: Quod est compendium mentiendi? Ad hoc populus exasperatus, torqueri eum iterum clamoribus postulavit. Sed Dominus, qui servi sui fidem jam in carcere plenissime sciebat, non est passus probari Martyris corpus tormenti alicujus vel levi laceratione pulsari. Exinde jam gaudens, quia per sententiam datam passionis suæ erat certior .... hæc scribi jussit: Cum adhuc Episcopus noster solus passus fuisset, ostensum est mihi hoc, quasi Cyprianum ipsum interrogarem, an pati ictus doleret: scilicet martyr futurus, de passionis tolerantia consulebam. Qui mihi respondit & dixit: Alia caro patitur, cum animus in cœlo est. Nequaquam corpus hoc sentit, cum se Deo tota mens devovit.

Postea, inquit, cum plures paterentur, contristabar in visu noctis, quod quasi a collegis meis remansissem. Et apparuit mihi vir quidam dicens: Quid contristaris? Cui cum causam tristitiæ meæ dicerem, ait: Contristaris? Bis confessor es, tertio Martyr eris per gladium. Et sic impletum est. Nam confessus Christum primo secretario, secundo publice, reclamante populo, jussus recludi; & productus post confessiones duas, tertio passionem perfecit ... Huic colloquio dedit occasionem largus imber e cœlo defluens. Confirmatis omnibus Fratribus, & pace perfecta, processit e stabulo, quod Fusciano de proximo junctum est ... Deinde ad locum victimæ perfecto sermone descendit; & ligatis oculis ea parte, quam Montanus servare ante biduum jusserat, fixis tanquam ad precem genibus, passionem suam cum oratione finivit. Eorum Martyrum memoriam die vigesimaquarta Februarii celebrat Ecclesia. Ibid.

LXXIII. BB. Martyrum Jacobi & Mariani & sociorum non minus celebris fuit passio: illius acta sic describit testis oculatus, Christianorum precibus inductus. Pergebamus in Numidiam, & venimus in locum, qui appellatur Muguas, cui est Cirtensis coloniæ suburbana vicinitas: in qua tunc maxime civitate omnes dilectos Christo cruenti & cæcati Præsidis furor per militares manus requirebat, etiam eos qui Fidei causa exularent. In his ab exilio perducebantur ad Præsidem Agapius & Secundinus Episcopi, prædicandi ambo spiritali dilectione, alter etiam carnalis continentiæ sanctitate ..... Contigit ut in ipso itinere nostrum dignarentur ho- Act. sync. Bolland. April.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 259. hospitium ..... Et paucis illis diebus large nostrum omnium mentes eorum exempla, virtutes, & tractatus salubres animarunt, in quibus jam Christus micante gratia de proxima passione fulgebat. Post biduum Marianum, & Jacobum militum centuria pertraxit a Muguia in Cirtensem coloniam ..... Mox interrogati, cum in fortissima Christi confessione perstarent, deducuntur in carcerem.

Ibid. Tunc attentantur numerosis durisque cruciatibus per stationarium militem, adhibitis in auxilium crudelitatis ejus Centurionum, & Cirtensium magistratibus...., Stationarii milites dicebantur apparitores, & officiales Præsidum, qui, dispositi per provincias, denuntiabant magistratibus quid ageretur.... Jacobus quidem, qui & infestationes jam semel Decianæ persecutionis evicerat, affectavit se non Christianum tantum, sed Diaconum confiteri. Marianum autem fecit tormentis obnoxium, quod se Lectorem tantum, sicuti fuerat, fatebatur .... Nexus, qui pendentem gerebat, non manus, sed summos apices pollicum vinxerat ..... Addita etiam pedibus injusta pondera, ut discordantibus pœnis utrimque distracta, & viscerum convulsione resoluta, de nervis suis totius corporis compago penderet ...., Victa feritate torquentium, rursus in carcere de triumpho suo multum lætatus includitur; ibique cum Jacobo, & reliquis Fratribus gaudium victoriæ Dominicæ frequenti oratione celebravit.

Ibid. LXXIV. Mariano post illam vexationem corporis, altius in soporis tranquilla resoluto, quid divina dignatio ad fiduciam spei salutaris ostenderit, experrectus sic ipse nobis narravit: Ostensum est mihi, Fratres, tribunalis excelsi, & candidi nimium sublime fastigium, in quo quidam judicis ad vicem præsidebat. Illic erat catasta, ... multis ordinata gradibus, & admovebantur Confessorum singulorum classes, quas ille judex ad gladium duci jubebat. Tum exauditur mihi vox clara, & immensa dicentis: Marianum applica. Et ascendebam in illam catastam, seu locum, quo servi venales exponuntur; & ecce ex improviso mihi sedens ad dexteram ejus judicis Cyprianus apparuit, & porrexit manum, & me levavit in altiorem catastæ locum, & arridens dixit: Veni, sede mecum. Et factum est, ut audirentur aliæ classes, me quoque assidente: & surrexit ille judex, & nos ducebamus eum in prætorium suum .....

Ibid. Æmilianus quoque, quamvis equestris ordinis gentiliter haberetur, unus tamen in carcere & ipse de Fratribus, qui ad quinquagesimum prope ætatis annum cum carnis continentia pervenerat, continuatis in carcere gemina superpositione jejuniis, & orationibus sæpe repetitis, per quas devota mens pasta in alium diem, & sacramento Dei parabatur, in somnum media nocte reclinatus, divina ostensione cognovit, se cum sociis fore martyrem .... Reipsa

Martyr. 24. Apr. Æmilianus Cirthæ, seu Constantinæ pro Christo gladio occisus est.

Ibid. Jacobus, & Marianus post has ostensiones in carcere diebus paucula commorati, producuntur in publicum, ut eos Cirtensium magistratus elogio confessionis suæ honoratos transmitteret cum parte damnationis ad Præsidem. Et ecce unus e circumstantibus fratribus nostris omnium in se gentilium convertit oculos, quod jam per gratiam proximæ confessionis Christus in ore ejus, & facie relucebat. Cumque ex eo turbulentia, & ferventibus animis quæreretur, an ejusdem, & ipse esset religionis, & nominis? rapuit tam dulcem prompta confessione comitatum. Et omnes transmissi ad Præsidem, negotiosum ac difficile iter cum voluptate properaverunt. Tunc eos Præsidi admotos, jam bis eis notus iterum Lambesitanus carcer accepit: hæc enim sola sunt apud gentiles hospitia Justorum.

Ibid. LXXV. Interim per dies plurimos effusione sanguinis transmittebatur ad Dominum numerosa Fraternitas; nec pervenire ad Jacobi, & Mariani Clericorumque victimam rabies insanientis Præsidis poterat, laicorum tam multis occupata vulneribus. Nam ita inter se nostræ religionis gradus artifex sævitia diviserat, ut laicos a Clericis separatos tentationibus sæculi, & terroribus suis putaret esse cessuros. Dum sic reservantur Agapius Episcopus, qui jam dudum martyrio suo consummato, Fidei sacramenta perfecerat; qui, & ipse cum pro puellis duabus Tertulla, & Antonia, quas sibi charissimas ad vicem pignorum diligebat, repetitis frequenter precibus oraret, ut secum & illæ Dei dignatione martyres fierent, retulerat meritorum suorum tali revelatione fiduciam: Quid assidue petis, quod una oratione meruisti? Reipsa Cyrthæ ipse cum Tertulla, & Antonia, quibus Martyrologium adjungit Secundinum Episcopum, martyrii coronam adeptus est. CHRISTI AN. 259. Martyr. 24. Apr.

Is ergo Agapius agenti Jacobo in carcere per tempus quietis apparuit, qui visum sociis sic enarravit: Ista nocte Agapium nostrum videbam inter omnes alios lætiorem, quos una nobiscum Cirtensis carcer incluserat, solemne quoddam, & lætitiæ plenum celebrare convivium; quocum ego, & Marianus quasi ad agapen spiritu dilectionis, & charitatis raperemur. Accucurrit nobis obvius puer, quem constabat esse alterum ex geminis ante biduum cum matre passis, corona rosea collo circumdatus, & in manu dextra palmam viridissimam præferens: Et quid properatis? inquit: gaudete, & exultate; cras nobiscum & ipsi cœnabitis ..... Dies a visione primus illuxeret, & jam promissis Dei sententia Præsidis serviebat; quæ Marianum, & Jacobum, & cæteros Clericos, tandem Patriarchis cum gloria redditos e pressuris sæculi sententia animadversionis emisit. Ibi Marianus prophetico spiritu jam repletus, fidenter ac fortiter prædicabat proximam justi sanguinis ultionem; variasque sæculo plagas, velut de cœli jam culmine minabatur, luem, captivitatem, famem, terræque motus, cynomyiæ venena cruciantia. Qua prædicatione non tantum gentilibus insultabat fides martyris, sed etiam Fratribus vigorem æmulandæ virtutis, & quasi classicum præcinebat: ut inter sæculi plagas, quæ paulo post vastarunt Romanum Orbem, Justis Dei tam bonæ atque piæ mortis reperiretur occasio. His peractis Maccabæico gaudio Maria Mariani mater exultans, & passione perfecta jam secure de filio, complectebatur in filii corpore suorum viscerum gloriam, & in ipsa cervicis vulnera frequens osculum pietas religiosa figebat. D. Augustinus in sermone, quem in istorum Martyrum natali habuit, eadem laudat, & exponit. Ibid. August. ser. 284. nov. edit.

LXXVI. Hispania quoque suos habuit Martyres. Æmiliano, & Basso consulibus decimo septimo Kalendas Februarii, die Dominico, comprehensus est Fructuosus Episcopus Tarraconensis, Augurius, & Eulogius diacones ..... & recepti sunt in carcerem. Fructuosus autem certus, & gaudens de corona Domini, ad quam vocatus erat, orabat sine cessatione. Erat autem & Fraternitas cum ipso, refrigerantes, & rogantes, ut illos in mente haberet. Alia vero die baptizavit in carcere Rogatianum. Et fuerunt in carcere dies sex, & producti sunt duodecimo Kalendas Februarii, feria sexta, & auditi sunt.... Æmilianus præses Fructuoso Episcopo dixit: Audistis quid Imperatores præceperunt? Fructuosus dixit: Nescio quid præceperunt. Ego vero Christianus sum. Æmilianus dixit: Præceperunt, deos coli. Fructuosus dixit: Ego unum Deum colo, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ insunt ..... Æmilianus præses Augurio diacono dixit: Noli verbis Fructuosi auscultare. Augurius diaconus dixit: Ego Deum omnipotentem colo. Æmilianus dixit: numquid Fructuosum colis? Eulogius dixit: Ego Fructuosum non colo; sed ipsum colo, quem & Fructuosus. Æmilianus Fructuoso dixit: Episcopus es? Fructuosus dixit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti. Et jussit eos sua sententia vivos ardere. Et cum duceretur Fructuosus Episcopus cum Diaconibus suis ad amphiteatrum, populus ei condolere cœpit, quia talem amorem habebat non tantum a Fratribus, sed etiam ab ethnicis. Talis enim erat, qualem Spiritus Sanctus per beatum Apostolum Paulum, vas electionis, doctorem gentium debere esse declaravit. Propter quod etiam Fratres, qui sciebant, illum ad tantam gloriam pergere, gaudebant potius, quam dolebant. Cumque multi ex fraterna charitate eis offerrent, uti conditi permixti poculum sumerent, ait: Nondum est hora solvendi jejunii: agebatur enim hora diei quarta; siquidem in carcere quarta feria stationem solemniter celebraverant, sed orando ad horam diei nonam jejuni permanserant.... D. Fructuosus cum sociis martyr. Act. sync.

Qui cum ad amphiteatrum pervenisset .... accessit ad eum commilito frater noster nomine Felix, & apprehendit dextaram ejus, rogans, ut sui memor esset. Cui sanctus Fructuosus cunctis audientibus clara voce respondit: In mente me habere Ibid.

necesse

Digitized by Google

necesse est Ecclesiam Catholicam, ab Oriente usque in Occidentem diffusam. Igitur in porta amphiteatri constitutus ..... ait Fratribus: Jam non deerit vobis Pastor, nec deficere poterit charitas, & repromissio Domini, tam hic, quam in futurum; hoc enim, quod cernitis, unius horæ videtur infirmitas ..... Jam singulis in igne constitutis, ... cum exustæ fuissent fasciolæ, quibus manus eorum fuerant colligatæ, orationis divinæ, & solitæ consuetudinis memores, gaudentes positis genibus, de resurrectione securi, ... Dominum deprecabantur, donec simul animas effuderunt.

LXXVII. Post hæc solita Domini non defuere magnalia, apertumque cœlum: Babillon, & Micdonius fratres de familia Æmiliani filiæ ejus dominæ eorum carnali ostendebant Sanctum Fructuosum Episcopum cum Diaconibus in cœlum ascendentes coronatos, adhuc stipitibus, quibus ligati fuerant, remanentibus. Cumque Æmilianum vocarent dicentes: Veni, & vide quos hodie damnasti, quemadmodum cœlo, & spei suæ restituti sunt. Igitur cum Æmilianus venisset, videre eos non fuit dignus ..... Fratres autem ..... superveniente nocte, ad amphitheatrum cum vino festinanter pervenerunt, quo semi-usta corpora extinguerent. Quo facto, eorumdem Martyrum cineres collectos, prout quisque potuit, sibi vindicavit ..... Sed Fructuosus eis apparens monuit, ut quod unusquisque per charitatem de cineribus usurpaverat, restituerent sine mora, unoque in loco simul condendos curarent. Hæc acta olim in Ecclesia Africana legi solita facile probantur ex iis, quæ refert Augustinus in sermone, quem in eorum natali habuit. Prudentius hymnum sextum in ipsorum honorem ex ipsismet actis pene totum contexuit.

August. ser. 273. nov. edit.

Act. sync. LXXVIII. Galliam suo sanguine illustravit D. Saturninus primus Episcopus Tholosanus; cujus initia, & gloriosum exitum sic passionis ejus acta narrant. Cum raræ in aliquibus Galliæ civitatibus Ecclesiæ paucorum devotione consurgerent, Decio, & Grato consulibus, primum, & summum Christi Tholosa civitas Saturninum habere cœperat sacerdotem. Cujus fide atque virtute eorum, qui in urbe eadem colebantur, dæmonum cœperunt cessare vaticinia, commenta nudari, artes detegi, omnisque illorum apud gentiles potentia, omnisque fallacia, Christianorum fide crescente, decrescere. Cumque supradicto Episcopo ad ecclesiam id temporis parvulam juxta Capitolium, quod inter domum suam, & domum Dei erat, frequens itus esset ac reditus, sancti viri præsentiam sustinere fallax dæmonum turba non potuit ..... & ad sacrilega obsequia, & sollicita consultantium vota cœperunt in silentio permanere. Sic in singulis Orbis partibus conticuere oracula, ubi primum in his Christus prædicatus est, & constitutæ sunt ecclesiæ. Observatione dignum est, quod hæc acta sincera, & antiquissima narrant dæmonum oracula in Gallia obmutuisse, ubi primum Christus his Gentibus annuntiatus est. Idem in aliis Orbis provinciis contigisse testatur Eusebius: Illorum, inquit, nempe dæmonum, inertis imbecillæque naturæ maximum argumentum, quod extincta sint oracula, neque amplius ut olim respondeant, & extincta non alias, quam sub adventum Salvatoris nostri Jesu Christi: ex quo enim illius in omnes Gentes Evangelicæ doctrinæ penetravit verbum, ex illo item oracula defecerunt. S. Athanasius inde sumit argumentum, ut adversus Gentes Christi virtutem divinam esse demonstret, quippe quæ fugatis ubique dominantibus dæmoniis, silentium imposuit, & adversus eos, qui antiquo errore dii reputabantur, prævaluit. Et vero, inquit, olim quidem omnia dolis oraculorum plena erant..... Nunc autem ex quo Christus ubique prædicari cœpit, penitus defecit illorum insania ..... Olim dæmones vanis spectris hominum mentes decipiebant..... stultos mortales præstigiis percellebant. Jam vero post divinum Verbi adventum, evanuerunt ejusmodi fallaciæ; siquidem solo Crucis signo adhibito omnes illæ dæmonum fraudes repelluntur ..... Veniat quisquis ea, quæ diximus, experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis, signo Crucis, quæ apud illos ludibrio est, utatur, solumque Christum nominet: mox videbit quam cito per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica, veneficiaque evanescant. S. Hilarius, quantum in dæmones imperium Christus Fidelibus concesserit, sic inde colligit. Recordemur vatum murmura, & inconditos bacchantium fremitus, & nonnumquam confuso audientium sensu incertum nescio quid simulacrorum æra sonuisse ..... Nunc vero Domino Christo prædicato, silere omnia confutata, & trepida: cum hi templorum, & gentium dii virtute Fidelium subjiciuntur ad pœnam: cum Credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur, & invisibiles nobis atque incomprehensibiles naturæ verbo continentur, puniuntur, abiguntur; cum vates silent, cum muta sunt templa. Per hæc itaque jam judicia præparantur.... Cernentes scilicet deos suos mutos, & tantum ad impositionem manuum nostrarum pœnæ suæ vocibus ingemiscentes. Ne quis igitur temere dicat, ideo post promulgatum Evangelium cessasse oracula, eo quod nullus ea consuleret. Hæc opinio repugnat traditioni, ut constat ex modo dictis, & veritati historicæ. Priusquam enim essent Imperatores Christiani, ac proinde cum adhuc innumeri infideles ab oraculis responsa postularent, nulla eis reddidisse testatur Plutarchus author ethnicus, qui Trajano regnante floruit. Videmus, inquit, oracula, quæ in his sunt locis, obsolevisse, atque duobus aut tribus exceptis, omnia defecisse; scilicet centum annis priusquam victo Licinio Constantinus solus imperaret. Cuncti itaque sacrilegæ superstitionis antistites consulentes tanta rei novitate permoti, inter se invicem quærere, unde in numina sua venisset inusitata tantis temporibus taciturnitas? ..... audiunt a quodam religionis nostræ inimico, novam nescio quam surrexisse sectam, superstitioni gentilitatis inimicam, quæ Christiana appellatur, & in deorum suorum excidium niteretur: hujus etiam fidei Episcopum Saturninum, cujus crebro juxta Capitolium transitu, ad conspectum viri illius exterrita deorum suorum ora siluissent, nec facile posse reserari, nisi Episcopum illum mors maturata subtraheret.

Euseb. lib. 5. demonstr. evang.

Athanas. de Incarnat. n. 47. & 48.

Hilar. in Psal. 64.

Plutarch. de defect. orac.

Ibid. LXXIX. Inter ergo conquirentium, & stupentium studia, cum magna fuisset hominum multitudo congregata, & omnes studiosius vellent, parato ad victimam tauro, etiam certi aliquid de his, quæ dicebantur, agnoscere, & deos suos litatione tam ingentis hostiæ vel reducere cuperent, vel propitiare; ecce, ipsum Saturninum ad officium solemne venientem unus ex illa malignantium turba eminus agnoscit, & dicit: En ipsum adversarium cultibus nostris, novæ religionis signiferum, ... cujus præsentia consueta nos prohibet obtinere responsa .... Itaque deos nostros, compellentibus nobis, aut sacrificando placet, aut moriendo lætificet. Ad tam sacrilegæ vocis impulsum, omnis sanctum virum insanientium turba circumdat, ac Presbytero uno ac duobus Diaconibus, qui obsequiis ejus adhæserant, per fugam lapsis, ad Capitolium solus attrahitur; & cum immolare dæmoniis cogeretur, clara voce testatur: Unum, & verum Deum novi: huic laudis hostias immolabo. Deos vestros dæmones scio, quos incassum non tam hostiis pecudum, quam animarum vestrarum mortibus honoratis. Quomodo autem vultis, ut ego eos timeam, a quibus, ut audio, dicitis me timeri? Ad hanc Sancti Episcopi vocem, omnis illius sacrilegæ multitudinis tumultus incanduit, tauroque illo, qui fuerat victimæ præparatus, fune lateribus ipsius circumacto, & post terga demisso, ad ministerium suæ crudelitatis utuntur. Postrema enim parte funis illius sancti viri pedes inligant, actumque stimulis acrioribus taurum de superiori Capitolii parte in plana præcipitant. Nec mora: inter primos descensus ipsius gradus, capite colliso, cerebroque excusso, & omni membrorum parte corpore lacerato, dignam Deo animam Christus excepit .... Exanime corpus usque ad eum locum, tauro furente, perductum est, ubi fune disrupto tumultuariam eo tempore meruit sepulturam..... Post annos quinquaginta ejus acta scripta sunt; ejusque sacras reliquias in amplam Basilicam transtulit D. Exuperius ejusdem urbis Episcopus. Sancti martyris funus suis versibus celebrarunt Venantius Fortunatus, & Sidonius Apollinaris.

LXXX. Patroclus quoque in Trecassina urbe Campaniæ vir nobilissimus, & martyr passus est.... Serviebat Deo cœli diebus ac noctibus..... Institutus bene literis, & prudentia...... Per singulos dies cibo non reficiebatur, nisi hora duodecima; orationibusque multis, & deprecationibus ante refectionem Domi-

Gregor. Tur. l. 1. mirac. cap. 84. act. apud Bolland. 21. Jan.

Christi An. 259. Domino laudes reddebat: & omnia quæ possidebat de substantia parentum, per viduas & orphanos erogabat, qui ex toto corde Deum diligebant; ita ut omnes Christiani æstimarent, dispensatorem esse cœlestem .... Et virtutes multas per eum Dominus ostendebat. Aurelianus præses veniens Trecas, & audiens de Patroclo, quia talia gesta erant, de eo secretius scrutatus est. Et eum invenisset eum, Dei unius fidem confitenti dixit: Recede ab ista stultitia, & deos nostros adora .... Patroclus dixit: Ego non novi alium Deum, nisi unum & verum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Aurelianus dixit: Igni te tradam, usquequo immoles diis. Patroclus dixit: Ego immolo sacrificium laudis, & bostiam vivam me offero Deo, qui me pro suo nomine ad martyium vocare dignatus est. Aurelianus furens ait: mittite compedes in pedes ejus, & in manus ejus catenas ignitas, & perstringite fustes in dorso ejus, & includite eum in cellam secretius, usque dum pertractem de eo, qualiter eum perdam. Sic sanctus vir vinculis perstrictus traditur Eligio uni de astantibus ministris, qui eum custodiret usque in diem tertium. Ipse vero orabat ad Dominum.

Tunc eductus est in publico. Cui Judex ait: Veni contemptor, redime te, & sacrifica diis. Patroclus dixit: Redimet Dominus animas sanctorum suorum, & non relinquet omnes qui sperant in eum ..... Sed væ tibi, cum veneris ad eumdem locum, ubi cruciatur diabolus; ubi etiam adspicies, quemadmodum te æternus cruciatus exspectat .... Aurelianus dixit: An habent potestatem dii nostri, qui vera canunt, & tibi adhuc vivere permiserunt, ... scilicet Apollo, Jupiter? Patroclus dixit: Apollo, quem tu esse deum dicis, audivimus a senioribus nostris, quod Admeti Regis pecora pascebat. Et Jupiter mortuus est de austeritate ventris; & scio, eum fuisse hominem pravum, nequissimum, adulterum, rapacem, adinventorem omnium malorum ... ideoque mortuus est turpissima morte. Terra eum non suscepit: .... Aurelianus furore commotus dixit: Patroclus noxius & detestabilis, qui nobis confusionem intulit, & deos nostros contumeliavit, gladio feriatur, ut amplius non verbosetur. Decollatus est duodecimo Kalendas Februarias.

LXXXI. D. Dionysius Parisiorum primus Episcopus, diversis pro Christo affectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finivit. Eum esse diversum
Ado. Usuar. Rosveid. ab Areopagita Dionysio supra probavimus. Antiquiora Martyrologia meminere duorum Dionysiorum, quorum natalitia diversis diebus celebrabantur. Utriusque Dionysii, Areopagitæ, & Parisiensis distinctionem sic aperte declarat vetus Romanum Rosveidi Martyrologium: Quinto Nonas Octobris, Athenis, Dionysii Areopagitæ sub Adriano, diversis tormentis passi, ut Aristides, qui eadem vixit ætate, testis est, in opere, quod de Christiana religione composuit. Et infra: Septimo Idus Octobris, Parisiis, Dionysi Episcopi cum sociis suis a Fescennino gladio animadversi. Illius sacras reliquias conservat percelebris RR. PP. Benedictinorum Abbatia, quæ, sicut & oppidum, dicitur S. Dionysii. Hunc fundatorem agnoscunt & colunt Ecclesiæ Meldensis, & Sylvanectensis. Eadem tempestate Chrocus Alemannorum Rex Galliam invadens afflixit Christianos, Privatumque Gabalorum Episcopum interfecit,
Greg. Tur. l. 1. hist. c. 34. apud Arvernos Cassium & Victorinum, Antolianum & Limianum. Chrocus vero apud Arelatensem urbem comprehensus, diversis affectus suppliciis, meritas pœnas de cladibus, quas Sanctis Dei intulerat, juste persolvit. Nicææ in Provincia servantur reliquiæ B. Poncii, quem his temporibus passum ferunt.

LXXXII. Verisimile est, tunc quoque contigisse supremum agonem D. Felicis Nolensis presbyteri, cujus labores carminibus celebravit poeta Pruden-
Prud. poem. 5. tius. Hic Nolæ patre Hermia, genere Syro natus post ejus obitum cum fratre Hermia, qui vixit in sæculo, diviso amplissimo patrimonio, sacram militiam professus est. A primis annis Lector, deinde Exorcista Deo servivit in Ecclesia, quem demum ob virtutis meritum Presbyterum consecravit Maximus Nolensis Episcopus; complexusque ut filium sibi successorem destinabat. Sæviente postea persecutione in deserta fugit Maximus. Primam D. Felicis confessionem sic eleganter describit Prudentius:

Quæritur excussa Felix venerandus in urbe .... Christi An. 259.
Impavidus trepidum servabat pastor ovile
Exemplo Domini promptus dare pro grege vitam .....
Ilicet arripitur gaudens, sævisque furentum
Protrahitur manibus ....
Primus supplicii de carcere texitur ordo.
Ferrea junguntur tenebrosis vincula claustris,
Stat manibus colloque chalybs, nervoque rigescunt
Diducente pedes: sternuntur fragmina testæ,
Arceat ut somnum pœnalis acumine lectus ....
Ergo beata sacris Felicem passio pœnis
Urgebat gravibus, vinclis, & carcere cœco,
Quantasque ex homine induerat caro subdita pœnas,
Tantas a Christo recipit patientia palmas.
Maximus interea solis in montibus æger,
Contentus fugisse manus, feraliaque ora
Carnificum, diversa, at non leviora ferebat ...
- - - - - Uritur igne
Frigoris, & gelido cœli de rore rigescit:
Panis inops tectique simul, noctemque diemque
Pervigil intenta jungit prece tempus utrumque ...
Materies terræ (licet inconcussa maneret
Vis animæ, spernente fide labentia carnis)
Victa hyeme atque fame, duroque attrita cubili,
Deficiente suam linquebat corpore mentem ....
Mota Patris summi pietas antistite tanto,
Non tulit obscuro consumi frigore corpus .....
Felicem numero de carceris eligit omni,
Cujus id apponat meritis opus, ut senis almi
Membra levet, revocetque animam, revehatque refotum,
Attonitisque ovibus cari solatia reddat
Pastoris. Venit ergo micans jam nocte silenti
Angelus, & tota vinctorum in plebe reorum
Felicem solum, pietas cui sancta reatum
Fecerat, alloquitur. Fugit atri carceris horror.
Voce simul sacri Felix & luce ministri
Excussus tremit, ...
- - - - Sed vox divina morantem
Increpitans, jubet excussis assurgere vinclis.
Et subito ut molles manibus fluxere catenæ,
Sponte jugo cervix ferrato exuta levatur,
Prosiliuntque pedes laxata caudice nervi.
Mira fides! salvis reserato carcere claustris,
Sopito custode fores interritus exit....
- - - - - Felix impune per ipsos
Custodes, constante premens vestigia passu
Callibus ignotis directus, jussa petebat.
Et postquam emensus secretos avia saltus
Rura, locum fessi senis invenit; ægra trahentem
Jam tenui cernit mœstus suspiria flatu.
Fusus in amplexum, dat vultibus oscula notis,
Et tentat gelidis revocare fovendo calorem
Artubus ......
Sed neque clamatu est, neque pulsu mobile corpus
Jam simile exanimo: modicus tamen ultima vitæ
Flatus, & internæ prodit trepidatio fibræ.
Anxius his Felix, nec habens, quo rebus egenis
Ferret opem, non igne procul, neque cominus esca
Ut dape tabentem recrearet, & igne rigentem.
Quærenti, & multa Christum prece convenienti,
Quanam ope, quave via jussum complere valeret
Servitium, subitam Omnipotens de sentibus uvam
Edidit, & capiti jussit pendere propinquam.
Decerptum Felix morientis ad ora racemum
Admovet. Et quoniam strictis jam dentibus ille
Et sentire negat dulces & sumere victus,
Exprimit humentes acinos, succumque liquentem
Instillat, digito diducens arida labra .....
Hinc animæ sensus, calor ossibus, atque oculis lux,
Vitaque tota redit, quæque hæserat obsita siccis
Faucibus, exercet solitas jam lingua loquelas.
Ergo reviviscens, notissima cominus ora,
Felicis videt ora sui, amplexusque vicissim,
Conqueritur tardum: Nam te promiserat, inquit,
Adfore jam dudum Dominus mihi, pars mea Felix.
- - - - - - - Fugi, non lucis amore,
Sed

Christi An. 259.

Sed fragile hoc metuens infirmi corporis ....
Adsuit Omnipotens, & te mihi mittere legit,
Per quem dona mihi sua redderet. Utere, fili,
Præceptis pietatis opus mandantibus, & me
Suscipiens humeris, commune ad ovile reporta.
Impiger optato gavisus munere Felix,
Catum onus, ut Christi pondus leve, sumit & assert,
Deponitque sui tutum sub culmine tecti,
Unica quod servabat aous, ...
Pensatisque sibi, sancto senis ore beati,
Officiis benedictus abit, paucisque diebus
Delituit proprii tacitus sub culmine tecti.

Ibid. LXXXIII. Hæc gesta sunt tempore Decianæ persecutionis, cui successit Valeriana. Felix rursus quæritur ad necem. Fideles media in urbe tunc docebat; eum quamvis de facia sæpius notum, Deo volente, non agnovere satellites: dum requirunt a prætereuntibus, quidam monet, ipsum esse quem mox alloquebantur. Furentes redeunt, ac insequuntur; jamque appropinquabant: Felix paululum devius declinat in apertum tugurium, mox capiendus, nisi divino servatus fuisset beneficio. Domious paraverat araneam, quæ brevi circumactis telis totum obduxit ostium. Infideles ne, dum hic frustra morarentur, evsderet, (hac enim eum non transisse, tela integra certum, ut purabant, erat indicium) alias latebras longius rimantur. Interea Felix ab urbe discedens latuit in cisterna: hic, ut alter Elias, per sex menses a pia muliere mire pascitur: audiendus iterum Prudentius.

Ergo Dei ductu capit in regione remota
Compluvium angusto brevia inter tecta cubili,
Quo vetus arebat tecto cisteroa profundo.
Propter in attiguis habitabat fœmina tignis
Sancta Deo mulier; quæ Confessorix operti
Nescia, Felicem Christo quasi conscia pavit.
Mita esnam - - - - Nunc sedula panes,
Nunc alias, de more sibi quas coxerat escas,
Importabat eo, Felix ubi teste latebat
Velatus Domino. Sed nea, cum tenderet illo,
Noverat ingrassum, nec aum discederet inde,
Introitus erat illa sui memor: - - - - -
Proque loco latebræ, & strictæ super ora lacunæ
Appositos ingressa cibos linquebat, eosque
Se posuisse domi eredens, ita semper abibat,
Ponendæ memor, & positæ mox immemor escæ.

Ibid. Pace Ecclesiæ restituta, Falix divino jussu Nolam reversus, postulatur in Episcopum; sed tantum munus renuit. Divitias contemnens, ex agro, quem colebat, victum sibi parabat. Meritis plenus senex obiit; eum sub Martyris titulo decimo octavo Ka-

Martyr. Rom. lendas Februarii colit Romana Ecclesia. Hæc pauca ex Prudentio Poeta Christiano; na videamur silentio præteriisse tantum virum, qui tot Sanctorum triumphos suis versibus eximie celebravit.

Act. sync. LXXXIV. Puerilis ætas Martyrii gloriæ non expers fuit. B. Cyrillus omni tempora Christum nominans erat... Et plagis confixus, & verbis territus, neque verborum minas, neque afflictioois injuriam computavit; sed sustinuit hæc quidem libentissime. Cum autem erescerant ei animi, qui sunt erga booam fidem, & æmulatores haberet multos, qui similes erant ejus ætati, abdicat eum quidem pater domum ei claudens, & quæ in ea erant, prorsus abnegabat ei... Ipse vero quasi nihilum reputabat abdicari a patre. Hæc agens provocabat Cæsareæ Judicem, qui vocans eum per ministrationem militum, & terrens simul de judicio, videbat eum ab omni trepidatione securum adstare, & immodica omnia contra Fidem computantem. Et indulgeo tibi, inquit Judex, o puer, delicta: dimittit sibi & pater offensam: in domum suscipit te, si sobrius fias. B. vero Cyrillus: Gaudeo, dixit, eum pro his mihi increpatur. Ego enim optime apud Deum recipiar .... Bonam mortem non meruo, quia vitam mihi provideo meliorem. Hæc dicens quadam deifica virtute, præcipitur ligari soleamm, quasi ad mortem deducendus; usque terroniter, quasi ad mortem deducendus; usque terrorem autem illud publicos ministros facere Judex præcepit, probationem accipiens pueri. Quando autem neque lacrymatus puer nuntiabatur, neque ignem metuens, in quem injicere hunc minabantur, sed paratissime ad mortem pergentem; iterum vocat hunc Judex: Vidisti, o puer, inquit, ignem & gladium; sobrius esto, ut iterum habeas patris domum & fortunam... Qui respondit: Nocuisti, o Tyranne, me revocans, & pessime gessisti. Multo major est domus, quam habitare festino: multo divitiæ præstantiores; has accipere a Domino accelero. Celerius me consumma, ut celerius fruar. Es hæc audientes astantes lacrymabantur .... Puer autem lacrymas horum inculpabat: Debetis, inquit, ridere: debetis ma producere gaudentes ad patiendum. Nescitis quam civitatem habitabo. Hæc dicens, ibat mori. Splendidus autem & spectabilis eras, non solum ei qui recepit ejus animam, sed & aliis, qui Cæsareæ in Cappadocia habitabant.

Christi An. 259.

Bolland. Februar. LXXXV. Melitinæ in Armenia erant duo viri inter se amicissimi, scilicet, Polyeuctus paganus, & Nearchus Christianus. Audito Valeriani edicto adversus Christianos, Nearchus, qui cupiebat dissolvi & esse cum Christo, dolebat quod socium, quem ut alterum se diligebat, in periculo damnationis æternæ derelinqueret. Accedens itaque ad Polyeuctum, amicitiam eorum in crastinum finituram fore nuntiat .... Quia, inquit, morte separabimur. Et indicavit edicta de Christianis .... Tunc Polyeuctus narravit B. Nearcho, quod Christus sibi per visionem apparuerit, & sordidam stolam ab eo sustulerit cum chlamyda militari qua indutus eras, circumdans cum chlamyde pretiosa holoserica, nimisqua splendida, annectens insuper humero ejus fibulam auream, & dans stolam cum equo pennato. Audiens Nearchus, lætus efficitur, Polyeuctumque de Fide plenius informans reddidit perfecte credentem, & jam martyrium sitientem. Cum ergo Polyeuctus publica se Christianum esse diceret, & idololatras reprehenderet, a persecutoribus tentus, diutissime tortus est. Et cum diutissima virgis cæsus fuisset, fatigati tortores eum blandis sermonibus & promissis ad cultum deorum reverti suadebant. Sed illo in confessione Domini immobiliter permanente, & eos irridente, in eum acrius sæviebant verberibus. Tandem supervenit uxor eum unico filio ejus, quæ clamoribus locum replens, & filium ostendens, nunc lacrymis, nunc gemitibus, nunc filii sui ac divitiarum suarum & amicorum consideratione a martyrio revocare Sanctum studebat. Sed ille divinitus inspiratus, a Christo nullis tentationibus poterat separari; sed magis uxorem, ut, relictis idolis, in Christum crederet, hortabatur. Cum ergo Præsides cernerent constantiam Martyris nulla posse ratione moveri, dederunt in eum sententiam capitalem. Quod audiens Martyr gratias egit, & laudans Deum, ad locum destinatum ultro properabat, confirmans suis sanctis monitis Fideles, adeo ut Infidelium non parvus numerus crederet. Conversus tandem B. Nearchum, ut ex condicto se sequeretur, monebat, & illi valefaciens, gloriosa morte consummatus est. Difficultas

Menolog. Græc. 9. Jan. Martyr. Rom. 13. Febr. in iis actis non levis occurrit. Ter fit mentio Decii simul & Valeriani Imperatorum; qui tamen diversis temporibus regnantes, persecutiones diversas moverunt; sed, ut observat Bollandus, dicendum: Polyeuctum & Nearchum milites a temporibus Decii junxisse amicitiam, quæ perseveravit usque ad Valeriani persecutionem, & passionem D. Polyeucti, quem Idibus Februarii ut Martyrem colit universalis Ecclesia.

Eus. hist. l. 7. c. 12. LXXXVI. Cæsareæ Palestinæ Priscus, Malahus & Alexander post insignem Christi confessionem ad bestias damnati, martyrio coronati sunt. Hi cum in agro degerent, primum quidem se ipsos Insimulasse dicuntur tanquam ignavos ac desides, quod cum occasio ipsa cœlesti amore flagrantibus præmia distribueret, ipsi cessarent, nec coronam martyrii præriperent. Initu deinde inter se consilio, Cæsaream profecti, Judicem ipsum adorti sunt, eamque, quam diximus, sententiam exceperunt. Mulier quædam ex secta Marcionis simili certamine perfuncta narratur, sed non idem præmium tulit.

Act. sync. LXXXVII. Antiochiæ Syriæ erat quidam presbyter nomine Sapricius, & Nicephorus laicus, illius amicus, seque ambo tanquam germani fratres diligebant. Cum longo tempore vixissent hac affectione, talis inter eos nata est dissensio, ut nec in platea quidem vellent sibi occurrere. Nicephorus cognoscens odium esse diabolicum, rogavit amicos quosdam, ut irent ad presbyterum Sapricium, & rogarent eum pro Nicephoro, ut ei culpam condonaret. Ille autem noluit ei condonare. Is vero secundo & tertio misit alios amicos, ut ei reconciliaretur. Sapricius autem ne eos quidem rogantes audire sustinuit .... Nicephorus pius & fidelis eum vidit Sapri-

eium

Christi An. 259. cium despexisse communes amicos, ipse currens ad ejus ædes, se projecit ad pedes ejus dicens: Condona mihi, Pater, propter Dominum. Ille vero noluit ei reconciliari ut amico, cum debuisset a prima excusatione, etiam non rogatus, eum excipere, ut Christianus & presbyter.

Ibid. Cum hæc sic fierent, repente existit persecutio; apprehenditur Sapricius, & traditur Præsidi, qui ei dixit: Augusti nostri & Domini Valerianus & Gallienus jusserunt, ut qui se dicunt esse Christianos, sacrificent diis immortalibus. Siquis vero despiciens respuit hoc edictum, sciat, se diversis tormentis & suppliciis plectendum, & sic gravissima morte esse condemnandum. Sapricius dixit: Nos Christiani Christum Deum habemus Regem; quoniam ipse est solus verus Deus, & Creator cœli & terræ, & maris, & omnium quæ sunt in eis. Omnes vero dii gentium dæmonia. Iratus Præses jussit eum projici in cochleam, jubens eam vehementer agitari. Cum is ergo adeo acerbe & inhumane torqueretur, dixit Præsidi: Carnis meæ habes potestatem, animæ autem meæ potestatem non habes, sed Dominus Jesus Christus, qui eam creavit. Longo vero tempore tortus sustinuit tormenta. Cum vidisset Judex, eum non persuaderi, tulit in eum sententiam dicens: Sapricium presbyterum, qui edicta contemnit Imperatorum, & non paruit, nec diis immortalibus voluit sacrificare, jubemus tradi supplicio capitis.

Ibid. LXXXVIII. Hæc cum audisset S. Nicephorus, currens ei processit obviam, & se projecit ad pedes ejus, dicens: Martyr Christi, ignosce mihi, quoniam peccavi in te. Ille autem nihil ei respondit. S. Nicephorus rursus eum per aliam viam prævenit, & ei occurrit prius, quam egrederetur e civitate, & rogavit eum dicens: Martyr Christi, condona mihi ea, quæ in te peccavi ut homo. Ecce enim de cætero data est tibi corona a Christo, quem non negasti, sed confessus es nomen ejus sanctum coram multis testibus. Ille autem odio habens cor obcæcatum, neque ei verbum voluit respondere .... Et cum venisset ad locum, in quo erat interimendus Sapricius, rursus ei dixit Nicephorus: Scriptum est:
Matt. 7. *Petite, & accipietis*.... Non audivit cæcus & durus
Marc. 18. amicus .... Propterea & verax Deus, qui dixit: *Si non remiseritis, non remittetur vobis*; cum videret, eum nulla tangi proximi misericordia, jure eum privavit regno suo cœlesti .... Tunc dicunt lictores Sapricio: Flecte genua tua, ut caput tibi amputetur. Dicit eis Sapricius: Quare? Dicunt ei lictores: Quoniam noluisti diis sacrificare, sed contempsisti edictum Imperatoris propter hominem qui dicitur Christus. Sapricius dixit lictoribus: Nolite me ferire; facio enim quæ jusserunt Imperatores, & diis sacrifico .... Hæc cum audisset S. Nicephorus, rogavit Sapricium dicens: Noli, o frater, noli transgredi & negare Dominum nostrum Jesum Christum .... & perdere cœlestem coronam, quam per multa acquisivisti tormenta & afflictiones. Ille autem noluit omnino eum audire, sed contendit abire ad interitum ultimæ mortis. Revera fuit miser excæcatus ab odio ....

Ibid. LXXXIX. B. autem Nicephorus, postquam vidit transgressum esse Sapricium, dicit lictoribus: Ego sum Christianus, & credo in nomen Domini nostri Jesu Christi, quem iste negavit. Me ergo jam pro ipso ferite. Lictores vero non ausi sunt eum ferire absque jussu Præsidis .... Unus autem ex lictoribus currens renuntiavit Præsidi, dicens: Sapricius quidem pollicetur se diis sacrificaturum; est vero illic quidam alius, qui vult mori propter eum, qui dicitur Christus, clamans & dicens libere: Christianus sum, & diis vestris non sacrifico, nec obedio edictis Imperatorum. Postquam hæc audivit Præses, in eum tulit sententiam dicens: Si non sacrificat diis immortalibus, prout jusserunt Imperatores, jubeo eum mori gladio. Tunc accipientes S. Nicephorum eum capite truncarunt.

Act. sync. XC. Beatus Paregorius Pataræ in Lycia cum fuis-
in Febr. set prius consummatus in tolerantia in Domino,
Bolland. beatus Martyr Christi Leo afficiebatur magno dolore,
S. Leo quod non fuisset consecutus idem certamen, cum
martyr. esset communis vita eis proposita. Illis vero diebus contigit proconsulem Lollianum venire in urbem: & congregans concilium impiorum consultabat adversus Christianos, cogebatque omnes ad cultum insanum deorum. Cum multi vero concurrerent, ac metu humano tenerentur, ægre tulit quidem beatus

Christi An. 259. Leo; ne audire quidem sustinens impiorum audaciam .... Apud se autem differens, egressus est ad locum, in quo jacebant reliquiæ B. Paregorii martyris. Cum autem fuisset in illo loco, in quo peragebant festum Serapidis impium, ... unusquisque eorum, qui videbant .... ex vultu, & veste, & ex eo, quod non assentiretur malis, quæ ab ipsis fiebant, existimabat eum esse Christianum, & plane reverendum. Erant ei moderata omnia; Asceticam enim vitam exercuerat a juventute, & ideo deditus fuerat continentiæ, castitati, & temperantiæ. Indumentum autem ejus erat ex pilis contextum, & plane reipsa vitam imitabatur Apostolicam ....

Ibid. Cum ergo hic preces fudisset, domum reversus .... in somnum resolutus est, ut rerum sibi futurarum gloriam adspiceret .... Visus est ergo videre, cum esset vehemens tempestas, & torrentes magno impetu defluerent, Paregorium & se stare in medio torrente; & licet esset fluentum periculosum, se projicere atque accurrere ad beatum martyrem Paregorium, qui ingrediebatur iter ad martyrium excitatus .... Hinc conjecit ea quæ erant eventura .... Jam non clam, sed per medium forum ibat ad beati Paregorii tumulum: Et cum venisset ad locum, videt lucernas & cereolos accensos circa delubrum deorum .... Eorum, qui accenderant misertus .... ea manibus contrivit, dicens: Si deos existimatis habere vires, seipsos defendant .....

Ibid. Mistæ iniquitatis .... clamabant adversus eum ... Cum vero crevisset tumultus, & fama esset per totam civitatem ejus, quod factum fuerat, & pervenisset ad aures Procuratoris, ... jubet milites observare ejus reditum, & virum comprehendere ... Hunc apprehensum milites adducunt ad Procuratorem. Ille .... ut vidit beatum Leonem, statim ei objecit audaciam, qua usus fuerat adversus lucernas dicens: Mihi videris, o senex, vel ignorare vires deorum cœlestium, quod eorum evertas religionem; aut insanire, ut qui facias præter id quod videtur divinissimis nostris Imperatoribus, quos secundos servatores & deos nos vocamus. Ad hæc dixit S. Leo: Multos cœlestes deos dixisti, o Procurator, veritas autem non ita habet. Est enim unus Deus cœlestium & terrestrium, Dominus noster Jesus Christus Filius Dei .... Lucernæ autem & cerei, quæ circa simulacra accenduntur, sunt vani & inanes, quoniam sentire non possunt lapis, & æs, & lignum, quæ ab hominum arte sunt fabricata .... Procurator supplicia comminatur, ni deos veneraretur; Leonem renuentem & Christianum se profitentem flagris cædi jubet .... Cum autem multitudo plagarum esset innumerabilis, & major, quam ut id sustinere posset humanum corpus; fortissimus athleta Christi Leo ad nihil plane eorum, quæ fiebant, movebatur, nec minimum quidem emittebat suspirium. Desiderium enim convertebat ad Dominum ....

Ibid. Majora minatur Procurator, ni sacrificet .... Leo respondit: Videris mihi esse valde imbecillus, qui solum assidue mihi verba mineris, præter verba autem nihil facias. Cum vero propter hæc seditionem agitasset multitudo, perturbatus Procurator jussit Sanctum quidem capi pedibus, trahi autem in torrentem, in eo ultimum daturum supplicium .... Statim servi peccati beatum Leonem traxerunt ad torrentem inhumane & crudeliter ... Tunc ad Deum extollens oculos, Deo gratias egit pro concesso sibi beneficio; oravitque etiam pro persecutoribus, postulans ut agnoscant Deum universorum; orationeque finita, spiritum Domino reddidit. Tunc ministri iniquitatis corpus Sancti super excelsum attollentes lapidem, in profundam terræ voraginem dejecerunt ... At religiosissimi Fratres cum festinatione illud auferentes .... magna cura deposuerunt.

XCI. Valerianus Imperator, qui persecutionem in
Valeriani Christianos jam per menses 42. exercuerat, in ma-
misera nus crudelissimi hostis justo Dei judicio traditur,
captivi- anno Imperii sui septimo, Christi ducentesimo sexa-
tas. gesimo primo. Hunc veluti virgam quamdam ira-
Christi cundiæ suæ expellens Deus, Persis tradidit punien-
An. 261. dum, ut scribit Constantinus Augustus. Quomodo
Const. a Sapore captus sit, non constat inter authores.
epist. Trebellius hunc a Persarum Rege victum & captum
ad Sap. esse scribit, dum ductu cujusquam sui ducis, cui
Trebel. summam omnium bellicarum rerum commiserat,
in Val. seu fraude, seu adversa fortuna, in ea esset loca
Zozim. deductus, ubi nec vigor, nec disciplina militaris,
p. 65. quin caperetur, quicquam valere potuit. Zozimi

S nar-

CHRISTI An. 261. 262. ad 268.

narratin videtur verisimilior. Cum pestis, inqnit, magnam exercitus Romani partem absumpsisset, & Sapores instaret, & Orientis fere omnia in suam potestatem redegisset, Valerianus legarns ad eum mittit, postulans, ut accepta pecunia bello finem imponeret. Sapores renuis eum legatis de pace agere, sed cum Valeriano ipso se tractaturum fore promisit. Valerianus pacis cupidus, cum paucis ad Saporem profectus, apud Edessam captivos ducitur.

Ibid. Regis Saporis amici & confœderati Regea egerunt per literas, ut Valerianus redderetur, ne unius senis causa Romanum orbem adversus se commoveret: sed frustra. Captivum suum pro vili mancipio habuit, ac majoris ignominiæ causa in vinculis circumducebatur cum chlamyde purpurea, & reliqno imperiali cultu, & quoties Sapores vehiculum aut equum ascendebat, inclinare sibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quod cum filium haberet Imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem. Nec omnino repetitus est. Post veru quam pudendam vitam in illo dedecore finivit anno decimo suæ captivitatis, direpta est ei cutis, & exuta visceribus pellis infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque Romanis semper esset ostensui, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum exuvias captivi principis apud deos suos cernerent. Odenatus Palmyrenorum decurio, cui Zenobia nupserat, Persas Romanis finibus ingruentes fortiter compressit, ac Romanam rempublicam sustinuit, cum regium sibi nomen assumpsisset.

Const. orat. c. 24. Oros. l. 7. cap. 22. Lactant. de mort. Pers. c. 5.

Trebel. in Galien. XCII. Anno sequenti Macrinus & Balista de novo Imperatore adversus Galienum subrogando consilium inierunt, qui in rescriptis, quasi patre mortuo, se solum Imperatorem nominabat, & statim Christianis plenam pacem restituit. Primo quidem constitutionem ad Episcopos dedit, qua iis, ut cœmeteriorum suorum loca recuperarent, permisit. Secundam, qua mandavit aliis, ut a locis religiosis Christianorum recederent. Sic refert Eusebius, cujus non tantum sensum, sed & verba ipsa retulimus in omnibus ejus operis locis, quæ in margine sub ejus nomine indicantur: Imperator Cæsar. P. Licinius, Galienus, Pius, Felix, Augustus, Dionysio, Pinnæ, Demetrio & reliquis Episcopis. "Indulgentiam beneficii nostri per universum Orbem diffundi præcepimus, ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca & vos rescripti nostri forma uti poteritis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id quod vobis exequi licet, jam dudum a me concessum. Proinde Aurelius Cyrenius procurator summæ rei dati a nobis rescripti formam sequetur."

Eus. hist. l. 7. c. 13.

Trebel. in Galien. Verum cum nulla prope esset Galieni authoritas, annis sequentibus aliqui fuere Martyres. Macrinus author persecutionis in Oriente adversus Galienum sumpserat Imperium; Aureolus vero in Illyrico. Ambo sequenti anno, Galieni nono, pugnarunt; Macrinus victus & occisus est. His auditis, Odenatus duos ejus filios interfecit; atque ita Christianorum hostis infensissimus cum universa familia stirpitus interiit. His auditis, Galienus, quasi securus rerum, ac patre jam recepto, libidini & voluptati se dedit. Odenatus reipsa Orientis Imperator, quasi ejus partes ageret, res gestas ei communicabat, assumptoque nomine regali cum uxore Zenobia, & filio majore, cui nomen erat Herodes, collecto exercitu contra Persas profectus est. Nisibiam primum & Oriensis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit; deinde ipsum regem victum fugere coegit. Ut primum hæc audivit Galienus, consilio Valeriani fratris sui, Odenatum participato Imperio Augustum vocavit, ejusque monetam, qua Persas captos traheret, cudi jussit: quod & Senatus, & Urbs, & omnis ætas gratanter accepit.

Poll. trig. Tiran. cap. 26.

Oros. l. 7. Galieno luxu & voluptatibus diffluente, neglectis publicis negotiis, Romanus orbis ingentibus cladibus oppressus est, Deo sic ulciscente sanguinem Sanctorum suorum. Occidens Alemanorum, Oriens Gotthorum inundatione vastatur; Parthi jam Mesopotamiam Syriamque occupaverant. Inter tot bellicas clades etiam terræ motus fuit, quo multæ fabricæ devoratæ sunt cum habitatoribus suis: quod quidem malum tristius in Asiæ urbibus fuit. Maria etiam multas urbes occuparunt. Et ne quid forte Romani corporis ab hac dilaceratione cessaret, conspirant intrinsecus triginta tyranni, consurgunt bella civilia, funditur ubique plurimus sanguis Romanorum, Romanis barbarisque sævientibus. Byzantiorum civitas, claustrum Ponticum, per Galieni milites ita vastata est, ut prorsus nemo superesset. Quæ mala totius generis humani cum audiret Galienus, quasi detrimentis vilium ministeriorum videretur affici, jocabatur.

CHRISTI An. 262. ad 268.

Ægypti defectio. Trebel. Poll. 30. tyran. Ægypti defectio ex levi causa contigit. Alexandrini procuratoris servus a milite ob hoc cæsus est, quod crepidas suas meliores esse quam militis diceret. Collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps venit, qui coactus sumpsit Imperium, cum sciret sibi undecunque pereundum. Alexandria tunc divisa est in duas factiones, quæ mutuis cædibus in sese sæviebant. S. Dionysius, qui pace Ecclesiæ reddita redierat, cum universos urbis Fratres, utpote in alterutram seditionis partem distractos, alloqui non posset, iterum ipso Paschæ die eos per literas alloquitur: & postea de eadem seditione sic scripsit ad Hieracem Episcopum .... Hi portus .... ob crebras hominum cædes sunt instar cujusdam maris rubri. Qui civitatem ipsam alluit fluvius .... cædibus & cruore, & submersionibus hominum continuis inquinatus evolvitur .... Hujusmodi halitus ex terra, ex mari venti, ex fluminibus auræ, ex portubus fuligines spirant, ut tabescentium in omnibus subjacentibus elementis cadaverum sanies pro rore sit. Et post hæc mirantur, & ambigunt homines, undenam continuæ pestes, & multiplices variique hominum interitus? Et quid causæ sit, cur urbs maxima tantum civium numerum amplius non ferat, etiamsi ab infantibus ad decrepitos usque senes numerentur, quot antea crudos senes sic vocatos, aluit. Theodotus dux Galieni Æmilianum acie victum & captum transmisit Imperatori, cujus jussu in carcere strangulatus est.

Eus. hist. l. 7. c. 21.

Ib. c. 22. *Pestis vastat Rom. Imperium.* Secuta deinde post bellum peste, cum Paschalis solemnitas immineret, iterum Dionysius Fratres per literas allocutus est, in quibus calamitatis illius magnitudinem sic describit. Lugent cuncti, & ob morientium quotidie multitudinem tota urbs gemitibus circumsonat .... Nulla quippe domus est, in qua non sit aliquod funus: atque utinam unum duntaxat in unaquaque domo esset ..... Neque a nobis abstinuit lues illa, licet plurimum in gentiles grassata sit .... Plurimi quidem ex Fratribus, ob nimiam charitatem, curam omnem propriæ salutis abjicientes, sibi mutuoque adhærescentes, dum ægros secure atque audacter invisunt, eisque assidue ministrant, & curationem adhibent in Christo, una cum illis mortui sunt .... Multi etiam, qui alios ægrotantes curaverant, & in pristinam valetudinem restituerant, ipsi interierunt ..... Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant ac diaconi, & e populo laudatissimus quisque, mortem oppetierunt. Adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur. Hi ergo Sanctorum corpora supinis manibus gremioque excipientes, oculos illis & ora claudentes, bajulantes eadem humeris suis, lavacro & vestimentis ornantes, paulo post eadem officia ab aliis consecuti sunt, cum superstites eorum semper, qui præcesserant, vestigiis insisterent. Gentiles vero prorsus his contraria egerunt. Nam & eos, qui ægrotare cœperant, exturbabant, & charissimos refugiebant, eosque in viis semineces destituebant, aut mortuos insepultos projiciebant, aversantes mortis participationem & societatem: quam tamen, licet multiplici adhibita cautione, ac diligentia, evitare non poterant. Romanum Imperium vastavit pestilentia, quæ tanta Romæ, & in Achaicis urbibus extitit, ut uno die quinque hominum millia pari morbo perirent.

Trebel. in Gal.

XCIII. Galienus cum esset contemptui omnibus propter ignaviam, & quilibet, quæcumque vellet, impune tentaret, judex ordinarius ausus est vexare Christianos, Imperialis edicti nulla habita ratione. Centurionis locus cum vacaret, Marinus ordine gradus sui ad eam promotionem vocabatur. Verum quidam ad tribunal accedens, eum accusare cœpit, asserens illi quidem utpote Christiano homini, & Imperatoribus sacrificare renuenti, Romanam dignitatem capescere, legibus non licere; sibi vero gradum

Hier. in Chron. *S. Marini mart.* Eus. hist. l. 7. c. 15.

Christi An. 262. ad 268.

dum illum competere. Ea re commotus judex, Achæus nomine, Marinum interrogavit, cujusnam esset sententiæ? Cognito quod Christianum se esse constantissime profiteretur, trium horarum spatium ad deliberandum ei concessit. Cum ex prætorio egressus esset, Theotecnus civitatis Episcopus sermocinando, eum ad Ecclesiam perduxit: cumque interius ad ipsum altare eum statuisset, reducta tantisper ejus chlamyde, gladium illi, quo præcinctus erat, ostendens, mox sacrorum Evangeliorum codicem ex adverso locat, jubens, ut ex duobus, quem mallet, eligeret. Marinus nihil cunctatus protensa manu codicem cum apprehendisset, his eum verbis Theotecnus compellavit: Adhære igitur Deo, ejusque virtute roboratus consequere quod elegisti: vade in pace. Post hæc regressus & admotus tribunali, cum majorem, quam antea, alacritatem fidei ostendisset, capite truncatus, Cæsareæ Palæstinæ martyrio coronatus est.

Ib. c. 16. *S. Asturii virtus.*

Tunc & Asturius, ob religiosam fiduciam & libertatem, celeberrimum nomen est consecutus, vir ex Romanæ urbis Senatoribus, Imperatoribus unice charus: qui cum S. Marini supplicio interesset, humeris suis impositum cadaver, candida ac pretiosa amictus veste, bajulavit, & magnifico cultu ornatum decenti tradidit sepulturæ. De eo refertur &

Ib. c. 17.

illud miraculum: Apud Cæsaream Philippi, quam Phœnices Panæada nominant, ad pedes Panii montis fontes visuntur, ex quibus profluit Jordanis. In hos festo quodam die victimam conjici solitam ajunt, quæ quadam dæmonis operatione, nusquam postea compareret, eaque res a spectantibus pro miraculo habebatur. Asturius his forte cæremoniis cum interesset, cunctosque rei admiratione perculsos videret, oculis in cœlum sublatis supremum omnium Deum per Jesum Christum obtestatus est, ut dæmonem populi seductorem constringeret, & a decipiendis posthac mortalibus abstinere eum juberet. Peracta precatione, repente victimam fontibus supernatasse ajunt; atque ita miraculum ipsis prorsus intercidisse, nullo deinceps circa hunc locum viso prodigio. S. Asturium ut martyrem Græci colunt die Augusti septimo. Latini vero ejus memoriam & S. Marini simul recolunt, sexto Idus Martii.

Rom. Martyrol.

Athanas. l. 1. de sent. Dionys.

XCIV. Tot inter tumultus, quidam ex Ecclesia fratres, sanæ quidem doctrinæ homines, offensi literis Dionysii Alexandrini ad Ammonium & Euphranorem adversus Sabellium, Romam se contulere, illumque apud Dionysium Romanum Episcopum accusarunt, quasi qui Filium rem conditam, & Patri minime consubstantialem diceret. Hæc Synodus Romæ coacta, anno ducentesimo sexagesimo tertio indigne tulit, & Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium sententiam perscripsit, tum adversus Sabellii sectatores, tum adversus eos, qui essent ejusdem sententiæ, quam postea protulit Arius: indicavit etiam qua de re ab illis accusatus fuisset. Alexandrina sedes tunc prima erat Orientis, cui superior eo facto Romana demonstratur.

Euf. hist. l. 7. c. 26.

Dionysius quamprimum purgandi sui causa libros quatuor edidit, quos inscripsit, Apologia, & Dionysio Romano nuncupavit. Eorum fragmenta quædam sic refert Athanasius: "Numquam fuit quando Deus non erat Pater .... neque a seipso Filius, sed a Patre habet esse. Et cum sit splendor lucis æternæ, & ipse omnino æternus est. Luce enim semper existente, manifestum est & splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse intelligitur, quod splendeat, ac fieri nequit ut lux non luceat. Cum igitur æternus sit Pater, æternus est & Filius ...... Nam si Genitor est, & Filius: quod si Filius non est, qua ratione, & cujus potest esse Genitor? Atqui ambo sunt, & semper sunt."

Athan. Ibid. *S. Dionysii fides de Trinitate.*

Hinc accusatores suos, qui scripserant eum dixisse filium inter res creatas computari, & nequaquam esse Patri consubstantialem, sic coarguit: "Cæterum ubi res factas, & opificia quædam consideranda dixi, eorum exempla ut minus utilia cursim protuli, cum dixi: Neque planta idem est quod agricola, neque scapha idem quod navium faber. Deinde .... quæ certioris erant fidei, exposui, variis excogitatis exemplis, quæ tibi in alia Epistola scripsi, quibus criminationem eorum depuli, mendacemque ostendi, qua ajebant me Christum negare Deo esse consubstantialem; tametsi fateor me hoc vocabu-

Ibid.

lum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse, vel legisse: attamen argumenta mea, quæ subsequuntur, quæque isti tacuerunt, ab hac sententia nihil discrepant." Uterque igitur Dionysius, Romanus, & Alexandrinus, Filium Dei a Patre hypostasi differentem ei consubstantialem esse confitebantur.

Christi An. 268.

S. Dionysius Filium Patri dicit consubstantialem.

In secundo libro hæc addit, quæ pariter pudore suffundunt Anti-Trinitarios. "Singula nomina a me prolata a se invicem nec separari, nec dividi queunt. Patrem dixi, & priusquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre significaveram: Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non prius nominassem, is tamen in nomine Filii comprehensus fuerat: Spiritum sanctum addidi, sed simul & unde & per quem processerit, adjunxi. Illi vero ignorant neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse; nam nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre separari; namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat. In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari potest. Quomodo igitur qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata & omnino divisa existimem? .... Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus: & Trinitatem iterum, quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus." Nicænæ prorsus similis est hæc Fidei professio. Ejusdem libri secundi insigne fragmentum refert Eusebius; S. vero Basilius hanc glorificationis formulam laudat; quam a majoribus se accepisse testatur Dionysius: "Deo Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo, cum sancto Spiritu gloria & potestas in sæcula sæculorum."

Euf. l. 14. præp. Evang.

XCV. Epistolæ quoque S. Dionysii Papæ fragmentum nobis conservavit Athanasius. Hæc pauca descripsimus: "Jam vero æquum fuerit adversus eos disputare, qui augustissimam Dei monarchiam in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases, tresque divinitates dividunt, discindunt, destruuntque. Audivi enim quosdam ex his, qui apud vos divinum verbum prædicant & docent, hujus opinionis magistros esse, qui quidem ex diametro, ut ita loquar, Sabellii sententiæ adversantur; illius enim in hoc consistit impietas, quod dicat Filium esse Patrem, & vicissim. Illi autem tres deos quomodo prædicant, cum sanctam unitatem in tres diversas hypostases inter se omnino separatas dividunt? Necesse est enim Verbum divinum Deo universorum esse unitum, & Spiritum sanctum in Deo manere & habitare, ac denique divinam Trinitatem, quasi in quemdam verticem, Deum universorum, Omnipotentem dico, reduci & colligi .... Non minus illi culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, & Dominum factum esse sentiunt, quasi videlicet unum esset ex his, quæ vere facta sunt; cum divina Scriptura illum genitum esse, ut eidem congruit convenitque, non autem formatum & factum esse testetur. Non levis igitur, sed summa est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere: nam si factus est Filius, fuit aliquando, cum non esset: atque fuit semper, si utique sit in Patre, ut ipse declarat, & si Christus ipsum sit Verbum, sapientia & virtus; hæc siquidem Christum esse divinæ literæ docent .... Itaque credendum est in Deum Patrem Omnipotentem, & in Christum Jesum ejus Filium, & in Spiritum sanctum, ac Verbum Deo universorum esse unitum: Ego enim, inquit, & Pater unum sumus: & ego in Patre, & Pater in me est. Ita scilicet divina Trinitas & sanctæ Monarchiæ prædicatio integra servabitur." Sabellianos, Tritheitas, Semiarianos, & Socinianos hic pariter ferit & damnat S. Dionysius Papa.

Athanas. de decret. Nicen. Synod.

XCVI. Dionysius vero Alexandrinus postquam doctrinam suam circa misterium sanctissimæ Trinitatis sanam esse demonstravit, Millenarios impugnavit duobus libris, quos de promissionibus inscripsit. Scribendi causam dedit Nepos quidam Episcopus Ægypti, qui nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in terra fore affirmabat. Cumque ex Joannis revelatione opinionem suam stabilire se posse existimaret, librum, quem de hac quæstione composuerat, confutationem allegoristarum inscripsit. Hunc ergo Dionysius in libris de promissionibus acriter impugnavit, & in priori quidem libro suam ipsius sententiam de hac quæstione proposuit. In secundo autem libro de Joannis revelatione disputans, Nepotis sic mentionem facit:

Nepotis errores. Euf. hist. l. 7. c. 24.

Christi An. 268. " In plurimis quidem aliis laudo Nepotem, ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam & studium Scripturarum, postremo ob psalmorum cantus multiplices .... sed veritatem magis diligo, cunctisque præferendam censeo .... Itaque cum in publicum editus sit liber, isque, ut nonnullis videtur, ad persuadendum aptissimus: & cum quidam doctores Legem quidem ac Prophetas nihili faciant, Evangelia sequi negligant, Apostolorum epistolas contemnant, hujus vero libri doctrinam quasi magnum aliquod & arcanum sacramentum venditent, & simpliciores quosdam ex Fratribus nostris nihil sublime ac magnificum, nec de glorioso prorsus divino adventu Domini nostri, nec de resurrectione nostra, nostrique ad Christum aggregatione & adsimilatione sentire patiantur; sed levia quædam ac mortalia, & qualia nunc homines sperare solent, in regno Dei cogitare nunc jubeant: necesse est ut adversus fratrem meum Nepotem quasi præsentem disputationem instituam. „

Ibid. Paucis deinde interpositis, hæc subjungit: " Cum essem in Arsanoitica præfectura, in qua jam quidem increbuit hæc opinio adeo, ut schismata, & integrarum Ecclesiarum defectiones fierent, convocatis presbyteris ac doctoribus, qui per singulos vicos Fratribus prædicabant, præsentibus item Fratribus, qui adesse voluerunt, hortatus sum illos, ut illa doctrina palam in concione examinaretur. Cumque hunc librum tanquam scutum quoddam, murumque inexpugnabilem mihi opposuissent, tres continuo dies a prima luce usque ad vesperam cum ipsis sedem, quæcumque in eo libro scripta erant, discutere aggressus sum. Tum vero Fratrum constantiam, & ardentissimum cognoscendæ veritatis studium, & docilitatem atque intelligentiam magnopere sum admiratus: adeo moderate & ordine interrogationes & rationes dubitandi, & assensiones a nobis fiebant. Ac studiose quidem cavebamus, ne ea, quæ semel nobis placuissent, tametsi falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus; nec aliorum objectiones subterfugiebamus; sed, quoad fieri poterat, ad ea, de quibus instituta erat disputatio, eniti, atque stabilire conabamur. Sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam, & aliis assentiri .... Tandem denique Coracio, qui hujus doctrinæ author & signifer fuerat, audientibus cunctis, pollicitus nobis est, se in posterum hanc opinionem amplexurum esse, nec de ea re disputaturum, nec populo prædicaturum; quippe qui argumentis oppositis satis superque convictus fuisset. Fratribus autem qui aderant, hæc disputatio, & omnium inter se reconciliatio non mediocrem attulit voluptatem. „ Perraro sic Christiane disputatur.

Ibid. Ibidem de revelatione Joannis seu Apocalypsi ita scribit: " Nonnulli quidem ex iis, qui nos præcesserunt, librum hunc repudiarunt penitus, ac refutarunt ut opus Cerinthi .... Ego vero librum illum rejicere omnino non ausim, præsertim cum multi ex Fratribus eum magnifaciant .... Etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse: eaque non meo ipsius judicio metior atque æstimo, sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur .... Librum a Joanne scriptum non inficior: fateor enim sancti cujusdam & divino Spiritu afflati viri id opus esse. Sed hunc ipsum esse Apostolum Zebedæi filium, Jacobi fratrem, cujus est Evangelium illud, quod secundum Joannem inscribitur, & epistola canonica, haud facile concesserim. Nam ex utriusque genio & forma loquendi, & ex libelli totius ductu ac dispositione non unum eumdemque scriptorem esse conjicio. „ Quod caput est, fatetur librum Apocalypsis esse divinitus inspiratum, licet Joannis presbyteri opus esse opinetur.

Observatione quoque dignum est quod in eodem libro dicit de antiqua consuetudine Christianorum, qui liberis suis nomina sanctorum imponebant. " Plurimos quidem, inquit, fuisse opinor Joanni Apostolo cognomines, qui propter singularem erga illum benevolentiam, & quod hominem mirarentur & suspicerent, ac perinde ac ille a Domino diligi ambirent, hoc cognomentum adamaverint; quemadmodum ex fidelium liberis multos Pauli Petrique nominibus appellatos videmus. „ Hinc etiam Chrysostomus fideles hortatur, ut non quævis nomina temere ac fortuito, nec avorum, aut proavorum, aut illustrium virorum, sed sanctorum potius hominum, qui virtutibus refulserunt, liberis suis imponant appellationes, ut eorum exemplo ad virtutem accendantur.

S. Chrys. hom. 21. in Gen.

Christi An. 268.

S. Dion. Alexand. ep. can. Concil. tom. 1. Insignis est inter opera S. Dionysii ejus ad Basilidem episcopum epistola, quam Græci inter canonicas, seu disciplinæ regulas annumerant. In ea respondet quatuor quæstionibus; quarum præcipua est: Qua hora diei Paschæ sit solvendum jejunium? " Quandoquidem, inquit, nec sex jejuniorum dies, scilicet majoris hebdomadæ, æquali aut simili tolerantia omnes perferunt: sed alii quidem, vel omnes transmittunt jejuni permanentes, scilicet nihil potus vel cibi sumunt; alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem, qui in illis transmittendis valde laboraverunt, deinde defessi sunt, & propemodum deficiunt, ignoscendum est quod celerius gustent. Si qui autem non modo non transmissis, sed ne jejunatis quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conviviis, consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos eosque solos extremos dies cum venerint, illis a cibo non gustato transmissis, Parasceve & Sabbato, magnum quid & egregium se facere existiment, si ad auroram usque permanserint: non existimo eos ex æquo certamen subiisse cum iis, qui se pluribus diebus exercuerunt. „ Negat autem ante mediam noctem, quæ Paschæ festum diem præcedit, jejunium esse solvendum. Ex his etiam liquet summum jejunii illius rigorem devotioni fidelium fuisse permissum; nec de quadragesima hic loquitur, sed tantum de hebdomadæ majoris jejunio.

S. Greg. Thaum. ep. can. Concil. tom. 1. XCVII. Gregorius etiam Thaumaturgus circa idem tempus scripsit epistolam canonicam, quam pariter adoptavit Ecclesia Græca. Hac occasione scripta est: dum Gotthi Asiam vastabant rapinis, cædibus & incendiis, Christianorum nonnulli se iis comites dedere, tot malorum participes: alii ducti in captivitatem nonnulla per vim peccata commiserant. Postquam igitur a Marciano victi Gotthi recessere per Achæos, Gregorius ab episcopo consultus, quid de ejusmodi Christianis statuendum esset, sic rescripsit:

Can. 1. " Non cibi nos gravant, sancte Papa, si captivi ea comederint quæ qui in eos dominium obtinent eis apposuerunt, maxime quando una de omnibus fama est, barbaros idolis non sacrificasse .... Et hoc quoque quod captivæ mulieres corruptæ fuerunt, barbaris eorum corporibus insolenter abutentibus. Sed si prius damnata quoque fuerat vita .... fornicationis etiam habitus est, etiam tempore captivitatis. Et non oportet facile orationibus cum ejusmodi communicare. Sed si aliqua, quæ in summa continentia vixerit, & puram ab omni suspicione priorem vitam ostenderit, nunc vi & necessitate ad probrum contumeliamve lapsa sit; habemus exemplum in Deuteronomio de adolescentula, quam homo in agro invenit, & ea vi compressa, cum ipsa dormiit: Adolescentulæ, inquit, nihil facietis. „ Deut. 28.

Can. 2. " Quicumque est ejusmodi, scilicet ut aliena propter turpe lucrum attingat, is est ab Ecclesia Dei abdicatus. Incursionis autem tempore, in tanto luctu tantisque fletibus, ausos esse aliquos, tempus, quod omnibus exitium afferebat, existimare sibi esse tempus lucri, est hominum impiorum .... quorum improbitati nihil potest adjici; unde iis omnibus ejusmodi interdicere visum est, eosque abdicare. „

Can. 5. " Alii se ipsos seducunt, pro propriis, quæ perierunt, alia quæ invenerunt detinentes: ut quoniam Boradi & Gotthi eis hostilia fecerunt, ipsi sint aliis Boradi & Gotthi. Propterea ergo fratrem nostrum Euphrosinum ad vos misimus, ut secundum formam, quæ hic est, ipse det similiter, & quorum accusationes admittere oporteat, & quos a precibus abdicare. „

Can. 7. " Eos, qui inter barbaros enumerati sunt, & cum eis in captivitate invaserunt, obliti se Ponticos & Christianos; efferati autem barbarique redditi, ut eos, qui sunt sui generis, interficiant, vias vel domos nescientibus barbaris ostendant, etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis congregatis Sanctis aliquid communiter visum fuerit, & ante eos Spiritui sancto. „

Sozm. hist. l. 2. cap. 6. Hæc tot barbarorum incursio in provincias Romani Imperii non parum profuit Fidei propagationi. Multi enim sacerdotes Christi ab iis capti cum illis com-

CHRISTI An. 268.

commorati sunt, qui cum ægrotos homines illic sanarent, & dæmoniacos purgarent, Christum tantummodo nominantes, & Filium invocantes Dei, vitam præterea sanctissimam, & ab omni reprehensione vacuam ducerent, ac virtutibus superarent invidiam; admirati illos barbari, cum ob vitæ integritatem, tum ob miracula ab ipsis perpetrata, prudenter se facturos putarunt. Denique propitium habituros, si eos, quos meliores viderant, imitarentur, & divinum Numen perinde colerent ac illi. Proinde, cum eos sibi præcipere jussissent quæ agenda erant, instituti sunt ab illis, & sacro lavacro tincti, & inde ad ecclesiasticos conventus admissi. Hactenus, ut multis constat exemplis, quoties novos Evangelistas alicui genti destinavit Deus, eorum prædicationem miraculis virtutibusque confirmavit. His quippe signis facile discernuntur ab impostoribus, qui in sua garrulitate confidunt; & missi a Deo sancto, & omnipotente facile cognoscuntur.

Plotinus Philosophus. Porphyr. vit. Plot.

XCVIII. Plotinus genere Lycopolitanus, professione Philosophus eadem ætate apud Gentiles floruit. Fuit imbecilli corpore propter morbum sacrum; nihilominus amore Philosophiæ captus, Persas primum, ac hinc Indos frequentavit, inde Romam venit. Hic Ægyptior sacerdos eum exoptaret suam Romæ sapientiam ostentare, suasit Plotino, ut secum accederet, familiarem sibi dæmonem eo advocante protinus inspecturus; cui facile Plotinus est obsecutus. Plotini schola postea Romæ floruit, habuitque multos discipulos; sed aliqui eorum magicarum artium curiositate depravati sunt; aliqui Dominum Jesum Christum ipsius veritatis atque sapientiæ immutabilis, quam conabantur attingere, cognoscentes gestare personam, in ejus militiam transierunt. Ipse autem tantæ fuit superbiæ, ut vel ipsorum, quæ colebat, numinum contemptor existeret. Fœdo miserabilique morbo periit: primum membra ejus frigida sanguinis torpore riguerunt, & oculorum acies splendorem attenuati luminis perdidit. Postea per totam ejus cutem magnis humoribus nutrita pestis erupit, ut putre corpus deficientibus membris tabesceret. Per omnes dies horasque serpente morbo, minutæ partes viscerum diffluebant, & quidquid paulo ante integrum videbatur, statim confecti corporis exulceratio deformabat. Sic corrupta ac dissipata facie, tota ab illo figura corporis dissidebat. Vis tamen morbi non ejus imminuit superbiam. Cum jam morti appropinquaret, Eustachio tardius accedenti dixit: Adhuc te exspecto; atque ego quidem annitor, quod in nobis divinum est, ad divinum, quod viget in universo, redigere; spiritumque his verbis emisit, annis sex & sexaginta natus. Interea draco sub ejus lecto pertentens mox in parietis foramen se prorsus occuluit. Composuit libros quinquaginta quatuor: dictionis elegantiam laudat Longinus; sed fatetur, ejus argumentis se minus affici. Ex eo potest intelligi, quales essent ethnici Philosophi.

Jul. Firm. l. 1. c. 3.

Paulus Samos. Eus. hist. l. 7. c. 27.

XCIX. Superbia pariter episcopo causa fuit interitus. Paulus Samosatensis, Demetrii successor tunc regebat Antiochenam Ecclesiam. Zenobiæ reginæ, religione Judææ, ab eo audire voluit mysterium Christianæ religionis. Hic cum adversus Ecclesiæ doctrinam nimis abjecte de Christo sentiret, quasi is nihil supra communem hominum naturam habuisset; hac falsa expositione eam sibi conciliavit, & Ducenarius procurator creatus est. Ambitione depravatus, morum corruptelam fovebat exemplo. His moti ut occurrerent Orientales episcopi, indicant concilium. Dionysius Alexandrinus rogatus ut ad illud veniret, adventum quidem suum distulit, senectutem, & infirmitatem corporis causatus; cæterum quid ipse de hac quæstione sentiret per epistolam indicavit, quam direxit ad Antiochensem Ecclesiam. Sed Paulum erroris ducem ne salutare quidem dignatus est, neque ad eum nominatim scripsit, quemadmodum in sua Synodica testantur Patres Antiocheni. S. Dionysii igitur non est epistola ad Paulum Samosatensem, quæ sub ejus nomine typis impressa est. Idem confirmat silentium S. Athanasii, qui illius non meminit adversus Arianos, licet in ea Filius Dei dicatur Patri consubstantialis. Eutychianus quidem hanc sub ementito Dionysii Alexandrini nomine conscripsit, ut responderet quæstionibus, quas assumpto Pauli Samosateni nomine proposuerat Ammonius adversus Eutychianos, quorum erroribus scatet.

Ib. c. 30.

R. P. Du Mesnil Doctr. Tom. I.

CHRISTI AN. 268. & 269. Eus. hist. l. 7. c. 28.

Aliarum Ecclesiarum Pastores tanquam adversus gregis Dominici vastatorem simul omnes Antiochiam convenerunt. Hos inter maxime eminebant Firmilianus Cæsareæ Cappadocum episcopus, Gregorius Thaumaturgus, & Athenodorus fratres, Helenus Tarsi, Nicomas Iconii, Hymenæus Hierosolymorum, Theocnis Cæsareæ Palæstinæ, & Maximus Bostrensis episcopus; & alii quamplurimi cum presbyteris, & diaconis eo confluxere. Omnibus igitur sæpius in unum coeuntibus, multæ disputationes, & quæstiones agitatæ sunt: eum hinc Paulus dogmatis sui novitatem occultare adhuc videretur, & sacerdotes hæresim, adversus Christum blasphemiam denudare, atque in medium producere laborarent.

Pauli Samos. errores. Epiph. hær. 65. Athan. de Synod. & l. 2. de Incarn.

Paulus errabat circa Filii Dei divinitatem, & Incarnationem. Primum ejus errorem sic explicat Epiphanius: Est autem Pauli hæc opinio ....: Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Sicque personarum divinarum Trinitatem negabat. Utramque illius hæresim sic exponit S. Athanasius: Paulus Filium sensit non esse ante Mariam, sed ab illo initium existendi accepisse. Eum tamen Deum ex Virgine confitetur, Deum ex Nazareth visum, ac qui inde cum existendi, tum regnandi initium duxerit. Verbumque esse e cœlo efficax, non quidem substantivum, & consubstantiale Patri, sed prolativum, vel imperativum, per quod jussit fieri quod volebat. In quo, ut refert Marius Mercator, sapientiam esse confitetur, quod præfinitione quidem ante sæcula sit, existentia vero ex Nazareth sit editum: Ut Deus, inquiebat Paulus, unus sit ille, qui super omnia Deus est, Pater. Itaque secundum ipsum, Christus erat purus homo, qui factus est Filius Dei; imo & Deus communicatione potestatis, gloriæ, & officii cum Verbo æterno, a quo tamen aliud erat.

Mar. Merc. in 12. anath.

Athan. epist. ad Marin. & l. de Synod. *Consubstantialis vox quo sensu rejecta.* Ath. de Synod.

Hanc suam impietatem, quæ prius fuit Artemonis, & nunc est Socinianorum, hoc sophismate confirmabat: Si Christus non ex homine factus est Deus; ergo est consubstantialis Patri; atque hinc necesse est tres esse substantias in Deo, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Consubstantialis vocem accipiebat corporali modo, ut observat Athanasius. In creatis enim ea dicuntur consubstantialia, quæ in natura sunt similia, seu ejusdem speciei; sic duo homines dicuntur consubstantiales, v. g. pater, & filius, licet sint duæ hypostases, & substantiæ. Quo in sensu veteres Philosophi accepere vocem consubstantialis. Ideoque Patres Antiocheni illud Pauli sophisma jure caventes, dixere Christum non esse consubstantialem Patri. Neque enim Filius ita se habet respectu Patris, sicut ille cogitabat. Et de Filii divinitate cum simplicius scriberent, ad accuratam consubstantialis interpretationem, sed ut conceperant, de consubstantiali locuti sunt. Tota enim eorum cura in eo posita erat, ut quod Samosatensis commentus fuerat, everterent, & ante omnia esse Filium declararent; cumque nequaquam ex homine Deum esse factum; sed Deus cum esset, formam servi induisse; & cum Verbum esset, factum esse carnem, ut ait Joannes; ideoque Patri consubstantiale dicitur, quia unius ejusdemque cum eo est substantiæ, a se ipsa necessario existentis: unus siquidem est essentialiter Deus, ac proinde & una divina natura.

Eus. hist. l. 7. c. 30.

Firmilianus præses hujus concilii, ut videtur, damnavit dogmatis ab illo inventi novitatem, & in eo doctrinam Socinianorum quinquaginta annis ante Nicænam Synodum. Sed cum Paulus mutaturum se sententiam promisisset, credens ei Firmilianus, sperensque sine ullo religionis nostræ probro atque dispendio, rem optime posse constitui, distulit sententiam suam. Dum hæc aguntur, S. Dionysius Alexandrinus diem extremum obiit, cum Alexandriæ episcopatum septemdecim annis obtinuisset. Ejus memoria celebris est in Ecclesia decimoquinto Kalendas Novembris. In ejus locum subrogatus est Maximus. Anno sequenti, 269., ad Deum migravit Sanctus Gregorius Thaumaturgus: antequam extremum ageret spiritum, scire voluit, quot gentiles superessent Neo-Cæsareæ? Ubi cognovit, non esse plures, quam septemdecim, gratias egit Deo, quod totidem simulacrorum cultores successori relinqueret, quot ipse Christianos invenisset, cum episcopatum adiit. Denique necessarios

Ib. c. 28.

Martyr. Rom. S. Basil. in vir. S. Greg. Thaum.

obtestatur suos, ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent: In sequenti sæculo, inquit, fama prodatur, quod Gregorius ne vivens quidem ab aliquo loco cognominatus sit, & post mortem, ne vel sepeliri in proprio loco sustinueris. Illius disputationis cum Æliano ethnico meminit S. Basilius. In ea dixit Patrem, & Filium juxta quidem mentia considerationem duos esse: Hypostasi vero unum esse, id est substantia; tunc enim, Hieronymo teste, eadem erat utriusque vocis significatio. Eaque loquendi formula declarabat, quod licet Patrem, & Filium adorarent Christiani, non tamen colerent plures deos more gentilium. Sabelliani quidem Neo-Cæsarienses postea his vocibus abusi sunt, ut tantum Doctorem in sui erroris patrocinium vocarent. Hoc opus excidit.

Athan. de Synod. Hilar. de Synod.

C. Paulus, qui in priori Synodo dissimulaverat errorem, ut Episcoporum judicium declinaret, audacior factus favore Zenobiæ reginæ, eos rursus disseminare cœpit. Quapropter octoginta Episcopi, mense Octobri anni ducentesimi sexagesimi noni secundam Synodum celebrant Antiochiæ. Helenus Tarsensis ei præsedit; Firmilianus enim Cappodociæ Antistes dum accersitus venit, Tarsi abiit e vita. Illum inter Sanctos recenset Græcorum menologium. Paulus in ea ad solitas fraudes conversus, ambiguis verbis obvelat hæresim. Præcipue illum coarguit, & latere cupientem confutavit Malchior vir disertissimus, qui sophisticæ apud Antiochiam scholæ præfuerat, & qui ob Fidei Christianæ sinceritatem in ea Ecclesia presbyterii honorem erat consecutus. Hic igitur adversus Paulum suscepta disputatione, excipientibus cuncta notariis, occultos hominis sensus fraudesque detegere solus omnium valuit. Malchionis memoriam in suis menologiis Græci consecrarunt, die vigesimo octavo Octobris. Episcopi in unum congregati convictum, Paulum deposuere, eique subrogavere Domnum magnæ virtutis virum, unamque communi sententia scriptam epistolam transmiserunt ad omnes provincias. Præcipua illius fragmenta hic subjicimus.

Euf. hist. l. 6. c. 29.

Synodi 2. Antiochenæ Synodica. Euf. hist. l. 7. c. 30.

Dionysio Romano, & Maximo, & omnibus per Orbem Episcopis inscribitur: " Quoniam, inquiunt, Paulus a Fidei regula recedens, ad spuriam, & adulterinam doctrinam se transtulit, hominis ab Ecclesia alieni actus examinare nihil attinet ..... Neque quod cum antea pauper ac mendicus esses, nunc ad incredibilem opulentiam pervenit per scelera, & sacrilegia, Fratrumque concussiones. Neque quod fastu, & arrogantia supra modum elatus sæculares gerit dignitates .... Adeo ut ex illius fastu, & arrogantia incredibilis invidia odiumque adversus Fidem nostram conflatum sit .... Tribunal, & sublimem thronum in conventibus ecclesiasticis, non ut Christi discipulus sibi ipse construxit. " Episcopi quidem sedebant in cathedra paulo altiore quam reliqui presbyteri, eaque dicebatur, Thronus, sed tribunal non habebant. Postea sibi erexere absides gradatas, & exhedras, de quibus loquitur Ambrosius.

Pergunt Patres Antiocheni: " Eos vero, qui non laudarent, nec, ut in theatris fieri solet, oraria concuterent ... sed cum gravitate, & modestia, sicut in domo Dei decet, audirent, increpabat, & contumeliis afficiebat. Doctores jam vita functos petulanter in concione lacerabat; de se autem magnifice loquebatur, non ut episcopus, sed sophista. Quin etiam Psalmos in honorem Domini nostri Jesu Christi cani solitos, quasi novellos, & a recentioribus hominibus compositos abolevit. Mulieres autem magno die Paschæ in media ecclesia psalmos canere ad sui ipsius laudem instituit; quod quidem audientibus horrorem merito incusserit. Episcopos, seu chorepiscopos vicinorum pagorum, & civitatum, nec non & presbyteros assentatores suos submisit, qui in suis ad populum concionibus eadem de ipso prædicarent ..... & dicunt, eum esse angelum e cœlo delapsum. Atque hæc ille non prohibes, sed interest cum dicuntur.

Ibid.

" Quid hic referre attinet subintroductas mulieres tam ipsius, quam presbyterorum ejus ac diaconorum? In quibus hoc non solum, sed etiam alia insanabilia crimina, quorum conscius est, & quorum ipsos reos esse convicit; nihilominus tegit, & dissimulat, ut illos sibi obnoxios habeat; atque dum sibi ipsis metuunt, ipsum ob ea, quæ impie agit, & loquitur, accusare non audeant .... Unam quidem jam dimisit, duas vero ætate florentes, & forma conspicuas secum habet, & quocumque proficiscitur, circumducit, idque deliciis diffluens, & epulis sese ingurgitans ..... Sed ab eo, qui proditor, & ejurato religionis nostræ mysterio ad execrandam transgressus est hæresim Artemæ, & in ea se plurimum jactavit, ab eo, inquam, rationem eorum omnium exigendam esse non existimamus. Hunc igitur bellum Deo indicentem, nec cedere volentem, cum a communione nostra abdicassemus, necesse habuimus in ejus loco episcopum ordinare Domnum, virum omnibus dotibus ornatum. Quod quidem idcirco vobis significavimus, ut ad eum scribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis. " Paulus post depositionis suæ sententiam aliquot annis ecclesiam suam retinuit, nec Episcoporum decretis paruit, fretus potentia reginæ Zenobiæ, cui fœde adulabatur. Hujus occasione videtur editus canon Apostolorum tertius: " Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes qui illi communicans. "

Mulieres subintroductæ.

Observanda nobis duo supersunt in eadem epistola Synodica: primum, quales essent superintroductæ mulieres, quas hic improbant Patres Antiocheni? Devotæ fuere quædam virgines, quas aliquis a Clero tanquam in sorores adoptabat sub prætextu pietatis. Hinc etiam commanentes, & Agapitæ sive dilectæ dicebantur; sed inde multa scandala nascebantur; quapropter eas prohibuit Nicænum Concilium. Patres in eas dure invehuntur, imprimis Divus Hieronymus. Cœlibem, inquit, spernit virgo germanum; fratrem quærit extraneum; & cum in eodem proposito esse simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, ut domi habeant carnale commercium. Secundum est de literis communicatoriis, quas Episcopi testandæ communionis suæ causa ad alios mittebant Episcopos, & ipsi vicissim ab aliis accipiebant, de quibus hic loquitur Synodus; celebriores erant, quæ paulo post ordinationem ad primarias Sedes mitti solebant a recens ordinatis Episcopis, eorumque Fidei professionem continebant; quem usum observabant etiam Romani Pontifices. Altera circumfertur eorumdem Episcoporum ad Paulum Samosatensem epistola, quæ Fidei expositionem circa Incarnationem continet, Filiusque dicitur ex Patris substantia genitus; sed illius Veteres non meminere, nonnullaque, quæ ad eam pertinent, non facile explicantur, ideoque eam prætermisimus.

Nic. can. 3.

Hieron. epist. ad Eustoch. & ep. 22.

Literæ communicatoriæ.

Liber diur. Rom. Pontif.

Dionysius Romanus circa idem tempus, scilicet anno Christi ducentesimo sexagesimo octavo, sancte in Domino obdormiit. Ejus nomen in fastis Sanctorum legitur die vigesima sexta Decembris. Novem annis Romanæ urbis episcopatum administravit. Felix in ejus locum substitutus est, qui initio sui Pontificatus ad Maximum Alexandrinum ejusque Clerum scripsit literas, quarum hoc superest de Incarnatione fragmentum, quam sic exponit adversus Paulum Samosatensem: " Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex Maria Virgine natum, quoniam ipse est æternus Dei Filius: nec enim hominem assumpsit Dei Filius, ut esset alter præter ipsum, sed Deus existens perfectus, factus simul homo perfectus, incarnatus ex Virgine. " His verbis confunditur etiam hæresis Nestorii, longe prius quam nasceretur.

Eufeb. l. 7. c. 30.

Concil. Ephes. Act. 1.

CI. Eusebius Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, a Dionysio, ut verisimile est, missus ad primum Antiochenum Concilium, dum domum repetis, a Laodicensibus retentus, Socrati eorum Episcopo mortuo successit in Episcopatum; amabilis quidam religionis thesaurus fuit; Anatolium e Clero ejusdem Ecclesiæ Theotecnus Cæsareæ Palestinæ Episcopus Episcopum ordinavit, successorem Ecclesiæ suæ despondens, amboque per aliquod tempus eamdem Ecclesiam simul gubernarunt. Postea eum cum secunda Synodus adversus Paulum congregata Antiochiam evocasset, per urbem Laodiceam rediens, a Fratribus illius loci, mortuo tunc Eusebio, detentus est, & quoad vixit, præfuit huic Ecclesiæ. Hic in liberalibus disciplinis, tum in Philosophia, principem inter doctissimos illius temporis viros locum sine controversia tenuit: quippe qui ad summum apicem Arithmeticæ, Geometriæ atque Astronomiæ, adhæc Dialecticæ, & Physicæ ac Rhetoricæ supremum fastigium pervenisset. Qua de causa

Euf. hist. l. 7. c. 32.

Eufeb. & Anatol. Episcop. laus.

roga-

CHRISTI AN. 269. rogatus fuisse dicitur ab Alexandrinis, ut Aristotelicæ successionis scholam ibidem institueret.

Ibid. apud Bucher. doctr. temp. Aliquos libros composuit: nunc tantum superest ejus canon Paschalis. Plurimæ quoque res ab eo præclare gestæ Alexandriæ in obsidione Bruchii referuntur: quippe qui inter civitatis proceres præcipuam honoris prærogativam omnium consensu adeptus esset: sed unum duntaxat facinus exempli gratia commemorabo. Cum frumentum obsessis deficeret, adeo ut hostium impetus facilius quam famem tolerarent; Anatolius, qui cum obsessis erat, hujusmodi quiddam provide excogitavit. Altera pars civitatis cum exercitu Romano societate conjuncta erat, ac proinde minime obsessa. In hac versabatur Eusebius, (nondum enim ad partes Syriæ migraverat) cujus celebre nomen & insignis gloria ad aures Romani ducis pervenerat. Hunc Anatolius misso clam nuntio certiorem facit de numero eorum, qui fame in obsidione interirent. Quo comperto, Eusebius a Romano duce maximi beneficii loco postulavit, ut iis, qui transfugere ab hostibus vellent, incolumitatem concederet. Id cum impetrasset, statim Anatolio indicavit. Ille promissione ducis libenter accepta, Alexandrinum convocat Senatum. Ac primum suadere cœpit omnibus, ut cum Romanis in gratiam redirent: sed cum illos ejusmodi verbis exasperatos videret; At hoc certe, inquit, nequaquam vos arbitror repudiaturos, si vobis suasero, ut supervacuam atque inutilem turbam, anus scilicet & infantes ac senes, extra portas abire, quo velint, sinatis. Quid enim istos jam jamque morituros retinemus nobiscum? cum viros duntaxat ac juvenes alere oporteat, & necessarium frumentum iis, qui ad urbis custodiam idonei sunt, dispensare. Hujusmodi rationibus cum Senatum in sententiam suam pertraxisset . . . universos fere obsessos Anatolius servavit. Primum enim operam dedit, ut nostræ religionis viri, deinde ut alii etiam cujuslibet ætatis: nec ii duntaxat, quibus Senatus licentiam dederat, verum etiam alii plures hujusmodi obtentu latenter aufugerent, muliebri veste indui, noctuque extra civitatis portas ejus opera educti, & ad Romanorum castra transgressi. Eusebius cunctos excipiens diuturna obsidione maceratos, quasi quidam pater ac medicus omni cura ac providentia recreavit.

D. Ath. vit. Ant. *D. Antonius.* CII. Iisdem temporibus Antonius genere Ægyptius, nobilibus, opulentis & Christianis parentibus oriundus in vico Coma juxta Heracleam, secessit in solitudinem. Infans adhuc cum esset, ita apud parentes nutriebatur, ut præter illos & domum nihil nosset. Ætate provectus literis institui renuit, ut puerorum consortium devitaret . . . cum parentibus vero in Dominico conventibus aderat . . . & lectionibus attentus earum in se fructum conservabat. Vulgari cibo inventisque contentus nihil ultra requirebat. Post parentum obitum solus cum sola sorore admodum parva relictus, cum fere viginti annorum esset, domus sororisque curam gessit. Sex autem nondum exactis mensibus a parentum exitu, cum de more ad Dominicum procederet, atque secum animo cogitaret, qua ratione Apostoli relictis omnibus secuti sunt Salvatorem, & qui in actibus Apostolorum venditis possessionibus pretia afferebant ad pedes Apostolorum, ut egenis distribuerentur; nec non quænam quantaque illis spes in cœlis reposita sit: Hæc secum reputans in Ecclesiam ingreditur, contigitque ut tum Evangelium legeretur, & audivit Dominum diviti illi dixisse: *Si vis esse per-*
Matt. 19. *fectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cœlis.* Antonius porro quasi divinitus immissa sibi esset Sanctorum memoria, & quasi sui causa lecta illa fuissent, egressus quamprimum e Dominico, quas a majoribus habuit possessiones (erant autem illi aruræ trecentæ, fertiles & perquam amœnæ, seu agrorum centum quinquaginta jugera) vicinis dono dedit, ne sibi sororique molestiam afferrent; mobilibus vero omnibus vendidit, multam hinc collectam pecuniam pauperibus distribuit, paucis solum sororis causa reservatis.

Ibid. Rursus Ecclesiam ingressus, audivit Dominum in
Matt. 6. Evangelio dicentem: *Nolite solliciti esse in crastinum;* nec ultra domi remanere sustinens, reliquam portionem pauperibus distribuit. Sorore vero virginibus sibi notis atque fidelibus commendata, atque ad Parthenonem tradita, ut illic educaretur, (jam igitur erant domicilia virginum) ipse ante domum suam asceticæ vitæ deinceps operam dedit, atque attentus sibi asperum vitæ genus toleranter agebat. Nondum enim in Ægypto erant monasteria, sed ut sibi quisque vacare cuperet, haud procul suo pago se exercebat solus. Erat tunc in agello vicino quidam senex, qui a juventute vitam egerat solitariam. Hunc cum vidisset Antonius, æmulatus est ad bonum, & cœpit in locis pago vicinis commorari. Atque hinc si quem audiret alicubi degere ad virtutem strenuum, hunc prudentis apis more perquirebat; neque ante ad sedes suas remigrabat, quam hominem vidisset, atque hinc accepto ceu viatico ad virtutis iter instituendum, revertebatur... Operabatur manibus suis, mercedemque operis sui, pretio panis sui excepto, egenis largiebatur. Frequens orabat; sic attentus erat lectioni, ut nihil sibi scripturarum excideret, sed retineret omnia; ita ut ipsi deinde memoria librorum loco esset.

Ibid. Sic vitam suam instituens Antonius ab omnibus diligebatur, & singulis, ad quos studio discendi pergebat, Fratribus libenter obsequebatur, addiscebatque in quo quisque eorum virtutis & exercitationis genere excelleret: atque hujus suavitatem contemplabatur, illius orandi assiduitatem, illius lenitatem, alius humanitatem cogitabat, illius vigilias, alterius legendi studium æmulabatur, hujus perseverantiam, alius jejunia & humicubationes observabat, unaque omnium pietatem erga Christum, & mutuam dilectionem secum reputabat; atque ita plenus ad asceterii sui locum remeabat, atque singulorum virtutes animo colligens, curabat omnia in se exprimere. Etenim nullum ipsi cum æqualibus fuit contentionis studium, præter hoc solum, ne secundus in prædictis operibus inveniretur. Atque illud ita agebat, nemini ut offensioni, imo potius illis ipsis hoc gaudio esset. Omnes itaque vici incolæ, atque probi viri eum Dei amicum vocabant, & diligebant ut fratrem.

Ibid. At omni bono inimicus diabolus impatienter ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus. Illum primo ex ascetica vita deducere tentavit: immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, sæculi gloriam, & reliqua vitæ remissioris blandimenta; demum asperitatem virtutis, quæ tanti laboris esset: subjiciebat item corporis infirmitatem, temporis diuturnitatem, omni modo tentans eum a recto avocare instituto. Verum se infirmiorem conspicatus inimicus, quam ut Antonii propositum everteret, imo vero illius constantia se devictum & magna fide subversum, atque eadentem assiduis Antonii precibus, illecebris carnis juvenem adoritur, noctu perturbationes excitans, interdiu vero ita infestans, ut qui eum cernerent, commissam inter utrumque pugnam adverterent. Ille namque obscœnas cogitationes subjiciebat, hic eas precibus fugabat: titillabat ille, hic ceu erubescens, fide, precibus, jejuniis corpus muniebat ... Aderat illi adjutor Dominus, qui carnem propter nos gestavit, & victoriam dedit corpori contra diabolum, ita ut quisquis vere certat, possit dicere: *Non ego, sed gra-* 1. Cor.
tia Dei mecum. cap. 15.

Ibid. Diabolus sic victus non jam cogitationibus illum aggreditur, sed apparens ei ut puer horridus ac niger flebili voce dicebat: multos decepi, plurimos prostravi; nunc vero ad te, laboresque tuos accedens infirmior fui. Antonio sciscitanti: Quis tu es? Respondit: Ego fornicationis sum amicus, & spiritus fornicationis vocor ..... Antonius gratias agens Deo, assumptaque adversus hostem confidentia, ait illi: Admodum ergo contemnendus es ... nulla mihi posthac ex te sollicitudo: *Dominus enim mihi*
adjutor, & ego despiciam inimicos meos. His ater Psal. 117.
ille auditis statim aufugit. Hæc prima fuit Antonii contra diabolum victoria... Nec tamen Antonius, prostrato quasi dæmone, negligens postea fuit, aut minorem sui curam gessit ... Magis igitur magisque corpus macerabat, & in servitutem redigebat, ne forte in aliis victor, in aliis succumberet .... Ita vigilabat, ut totam persæpe noctem insomnem duceret. Cibum semel in die sumebat post solis occasum; nonnunquam post biduum, imo sæpe quarto tantum die reficiebatur. Cibus illi panis cum sale, & aqua sola potus. Carnem enim & vinum nec ipse nec alii Ascetæ gustabant. Ad somnum capiendum sufficiebat ei storea, ac plurimum humi cubabat, oleo inungi nolebat .... Eratque illius hæc ad-

miranda

Christi An. 269. miranda cogitatio, non oportere virtutis viam, vel secessum ejus causa susceptum teospore metiri, sed desiderio & proposito. Ipse vero nequaquam recordabatur præteriti remporis, sed ac si quotidie exercitationis initium fecisset, majori ad profectum labore contendebat.

Ibid. Sic itaque sese coarctans Antonius, ad sepulchra procul vico sita se contulit, uni ex familiaribus mandans ut statutis diebus sibi panem deserret. Ingressus sepulchrum, & clausa janua, solus ibi remansit: Ægyptiorum sepulchra sunt pyramides. Id non ferens diabolus, metuensque ne eremus viris asceticis repleretur, accedens una noctium cum dæmonum turba, tot ei plagas inflixit, ut præ nimiis cruciatibus mutus humi jaceret... Dei providentia sequenti die advenit familiaris ille panes solitos afferens, apertaque janua, ut illum humi jacentem vidit quasi mortuum, sublatum detulit in proximi vici Dominicum, atque humi deposuit. Multi antem ex cognatis, & vici incolæ concurrentes, ei assidebant quasi demortuo. Circa vero mediam noctem ad se reversus Antonius, ut vidit dormire omnes, familiarem illum, qui solus vigilabat, nutu accivit, rogavitque ut, nemine excitato, se ad sepulchra deportaret. Relatus ergo, clausisque de more foribus, iterum solus erat intus; atque ob plagas stare cum non posset, decumbens orabat, & post orationem clara voce dicebat: Hic adsum ego Antonius, non vestras fugio plagas: etiamsi plures inflixeritis, nihil me separabit a charitate Christi. Psallebat deinde: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Psal. 29.

Ibid. Bonorum hostis diabolus Antonium tot acceptis vulneribus redire ausum miratus, congregatis canibus suis & furens... noctu tantum excitavit strepitum, ut totus concuti locus videretur, & quasi ruptis quatuor casæ parietibus irrumpere dæmones visi sunt sub variis ferarum reptiliumque formis: fuitque statim locus repletus spectris leonum, ursorum, leopardorum, taurorum, serpentum, aspidum, scorpionum atque luporum. Horum unumquodque suo more clamans minabatur interitum. Antonius flagellatus atque consossus a dæmonibus sentiebat quidem graviores corporis cruciatus, animo tamen intrepidus & vigilans jacebat, & quasi eos irridens exprobrabat: Si quid virium haberetis, sufficeret unus ad prælium: at cum vos enervaverit Dominus, ideo multitudine me terrere conamini.... Si quam accepistis adversum me potestatem, ne cunctemini, sed invadite. Si vero non potestis, cur frustra turbamini?... Dominus vero neque tunc certaminis Antonii oblitus, ad opem ferendam advenit. Sublatis itaque oculis, tectum vidit quasi apertum, ac lucis radium ad se descendere; dæmonesque statim evanuere, & cessarunt corporis dolores, domiciliumque integrum apparuit. Antonius divinum sensit auxilium, animoque paululum collecto sic exclamat: Ubi eras? Cur non ab initio apparuisti, ut meos levares dolores? Et vox ad eum facta est: Hic eram, Antoni, morabarque tuum spectans certamen. Cum itaque sustinueris, neque superatus fueris, ero tibi semper adjutor, tuumque nomen ubique terrarum celebre reddam. His auditis surrexit & oravit, tantumque roboris accepit, ut plus sibi virium corporis esse sentiret, quam habuisset ante. Sequenti die profectus est, ut in desertis locis commoraretur: tunc trigesimum quintum agebat ætatis annum, & decimum quintum vitæ asceticæ.

Trebell. in Gal. & 30. tyran. CIII. Interea magna rerum in Republica & in Ecclesia facta est conversio. Galieni ignavia novas singulis annis fovebat rebelliones. Dum ipse ludis & helluationi vacaret, Saloninum ejus filium interficiunt Gallicani exercitus, & Posthumium virum fortem salutant Imperatorem; quem post septem annos interfecerunt, quod Moguntiam, quæ adversus eum rebellaverat, Lolliano res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. (Eutrop.) Victorinus, vir manu strenuus, quem Imperii participem fecerat, bellum instaurat, novique in variis provinciis exurgunt Tyranni; triginta numerantur. (Trebell. in Gal.) Galieni duces, cum tantam ejus improbitatem ultra ferre non possent, consilium inter se ineunt, ut alteri traderent Imperium: Galienum prius hujusmodi insidiis appetendum duxerunt. Marcianus & Cecropius, ei jusserunt nuntiari, Aureolum, qui rebellarat, jam venire. Ille igitur militibus congregatis, quasi certum procedit ad prælium, corporis stipatoribus neqoidem exspectatis. Cecropius dux Dalmatum missis spiculatoribus, cum obtruncat circa Mediolanum, ubi continuo & frater ejus Valerianus jam Cæsar interemptus est mense Martio, anno Galieni Imperii decimo quinto, vitæ quinquagesimo, Christi ducentesimo sexagesimo nono. Christi An. 269.

Occiso Galieno, seditio ingens militum fuit. Principes datis vicenis aureis eos sedarunt. (Claud. Imperat.) Claudius vir bonus ac justitiæ tenax, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus Senatui, Reipublicæ gerendæ idoneus electus est Imperator. (Eutrop.) Obscuro videtur loco natus, patris enim & matris ejus nomen ignoratur. (Vict. epit.) Aureolum tyrannum statim devictum mori coegit. Receptis ejus legionibus, adversus aciem Alemannorum haud procul a lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia superfuerit. (Trebell. in Claud.) Scytharum variæ gentes multitudine sua Romanum pene Imperium inundarant. Hos multis præliis non sine multo Romanorum sanguine debellavit. Imperator sic scripsit de sua victoria: Delevimus trecenta viginti millia Gothorum: duo millia navium mersimus. Non multo post, vix exacto secundo Imperii anno, pestis, quæ barbaros invaserat, in Romanos sævire cœpit. Claudius ipse eodem affectus morbo, Sirmii vivendi finem fecit anno Christi ducentesimo septuagesimo primo. (Christi An. 271.) Senatus, nuntiata Claudii morte, ejus fratrem Quintillum Italici præsidii ducem, Augustum appellavit. (Pompon. Læt. Vopis. in Aurel.) Exercitus econtra Aurelianum Imperatorem legit. Id ubi primum audiit Quintillus, concione convocata, tentat animos militum; quos ubi intellexit favere partibus Aureliani, incisis sibimet venis die vigesimo Imperii periit. Crispus alter fuit Claudii frater; ejus filia Claudia nupsit Eutropio nobilissimo gentis Dardaniæ viro, qui ex ea Constantium Constantini Magni patrem genuit.

Valerius Aurelianus genitus patre mediocri, &, ut ferunt, Aurelii clarissimi Senatoris colono, solus imperavit, rebus gestis magnis principibus æquandus. (Vict. epit. *Aurelian. Imperat.*) Namque intra tres annos omnes Romani Imperii provincias, vel a tyrannis, vel a barbaris occupatas recuperavit; sed militares virtutes & nonnullas civiles superbia & crudelitate fœdavit. Primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque & aurata omni veste usus est. (Eutrop.) Sævus, ac sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quam in nullo amabilis Imperator, trux omni tempore, etiam filii sororis interfector, & multorum nobilium. Initio sui Principatus nihil durius decrevit adversus Christianos; sed gentilium superstitionibus addictissimum fuisse declarant ipsius literæ. Marcomanni cum ingenti multitudine invaserant Italiam, quos a tergo dum adoriri se posse confidit, hi e sylvis erumpentes, ex omni parte Romanum invadunt exercitum, tantaque clades accepta est, ut Romanum pene solveretur Imperium; (Vopis. in Aurel.) ingentes Romæ seditiones motæ sint, paventibus cunctis, ne eadem, quæ sub Galieno fuerant, provenirent. In tanto Imperii periculo de consulendis libris Sibillynis dum deliberat Senatus, Patribus scripsit Aurelianus: Agite igitur, & castimonia Pontificum, ceremoniisque solemnibus juvate Principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri; quæ facienda fuerint, celebrentur; quemlibet sumptum, cujuslibet gentis captivos, quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est diis juvantibus vincere. Receptis his literis, conditum est Senatus consultum, itum ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum; atque ita solemnitas, quæ jubebatur, expleta est. (Concil. tom. 3. pag. 511. Vinc. Lyrin. cap. 42.) Illius participes non fuisse Christianos, certissimum est. Hinc in eos vel populari tumultu, vel Pontificum authoritate sævitum; & D. Felix Papa, quem Patres Ephesini & Vincentius Lyrinensis martyrem nominant, cum quinque annis Romanam gubernasset Ecclesiam, ocultra pro fide passus, mortuus est anno Christi 273. (Christi An. 273.) Illius passionis nulla extant monumenta. Imo in catalogo depositionis Episcoporum, non autem martyrum, ipse & tres sequentes Pontifices memorantur in indiculo Bucheriano, qui scriptus dicitur imperante Constantio. Eutychianus in ejus locum successit, qui vix decem mensibus in Episcopatu transactis, Cajo sedem suam reliquit. Hunc sua ætate vixisse testatur Eusebius. (Eus. hist. l. 7. c. 32.) Plures alios martyres Romæ passos legimus in Martyrologiis.

(Vopis. in Aurel.) Aurelianus compositis rebus civilibus movet adversus Zenobiam, quæ filiorum nomine Orientale tenebat Imperium; multa in itinere ac magna

bellorum

Digitized by Google

Christi An. 273. ad 276.

bellorum genera confecit. Devictis Gotthis, expugnataque Thyana urbe, Antiochiam, proposita omnibus impunitate, brevi apud Daphnem certamine obtinuit: Eande humanior atque clementior fuit. Itaque a Christianis interpellatus adversus Paulum Samosatensem, qui e domo Ecclesiæ nullatenus excedere voluerat, rectissime hoc negotium dijudicavit; iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis Antistites & Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo Paulus cum summo dedecore per secularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Adeo notum erat omnibus, & ipsismet infidelibus, eos esse vere Christianos, legitimosque Pastores, qui cum Romana Ecclesia communionem haberent. Pugnatum est post hæc de summa rerum adversus Zambam Zenobiæ ducem apud Emessam magno certamine; & plenissime parta victoria. Palmyram urbem munitissimam confugit Regina Zenobia. Aurelianus occupata Emessa victor eo contendit; in obsidione usque ad ictum sagittæ periclitatus est. Fatigatus, ac præ malis fessus, Zenobiæ & suis vitam promittens deditionem imperat. Hæc rescripsit superbius, quam ejus fortuna poscebat. Aurelianus iratus urget, interceptisque vel corruptis Persarum, Saracenorum, & Armenorum auxiliis: demum Reginam ipsam dromadibus fugientem misso equitatu cepit, & reservavit triumpho, interfectis belli authoribus, ipsoque Longino Philosopho, quod superbior reginæ epistola ipsius diceretur dictata consilio. Palmyrenses, rursus rebellantes internecione delevit, occisis parvulis ac mulieribus.

Eus. hist. l. 7. c. 30. *Aurelian. favet Christian. & vincit Zenobiam.*

Vopis. in Aurel.

Aurelianus quorumdam consiliis cœpit impelli, ut persecutionem adversus Christianos moveret. Jamque de ea re multus ubique rumor spargebatur. Sed eum paratum jam, & compositis contra nos edictis, ut ita dixerim, subscribentem, ulta est divina justitia, quasi constricto cubito conatum ejus reprimens, simulque omnibus apertissime ostendens, nihil unquam hujus mundi Principibus adversus Christi Ecclesias licere, nisi propugnatrix Dei dextera arcano quodam ac cœlesti judicio ad castigationem & emendationem nostram, quibus ipsi visum est temporibus, id fieri permiserit. Persecutionem hanc fuisse brevissimam pariter testatur Lactantius. Illi, inquit, ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Idem affirmat Hieronymus. Persecutio post ejus interitum duravit per interregnum, quod fuit sex mensium. Et quicunque Christiani martyrium tunc consecuti sunt, sub Aureliano passi in Martyrologiis dicuntur. Erratum tamen in pluribus vel similitudine, vel mutatione nominis, verisimile videtur, ob eorum multitudinem; & evidens est in S. Symphoriano, qui imperante Marco Aurelio passus est Æduæ. Sic etiam S. Patroclus, qui Trecis in Gallia decollatus, martyrium fecit, non sub Aureliano Imperatore, ut ait author ejus vitæ, sed sub Aureliano Præside occubuit: omnium acta sincera desiderantur. D. Mamantis Pastoris, & postea Martyris, quem omnes sub Aureliano passum fatentur, memoriam celebrarunt D. Basilius & D. Gregorius Nazianzenus: Sanctorum martyrum Canonis, Iconii & Felicis & Irenæi, & D. Mustiolæ virginis in Tuscia passionum historiæ, etsi mendis scateant, fidem merentur.

Eus. hist. l. 7. c. 30. *Aureliani persecutio & mors.*

Lact. de mort. persec. cap. 6. Hier. in Chron.

Bolland. tom. 2. SStrum m. ns. Januar. Basil. tom. 1. hom. 26. Gregor. Nazianz. orat. 43.

Aurelianus truculentus & sanguinarius Princeps in odium suorum venit. Incidit autem ut Mnestheum quemdam, quem pro secretorum notario habuerat, infensiorem sibi minando redderet. Hic cum sciret Aurelianum neque frustra minari solere, neque, si minaretur, ignoscere, breve nominum conscripsit, mixtis iis, quibus Aurelianus vere irascebatur, cum iis de quibus nihil asperius cogitabat, addito etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ sollicitudinis. Ac breve legit singulis, quorum nomina continebat: addens disposuisse Aurelianum omnes occidere; illos vero debere suæ vitæ, si viri sint, subvenire. Hi cum exarsissent timore, eum præoccupare statuerunt: cum igitur ducens exercitum adversus Persas iter faceret apud Cœnophrurium, mansionem, quæ est inter Heracleam & Byzantium, Mucaporis manu eum interfecerunt mense Martio, Imperii quinto, Christi ducentesimo septuagesimo sexto. Mors ejus non inulta fuit. Mnestheus postea bestiis objectus est, & Tacitus ejus successor authores ejus necis, maximeque Mucaporem ducem excruciavit: ipse sexto Imperii sui mense apud Tarsum febre moritur.

Vopis. in Aurel.

Vict. Eutrop. l. 10.

Christi An. 277.

CIV. Florinus illius frater quasi hæreditarium arripuit Imperium; sed vix illud duobus mensibus tenuit, occisus a militibus, qui Marcum Aurelium Probum agresti patre genitum, magnis victoriis illustrem, quem Senatus optabat, & populus magnis acclamationibus petebat, Imperatorem fecerunt Orientales exercitus, mense Majo, anno ducentesimo septuagesimo septimo. Statim profectus in Gallias, eas a barbaris occupatas ingenti virtute vindicavit. Illius Imperii anno secundo Manes dæmoniacam nominis sui hæresim disseminare cœpit. Monstrosæ tamen opinionis origo altius repeti debet.

Vopis. in Prob. *Aurel. Imper.*

Eus. hist. l. 7. c. 31.

CV. Scythianus Saracenus in Arabia educatus nihil cum Christianismo habens commune, Græcorum & literis & studiis institutus... progressu temporis ex rerum diversitate, & imprimis ex boni & mali, virtutis & vitii pugna, duo esse rerum omnium prima principia collegit: atque a Pythagora erroris argumenta nactus, libros quatuor conscripsit Alexandriæ, quorum unum, mysteriorum inscripsit, alterum capitum, tertium Evangeliorum, quartum thesaurorum: in iis paria atque æqualia duo principia, personasque in unoquoque argumento copulans, ita sibi persuaserat miser. Sed cum audiisset Scripturæ sacræ oraculis unum rerum omnium principium celebrari, Hierosolymam proficiscitur, statimque cum Presbyteris disputationem instituit. Cum victus recessisset, magiæ, cujus peritus erat, præstigiis illudere conatur; ac domo quadam conscensa, præceps decidens ex hac vita migravit, cum multos illic annos egisset. Terbinthus, illius improbitatis discipulus, & auri, & librorum, & hæresis factus hæres, exclusus a Palæstina, ubi notus erat, cum omnibus quæ habebat in Persidem aufugit. Hic ne ex nomine cognosceretur, Buddam se appellavit, atque apud viduam habitavit. Sed ut erat literarum studiis eruditus, cum mithræ, seu Solis sacerdotibus de duobus principiis disputare instituit: quibus cum resistere non posset, sed ab iis turpissime convictus esset, & jamjam esset comprehendendus, Scythiani, quem sequebatur, exemplo, domus fastigium conscendens, ibique magicis artibus efficere studens, ne quis deinceps sibi contradicere auderet, ab Angelo dejectus cecidit, atque ob ea quæ moliebatur maleficia periit. Anus sepulto illius corpore pecuniam omnem & libros obtinuit. Hæc cum liberos & propinquos non haberet, puerum quemdam nomine Cubricum ad obsequia famularia servum coemit; quem postea libertate donatum, Persicis disciplinis erudiendum curavit; & moriens, librorum & opum Scythiani hæredem instituit.

Cyrill. Catec. 6. *Manichæorum initia.*

Itaque Cubricus, qui postea Manes vocari voluit, quod nomen Persica lingua significat allocutionem; dialecticus enim alicujus nominis videbatur, inter Persas disputare instituit. Verum cum nemini dogmata sua probaret, eumque omnes ille, quos de impio commento sermones habebat, refelli evertique cerneret, ne tantum viginti duos discipulos collegisset, duplicem tentavit viam, qua fabulis suis authoritatem conciliaret. Animo repetens quæ de sacris Christianorum libris audierat, tres e suis, Thomam, Hermeam, & Addam mittit Hierusolymam, ut data pecunia Scripturæ sacræ libros emerent. Præterea cum percrebuisset Persarum Regis filium quadam ægritudine correptum in regia Persarum urbe decumbere, ratus in libris suis posse se ad sanandum Regis filium remedia quædam invenire, contendit ad urbem regiam, ac quorsum venisset aperiens, certam filio Regis opem promittit: sed spes impostorem fefellit. Nam cum ægro medicamenta quædam adhibuisset, exspectatione sua frustratus est; adeo ut inter illius manus adolescens sit mortuus. Regis jussu in vincula conjicitur. Reversi discipuli magistrum in carcerem compactum reperiunt; ingressi tamen ei libros offerunt. Quibus acceptis, ac diligenter evolutis, mala fide pleraque depravavit, veritati mendacium suum admiscens. Ubicunque enim speciem aliquam orationis appellationemque nactus est, quæ non nihil opinionis suæ simile præ se ferret, arripuit: unde & confictam deinceps a se fabulam affirmare conatus est. Interim precibus pecuniaque exorato commentariensi, arreptaque fuga, Romanorum fines ingreditur. Tum se promissum Paracletum esse jactavit, propter quod etiam ipse Manichæus duodecim Apostolos adhibuit, ad instar Apostolici numeri; quem numerum, inquit D. Augustinus, Manichæi custodiunt. Nam ex electis suis habent duodecim,

Cyril. Catec. 6. Epiph. hær. 66. *Manes docet.*

Aug. de hær. cap. 46.

CHRISTI An. 277.

cim, quos appellant magistros, & tertium decimum, principem ipsorum. Episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris. Ut in Mesopotamiam venit, audivit virum pietate insignem, nomine Marcellum, Cascharam civitatem incolete, quem rebus suis opportunum existimans, hanc ad eum epistolam scribit per Tyrbonem unum e suis discipulis, ex castello Arabione, quod ad Strangam fluvium situm est.

Epiph. hær. 66. *Manichæi epistola.*

" Manichæus Apostolus Jesu Christi, & qui mecum sunt sancti omnes & virgines, Marcello filio charissimo gratia, misericordia, pax a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo: ac te lucis dextera custodiat a præsenti sæculo nequam, ejusque casibus ac laqueis maligni, amen. Quod te summa charitate præditum esse cognovi, vehementer sum gavisus. Quod vero non rectæ rationi consentaneam fidem profiteris, equidem dolui. Quamobrem cum ad corrigendum genus humanum missus fuerim, eorumque, qui se in fraudem erroremque commiserint, rationem habeam, necessarium putavi has ad te literas scribere, quibus imprimis animæ tuæ, tum tuorum saluti consulerem, ut ne confusum quiddam perturbatumque sentires, pro eo ac rudiorum magistri docent, qui quidem ita prædicant: Bonum ac malum ab eodem proficisci, unumque duntaxat principium statuunt, neque lucem a tenebris, bonum a malo, exteriorem hominem ab interiori discernunt ac separant; imo vero alterius cum altero confundendi, miscendique nullum finem faciunt. Tu vero fili, ne, ut plerique hominum, temere ac sine ratione ambo ista conjungito, neque bonitatis authori Deo tribuito. Nam illi principium ac finem, & horum authorem malorum ad Deum referunt, *quorum finis maledicto proximus est*. Non enim iis,

Hebr. 6.

quæ in Evangeliis a Salvatore ac Domino nostro Jesu Christo dicuntur, fidem adhibent: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque mala bonos fructus facere*. Quemadmodum vero Deum, satanæ malorumque, quæ ab eo geruntur, conditorem ac procreatorem asserere audeant, magnopere demiror. Atque utinam hactenus vanissima illorum consilia progrederentur, nec unigenitum Dei Filium Christum Dominum, *qui de Patris sinu descendit*, Mariæ cujusdam mulierculæ filium esse dicerent, atque ea sanguine carneque, tum reliquo mulierum fœtore prodiisse? Sed ne longiorem epistolam scribens diutius æquitatem tuam detineam, ubi ad te venero, plenius omnia cognosces.... "

Math. 7.

Joan. 18.

Ibid.

Hanc epistolam cum Marcellus vir religiosissimus legisset, mirum in modum obstupuit. Archelaus urbis Episcopus tum cum eo domi erat, qui re omni perspecta, divino quodam ardore percitus ad Manichæum proficisci cupiebat, hominemque e barbaris venientem, & ad humani generis perniciem insurgentem capere . . . Sed prudens Marcellus mitigato precibus Episcopo, leniter potius illum in colloquio tractandum putabat. Itaque Tyrbonem hortatus est, ut ad Manem rediret. Sed cum ille nollet, cursorem e familia sua destinat, qui post triduum pervenit ad Manem, hancque ei epistolam tradidit. " Accepi quas ad me dedisti literas . . . . Tyrbonem vero pro mea benignitate suscepi. Quid autem literæ tuæ sibi velint, nondum intellexi: nisi tu ad nos veniens singula, uti per literas recepisti, ad verbum exposueris. Valete. " Hac ille perlecta, statim ad illum accurrit.

Archel. disput. adv. Manem. *Manichæi errores.*

Interea Tyrbo utrique totam illius sectæ vanitatem explicarat. Illius duo fundamenta in literis Manis continebantur. Primum est, duo esse rerum principia æterna, innata, & sibi invicem contraria, quæ nonnunquam duos deos nominabat, alterum bonum seu lucem, authorem bonorum omnium: alterum malum, seu tenebras, a quo mala cuncta proficiscerentur; atque in hunc mundum coaluisse ea bonæ & malæ substantiæ permixtione, quæ sic accidit. Tenebræ finibus suis egressæ bellum cum luce commiserunt: quod cum cognovisset bonus Pater, tenebras in regionem suam fecisse incursionem, produxit ex virtute, quæ dicitur mater vitæ, quinque elementa, scilicet ventum, lucem, aquam, ignem, materiam, quæ ex genere suo erant bona, opposuitque quinque elementis gentis tenebrarum, scilicet fumo, tenebris, igni, aquæ & vento malis. At tenebrarum principes repugnantes ei, comederunt de armatura ejus, seu de quinque bonis elementis, corsaseruntque particulas bonæ illius substantiæ, alligaruntque corporibus a se productis. Hinc non tantum in singulis hominibus, sed etiam in animantibus atque plantis duæ erant animæ, una de Deo, quæ naturaliter hoc sit, quod Deus ipse: altera mala de gente tenebrarum, quam Deus non fecerit. Hæc opera bona, ista mala producebat, & quidem necessario: quapropter Manes negabat liberum arbitrium.

CHRISTI An. 277.

Ibid.

Ex eodem principio inferebat, quod si quis hominem vel animal aliquod, vel plantam læderet, committeret homicidium, quod ejusmodi metamphsycosi puniretur. Exempli gratia, si quis hominem occideret, anima ejus in elephanti corpus transfunditur; si porcum, vel avem comederit, illum postea fore porcum, vel avem. Si quis messem, vel legumina seeuerit, ejus anima post mortem transit in fœnum, vel hordeum, vel olera, ut ipsa desecetur & demetatur. Qui autem ædificaverit sibi domum, dispergitur per omnia corpora. Si quis panem coxerit, excoquetur. Hinc ejus electi ab animatis abstinebant, nec exercebant eas artes, quæ vitæ civili sunt maxime necessariæ. Præterea docebat mundum hunc non a Deo bono, sed ex materia fuisse conditum a principibus tenebrarum, quorum primus nomine Saclas dixerat: venite, date mihi de lumine quod accepimus, & faciamus hominem secundum nostram, qua principes sumus, formam: & ita creavit Adamum. Evam quoque similiter fecerunt, dantes ei de concupiscentia sua ad seducendum Adam; Dominum vero non habere partem cum mundo, nec gaudere super eum: propter quod ab initio furtum passus sit a principibus, & oborta fuerit ei tribulatio. Hac de causa mittit & furatur ab eis animam suam quotidie per solem & lunam, per quos universus mundus, & ipsa creatura raptatur. Denique Deum, qui per Moysem legem dedit, & per prophetas locutus est, volebat unum esse ex principibus tenebrarum, qui Christianos, Judæos & Gentiles eum colentes seduxit, quia non est Deus veritatis; propter hoc ergo quicunque in illum sperant, cum ipso habent vinculis tradi, quia non speraverunt in Deum veritatis. Ille enim secundum concupiscentias suas locutus est cum eis, scilicet cum Moyse & Prophetis. Hinc vetus Testamentum rejiciebat.

Ibid.

Secundum Manichæi fundamentum illud est: Cum autem vidisset vivens Pater affligi animam in corpore, qui est miserator & misericors, misit Filium suum dilectum ad salutem animæ, scilicet ut substantiæ bonæ particulas segregaret a corporibus, quibus illigatæ tenebantur; carnem vero salutis & resurrectionis capacem esse negabat. Et veniens Filius transformavit se in speciem hominis, & apparebat quidem hominibus ut homo, cum non esset homo, neque natus esset, nec veram carnem haberet, ac proinde nec passus est, nec resurrexit; sed cum venisset, ad salutem animarum rotam concinnavit habentem duodecim urceos, quæ per hanc sphæram hauriens animas viventium, quas sol radiis suis adimens purgat. Hæc autem machina eas lunæ tradit, quæ intro quindecim dies eas transfert ad solem; sol vero easdem deducit ad sedes beatorum. Hic autem permanent in columna lucis seu gloriæ. Itaque sol & luna secundum Manem erant veluti duo navigia transvehendis animabus, quæ ejus doctrinam tenuerint, idonea. Aliis autem negabat ullam spem salutis esse propositam; sed traduntur dæmonibus, ut eas doment in gehenna ignis, & postquam correptæ fuerint, transfunduntur in alia corpora, ut domentur, & ita injiciuntur in magnum illum ignem usque ad consummationem. Illius dogma circa sanctissimæ Trinitatis mysterium sic apud Augustinum explicat Faustus Manichæus: nos, inquit, Patris quidem Dei omnipotentis, & Christi Filii ejus, & Spiritus sancti unum idemque sub triplici appellatione colimus Numen; sed Patrem quidem ipsam lucem incolere credimus summam ac principalem, quam Paulus alias inaccessibilem vocat. Filium vero in hac secunda visibili luce consistere, qui quoniam sit & ipse geminus, ut eum Apostolus novit, Christum dicens esse Dei virtutem & Dei sapientiam; virtutem quidem ejus in sole habitare credimus, sapientiam vero in luna; (hinc hæc duo astra adorabant Manichæi) nec non & Spiritus sancti, qui est majestas tertia, aeris hunc omnem ambitum sedem fatemur ac diversorium.

Aug. lib. 20. adv. Faust. cap. 2.

CVI. Ar-

Digitized by Google

CHRISTI AN. 277. Ibid.

CVI. Archelaus multiplici divinarum rerum scientia paratissimus his a Tyrbone cognitis, quem postea ad fidem Catholicam traductum promovit ad Diaconatum, vehementer accendebatur; ei enim erat cura pro populo, tanquam pastori pro ovibus, cum luporum parantur insidiæ. Ea ipsa die, qua Tyrbo magnis muneribus a Marcello donatus divertit ad domum Episcopi, adventavit Manes adducens secum juvenes & virgines electos duodecim, & primo quidem Tyrbonem requirit præ foribus Marcelli; quem cum non invenisset, ad Marcellum ingreditur salutandum. Quo ille viso, admiratus primo habitus indumenta: habebat enim calceamenti genus, quod trifolium vulgo appellatur, pallium vero varium, manus vero validissimum baculum tenebat ex ligno ebelino. Babylonium vero librum portabat sub sinistra alacrura, quarum una rufa, alia velut prasini coloris erat. Vultus vero ut senis Persæ artificis, & bellorum ducis videbatur.

Manichæi disputatio.

Marcellus statim mittit ad Archelaum, qui diligenter præparatus advenit. Invitatis viris primariis civitatis, ex quibus judices elegit Gentiles religione, quatuor numero, quorum hæc sunt nomina: Manippus Grammaticus & disciplinæ Rhetoricæ peritissimus, & Ægydius Archiater nobilissimus, & literis apprime eruditus; Claudius & Cleobolus duo fratres egregii Rhetores; ne, si Christiani judicarent, ad gratiam aliquid judicasse viderentur. Fit ergo magnificus conventus, ita ut domus Marcelli, quæ erat immensa, repleretur ex his qui ad audiendum fuerant convocati. Manes prior suas fabulas proposuit. Archelaus cum, velut egregius miles, adversarii tela vi sua & virtute disjiceret, de judicum sententia veritati victoria cessit. Ejusdem disputationis hoc fragmentum refert D. Cyrillus. Manes a Creatore primum incipit dicens: Quod veteris Testamenti Deus malorum sit inventor, dicens de seipso: Ego ignis consumens. Sapiens autem Archelaus dissolvit blasphemiam dicens: si veteris Testamenti Deus ignem se ipsum dicit, cujus filius erit ille qui dicit: Ignem veni mittere in terram? Si oderis eum qui dicit: Dominus mortificat, & vivificat, quare honoras Petrum, qui Thabitham quidem suscitavit, Saphiram autem mortificavit? Si oderis eum, eo quod etiam mortem paraverit; quare non oderis eum qui dicit: Ite in ignem æternum? Si odisti dicentem: Ego Deus faciens pacem, & creans mala; perquire quid dicat Jesus: Non veni mittere pacem super terram, sed gladium. Amborum sunt æqualia dicta: Alterum ergo e duobus sit necesse est: aut uterque bonus per eamdem locutionem; aut si irreprehensibilis Jesus hæc dicens, quare vituperas eum qui in Lege veteri similia dicebat?

Cyr. Catech. 6.

Ibid.

Postea Manes: Et qualis Deus qui obcæcat! Paulus enim dicit: In quibus Deus sæculi hujus obcæcavit mentes infidelium, ut non splendeat illis nomen Evangelii. Archelaus optime refellens, Lege, inquit, quod præcedit paululum: si vero obscurum est Evangelium nostrum, in perditis est obscurum. Vides quod in perditis obscuratur; non sunt enim sancta danda canibus. Numquid autem solus veteris Testamenti Deus obcæcavit cogitationes infidelium? Jesus autem ipse nonne dixit? propterea in parabolis loquor, ut videntes non videant. Non quod odisset illos, volebat ne viderent, sed propter indignitatem, quod oculos suos ipsi obstruxissent. Ubi enim spontanea pravitas, ibi & impedimentum gratiæ .... obcæcat & sol lippos, atque ex oculis laborantes, male affectos propter luminis vim. Non quod sol habeat vix excæcandi, sed quod corrupta videntium natura videre per se non possit. Sic infideles ægrotantes in corde non possunt videre divinitatis radios. Et non dixit, excæcavit cogitationes, ut non audirent Evangelium, sed ut non intuerentur splendorem Evangelii. Audire enim Evangelium omnibus licet: gloria autem Evangelii solis Christi germanis definitur & aperitur.

Epiph. ibid.

Manes victus fuga sibi consulit: populus enim illum lapidibus obruere volebat, perfecissetque, nisi Marcellus eum repressisset. Inde igitur discedens Diodoridem, pagus is est in Carcharis, sese contulit. Tryphon vir optimus, sed orationis præsidio destitutus, hic erat presbyter. Ad hunc Manes divertens, & se arroganter efferens, rursus omnia miscere tentavit, Tryphonemque sibi plerisque contradicentem provocavit ad disputationem. Ille rem omnem per literas significat Archelao, qui statim duos ad eum libros adversus Manem mittit, admonens ut adventum suum præstolaretur. Manes summo diluculo in medium pagum prodiens, ad congressum evocat Tryphonem; qui cum se stitisset, & ad omnia, quæ quæsierat, sigillatim responderet, atque impostorem lenius agitaret, apud se omnihil hæsitans, repente Archelaus, nec opinato, conspectus est. Quem ut Manes aspexit, simulata blanditia, sine me, inquit, cum Tryphone contendere: tu enim me, cum sis Episcopus, dignitate superas. Archelaus vero os illi prorsus occlusit, ita ut ne hiscere quidem amplius auderet. Et populus ardentibus rursum animis scelestum illum opprimere conatus est. Quorum ille manus effugiens, ad castellum Arabionis reversus est. Hic a Persicis satellitibus comprehensus in Persidem abducitur, ubi calamo cute detracta, Persarum Rex ultimum de eo supplicium sumpsit. Manes priusquam pœnas sic lueret, tres e discipulis suis in varias provincias miserat. Hermeas in Ægyptum profectus est; Addas in superiorem regionem abiit; Thomas in Judæam, atque ab his secta vires & incrementum habuit. Thomas edidit Evangelium, de quo D. Cyrillus: nemo legat Evangelium Thomæ; non enim est unius duodecim Apostolorum, sed unius de tribus discipulis Manis. Adamas alter Manichæus scripsit adversus Legem & Prophetas. Archelai nomen inter Sanctos die 26. Decembris recenset Romanum Martyrologium. Illius disputationis hæresisque Manis usque ad ejus obitum historiam, simul & confutationem scripserat literis Syriacis: illius opus Græce reddidit Hegemonius. Adeo præclarum antiquitatis monumentum Romæ typis mandatum est ex Codice manuscripto monasterii Bobiensis, qui nunc est Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana.

CHRISTI AN. 277.

Cyril. ib.

Manichæorum disciplinam & mores hic breviter attingere non abs re fuerit. Manichæi hi duabus professionibus electorum & auditorum Ecclesiam suam constare voluerunt. Auditores, inquit Augustinus, & carnibus vescuntur, & agros colunt, &, si voluerint, uxores habent: quorum nihil faciunt, qui vocantur electi, sed ipsi auditores ante electos genua figunt, ut eis manus supplicibus imponant, non a solis Episcopis vel Presbyteris aut Diaconis eorum, sed a quibuslibet electis, quorum animas dicunt omni carere peccato, nec, si velint, posse peccare. Solem etiam & lunam cum iis adorant, & orant, die quoque Dominica cum illis jejunant, Sanctorum cultum, venerationemque sacrarum reliquiarum detestantur. Diem tamen, quo Manes occisus est, quinque gradibus instructo tribunali & pretiosis linteis adornato, & objecto adorantibus, magnis prosequebantur honoribus. Baptismum in aqua ut ad salutem inutilem rejiciebant; quapropter quos decipiebant, non baptizabant. Ipsam vero boni a malo purgationem ac liberationem non solum per totum mundum, & de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere dicunt; verum etiam electos suos per alimenta quæ sumunt, eis quippe alimentis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam, quam purgari putant in electis suis eo genere vitæ quo vivunt. Ob id ciborum exquisitos quosque electis offerunt. Electus vero in manus recipiens panem projicit in altum, & dicit: Ego te non seminavi, seminetur seminans te: Ego te non messui falcibus, metatur metens te. Ego te igne non coxi, coquatur qui te coxit. Alius hæc omnia præstitit, mihique obtulit, ego ab omni culpa innocens vescor. Tum Catechumeno ait: pro te oravi: ita ille discedit. Vinum ut fel principum tenebrarum aversabantur omnes Manichæi, quamvit uvas comederent. Hinc sub sola specie panis sumebant Eucharistiam, quam turpissime in cœtibus suis polluebant, neque Samaritæ magis Athei, neque Judæi magis impii, neque scortatores his sunt impuriores. Mendicanti homini, qui Manichæus non sit, panem vel aliquid frugum, vel aquam ipsam, quæ omnibus vilis est, dari prohibent, ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, suis peccatis sordidatum a reditu impediat. Illorum impura dogmata & carnis spurcitias, quibus se ipsos, & sacra mysteria polluebant in suis conventibus, attingere vetat pudor.

Aug. l. 20. adv. Faust. c. 6. *Manich. mores.* Aug. l. de hær. c. 46. Hier. in epist. ad Ctesiph. Epiph. hær. 66. Aug. de hær. c. 46.

Epiph. hær. 66. Cyrill. Catec. 6.

Aug. de mor. Man. cap. 15.

Universas Manichæorum impietates & turpitudines

Christi An. 277. Leo ser. 5. de jej.

nes enarrare perlongum est, inquit D. Leo, superat enim verborum copiam eriminum moltitudo; quod enim in superioribus hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, hoc in istos, quasi in sentinam quandam, cum omnium sordium concretione confluxit: & tamen per plura sæcula ubique terrarum sectatores habuit adeo stulta & infamis hæresis: fideles hac potissimum arte seducebat, ut testatur D. Augustinus:

Aug. de util. cred. c. 5.

Manichæi sacrilege & temere invehuntur in eos, qui, Catholicæ Fidei authoritate sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant . . . . . dicebant se terribili authoritate, separata, mira & simplici ratione, eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim, inquit Augustinus, aliud cogebat annos fere novem spreta religione, quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione teneri, & fidem nobis ante rationem imperari diecrent: se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate. Non absimili ratione nunc fucum populis faciunt heterodoxi, contempta Ecclesiæ authoritate, mulierculis & rudiori plebeculæ permittunt scripturarum interpretationem & veritatis examen.

Hisce verborum illecebris aliisque fallaciis se insinuabant Manichæi: nec ullam prætermittebant occasionem, qua sensim, quod conabantur, efficerent. Illius exemplum, quod in Africa accidit, sic narrat Augustinus:

August. tract. 5. in Joan.

Nescio quis tædium patiebatur a muscis. Invenit illum Manichæus tædio affectum; & cum diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas; statim ille: Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas fecit; erat enim Catholicus. Ille statim subjicit: Si Deus illas non fecit, quis eas fecit? Plane, ait ille, ego credo quod diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; Apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus est ille dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima: ab ape duxit ad locustam, a locusta ad lacertam, a lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem, & persuasit homini, quia non a Deo factus est homo. Adversus Manichæi impietatem scripserunt præclari veritatis patroni, Titus & Diodorus, quorum alter fuit Pastor Bostrenorum Ecclesiæ, alter vero rexit Cilicum metropolim; Addæque libros refutarunt. Et post eos Heraclianus Chalcedonensis Episcopus, quem sic laudat Photius:

Phot. Bibl. cod. 85.

oratio illi concisa, minime redundans, atque sublimis, non absque perspicuitate, quam granditas temperat. Atticismum enim cum familiari sermone admiscet, ac veluti puerorum præceptor, plusquam Atticismo, ut sic loquar, concedit.

Eus. hist. l. 7. c. 32. *Episcoporum successiones.*

CVII. Iisdem temporibus Antiochenæ Ecclesiæ post Domnum Timæus præfuit, cui successit Cyrillus. Sub hoc Dorotheum virum doctissimum Antiochenæ Ecclesiæ tunc Presbyterum cognovimus, inquit Eusebius, qui cum studiosissimus esset sacrarum Scripturarum, Hebraicam quoque linguam addidicit, adeo ut ipsos etiam Hebraicos codices peritissime legeret. Erat hic ingenio admodum liberali, & humanioribus disciplinis apprime eruditus. Apud Cæsaream vero Palestinæ post obitum Theotecni, qui Ecclesiam illam summa cum cura gubernaverat, successit Agapius, qui plurimum laboravit, & populi, cui præerat, commodis benigne consuluit, cunctos, ac præsertim pauperes liberalitate sua sublevans. Hujus tempore floruit Pamphilus vir disertissimus, vitaque & operibus vere philosophans, in eademque Ecclesia Presbyterii honore decoratus, ac supra omnes, qui hic versabantur, maximæ admirationi fuit. Hierosolymis, post obitum Hymenæi, Zabbas administrationem illius Ecclesiæ suscepit. Quo non multo post defuncto, Hermon hanc obtinuit.

Christi An. 283. ad 285.

Alexandriæ vero cum Maximus post mortem Dionysii Ecclesiam octodecim annis rexisset, in ejus locum successit Theonas, sub quo Achillas & Pierius Presbyteri Alexandriæ claruerunt. Achillæ Christianæ Fidei institutio commissa erat. Hic præ cæteris omnibus sublimioris Philosophiæ & Evangelicæ conversationis sincerum specimen operibus ipsis exhibuit.

Pierii presbyt. vita, & recta fides.

Pierius quidem spontanea paupertate, temperantia & Philosophicis disciplinis in sacrarum literarum contemplatione atque expositione, & in Ecclesiasticis concionibus apprime exercitatus fuit, ita ut Origenes alter nominaretur. De Patre & Filio pie credidit; substantiæ tamen & naturæ nomine quandoque usus est pro hypostasi, sed non in sensu Arianorum, quantum ex his quæ hunc locum antecedunt & sequuntur, colligitur.

Phot. Bibl. cod. 119.

Eamdem locutionem adhibuerunt alii Patres, priusquam sensus earum vocum Ecclesiasticus determinaretur; nam Gentiles scriptores nusquam cognovere distinctionem substantiæ ab hypostasi. Sæviente Diocletiani persecutione Romam confugit, eademque extincta, ibidem reliquum vitæ transegit.

Meletii eruditio & sanctitas.

His ætate suppar fuit Meletius Ponticarum Ecclesiarum Episcopus, quem vulgo mel atticum docti homines vocabant: talis omnino fuit, qualem quis hominem perfectissimum in omni genere doctrinæ vellet describere. Eloquentiam quidem quod attinet, nemo illum pro merito laudavit. Reliquam vero peritiam ac multiplicem eruditionem, quis est qui possit unquam superare? Certe quicunque vel semel ejus periculum fecerit, in omnibus disciplinis quæ ratione nituntur, subtilissimum ac disertissimum fuisse fatebitur. Jam vero virtus vitæque sanctimonia nullatenus iis dotibus inferior erat. Sæviente persecutione per septem annos latuit in Palæstina.

Marian. Vict. Socrat. hist. l. 3. cap. 23.

Porphyrius quoque Philosophorum doctissimus, acerrimusque Christianorum hostis e Tyro Phœnices, Plotini discipulus, & postea præceptor Jamblici Platonici, tunc floruit usque ad Diocletianum. Hunc aliquando vixisse Christianum scribit Socrates: sed cum apud Cæsaream Palæstinæ a quibusdam Christianis verberatus fuisset, iram comprimere non valens, præ nimio furore Christianam religionem deseruit, & odio illorum a quibus cæsus fuerat, libros maledicentissimos adversus Christianos composuit: sed præ rationum inopia ad convitia conversus, sacros Evangelistas criminatur, Christianorumque miracula dæmonum præstigia vocat: præcipue in Christum rabiem exhalat: hunc confutavit Eusebius Pamphili.

Vopisc. in Prob.

Aurelius Probus devictis ac triumphatis barbaris interfectisque tribus tyrannis, bellum Persicum parans, cum per Illyricum iter faceret, a militibus suis per insidias interemptus est, anno Imperii sui septimo, quatuor mensibus inchoato, Christi ducentesimo octogesimo tertio.

Julian. in Cæs. *Carus Imperat.* Vopisc. de Cæs.

Exercitus Imperatorem dixit Aurelium Carum, qui confestim filios suos Carinum & Numerianum Cæsares fecit, Carinumque ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinavit, Numerianum vero adolescentem secum duxit ad bellum Persicum. Mesopotamiam cœpit, & Ctesiphontem usque pervenit, occupatis Persis domestica seditione. Verum avidus gloriæ, cum longius progressus esset, in morbum incidit, anno secundo imperii ineunte; & cum subito exorta tempestas esset, tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continua vibratio fecit incertum, an morbo, an fulmine interemptus esset? Subito enim conclamatum est, Imperatorem esse mortuum. Carus fuit vir, ut ita dicam, medius, inter bonos magis, quam inter malos Imperatores collocandus; & longe melior, si Carinum, qui semper turpissime vixerat, non reliquisset hæredem. Numerianus alter ejus filius bene moratus, & vere dignus Imperio, cum nimio fletu ex morte patris oculos dolere cœpisset, & lectica portaretur, factione Arii Apri soceri sui, qui invadere conabatur Imperium, Heracleæ occisus est post duos menses a morte patris. Vopiscus scribit, Carum cum filiis imperasse duobus annis. Carinus autem octo fere mensibus patri & fratri superstes in Occidente regnavit, dum Numeriani successor Diocletianus in Oriente capesceret Imperium, & stabiliret: sexdecim igitur menses illud tenuere Carus & Numerianus.

TEXTUS

TEXTUS GRÆCI
LIBRI SEPTIMI.

NUm. IV. Euseb. l. 6. Hist. c. 34. Σαραπίων τις ἦν παρ' ἡμῖν πιστὸς γέρων, ἀμέμπτως μὲν τὸν πολὺν διαβιώσας χρόνον· ἐν δὲ τῷ πειρασμῷ πεσών. οὗτος πολλάκις ἐδεῖτο, καὶ οὐδεὶς προσεῖχεν αὐτῷ, καὶ γὰρ ἐτεθύκει. ἐν νόσῳ δὲ γενόμενος, τριῶν ἑξῆς ἡμερῶν ἄφωνος καὶ ἀναίσθητος διετέλεσε. βραχὺ δὲ ἀνασφήλας τῇ τετάρτῃ, προσεκαλέσατο τὸν θυγατριδοῦν, καὶ, μέχρι τίνος, φησὶν, ὦ τέκνον, με κατέχετε; δέομαι, σπεύσατε, καί με θᾶττον ἀπολύσατε· τῶν πρεσβυτέρων μοί τινα κάλεσον. καὶ ταῦτα εἰπὼν, πάλιν ἦν ἄφωνος. ἔδραμεν ὁ παῖς ἐπὶ τὸν πρεσβύτερον· νὺξ δὲ ἦν, κἀκεῖνος ἠσθένει. ἀφικέσθαι μὲν οὖν οὐκ ἠδυνήθη· ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης, τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι, ἵν' εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται, βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκε τῷ παιδαρίῳ, ἀποβρέξαι κελεύσας· καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι. ἐπανῆκεν ὁ παῖς φέρων· ἐγγύς τε γενόμενος, πρὶν εἰσελθεῖν, ἀνενέγκας πάλιν ὁ Σαραπίων, ἧκες, ἔφη, τέκνον; καὶ ὁ μὲν πρεσβύτερος ἐλθεῖν οὐκ ἠδυνήθη· σὺ δὲ ποίησον ταχέως τὸ προσταχθὲν, καὶ ἀπάλλαττέ με. ἀπέβρεξεν ὁ παῖς, καὶ ἅμα ἐνέχει τῷ στόματι· καὶ μικρὸν ἐκεῖνος καταῤῥοφήσας, εὐθέως ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα.

Num. LXXVIII. Euseb. l. 5. Demonst. Evang. Καὶ τέλος ἁπάντων ἔλεγχος τῆς ἀθρόας αὐτῶν φθορᾶς ἦν, τὸ σβεσθῆναι, καὶ μηκέθ' ὁμοίως χρῆσθαι· καὶ σβεσθῆναι μὴ ἄλλοτε ἢ ἀπὸ τῶν χρόνων τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ τοῦ Χριστοῦ· ἐξ οὗ γὰρ εἰς πάντα τὰ ἔθνη διέδραμεν ὁ τῆς εὐαγγελικῆς διδασκαλίας αὐτοῦ Λόγος, ἐξ ἐκείνου καὶ τὰ χρηστήρια διέλιπε.

Ibid. Athan. de Incarn. n. 47. & 48. Καὶ πάλαι μὲν τὰ πανταχοῦ τῆς ἀπάτης τῶν μαντείων ἐπεπλήρωτο· νῦν δὲ ἀφ' οὗ Χριστὸς καταγγέλλεται πανταχοῦ, πέπαυται καὶ αὐτῶν ἡ μανία . . . . . . καὶ πάλαι μὲν δαίμονες ἐφαντασιοσκόπουν τοὺς ἀνθρώπους . . . . καὶ ὑπὸ ταῖς μαγγανείαις ἐξέπληττον τοὺς ἄφρονας, νῦν δὲ τῆς θείας ἐπιφανείας τοῦ Λόγου γεγενημένης πέπαυται αὐτῶν ἡ φαντασία· Τῷ γὰρ σημείῳ τοῦ σταυροῦ καὶ μόνον ὁ ἄνθρωπος χρώμενος, ἀπελαύνει αὐτῶν τὰς ἀπάτας . . . . . . ἐκεῖνο δὲ ὁ πεῖραν τῶν προλεχθέντων βουλόμενος λαβεῖν, καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς φαντασίας τῶν δαιμόνων, καὶ τῆς τῶν μαντείων ἀπάτης καὶ τῶν τῆς μαγείας θαυμάτων, χρησάσθω τῷ σημείῳ τοῦ γελωμένου παρ' αὐτοῖς σταυροῦ, τὸν Χριστὸν ὀνομάσας μόνον, καὶ ὄψεται πῶς δι' αὐτοῦ δαίμονες μὲν φεύγουσι, μαντεῖα δὲ παύεται, μαγεία δὲ πᾶσα καὶ φαρμακεία καταργεῖται.

Num. XCII. Dionys. Alexand. apud Athan. Epist. de sent. Dionys. Οὐ γὰρ ἦν ὅτε ὁ Θεὸς οὐκ ἦν Πατήρ . . . . . . ἀλλ' ὅτι μὴ παρ' ἑαυτοῦ ὁ Υἱὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔχει τὸ εἶναι . . . . . ἀπαύγασμα δὲ ὢν φωτὸς ἀϊδίου, πάντως καὶ αὐτὸς ἀΐδιός ἐστιν· ὄντος γὰρ ἀεὶ τοῦ φωτὸς, δῆλον ὡς ἔστιν ἀεὶ τὸ ἀπαύγασμα· τούτῳ γὰρ καὶ ὅτι φῶς ἐστι, τῷ καταυγάζειν νοεῖται, καὶ φῶς μὴ δύναται μὴ φωτίζον εἶναι . . . . ὄντος δὴ αἰωνίου τοῦ Πατρὸς, αἰώνιος ὁ Υἱός ἐστι . . . . ὄντος γὰρ γονέως, ἔστι καὶ τέκνον· εἰ δὲ μὴ τέκνον εἴη, πῶς καὶ τίνος εἶναι δύναται γονεύς; ἀλλ' εἰσὶν ἄμφω, καὶ εἰσὶν ἀεί . . . . τῶν ὑπ' ἐμοῦ λεχθέντων ὀνομάτων ἕκαστον ἀχώριστόν ἐστι καὶ ἀδιαίρετον τοῦ πλησίον· Πατέρα εἶπον, καὶ πρὶν ἐπαγάγω τὸν Υἱὸν, ἐσήμανα καὶ τοῦτον ἐν τῷ Πατρί· Υἱὸν ἐπήγαγον, εἰ καὶ μὴ προειρήκειν τὸν Πατέρα, πάντως ἂν ἐν τῷ Υἱῷ προείληπτο· Ἅγιον Πνεῦμα προσέθηκα, ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν καὶ διὰ τίνος ἥκει ἐφήρμοσα· οἱ δὲ οὐκ ἴσασιν ὅτι μήτε ἀπηλλοτρίωται Πατὴρ Υἱοῦ ᾗ Πατήρ· προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα· οὔτε ὁ Υἱὸς ἀπῴκισται τοῦ Πατρός· ἡ γὰρ Πατὴρ προσηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν· ἔν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐστι τὸ Πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος μήτε τοῦ φέροντος δυνάμενον στέρεσθαι· πῶς οὖν ὁ τούτοις χρώμενος τοῖς ὀνόμασι, μεμερίσθαι ταῦτα καὶ ἀφωρίσθαι παντελῶς ἀλλήλων οἴομαι; . . . . Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν Τριάδα τὴν Μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν Τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν Μονάδα συγκεφαλαιούμεθα.

Num. XCIII. Dionys. Cap. Epist. apud Athanas. de Decret. Nic. Synod. Ἑξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς τοὺς διαιροῦντας καὶ κατατέμνοντας καὶ ἀναιροῦντας τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν μοναρχίαν, εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις καὶ θεότητας τρεῖς. πέπυσμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον, ταύτης ὑφηγητὰς τῆς φρονήσεως· οἳ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ· ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ, αὐτὸν τὸν Υἱὸν εἶναι λέγων τὸν Πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὲ τρεῖς Θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύσσουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας διαιροῦντες τὴν Ἁγίαν μονάδα. ἡνῶσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν θεῖον Λόγον· ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ Ἅγιον Πνεῦμα. ἤδη καὶ τὴν θείαν Τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα· τὸν Θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω· συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη . . . . Οὐ μεῖον δ' ἄν τις καταμέμφοιτο καὶ τοὺς ποίημα τὸν Υἱὸν εἶναι δοξάζοντας, καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον, ὥσπερ ἕν τι τῶν ὄντως γενομένων νομίζοντας, τῶν θείων λογίων γέννησιν αὐτῷ τὴν ἁρμόττουσαν καὶ πρέπουσαν, ἀλλ' οὐχὶ πλάσιν τινὰ καὶ ποίησιν προσμαρτυρούντων· Βλάσφημον οὖν, οὐ τὸ τυχὸν, μέγιστον μὲν οὖν, χειροποίητον τρόπον τινὰ λέγειν τὸν Κύριον· εἰ γὰρ γέγονεν Υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν· ἀεὶ δὲ ἦν, εἴ γε ἐν τῷ Πατρί ἐστιν, ὡς αὐτός φησι, καὶ εἰ Λόγος καὶ σοφία καὶ δύναμις ὁ Χριστός· ταῦτα γὰρ εἶναι τὸν Χριστὸν αἱ θεῖαι λέγουσι γραφαί . . . . ἀλλὰ πεπιστευκέναι εἰς Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Υἱὸν αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸ Ἅγιον Πνεῦμα, ἡνῶσθαι δὲ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν Λόγον· ἐγὼ γὰρ, φησὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν· καὶ ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί· οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἡ θεία Τριὰς, καὶ τὸ Ἅγιον κήρυγμα τῆς μοναρχίας διασώζοιτο.

Num. XCV. Sozom. Hist. l. 2. c. 6. Πολλοὶ τῶν ἱερέων τοῦ Χριστοῦ αἰχμάλωτοι γενόμενοι, σὺν αὐτοῖς ἦσαν· ὡς δὲ τοὺς αὐτόθι νοσοῦντας ἰῶντο, καὶ τοὺς δαιμονῶντας ἐκάθαιρον, Χριστὸν μόνον ὀνομάζοντες, καὶ Υἱὸν Θεοῦ ἐπικαλούμενοι· προσέτι δὲ καὶ πολιτείαν ἄμεμπτον ἐφιλοσόφουν, καὶ ταῖς ἀρεταῖς τὸν μῶμον ἐνίκων, θαυμάσαντες οἱ βάρβαροι τοὺς ἄνδρας, τοῦ βίου καὶ τῶν παραδόξων ἔργων, σωφρονεῖν ᾤοντο, καὶ τὸν Θεὸν ἵλεων ἕξειν, εἰ τοὺς ἀμείνους φανέντας μιμήσαιντο, καὶ ὁμοίως αὐτοῖς τὸ κρεῖττον θεραπεύσειαν· προβαλλόμενοι οὖν αὐτοὺς τοῦ πρακτέου καθηγητὰς, ἐδιδάσκοντο, καὶ ἐβαπτίζοντο, καὶ ἀκολούθως ἐκκλησίαζον.

Num. XCVII. Athan. l. 2. contra Apollin. Παῦλος ὁ Σαμοσατεὺς Θεὸν ἐκ τῆς Παρθένου ὁμολογεῖ, Θεὸν ἐκ Ναζαρὲτ ὀφθέντα, καὶ ἐντεῦθεν τῆς ὑπάρξεως τὴν ἀρχὴν ἐσχηκότα, καὶ ἀρχὴν βασιλείας παρειληφότα. Λόγον δὲ ἐνεργὸν ἐξ οὐρανοῦ καὶ σοφίαν ἐν αὐτῷ ὁμολογεῖ· τῷ μὲν προορισμῷ πρὸ αἰώνων ὄντα, τῇ δὲ ὑπάρξει ἐκ Ναζαρὲτ ἀναδειχθέντα, ἵνα εἷς ᾖ, φησὶν, ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς ὁ Πατήρ.

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS.

Diocletianus initio sui principatus favet Christianis, quos in Occidente persequitur Maximianus. Galerius Cæsar Diocletianum adversus eos instigat. Hinc acerbissima persecutio, quæ per decem annos continuos perseveravit. Hic igitur liber magna ex parte continet acta sincera Martyrum, seu potius eorum fragmenta insigniora. Philosophi scriptis suis calumniantur Christianam religionem; cujus veritatem & sanctitatem demonstrat Arnobius. Alii scriptores Ecclesiastici tunc floruere.

CHRISTI AN. 284. *Diocletian. Imperat.* Vict. in epit.

I. CAjus Aurelius Valerius Diocles, genere Dalmata, Anulini Senatoris libertus, tunc comes domesticorum, omnium consensu Augustus renuntiatus est duodecimo Kalendas Novembris anni ducentesimi octogesimi quarti. Hic cum tribunal conscendisset, & quæreretur, quemadmodum Numerianus esset occisus? educto gladio, Aprum præfectum prætorii ostentans percussit. Diocles, ut Romanum haberet nomen, dici voluit Jovius Diocletianus. A primo ejus Imperii anno initium ducit æra Diocletiana, quam sequuntur Coptitæ, eamque vocant æram Martyrum.

Ibid. Carinus omnium hominum contaminatissimus, his auditis, colligit exercitum, Sabinumque Julianum, qui purpuram sumpserat, victum in campis Veronensibus occidit; & movit adversus Diocletianum: qui ut eum facilius opprimeret, pacaretque Orientem, Maximianum Herculejum, hominem ferum, aspectu horridum, sed manu strenuum, eodem anno fecit Cæsarem, Kalendisque Januariis cum eo consul processit: Exercitum inde duxit adversus Carinum, qui ei occurrit in Pannonia, atque apud Murgum ingenti prælio vicit: sed dum victos avide premit, suorum ictu interiit, quod libidine impatiens eorum nuptas affectasset. Diocletianus ejus milites & duces benignissime recepit, omnesque conservavit in pristina dignitate.

Euf. hist. l. 8. c. 1.

Vict. de Cæs.

Ibid. *Ecclesiæ florens status.* Christianis etiam prioribus annis favit; aliquibus regendas provincias committebat, omni sacrificandi metu eos liberans. Domesticis suis, eorumque uxoribus, liberis ac servis ea, quæ religionis suæ erant, tam verbis, quam factis libere exequendi potestatem dedit, eosque præ cæteris omnibus ministris præcipuo quodam amore complectebatur. Cujusmodi fuit Dorotheus ille, qui summam erga ipsos Imperatores benevolentiam, atque fidem declaravit, eamque ob causam, præ cunctis magistratibus ac provinciarum rectoribus magnum honorem promeruit. Huic adjungendus est celeberrimus ille Gorgonius. Similiter & singulis Ecclesiarum Antistitibus summum honorem atque benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum rectoribus deferri vidisses. Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad Fidem Christi confugentium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus cumulate possit describere? Quo factum est, ut priscis ædificiis non contenti, spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias.

Act. sync. II. Quorumdam tamen præsidum improbitate extitere martyria: Ægeæ in Lycia delati sunt ad judicem a noverca Claudius, Asterius, & Neon, quod essent Christiani, atque etiam Domnina & Theonilla ejusdem criminis reæ sunt constitutæ: omnesque vincti in carcerem trusi sunt usque ad adventum proconsulis Lysiæ. Qui cum pervenisset Ægeam, sedens pro tribunali jussit adduci Claudium, eique dixit: Noli tuam juventutem perdere, sed sacrifica diis, juxta præceptum Domini nostri Augusti, ut possis, quæ tibi præparata sunt, evadere tormenta. Diocletianus quippe & Carus antiquas adversus Christianos, & novas Aureliani leges non revocarant; sed non urgebant earum executionem. Claudius dixit: Deus meus talia sacrificia opus non habet, sed eleemosynas & justas conversationes. Dii vero vestri dæmones immundi sunt. Unde in nullo persuades mihi, ut eos colam. Lysias eum ad virgas aptari præcepit .... & rursus jubet eum sacrificare: & renuentem in equuleo suspendi jussit, & flammam pedibus ejus adhiberi: sed & de calcaneis ejus partes abscindi, & offerri ei, ut, si martyr esset in ignem conjiceret, sacrificasse videretur. Claudius dixit: Qui Deum timent, nec igne, nec tormentis possunt lædi. Magis enim proderit eis in salutem æternam, quia propter Christum hæc patiuntur. Lysias eum ungulis vexari præcepit. Claudius dixit .... Tormentis mihi non poteris nocere; animæ autem tuæ ignem inextinguibilem providisti. Lysias dixit: Accipientes testam asperrimam lateribus ejus incumbite, & candelas ardentes eidem applicate. Cumque factum fuisset .... Lysias in carcerem eum duci jussit, & alium adduci.

CHRISTI AN. 284.

Ibid. Asterius coram eo stetit, cui dixit: Crede vel tu, & sacrifica diis: ante oculos tuos habes tormenta, quæ contradicentibus parata sunt. Asterius dixit: Deus unus est in cœlo habitans: ut hunc colerem & diligerem, a parentibus mihi traditum est. Hos autem, quos tu colis, nescio ... Lysias in equuleo eum suspendi præcepit, dicens: .... Apprehendite ferreos morsus, & colligate pedes ejus, & fortiter torquete eum. His peractis, rursus dixit: Carbones ignis substernite pedibus ejus: virgis autem & durissimis nervis dorsum ejus & ventrem contundite. Cumque factum fuisset, Asterius dixit: Cæcus es in omnibus; hoc autem a te spero, ut nullam partem mei corporis sine plaga dimittas illæsam. Lysias dixit: Custodiatur cum cæteris, & adducite tertium.

Ibid. Eusthalius commentarius dixit: Adstat frater eorum tertius, nomine Neon. Lysias dixit: Fili, sacrifica diis evasurus tormenta. Neon dixit: Dii tui si quid virtutis habent, defendant se ipsos ab iis qui eos negant. Vobis non obaudio. Lysias dixit: Frangentes cervicem ejus dicite illi: Noli deos blasphemare. Neon dixit: Blasphemus tibi esse videor dicens veritatem? Lysias dixit: Pedibus eum extendite, & carbones mittite super ipsum, & nervis dorsum ejus contundite. Cumque factum fuisset .... Lysias ingressus obduxit velum; & post exiens, ex tabella recitavit sententiam, dicens: Claudius, Asterius, Neon, fratres Christiani, deos blasphemantes, & sacrificare renuentes, ante atrium cruci affigantur, & corpora eorum avibus laceranda relinquantur.

Ibid. Domnina adducta est, cui Lysias dixit: Vides, mulier, quæ tormenta parentur tibi: unde, si vis evadere, accede, & sacrifica diis. Domnina dixit...: Deum colo & Christum ejus, qui fecit cœlum & terram. Dii vero vestri lapidei sunt & lignei. Lysias dixit: Seponite vestimenta ejus, nudam eam extendite, & omnia membra ejus virgis cædite. Archelaus spiculator dixit: Domnina jam defecit. Lysias dixit: Corpus ejus projicite in fluvium.

Ibid. Theonillam post hæc hortatus est Lysias, ut diis sacrificaret, si vellet tormenta evadere. Theonilla dixit: Ego ignem æternum timeo, qui potest corpus & animam perdere, & horum quam maxime qui impie reliquerunt Deum, & adoraverunt idola & dæmonia. Lysias dixit: Alapis tundite faciem ejus, & ligantes pedes ejus torquete fortiter. Cumque factum fuisset ..... Lysias dixit ..... Habes virum? Theonilla dixit: In hodiernum diem viginti tres annos habeo, ex quo sum vidua, & propter Deum sic mansi, jejunans & vigilans in orationibus, ex quo cognovi Deum meum. Lysias dixit: Novacula acuta radite caput ejus, & cingite eam rubo campestri, & extendite per quatuor palos, & loro totum ejus corpus concidite. Carbones

etiam

CHRISTI AN. 285.

etiam ventri ejus supermittite. Enthalius dixit: Jam animam dimisit. Lysias dixit: Date saccum, & corpus ejus in eum mittite, & projiciatur in mare .... Et sic factum est. Habita est passio hæc decimo Kalendas Septembris, anno secundo Diocletiani.

Ibid. Chron. Alexand.

Ibidem illustres Martyres Cosmas & Damianus fratres & medici, cum pluribus aliis sub eodem Præside passi sunt. S. Gelasinus Heliopoli, cum secundarum partium mimus esset, in theatro, spectante populo, in balneum aqua tepida plenum ab aliis mimis injicitur, Christianæ religioni sanctoque baptismo illudentibus. Sic baptizatus candidis induitur vestimentis. Sed in theatrum prodire deinceps renuit, dicens: Christianus sum, & Christianus morior. Quod cum audisset populus, furore succensus, Gelasinum ex theatro ejectum lapidibus obruit.

Athanas. vita S. Anton.

III. Antonius interea, qui jam per annos quindecim vitam solitariam egerat, cum convenisset senem, a quo primum fuerat institutus, rogabat, ut una eremum incolerent. Abnuente illo, cum ob ætatem, tum quod id moris non esset; confestim Antonius ad montem conscendit. Verum inimicus ejus ardens propositum conspicatus, ejusque impediendi cupidus, magni argentei disci speciem in viam projecit. Antonius vero maligni fraude intellecta, stetit, discumque intuitus, diabolum in eo deprehensum sic alloquitur: Unde discus in eremo? Nullum viatorum vestigium. Hoc artificium, diabole, tuum est; non impedies voluntatem meam; hoc tecum eat in perditionem. Hæc dicente Antonio, discus ut fumus a facie ignis evanuit. Rursumque cum progrederetur, non vanam speciem, sed verum aurum in via projectum conspexit. Illius copiam miratus tanquam ignem prosiliit, ut ne vultum quidem converteret; imo cursum concitavit, ut extra conspectum esset, lateretque sibi locus. Magis igitur magisque firmans propositum suum, ad montem se contulit, ubi castellum trans flumen reperit tam diu desertum, ut esset plenum reptilibus, ibique habitavit. Reptilia statim recesserunt.

Ibid.

Ille panibus ad sex menses hic repositis, Thebæorum enim panes etiam per annum incorrupti permanent, & aqua intus reperta, solus obturato aditu commoratus est, nusquam inde procedens, nunquam aliquem suscipiens. Diuturnoque tempore hoc asceticæ vitæ genus coluit, bis solum quot annis per supremam domus partem accepto pane. Familiares autem eo accedentes cum non sineret ingredi, extra domum noctes persæpe diesque transigere coacti, audiebant quasi turbas intus tumultuari, strepitum edere, voces emittere lamentabiles, clamare: E nostris recede sedibus, quid tibi cum eremo? nostras nunquam feres insidias. Et initio quidem stantes foris putabant homines intus esse, qui positis scalis introissent, atque cum illo contenderent. Postquam vero per foramen introspexerunt, tum viso nemine, intellexere dæmones esse, metuque perterriti, Antonii auxilium flagitabant. At ille prope januam accedens hortabatur, ut secederent, nec reformidarent; nam ejusmodi phantasias dæmones exhibere eorum maxime causa, qui perterreantur. Obsignate vos, ajebat, & cum fiducia abscedite, sinite que illos sibi ipsis illudere. Tum abibant illi *signo Crucis muniti*. " En antiquus signi Crucis usus, cujus virtus manifesta se declarat experientia. " Antonius vero remanebat nihil læsus ab hominibus, neque ejusmodi certaminibus defatigatus. Accessio quippe cœlestium visionum, & hostium imbecillitas permagnum illi præstabat laborum levamentum, majoremque addebat alacritatem. Etenim cum frequenter accederent familiares, rati se illum mortuum reperturos, psallentem audiebant: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus*. Viginti prope annos sic solitarie vixit.

Eus. hist. l. 8. c. 1. Victor de Cæsar.

IV. Orientales Ecclesiæ tunc quidem in pace crescebant, ut refert Eusebius his temporibus coævus. Occidentales autem afflixit Maximianus, homo ferox atque crudelis. Hunc amicitia sibi fidum & obsequentem in omnibus Diocletianus jussit Imperatorem in Gallias proficisci adversus Amandum & Ælianum, quos excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis late agris, plerasque urbium tentare cognoverat. Maximianus adhuc Cæsar levibus præliis agrestes domuit, & partem Galliæ reformavit. Legionum una The-

Eutrop.

bæa dicta, quæ tota Christianorum erat, militabat in ejus exercitu. Legio autem vocabatur, quæ tunc sex millia ac sexcentos viros in armis habebat. Hi, Evangelici præcepti etiam sub armis non immemores, reddebant, quæ Dei erant, Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari restituebant. Itaque cum aliquid Christianæ pietati contrarium, scilicet vel sacrificium, vel Christianorum vexationem præcepisset Imperator, ne fierent tanti sceleris participes, separatim in Acaunensibus angustiis substitere. Acaunum autem sexaginta ferme millibus a Genavensi urbe abest; quatuordecim vero millibus distat a capite Lemanni lacus, quem influit Rhodanus. Locus ipse inter alpina juga in valle situs est, ad quem pergentibus difficili transitu asperum atque arctum iter panditur.

CHRISTI AN. 285.

Act. sinc. Sur.

Maximianus, qui circa Octodurum itinere fessus constiterat, cognito Thebanorum militum consilio, præcipiti ira fervidus, ob neglecta imperia, decimum quemque ex eadem legione gladio feriri jubet; quo facilius cæteri regiis præceptis metu territi cederent; redintegratisque mandatis edicit, ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebæos denuntiatio iterata pervenit; vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium nunquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros: idolorum profana semper detestaturos: unum se æternitatis Deum colere: extrema experiri satius esse, quam adversus Christianam fidem venire. His deinde compertis, Maximianus rursus ad ingenii sui sævitiam redit, atque imperat, ut iterum decimus eorum morti detur, & cæteri nihilominus ad hæc, quæ spreverant, compellerentur. Quibus jussis denuo in castra perlatis, segregatus est atque percussus qui decimus sorte obvenerat. Reliqua vero se militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam præclaro opere persisterent.

Act. sync. ex S. Eucher.

Incitamentum maximum fidei in illo tempore penes sanctum Mauritium fuit primicerium ejus legionis, qui cum Exuperio campi ductore & Candido Senatore militum accendebat animos, exhortando singulos, & monendo fidem, commilitonum etiam martyrum exempla ingerens, pro Sacramento Christi, pro divinis Legibus, si ita necessitas ferret, omnibus moriendum suadebat, sequendosque admonebat socios illos & contubernales suos, qui jam in cœlum præcesserant. His itaque primoribus suis atque authoribus animati, hæc denuntiant Maximiano: Milites sumus, Imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam .... Sequi te Imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut Authorem negemus Deum .... Si non ad tam funesta compellimur, ut hunc offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, adhuc parebimus. Sin aliter, illi parebimus potius, quam tibi ... Habes hic nos confitentes. Deum Patrem Authorem omnium, & Filium ejus Jesum Christum Deum credimus. ... Tenemus ecce arma, & non resistimus, quia mori, quam occidere, malumus, & innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus. Hæc cum audisset Maximianus, ... una sententia interfici omnes decrevit, & rem confici circumfusis militum agminibus jubet ..... Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes saltem aut repugnantes, sed depositis armis cervices persecutoribus præbentes, ... Operta est terra illic procumbentibus in mortem corporibus piorum ....

Ibid.

Victor autem martyr nec legionis ejusdem fuit, neque miles, sed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic cum iter agens subito incidisset in hos, qui passim epulabantur læti Martyrum spoliis, atque ab his ad convescendum invitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognovisset, detestatus convivium refugiebat; requirentibusque, ne & ipse forsitan Christianus esset, Christianum se esse, & semper futurum esse respondit; ac statim ab irruentibus interfectus, cæterisque Martyribus in eodem loco, sicut morte, ita etiam honore conjunctus est. Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam martyres Ursus & Victor, quos Solodori passos fama confirmat. Quinquaginta alios milites Coloniæ Agrippinæ martyrio coronatos refert Gregorius Turonensis. Sanctorum Martyrum Agaunensium passionis historiam scripsit Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis, quemadmodum, ut ipse testatur, ab

Greg. Tur. l. 1. de glor. mart. cap. 62. Act. sinc.

CHRISTI AN. 285.

ab idoneis authoribus rei ipsius veritatem quæsiverat, ab his utique, qui affirmabant ab Episcopo Genavensi S. Isaac eam cognovisse, qui, credo, rursus hæc retro a beatissimo Theodoro Octoduri Episcopo, viro temporis anterioris, acceperat. S. Avitus Viennensis Antistes, in homilia, quam de istis Martyribus habuit, quæ fusius narrat S. Eucherius, ea paucis verbis caprimit, remittens ad acta passionis, quæ tunc legebantur in Ecclesiis Galliarum. Latinorum Martyrologia SS. Mauritii ac sociorum ejus festum recolunt die vigesima secunda Septembris.

Lact. de mort. pers. cap. 19. Mamert. io Paneg. Maxim. Vict. de Cæs. Eutrop. in Diocl.

Bagaudis debellaris, Maximianus in Orientem reversus, convenit Diocletianum Nicomediæ agentem, a quo declaratur Augustus: ubi purpuram adeptus est, statim repetit Gallias: omnes anim barbaræ nationes excidium his provinciis minabantur, Burgundiones scilicet & Alemanni, Chaibones Eruliique, quos fame & pesta debilitatos facile profligavit. Quo bello Caransius Menapiæ civis factis promptioribus enituit; & quia gubernandi peritus erat, per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepit, quod Franci & Saxones infestabant. Sed multis barbaris sæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperat, atque hac occasione se ditaret, a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ingentique classe comparata, Britannias per annos septem occupavit. Quapropter Maximianus diu in Galliis commoratus est, atque, ut erat propter Thebæos milites admodum exacerbatus, in Christianos movit persecutionem .....

Persecutio in Gallia.

Act. sinc. ex S. Eucher. *Martyres.*

V. Tum vero tanta malorum nube oppressis, perturbatisque Nostrorum animis, invincibilis sese in medium Victor opposuit, singulis noctibus sanctorum castra sollicite circumiens, & per domos singulas ad amorem æternæ vitæ, & contemptum transitoriæ mortis servorum Dei corda confortando succendens. Talibus insistens deprehenditur, ac præfectorum tribunalibus præsentatur. Præfecti primum suadent clementius viro, na deorum culturam sperneret, nec consueta militiæ stipendia, & Cæsaris amicitias pro culto cujusdam olim mortui recusaret. Ille statim sancti Spiritus armatus eloquio, deos, quos dicebant, immundissimos dæmones efficacissime comprobat: militaria vero stipendia, & Imperatoris amicitias se Christi militem in contumeliam Regis sui nullatenus habere velle respondet, ... Nec mora, circumstantium clamor ingens in cœlum attollitur, pius Domini confessor ab omnibus injuriatur; sed quia vir clarus erat, judicatum a præfectis, ut ejus causa ad Cæsaris audientiam referretur. Quo facto; ille efferato animo, subito conversus in furias, jubet athletam sanctum suis tribunalibus præsentari. Hic multis undique accusationibus impetitus, omni calliditare, summisque terroribus ad sacrificia dæmonum iterum perurgetur. Martyr vero ex audito terrore robustior ..... Imperatorem mira prudentia & virtute animi confutavit, & Jesum Christum verum Deum esse certa publice ratione confirmans. Tunc Cæsar sanctum Martyrem funibus coarctatum per totam urbem præcepit volutari, ut ex ignominiosa viri pœna, & deorum suorum vindicaret injurias, & nostrorum simul animos terriraret .... Dum per totam civitatem brachiis pedibusque ligatis Christi athleta pertrahitur, impiis manibus, vel maledico saltem ore, prout quisque poterat, cruciatus adaugent adstantes ..... Tum ad tribunalia Præfectorum sanctissimus iterum Victor laceratus cruentusque reducitur, & Christum negare, deosque venerari solitis Paganorum rationibus sollicitatur; quas oratione longa refellit, ostendens se nusquam peccasse vel in Cæsarem, vel in Rempublicam; stultumque esse, deos infames & impotentes adorare, relicto Christo rege immortali, qui servos suos æterna & ineffabili felicitate remunerat.

Ibid.

Cumque perorasset Martyr, Præsides rationum pondera oppressi: Adhuc, inquiunt, Victor philosophari non desinis? Unum tibi elige, aut placara deos, aut cum summa infelicitate deperire. Si sic, inquit, proponitis, quod docuimus verbis, exemplo firmandum est. Deos sperno, fateor Christum, Quæcunque potestis, date supplicia ..... Exacerbati responsis ejus Præfecti, dum in laniando eo, alter alterum crudelitate vincere nititur, orta rixa dissentiunt, recedente Eutitio. Tum Asterius Christi militem jubet affligi. Cum diutius acerbissime torqueretur, attollens in cœlum lumina, piam tolerantiam a misericordissimo Patre Deo, cujus id esse donum noverat, precabatur. Nec jam ultra ferens clementissimus Jesus, certatori suo ...... in specie consolantis apparuit, dicens: .... Ego tecum sum fortis adjutor in prælio, qui & fidelis post victoriam remunerator in regno. Ad Salvatoris vocem protinus omnis dolor, cunctaque irrita cessere tormenta ..... Lictores autem sævi cum jam lassi deficerent, depositum patibulo jussu Præsidis sub custodia militum in obscurissimum omnium carcerem trudunt. Et ecce benignissimus Jesus, sponsionis suæ non immemor, noctis medio, militi suo visitationem Angelicam mittit. Continuo igitur solutis carceris claustris, ... milites claritatem tanti cernentes fulgoris, ad pedes Sancti procidunt, veniam flagitant, baptismum petunt. Quos pro tempore diligenter instructos, adscitis sacerdotibus, ipsa nocte ad mare duxit, ibique baptizatos propriis manibus de fonte levavit. Mane autem facto, sanctorum militum Alexandri, Longini, Feliciani divulgata conversione, Maximianus furore succensus feralia edicta proponit; Victorem durius retorqueri, milites vero debere aut consentire idolis, aut capitali sententia damnari. Hos Victor ad mortem pro Christi confessione fortiter subeundam adhortatur. Talibus armatos monitis, unaque Victorem missi apparitores ad forum superius rapiunt .... Interrogati milites sancti Alexander, Felicianus, atque Longinus in confessione Domini fideliter perseverant; atque ex imperiali jussu gladio feriuntur .....

CHRISTI AN. 286. ad 289.

Victor ..... iterum suspensus fustibus nervisque taureis atrocissime cruciatur. Inde victis tortoribus revocatus ad carcerem; ubi triduo in oratione perseverans, martyrium suum magna contritione cordis, & multis lacrymis Domino commendabat. Cæsar, audita constantia Martyris, ... Jovis aram jubet afferri. Tunc ad sanctum Victorem: Pone, inquit, thura, placa Jovem, & noster amicus esto. Hoc audito, fortissimus Christi miles sancti Spiritus ardore inflammatus, velut litaturus propius accedit, aramque de manu sacerdotis solo tenus pede prosternit. Atque ipsum pedem mox jussu Cæsaris amputatum, Deo & regi suo Domino Jesu Christo, velut quasdam suaveolentes primitias interim sui corporis dedicavit ...... Edicto Cæsaris ad molam pistoriam ducitur; lictoresque sævi gloriosum Martyrem toto mox corpore rotatu celeri conterendum pistoriæ molæ supponunt. Tunc electum Dei frumentum sine miseratione conteritur ..... Sed cum dissipata paulo post divinitus machina spirans adhuc aliquantulum videretur, ad perfectam ejus plenamque victoriam, tot Domino confessionibus dedicatum, tot ac tantis agonibus decoratum, gladio illi caput abscindunt. Ibid.

VI. Martyrologia, officia Ecclesiastica, & acta licet non primogenia, tamen antiquissima recensent plurimos Martyres, qui in eadem persecutione passi sunt sub Præside Rictiovaro, quorum hi 25. Sept.
pauci ad nostram pervenere notitiam. Ambiani D. Firmianus Episcopus & D. Victoricus & Fuscianus cum sancto Gentiano eorum hospite post diversa supplicia capitibus amputatis migrarunt ad Dominum. Augustæ Veromanduorum Quintinus civis 25. O-
Romanus Senator in militia; hic autem ordo Ro- ctobr.
manæ & civili Senatoriæ dignitati longe inferior Kalend.
est .... Suessione Crispinus & Crispinianus im- Oct. 6.
manibus vexati tormentis, tandem gladio necati Jan. 14.
sunt. Tornaci Piaton presbyter. In agro Rhemensi Jun. 15.
B. Macra virgo in ignem conjicitur, servata divi- Oct. Bed.
nitus, abscissis mammillis, dum per testulas ac prunas volutatur, Deo reddidit spiritum. Ibidem S. Rufinus & Valerius. Bellovaci Justus puer, qui dum una cum patre & fratre pergeret Ambianum, interceptus a satellitibus, comites suos, qui effugerant, prodere cum nollet, summa constantia jugulum præbuit. Agenni in Gallia D. Caprasius, qui 6. Octob.
cum immanem ingruentis persecutionis rabiem declinans delitesceret, exemplo virginis nomine Fidei, & divino miraculo confortatus, ad certamen prosiliens, præclaram martyrii palmam consecutus 18. Octo.
est. In territorio Agathensi Tiberius, Modestus at- Kalend.
que Florentia cum aliis gentilibus suis de tyranno Febr.
in cœlesti gloria triumpharunt. Ebreduni Vincentius, Orosius, & Victor.

Arela-

CHRISTI AN. 289. Act. sinc.

Arelate D. Genesius, qui in juventutis flore primævo, provincialis militiæ tyrocinia suscepit ..... Accidit autem, ut eodem ante tribunal Judicis exceptoris munus implente, impia atque sacrilega mandatæ persecutionis jussa legerentur; quæ cum devotus Deo repudiaret auditus: abjectis ante pedes judicis tabulis, triste ministerium sacrata Deo meas refugit ..... Et ab ira furentis judicis paulisper occuluit. Qui eum.... jussit ....repertum, gladio interfici .... Et quoniam nondum erat ex aqua, & Spiritu sancto renatus, per fidos Internuntios a Catholicæ religionis Antistite donum baptismatis postulavit: sed ille fortassis angustiis temporis impeditus, vel juvenili ætati diffidens, ardentia vota distulit, huicque fideliter nuntiavit, quod plenam confirmationem etiam hujus muneris daret prompta pro Christo cruoris effusio ..... Paulo post illum percussor assequitur, exoptatoque gladii ictu festinantem ad Deum animam vinculis corporis, quibus tenebatur, absolvit.

Act. sinc.

Crispinus præses in Viennensi civitate juxta Imperatorum præceptum cœpit ad sacrificandum cogere Christianos .... Contigit, ut inter alios Ferreolum militum tribunum, quod esset proditus Christianus, sacrificare compelleret. Ferreolus dixit: Christianus sum; sacrificare diis non debeo ..... Temporalis vitæ lucra non requiro; mihi sufficit, si, salva religione, liceat vivere Christianum; quod si id non liceat, paratus sum mori. Ejus constantiam rationibus atque promissis expugnare cum non posset judex, onerarum ferro jussit eum conjici in carcerem, adhibitis etiam custodibus. Illic biduo exacto, tertia die mane, arctiori somno oppressis custodibus, sponte solutis vinculis, liberum se Dei servus agnovit, & lento gradu accedens ad ostium, illud patere sibi cernit. Itaque secundum Evangelium persecutionem fugiens, ad extraneam properat regionem ..... Et ut nulla relinquere posset indicia ipsum insecuturis, præmissa oratione, difficili natatu Rhodanum transmisit. Dehinc .... usque ad Jarem fluvium percurrit, ubi cum a persecutoribus comprehenderetur, & revinctis post tergum manibus duceretur in eum locum, in quo sepulchrum sancti corporis ejus veneramur, subito instinctu crudeliraris percussus occubuit. Cum eo passus est Julianus civis Viennensis, qui postea multis miraculis inclaruit. Altisiodorensem Ecclesiam circa annum ducentesimum quinquagesimum septimum fundarat S. Peregrinus, cui successit S. Marcellinus. Tertius ejusdem urbis Episcopus, Valerianus, in eadem persecutione martyr occubuit; successorem habuit S. Henadium. Romæ vero Cajus cum annis circiter quindecim Ecclesiæ præfuisset, anno Christi ducentesimo octogesimo nono moriens successorem accepit Marcellinum.

Greg. Tur. l. 2. mir. c. 2. Martyrol. D. Hier.

Marcellinus Papa.

VII. Britannia suos etiam habuit martyres. Albanus, Paganus adhuc, Clericum persecutores fugientem hospitio recepit; quem dum orationibus continuis ac vigiliis diu noctuque studere conspiceret, subito divina gratia repletus exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac salutaribus ejus exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Christianus integro ex corde factus est. Pervenit ad aures nefandi Principis, confessorem Christi penes Albanum latere; unde statim jussit milites eum diligentius inquirere. Qui cum ad tugurium martyris pervenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo ipsius habitu, id est, caracalla, seu longiore pallio, qua vestiebatur, indutus militibus exhibuit, atque ad judicium vinctus perductus est. Dæmonibus hostias tunc offerebat judex, qui iratus, quod pro hospite se obtulisset, ad simulacra dæmonum jussit pertrahi ..... supplicia comminatus, si a cultu avitæ religionis discedere tentaret ..... At S. Albanus succinctus armis militiæ spiritualis palam se jussis illius parere nolle pronuntiavit ..... seque professus est Christianum. Judex furore commotus cædi sanctum Dei confessorem a tortoribus præcepit, autumans se verberibus, quam verbis non poterat, cordis ejus emolliri constantiam. Qui cum tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, imo gaudenter ferebat. At ubi Judex illum tormentis superari, vel a cultu Christianæ religionis removeri non posse persensit, capite eum plecti jussit. Quæ in ejus actis sequuntur, apocrypha videntur. Passi sunt ea tempestate Aaron & Julius Legionum urbis cives.

Bed. hist. l. 1. c. 7.

CHRISTI AN. 292. & 297. Mamert. Paneg. Vict. de Cæs. Eutrop.

VIII. Diocletianus, post aliquot secunda prælia, pace cum Persis composita, venit in Italiam, ut conjunctis cum Maximiano consiliis & viribus exurgentes in variis provinciis tyrannos opprimerent, gentesque barbaras repellerent. Mediolanum conveniunt Imperatores; & quoniam pluribus bellis perurgebantur, de Cæsaribus creandis, quibus exercitus tuto committi possent, deliberant. Cæsares creantur Constantius Chlorus Constantini Magni pater, & Galerius Maximianus cognomento Armentarius; fuerat enim pastor armentorum. Constantius privignam Herculei Maximiani Theodoram accepit uxorem, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit; Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulsi; & quoniam bellorum moles acrius urgebat, pax convenit cum Carausio, qui Maximiani classem depresserat, eique remissum totius Britanniæ imperium: hunc Alectus ejus socius post sex annos dolo circumventum occidit. Præterea quasi partito Imperio, Galliæ, & cuncta quæ trans Alpes sunt, Constantio commissa sunt. Africa, Hispania, Italiaque Herculeo Maximiano: Illyricæque oræ usque ad Ponti fretum Galerio: cætera Diocletianus retinuit. Multiplicatis sic exercitibus, cum singuli eorum longe majorem numerum militum habere contenderent, quam priores Principes habuerant, adeo major esse cœperat numerus accipientium, quam dantium, ut enormitate indictionum consumptis viribus colonorum, desererentur agri, & culturæ verterentur in sylvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, condemnationes & proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium perpetuæ, & in exactionibus injuriæ non ferendæ, & plurimi perierunt, & præsertim lumina Senatus, possessionum, aut opum gratia.

Vict. de Cæs. Lact. de mort. persec.

Galerius omnibus, qui fuerunt, malis pejor. Inerat huic bestiæ naturalis barbaries & feritas a Romano sanguine aliena: Erat etiam corpus moribus congruens; status celsus, caro ingens & in horrendam magnitudinem diffusa & inflata; denique & verbis & actibus & aspectu terrori omnibus ac formidini fuit. Constantius Claudiam Crispi, qui Claudio Augusto frater erat, filiam matrem habuit, patrem Eutropium nobilissimum gentis Dardanæ virum: eo nemo tunc melior videbatur, mansuetudine atque in omnes benignitate celebris, imprimisque ob singularem erga subditos indulgentiam. Quindecim annos Cæsar rexit Gallias, ac proinde cum Galerio Cæsar creatus est anno Christi ducentesimo nonagesimo secundo.

Ibid. *Galerii mores.* Eutrop.

Imperatores & Cæsares varia deinceps bella gesserunt. Constantius circa Lingonas uno die sexaginta fere millia Alemannorum occidit. Maximianus quoque bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexandriæ Achilleum nono mense superavit & interfecit. Victoria acerbe usus, totam Ægyptum gravibus proscriptionibus cædibusque fœdavit. Galerius ejus jussu progressus in Mesopotamiam ad arcendos Persarum impetus, inter Callinicum Carrasque cum inconsulte magis, quam ignave, cum parva manu dimicasset, pulsus est. Mox per Illyricum Mœsiamque contractis copiis, rursus cum Narseo Persarum rege pugnavit successu ingenti. Castra ejus diripuit, uxores, sorores, liberos cepit. Quare ad Diocletianum ovans reversus ingenti honore susceptus est. Pace deinde facta, Mesopotamia Romanis est restituta. In tantos fastus post hanc victoriam elatus est Galerius, ut jam detrectaret Cæsaris nomen. Exinde insolentissime agere cœpit, ut ex Marte se procreatum & videri & dici vellet, tanquam alterum Romulum. Nec minor fuit superbia Diocletiani, qui volebat ab omnibus adorari se ut Deum. Quid mirum, si sacrilegi Imperatores oderint Christianos? Persecutio post annos quinque inchoata est.

Eutrop. in Diocletian. Lact. de mort. persec. cap. 9.

IX. Illius causam sic refert Lactantius. Diocletianus cum ageret in partibus Orientis, ut erat præ timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quærebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant Aruspices, nec solitas in extis notas videbant, & quasi non litassent, sæpius immolabant.

Lact. de mort. persec. cap. 10. *Persecutionis Diocletianæ causa.*

Christi An. 297. Verum identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant, donec magister Aruspicum Tagia, seu suspicione, seu visu, ait, idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens Imperator, sacrificare non eos tantum qui sacris ministrabant, sed universos, qui erant in Palatio, jussit; & in eos, si detrectassent, verberibus animadverti, datisque ad præpositos literis, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor ejus & ira processit, nec amplius quicquam Eus. hist. l. 8. c. 4. contra legem aut religionem Dei fecit. Reliquos enim nollo negotio expugnaturum se credebat, si hos primum in certamine superasset. Tunc cerocre erat qoam plurimos, qui abjecta militia privatam vitam amplecti maluerunt, quam supremi omnium rerum Idem in Chron. *Ejusdem initia*: Opificis cultum abnegare. Postquam enim Veturius magister militiæ Christianos milites persequi aggressus, eos, qui in exercitu merebant, lustrare cœpisset ac recensere, & Christianis liberam eligendi potestatem fecisset, ut vel Imperatorum jussis obtemperantes, honoris sui gradum retinerent; vel si parere nollent, honore militiæ nudarentur: complures regni Jesu Christi milites nominis illius confessionem sæculari gloriæ ac felicitati, qua fruebantur, absque ulla cunctatione prætulerunt: ex quibus pauci admodum non modo dignitatem, verum etiam vitam amittere pro defensione pietatis sustinuerunt. Quorumdam passionem breviter attingemus.

Act. sinc. *Martyres.* X. Tusco & Anulino Consulibus, quarto Idus Martii, D. Maximilianus Teveste, seu Thebestæ in Numidia per vim adductus est, ut militiæ nomen daret. Dion Proconsul dixit: Quis vocaris? Maximilianus respondit: Quid vis scire nomen meum? mihi non licet militare, quia Christianus sum. Dion Proconsul dixit: Incumetur, seu mensuretur. Cumque incumatus fuisset, ex officio recitatum est: Habet pedes quinque, uncias decem. Dion dixit: Signetur: Cumque resisteret Maximilianus, Dion dixit: Milita, ne pereas. Maximilianus respondit.... Non milito sæculo, sed milito Deo meo. Cumque in eodem consilio permaneret, Dion dixit: Statim te ad Christum tuum mitto. Respondit: Vellem, facias modo. Eoque constanter propter peccandi occasiones detrectante militiam, Dion dixit: Quia indevoto animo militiam recusasti, congruentem accipe sententiam ad cæterorum exemplum. Et decretum ex tabella recitavit: Gladio animadverti placuit. Maximilianus... cum duceretur ad locum, sic ait: Fratres dilectissimi, quantacunque potestis virtute, properate, ut Dominum vobis videre contingat, & talem etiam vobis coronam tribuat. Et hilari vultu ad patrem suum sic ait: Da huic spiculatori vestem meam novam, quam mihi ad militiam præparaveras.... & simul cum Domino gloriemur. Et ita mox passus est. Pompejana matrona corpus de Judice eruit, perduxitque Carthaginem, & sub monticulo juxta Cyprianum condidit.

Act. sinc. XI. Procurante Fortunato Præside in Mauritania, advenit dies natalis Imperatoris. Ibi cum omnes in conviviis epularentur atque sacrificarent, Marcellus quidam ex Legionis Trajanæ centurionibus, profana reputans illa convivia, rejecto etiam cingulo militari coram signis legionis quæ aderant, clara voce testatus est dicens: Jesu Christo regi æterno milito. Abjecit quoque vitem insigne centurionum, & arma, & addidit: Ex hoc militare Imperatoribus vestris desisto, & deos vestros ligneos & lapideos adorare contemno, quæ sunt idola surda & muta; si talis est conditio militantium, ut diis & Imperatoribus sacrificare compellantur..... Stupefacti sunt milites ista audientes: tenuerunt eum, & nuntiaverunt Anastasio Fortunato præsidi legionis, qui jussit eum conjici in carcerem. Finitis autem epulis, residens in consistorio jussit introduci Marcellum, cique dixit: Quid tibi visum est, ut contra disciplinam militarem te discingeres, & balteum ac vitem projiceres? Marcellus respondit: Jam die duodecima Kalendarum Augustarum apud signa legionis istius, quando diem festum Imperatoris celebrastis, publice clara voce respondi, me Christianum esse, & sacramento huic militare non posse, nisi Jesu Christo Filio Dei Patris omnipotentis. Anastasius Fortunatus eum perduci jussit ad Aurelium Agricolanum agentem vicem Præfectorum Prætorio. Marcellus ad eum mittitur in civitatem Mauritaniæ Tingitanam. Die tertia Kalendarum Novembrium, recitatis Anastasii literis:.... Agricolanus dixit: Christi An. 297. Quo furore accensus es, ut projiceres sacramenta, & talia loquereris? Marcellus respondit: Furor nullus est in iis, qui timent Dominum.... Agricolanus dixit: Ita se habent facta Marcelli, ut hæc disciplina debeant vindicari. Atque ita dictavit sententiam: Marcellum, qui centurio ordinarius militabat, gladio animadverti placet. Cum ad supplicium duceretur, dixit Agricolano: Deus tibi bene faciat. Et his dictis, capite cæsus occubuit pro nomine Domini nostri Jesu Christi.... Beatissimus Act. sinc. Cassianus militaris exceptor, scilicet Judicis sententias exscribebat, ubi devictum devotione tanti Martyris Aurelium vidit, capitalem ferire sententiam, execrationem sui clara voce contestans, graphium & codicem projecit..... Aurelius dixit: Quare cum detestatione codices projecisset? Respondit beatissimus Cassianus, iniquam cum dictasse sententiam. Quem..... statim jussit abripi, & in carcerem trahi.... Cassianus tertio Nonas decembris, in eodem loco, in quo Marcellus fuerat auditus, introductus est, & triumphum meruit obtinere martyrii.

Rom. Martyrol. 11. Novem. Chron. Alex. Rom. Martyrolog. Prosp. in Chron. XII. Eadem persecutione S. Menas miles Cotyæ in Phrygia subiit martyrium. Laureaci in Norico Ripensi quadraginta milites Christiani gravissima passi sunt: quos martyrii cupidissimus adiens commilito Florianus, oblatus Præsidi Aquilino, iisdem vestigiis confessionis insistens, iterum atque iterum fustibus cæsus, suspenso ad collum lapide in Anisum fluvium præcipitatur quarto Nonas Maji. Tunc etiam comprehensus Julius ab officialibus oblatus est Maximo Præsidi, qui ei dixit: Juli, vera sunt quæ dicuntur de te? Julius respondit: Ita enim, Christianus sum... Maximus dixit: Quid ergo? Ignorasti præcepta Regum, quæ jubent immolari diis? Julius respondit: non ignoravi. Christianus vero sum, & hæc facere non possum quæ vos vultis. Nec enim me oportet negare Deum vivum & verum. Maximus dixit: Quid enim grave est thurificare & abire? Julius respondit: Non possum excedere præcepta divina, & infidelibus parere. Etenim in vana militia, quando videbar errare in annis viginti sex, non tanquam scelestus, neque quasi litigiosus oblatus sum Judici. Septies in bellum egressus sum, nemini de potestate restiti, nec aliquo deterius pugnavi. Princeps me non vidit aliquando errare, & modo putas me, qui in pejoribus fidelis fueram repertus, in melioribus infidelem posse inveniri? Maximus dixit: Juli, video te sapientem & gravem virum: immola ergo diis persuasus a me. Julius respondit: Non facio quæ desideras, neque incurram in peccatum & pœnam perpetuam. Maximus dixit: si putas esse peccatum, mihi adscribatur. Ego tibi vim facio, ne videaris voluntate adquiescere. Postea vero securus vades in domo tua, accipies decem denariorum pecuniam, & de cætero nemo tibi erit molestus. Julius respondit: neque pecunia hæc satanæ, neque tua subdola persuasio privare me potest a Domino æterno; Deum enim negare non possum. Da itaque sententiam adversum me, quasi adversus Christianum. Maximus dixit: Vide quam stultus es, qui plus mortuum facis, quam Reges, qui vivunt. Julius respondit: Ille mortuus est pro peccatis nostris, ut nobis vitam daret æternam; Deus vero est permanens in æternum, quem si quis confessus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem negaverit, habebit pœnam perpetuam.... Maximus Præses dedit sententiam, Julius nolens præceptis Regum adquiescere, capitalem accipiat sententiam.

Ibid. Cum autem ductus fuisset ad locum solitum sanctus Julius, osculabantur eum omnes... Esichius autem quidam Christianus, cum esset miles, & ipse custodiretur, dicebat sancto Julio Martyri. Obsecro te, Juli, cum gaudio comple pollicitationem tuam, & accipe coronam, quam Dominus confitentibus se dare promisit, & memor esto verbi mei, nam & ego subsequor te. Plurimum etiam saluta Pasicratem & Valentionem famulos Dei, qui nos jam per bonam confessionem præcesserunt ad Dominum. Julius vero osculans Esichium dixit: Frater, festina venire, mandata enim tua jam audierunt quos salutasti. Et hæc dicens sanctus Julius accepit orarium, & ligavit oculos suos, & tetendit cervicem suam, & dixit: Domine Jesu Christe, pro cujus nomine hæc patior, tu cum Sanctis tuis meum collocare digna-

CHRISTI AN. 297.

dignare spiritum. Minister itaque diaboli educens gladium, finem imposuit beatissimo Martyri. Martyrizatus est autem venerabilis Dei famulus Julius apud provinaiam Mœsiam io eivitate Dorosthensi die sexta Kalendarum Junii. Esichii militis & martyris festum die vigesima saptima Junii recolunt Martyrologia.

Act. sinc.

XIII. Nicaoder & Marcianus milites eidem Præsidi Maximo dolati sunt ut Christiani, qui dixit ad eos: Si oon ignoratis, Nicander & Mareiane, Imperarorum præcepta, quibus vos diis præcipiunt sacrificare, accedite, & imperata complete. Ad hæc Nicander. Volentibus, inquit, sacrificare hæc præceptio constitota est: nos vero Christiani sumus, & hujusmodi præcepro teneri non possumus . . . Uxor vero sancti Nicandri nomioe Daria, præsens virum propriom verbis hujuscemodi aoimabat, dicens: Cave dominc, ne id facias, cave domine, ne Dominum nostrum Jesum Christum oages. Intucre cœlum, & in eo ipsom videbis, cui fidcm & conscientiam servas; ipse enim est tuus adjutor. Cur, inquit Maximus, vitum tuum mori desideras? Illa vero, si suspicatis, inquit, id me malo aoimo cogitare, primam me propter Christum occidito, si tamen id etiam da mulieribus tibi mandatum est. Tum Maximus: De mulieribus quidcm hoc mihi mioime est injunctum: vcrumtamco eris in carcere. Deducta illa in carcerem, Maximus dixit ad Nicandrum: noli ad verba tuæ nxoris attendere . . . . . sed, si vis, accipito intervallum, atque in eo deliberato, utrum melius sit vivere, an mori? Nicander dixit: Spatium, quod te daturum promittis, jam putato aomplatum, aa me deliberasse cognosce, atque in id animum induxisse, ut nihil aliud cupiam præ saluta. Præses vero sublata voce dicebat: gratias Deo, putabat eoim Christi martyrem de hac vita duxisse, & quod sacrificaturum cum putaret, oimium lætabatur. Nicander vero factus in spiritu cœpit Deo gratias agere, atque eum voce urare clarissima, ut a labe atque a tentatione hujus sæculi liberaretur. Quod cum Maximus cogoovisset, ita dixit ad eum: quomodo, qui nune vivere velle dixisti, nunc iterum desideras mori? Nicander dixit: Ego æternam vitam opto vivere, non hujus sæculi temporalem. Ego Christianus sum.

Ibid.

Hinc Præsea dixit ad Marcianum: Quid tu, Marciaoe? Marcianus dixit: Eadem quæ commilito meus, etiam ego affirmo. Præses: Ergo simul etiam io careetem ambo trademini, pœnam sine dubio subituri . . . . . Post viginti dies iterum ad Præsidem adducuotur, qui dixit: Sufficit vobis, Nicander & Marciane, tempus ad mooendum, ut Imperialibus statutis parcre velitis. Ad quem Marcianus: Multirudo verborum tuorum oeque oos a fide faciet recedere, neque negarc Deum . . . . noli ergo nos retinere; hodie eoim fides nostra in Christo complerur: sed mitte nos cito, ur videamus Crucifixum, quem vos ore oefario maledicere non dubitatis, quem oos veneramur & colimus. Tunc Maximus: Si scitis vos bene ituros, gratulor vobis; vestrum desidcrium compleatur. Hæc dicens, sentcoriam in eos proouotiat capitalem. Sancti vcro Christi Martyrea ibaot gaudentes & benedicentes Dcum. Et Nicandrum quidem sequebatur uxor cjus, ac Papianus frater martyris Pasiaratis, filium Nicandri portans infantem, atque ei gratulans de salute. Marcianum vero sequcbantur cogoati, atque uxor ajus vesta aonscissa, plorans, atque aum retro trahens. Marcianus vero cam intuebatur, dicens: Quamdiu satanas mentcm tuam atque animum obcœcavit? scpara te a nobis: coocede mihi ut martyriom Deo perficiam. Er Zotico dixit: tene uxorem meam, quam Zoticus continuit. Postquam varo ad locum venisset Nicander, dixit uxori: Deus sit tecum. Illa varo juxta eum consistens dicebat: Bone domioe, bono aoimo esto, ostende tuum certamen. Decam aonos in patria sine te feci, ae momeotis omnibus a Deo, ut ta viderem, optabam: nune vcro vidi, & gratulor ad vitam proficisceoti. Ecce nuoc clarius eaclamabo, & gloriabor uxor martyris constituta. Bono auimo esto Domine, ac redde martyrium Deo, ut me etiam dc morte perpetua liberes. Posthæc percussor, orariis oculis martyrium circumdatis, injecto gladio fioem cis dedit martyrii. Requievcruot autem Christi martyres Nicander & Marcianus decimo quinto Kaleodas Julii. Hi omnes passi sunt in provinciis Galerii, vel Maximiani, qui proinde gladio animadvertaruot in milites Christianos, quos a militia exeludebat Diocletianus. Alii plures in eadem persecutione pro Christo fortiter occubuere: sed eorum passionis acta quæ supersunt, nac antiqua, nec sinaara sunt.

CHRISTI AN. 297. & 298. ad 302.

Euseb. l. 1. vit. Const. cap. 16.

Constantius Palatinos & milites Christian. fortes in fide retinet, alios dimittit,

XIV. Christiani milites dum sic vexantur in tribus Romani Imperii partibus, Constantius Cæsar fortes in fida sapienter agnitos conservat ut sibi fidissimos. Itaque Palatinis omnibus Christianis, qui in ipsius aula militabaot, ipsiusque judicibus in summa potestate constitutis, data eligendi, utrum mallent, facultate, hanc conditjooem detulit, ut qui sacrificassent, manere ipsis in Palatio, & consuetis frui honoribus liceret; si vero id facere renuissent, ab ipsius aditu excluderentur, & ab ipsius familiaritate remoti discederent. Cum ergo universi bifariam dirempti essent, & unoiuscujusque propositum exploratum fuisset, tunc illorum timiditatem, ac nimium sui ipsorum amorem condemnavit; hos vero ob devotam divino Numini conscientiam magoopere probavit, ac deiode illos quidem tanquam Dei proditores, ne Principis quidem obsequio dignos judicavit. Nam quomodo, inquit, fidem erga Principem suum servaturi sunt qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur? Itaqua ejusmodi viros a regiis ædibus procul ablegandos esse censuit; illos vero quos Deo dignos esse veritatis ipsius testimonio constaret, eodem erga Principem aoimo futuros esse affirmans, protectores atque Imperii ipsius custodes constituit; ejusmodi homines ioter præcipuos amicorum & maxime oecessarios habendos esse dicens.

Euseb. in Chron.

XV. Intarim Ecclesiæ Hierosolymitanæ post Hymenæum præfuit Zamba, cui successit Hermon. Aotiochiæ constituitur Episcopus Tyrannus. Tyraonio varo, qui postea fuit martyr, administrabat Tyrcosem Ecclesiam. Aleaandrinæ Ecclesiæ sextus decimus post Theouam Episcopus ordinatur Petrus, qui postaa nono persacutionis anno gloriose martyrium perpetravit.

Marcellini Papæ lapsus fictitius,

Romæ Marcellinus, qui claruit hocce tempore persecutionis, post annos oovem Pontificatus diem extremum obiit anno Christi ducentesimo nonagesimo octavo: delatus apud Diocletiaoom dicitur, quodque victus in primo conflictu thus idolis adoleverit, ac postea in Sinuessana trecentorum Episcoporum Synodo pœnitcntiam egerit; ac tandem fortior ad certamen rediens pro fide Christi capita truncatus sit. Hæc viris peritissimis parum probabilia videntur. Nomen ejus legitur in indicolo vetustissimo depositioois Episcoporum confessorum apud Bucherium. Illius lapsus, & martyrii, & Syoodi Sinuessanæ nullus veterum meminit. Imo cum Donatistæ thurificationis crimen Marcellino, & traditionis sacrorum voluminum ei ejusque successoribus Marcello & Melchiadi objicerent, sic eos confutat Augustinus. Quid ergo opus est ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos iocredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri cjus, Melchiades, Marcellus & Sylvester traditionis codicum divinorum & thurificatioois ab eo crimioe arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuotur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: Ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare aonatus sit accusationem suam? Theodoretus testatur eum persecutionis temporibus inclaruisse.

Aug. l. de bap adv. Petil. c. 16.

Theod. l. 1. c. 3.

Sinuessanæ Synodi acta subdita,

Si falsum est thurificationis crimen, avidenter fictitia sunt acta Sinuessanæ Synodi, in quibus legitur, Marcellinum eo scelere convictum egisse pœoitentem, & adversus sa pronuntiasse sententiam depositionis. Præterea, ut omittam incredibile videri, trecentos Episcopos potuisse in tenui oppido non procul ab urbe Roma conveoire, dum maxime furcret Maximianus, multa in iis pucrilia & fabulosa stylo prorsus barbaro reperiuntur. Unum vel alterum indicare satis sit. Primo quidem in eis legimus Urbaoum Capitolii Pontificem conveoisse Marcellinum, ab eoque petivisse, ut Christo Magi aurum thus & myrrham obtulerint? Audito Episcopeli responso, nempe obtulisse, non ut sacrificarent, sed ut Dominum altissimum ostenderent. Venientibus autem Diocletiano & Maximiano die, qoam Vulca-

nia

Digitized by Google

CHRISTI AN. 298. ad 302.

nia vocant, Urbanus Marcellino persuadet adire Imperatores de thurificatione, quam unam esse ostendit Marcellinus. Urbanus vero, quare, inquit, hic Marcellinus Pontifex non thurificat, sicut ego, Majestatibus? Diocletianus respondit: non execrate hominem hunc, quoniam nullam nobis difficultatem exhibet. Vix Diocletianus dixerat Marcellino: Veni, & eloquentia tua nostro facias incrementum favori. Veniens autem ad templum Vestæ & Isidis introduxit Episcopum. Qui dum introissent, erant cum eo duo diaconi, Cajus, & Innocentius, & tres Presbyteri, Urbanus, Castorius, & Juvenalis. Et dum vidissent eum introeuntem, non tamen thurificantem, fugerunt hi omnes ad compresbyteros, & dixerunt rem quam gestam vidissent. Euntes autem multi Christiani propter veritatem, ad templum abierunt, & viderunt eum mittentem, & thurificantem Saturno, Jovi, & Herculi, & factum amicum Principum ..... Fit Synodus 300. Episcoporum, qui quinquageni sibi invicem succedebant in cryptam Cleopatreosem, quia tota multitudo in ea non recipiebatur. Marcellinus crimen negat; convictus a 72. testibus, infimis precibus veniam deprecatur. Exclamat Synodus: prima sedes a nemine judicatur. Recollectis testibus Marcellinus damnatus est suo judicio. Synodus damnat Diaconos & Presbyteros, qui Marcellinum dimiserant.

Quatuor absurda sunt in ea narratione: primo: Romanus Pontifex potuitne arbitros de controversia thurificationis ultro recipere Diocletianum & Maximianum, qui tunc atrocissime sæviebant in Christianos, & nullatenus reluctans, sed ubi primum Diocletianus dixit: Veni, eum sequi in templum Isidis, ibique sacrificare Saturno, & Jovi? Secundo: Marcellinus, qui, spectante Roma, sacrificaverat in templo Isidis, id coram Synodo negat: cum convictus est a 72. testibus, exclamant omnes se non posse de eo judicare: ut quid ergo cum tanto periculo convenerant, totque testes audierant? Tertio: Christiani, sæviente persecutione, veniunt in templum Isidis, ut Pontificem suum viderent idolis sacrificantem coram Imperatoribus. Unde tanta securitas? Cur nullus e tanta multitudine, vel saltem e Presbyteris fugientibus comprehenditur a satellitibus Imperatorum, qui nulli ætati vel sexui parcebant, quemadmodum acta testantur? Quarto: Synodus damnat Diaconos & Presbyteros mox laudatos, quia Marcellinum sacrificantem dimiserant. Quid peccaverant miseri fugiendo, dum Pontifex templum Isidis sacrificaturus intrat?

Marcellus Papa.

Eusebius, Hieronymus, & Theodoretus non meminere Marcelli, qui Marcellino successit in Pontificatu: fortassis errore nominis unum eumdemque hominem putarunt. Hinc eatenus secuti sumus Eusebium, qui in sua historia finem facit in Marcellino in enumerandis urbis Romæ Episcopis. In duobus sequentibus sequemur catalogos antiquiores, in aliis vero Chronicon D. Hieronymi, Prosperi, & Comitis Marcellini; nam quatuor catalogi Romanorum Pontificum, qui a multis laudantur ut vetustissimi, dissonantia perpetua rerum & temporum sese mutuo refellunt. Inhærendum itaque Chronologis antiquissimis, qui floruere circa ea tempora, quorum res gestas prosequimur. Diocletianæ persecutionis tempore, quæ in Oriente gesta sunt, satis exacte narrat Eusebius; Occidentalium vero rerum acta pleraque vel supposititia, vel depravata sunt. Hinc pauca certo novimus.

Lact. de mort. persec. c. 11. Eutrop. lib. 10. *Persecutio fit gravior.*

XVI. Anno Christi trecentesimo secundo ingravescit persecutio decima post Neronem, quæ per decem annos proscriptionibus innocentium, cædibus martyrum, demum Ecclesiarum incendiis incessabiliter acta est. Eventum adeo luctuosum sic refert Lactantius, qui tunc Nicomediæ docebat Rhetoricam. Diocletianus in Bithyniam venit hyematum Nicomediæ, eodemque tum Galerius Maximianus Cæsar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat adversus milites; cujus furoris hanc causam fuisse cognovi. Erat mater ejus, Romula nomine, deorum montium cultrix; quæ cum esset mulier admodum superstitiosa, sacrificabat pene quotidie. Christiani abstinebant, & illa cum gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversus eos, ac filium suum non minus superstitiosum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habitum inter se per totam hyemem consilio, cum nemo admitteretur, & omnes de summo statu Reipublicæ tractari arbitrarentur, diu senex furori ejus repugnavit, ostendens quam perniciosum esset inquietari Orbem terræ, fundi sanguinem multorum, illos libenter mori solere, satis esse, si Palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet: nec tamen flectere potuit præcipitis hominis insaniam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ; cum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur; cum autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpæ adscriberetur quidquid ipse deliquerat. Admissi ergo judices pauci, & pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversus Christianos odio inimicos deorum & hostes religionum publicarum tollendos esse censuerunt; alii, intellecta Galerii voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes, in eandem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est Imperator, ut accommodaret assensum, sed deos consulere potissimum statuit, misitque Aruspicem ad Apollinem Milesium. Respondit ille, ut divinæ religionis inimicus. (Illius legationis ad Apollinem mentionem fecit Constantinus Augustus) Traductus est itaque a proposito; & quoniam nec amicis, nec Cæsari, nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet; cum Cæsar vivos cremari vellet qui sacrificio repugnassent.

CHRISTI AN. 302.

Euf. l. 2. de vit. Const. cap. 50.

Inquiritur peragendæ rei dies aptus & felix, ac potissimum terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni. Qui dies cum illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus, Diocletiano octavum, & Maximiano septimum, repente adhuc dubia luce ad Ecclesiam præfectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit, & revulsis foribus, simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi vero in specula, (in alto enim constituta Ecclesia ex palatio videbatur) diu inter se concertabant, utrum ignem potius supponi oporteret? Vicit sententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto pars aliqua civitatis arderet, nam multæ ac magnæ domus eam ab omni parte cingebant. Veniunt igitur Prætoriani acie structa cum securibus & aliis ferramentis, & immissi undique, illud editissimum templum paucis horis solo adæquarunt. Postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent, ex quocunque ordine aut gradu venirent, adversus eos omnis actio valeret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo arripuit & conscidit, cum irridens diceret victorias Gothorum & Sarmatarum propositas, statimque productus, extortus, cum admirabili patientia, postremo exustus est. Itaque persecutio adversus milites inchoata ante quinque annos facta est universalis, sed adhuc citra sanguinem.

Lact. de mort. persec. cap. 12. *Diocletiani primum edictum adver. Christianos.*

Ib. c. 13.

Deus hanc permisit, ut Christianos probaret & emendaret, cum ex nimia libertate in negligentiam ac dissidium prolapsi essent, cum alter alteri invidere atque obtrectare cœpisset, cum inter se quasi bella intestina gererent, verbis tanquam armis se mutuo vulnerantes, cum antistites adversus antistites, populi in populos collisi, jurgia ac tumultus excitarent, denique cum fraus & simulatio ad summum malitiæ culmen adolevisset: tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc Ecclesiæ statu, & Fidelium turbis libere adhuc convenientibus, sensim ac moderate cœpit in nos animadvertere, orsa primum persecutione ab iis qui militant. Cum vero sensu omni destituti, de placando Dei Numine ne cogitarent quidem, sed alia quotidie crimina aliis adjicerent; cum Pastores nostri, spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes; principatum quasi tyrannidem quamdam contentissime sibi vindicantes; tunc demum, juxta dictum Hiere-

Euf. hist. l. 8. c. 1.

Digitized by Google

CHRISTI AN. 302. Hierem. Thren. 2.

Hieremiæ: *Observavit Dominus in ira sua filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israel*. Hæc Eusebius testis oculatus, quem nemo coætaneorum ea de re reprehendit.

Epiph. hær. 67. *Hieracis hæresis*.

XVII. Reipsa hæresis, quam brevi duo schismata consecuta sunt, turbabat Ægyptum & vicinas provincias. Hierax Ægyptius ex oppido Leontone, vir acerrimi ingenii, humanioribus literis imprimis eruditus, nec græcæ linguæ scientia mediocriter perpolitus, primo quidem Christianus fuit; sed non in eo vitæ genere, quod esset Christo dignum, perseveravit, sed a veritate excidit. Cum enim Veteris Novique Testamenti scientissimus esset, ut ea de pectore suo velut exprometeret, ac commentaria scripsisset, multa de suo dogmata vanissime aspersit. Negat is omnino resurgere carnem, idque animæ soli tribuit, proindeque spiritalem esse resurrectionem asserit: nuptias repudiat, quas Veteris Testamenti proprias fuisse docet .... Siquidem Christus id unum efficere voluerit, ut continentiam prædicaret in mundo, ac sibi ipsi castimoniam deligeret, sine qua obtineri vita non possit .... Negat puerulos cœleste regnum capescere posse, quandoquidem certamen nullum obierint, & scriptum sit: *Non coronabitur, nisi legitime certaverit* .... Melchisedecum esse Spiritum sanctum sibi persuadet, pro eo quod scriptum est; *Pro nobis orat gemitibus inenarrabilibus*. Unde concludebat eum esse Sacerdotem in æternum .... opinionis suæ firmamentum ex libro quodam, qui Anabaticus Isaiæ inscriptus est, arcessit ...., severam admodum vitæ disciplinam adhibuit, ab edulis omnibus sibi temperavit, & vino caruit. Quo vitæ genere plures ex Ægyptiis monachis in illius errores adducti sunt; sed qui post illum extitere discipuli, nihil præter simulationem habuerunt. Cæterum nemo in illorum gregem admittebatur, nisi virgo sit, aut monachus, aut continens, aut vidua. Ægyptiaca græcaque lingua plurima scripsit, inter cætera commentarios, & lucubrationes de opere sex dierum, quibus fabulas nonnullas & vanissimas allegorias commentus est. Ultra annos nonaginta vixit, & ad extremum vitæ tempus libros antiquarii more scripsit, nec oculus ei caligavit.

2. ad Tim. 2.

Lact. de mort. persec. c. 14.

XVIII. Galerius Cæsar non contentus prioris edicti legibus, aliter Diocletianum aggredi parat: nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur velut hostes publici, & cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat. Illos consilio cum eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitasse, duos Imperatores domi suæ pene vivos esse combustos. Diocletianus vero, qui semper se volebat videri astutum & intelligentem, nihil potuit suspicari; sed ira inflammatus excarnificari omnes suos protinus præcepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torquebat. Item Judices universi data potestate torquebant præsertim pueros cubicularios .... Productus est in medio quidam illorum, nomine Petrus, coram Imperatoribus, jussusque diis sacrificare, cum id pertinaciter recusaret, nudato corpore sublimis tolli præcipitur, & verberibus concidi, quoad tandem vel invitus jussis obtemperaret. Sed cum ille hujusmodi tormentis excarnificatus in eadem sententia firmus permaneret, ipsis jam ossibus denudatis, commixtum sale acetum tabescentibus corporis membris infuderunt. Quos dolores cum ille etiam tolleraret, craticula deinceps & ignis in medium affertur, & reliquiæ corporis ipsius, instar carnium quæ ad cibum parantur, igne assatæ sunt, idque non simul ac semel, sed paulatim, ne scilicet celeri exitu defungeretur. Nec carnifices, qui eum rogo imposuerant, dimittere illum sinebantur, nisi prius jussis post tot cruciatus acquievisset. Verum ille in eadem semper sententia perseverans, victor ipsis in tormentis, animam exhalavit. Reliquorum martyria nihilo inferiora sunt. Dorotheus & Gorgonius una cum aliis pluribus, qui in palatio ministrabant, post cujusque modi certamina, elisis laqueo faucibus, divinæ victoriæ præmium adepti sunt. His accensentur Iodes, Mygdonius & Mardonius, Tum etiam Anthimus Ecclesiæ Nicomediensis Episcopus, ob confessionem Christi in eadem urbe capite truncatus est. Huic adjuncta est ingens martyrum multitudo. Nihil tamen de incendio repertum est, quippe cum familiam Cæsaris nemo torqueret.

Diocletianus vovit adv. Palatinos Christianos quare. Eus. hist. l. 8. c. 6.

Martyr. Rom. 25. Decemb.

Lact. ib. cap. 15.

Quindecim diebus interjectis, aliud rursum contigit incendium, cujus Nostros authores fuisse publicus rumor falsa suspicione jactavit. Constantinus ait, palatium fulmine ictum conflagrasse; sed celerius animadversum est. Tunc Galerius Cæsar medio hyemis, profectione parata, prorupit, eodem die contestatus fugere se, ne vivus arderet. Imperiali jussu tunc quotquot illic erant Dei cultores, acervatim cum suis famulis, alii gladio, flammis alii consumpti periere. Tunc divina quadam alacritate, quæ verbis explicari non potest, conciti viri simul ac mulieres in ardentem rogum insiliisse dicuntur. Alios quoque innumerabiles vinctos & scaphis impositos carnifices in profundum mare projecere. Furebat Imperator, non in domesticos tantum, sed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificio pollui coegit. Potentissimi quondam eunuchi necati, comprehensi presbyteri ac ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati cum omnibus suis deducebantur. Sed & corpora regiorum cubiculariorum, quæ post mortem convenienti tradita fuerant sepulturæ, eruta a sepulchris in mare projecta sunt, ne quis illos sepulchris conditos, pro diis, ut ipsi quidem opinabantur, reputans in posterum adoraret.

Const. in orat. ad S. Cætum c. 15. Eus. ib.

Lact. c. 15.

Eus. ib.

Eus. ib. c. 2.

Diocl. 2. edict. adv. Christianos.

Propositumque novum edictum mense Martio, appetente die festo Dominicæ Passionis, quo ecclesiæ quidem ad solum usque dirui, sacri vero codices flammis absumi jubebantur, utque honorati infamia notarentur, plebeii vero libertate spoliarentur, si in Christianæ Fidei proposito mansissent. Literæ ad Maximianum & Constantium mittuntur, ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus exspectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam. Constantius, ne dissentire majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit, præcipue quod Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani sanguinariam temeritatem sub imperio ejus evaserant. Qui tamen duobus ultimis annis Diocletiani non fuerunt a persecutione prorsus immunes, cum enim tantum Cæsar esset Constantius, non potuit sine gravi periculo edictis Augustorum aperte repugnare. Publicata sunt itaque in ejus provinciis, atque aliqui extitere martyres, qui idem sub Constantio passi non dicuntur, quod Augustorum nominibus præcipue inscriberentur acta publica. Id agnoscit Eusebius in fine libri de martyribus Palæstinæ. Idem testantur acta martyrum sequentia.

Ibid. Lact. c. 15. Eutrop. init. l. 10.

Act. fine.

XIX. Imperatores, missis epistolis ad Præsidem Galliarum, decreto sanxerunt, ut simulacra Jovis vel Apollinis, quasi divino cultu deberet universitas venerari: ea ratione præfixa pollicentes his, qui eorum cæremonias colerent, vel sacrificia devote offerrent, publico se cognoscerent stipendio munerandos... Eos vero, qui Christiani nominis in confessione persisterent, post tormenta jubent capitalem subire sententiam. Erat autem in urbe Namnetica juvenis quidam nomine Donatianus, clarus genere, multo tamen clarior fide .... qui despectis idolis, cum ad Catholicæ fidei gratiam convolasset, baptismatis unda purgatus ...., quasi bonus agricola, in gentilium pectora fruges beatæ fidei seminavit, fratremque suum Rogatianum ad fidem adduxit. Quod ad præsens ne susciperet baptisma, audita persecutione, fecit sacerdotis absentia fugitiva; sed quod de fonte defuit, martyrii cruor fusus impendit. Interea Namnetensem civitatem turba favente persecutor cum instrumento iniquitatis ingreditur, apud quem duo fratres delati sunt ut Christiani .... Tunc Præses dolore commotus virum beatissimum jubet suis aspectibus præsentari, ad cujus inquisitionem talibus verbis exorsus est. De nomine tuo, Donatiane, currente relatione comperimus, eo quod Jovem vel Apollinem .... non solum contumaciter adorare recuses, sed etiam blasphemiis ac conviciis provocatos infames, ac prædicatione inani populum salvari commemores, ut in crucifixi interitum credere diversos compellas. Donatianus respondit: Invitus veritatem locutus es, me cunctos ab errore pervasos ad ejus velle culturam reducere, cui soli competit universa deservire .... Præfectus furore succensus jubet sanctum compedibus vinctum in custodia carcerali retrudi....

Tunc

Digitized by Google

CHRISTI An. 303. Ibid.

Tunc ejus germano in conspectu populi præsentato Præses blandiens dixit: Audio, Rogatiane, a deorum cultu te velle inconsulte recedere .... Illud tibi maxime præcavendum, ne confessione unius Dei plurimorum deorum in tuam perniciem ira incurras; sed quia adhuc nescio quo baptismate non teneris infectus, si voluntas obstinata te non decipit, deorum indulgentia concessa recipiet, ut in Imperatorum palatio & aula deorum possis cum vitæ commercio sortiri dignitatis augmentum. Rogatianus deos inanimatos contemnens ejus promissa respuit. Tunc Judex dixit: Et hic insensatus cum doctore insipientiæ in carcerem retrudatur .... Sequenti die Præses pro tribunali residens, confessores Christi in conspectu populi præcepit assisti, quibus dixit: Qui deorum religionem aut ignorando non colitis; aut, quod est gravius, non nesciendo calcatis? Martyres responderunt: Nos pro Christi nomine parati sumus excipere quidquid ira tortoris invenerit .... Tunc Præses jussit eos in equulei catasta suspendi .... ministris imperans ut post expensa supplicia a spiculatore capite truncarentur. Tunc lictoris insania, ut de crudelitate judici complaceret, lancea militari perfossas cervices beatissimorum gladio præcidit.

Philosophi scribunt adv. religionem Christian. Lact. l. 5. div. inst. cap. 2.

XX. Ecclesiæ dum exterius oppugnantur a tyrannis, ac intus vastantur ab hæreticis, novus supervenit hostis; ethnicique scriptores adversus doctrinam Christianam stylum acuerunt. Ego, inquit, Lactantius, cum in Bithynia oratorias literas accitus docerem, contigissesque ut eodem tempore Dei templum everteretur, duo extiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati insultarent, quorum alter antistitem se Philosophiæ profitebatur: verum ita vitiosus, ut continentiæ magister non minus avaritia, quam libidinibus arderet. Sed vitia sua capillis & pallio, &, quod maximum est velamentum, divitiis male partis prætegebat ... Hic vero, qui suas disputationes moribus destruebat, eodem ipso tempore, quo justus populus nefarie lacerabatur, tres libros evomuit contra religionem nomenque Christianum, professus ante omnia Philosophi officium esse, erroribus hominum subvenire, atque illos ad veram vitam revocare, id est, ad cultum deorum, quorum numine ac majestate, ut ille dicebat, mundus gubernetur, nec pati homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne simplicitas eorum prædæ ac pabulo sit hominibus astutis. Itaque se suscepisse hoc munus Philosophiæ dignum, ut præferret non videntibus lumen sapientiæ, non modo ut susceptis deorum cultibus resanescant, sed etiam ut, pertinaci obstinatione deposita, corporis cruciamenta devitent. Ut autem appareret, cujus rei gratia opus illud elaborasset, effusus est in principum laudes, quorum pietas & providentia, ut quidem ipse dicebat, cum in rebus humanis, tum præcipue in defendendis deorum religionibus claruisset .... Consultum esse tandem rebus humanis, ut cohibita impia & anili superstitione, universi homines legitimis sacris vacarent. Ubi autem religionis ejus, contra quam peroraba, infirmare voluit rationem, ineptus, vanus, ridiculus apparuit, quia gravis ille consultor utilitatis alienæ, non modo quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur, nesciebat .... Omnes id arguebant, quod illo potissimum tempore id operis esset aggressus, quo furebat odiosa crudelitas.

Ibid.

Alter, nomine Hierocles, tunc Bithyniæ Præfectus, & qui author imprimis faciendæ persecutionis fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecutus est: composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne inimice insectari videretur, sed ad Christianos, ut humane ac benigne consulere putarent, in quibus falsitatem Scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria: nam quædam capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit; adeoque multa, adeoque intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videretur .... Præcipue Petrum Paulumque laceravit, cæterosque discipulos tanquam fallaciæ seminatores, quos eosdem rudes tamen & indoctos fuisse testatus est; nec attendit fallendi astutiam ab idiotis procul alienam esse .... Ipsum autem Christum affirmavit a Judæis fugatum, collecta noningentorum hominum manu, latrocinia fecisse; sed non probat. Item cum facta ejus mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere Apollonium vel paria, vel etiam majora fecisse. Hunc egregie confutavit Eusebius, demonstrans Philostratum authorem esse fabulosum; qui pugnantia sæpe scribit de Apollonio; qui ne quidem a gentilibus annumeratur inter illustres Philosophos, nec ullos reliquerit discipulos. Econtra Christi doctrinam quantumvis humanæ cupiditati contrariam sectatur Orbis universus; nec eam abolere potuit Romana potentia, dum aliæ sectæ vel a magistratu prohibitæ statim intereunt.

CHRISTI An. 303.

Liban. orat. ad Theod. Euf. hist. l. 8. c. 6. *Diocl. 3. edict. adv. Christian.* Eus. hist. l. 8. c. ult.

XXI. Paulo post eum alii in Melitina Armeniæ regione, alii in Syria imperium arripere conati essent, scilicet Eugenius tribunus Seleuciæ, qui eodem mense occisus est Antiochiæ, promulgatum est tertium Imperatoris edictum, ut omnes ubique Ecclesiarum Antistites vincti in carcerem truderentur. Carceres olim homicidis & sepulchrorum expilatoribus deputati, tunc Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus atque Exorcistis complebantur. Rursus aliud edictum illa priora subsecutum est, ut carceribus inclusi, si quidem sacrificassent, liberi abire sinerentur: si vero id renuerent, tormentis gravissimis cruciarentur. Episcoporum successionis historia, inquit Eusebius, quæ a nostri Servatoris ortu usque ad Ecclesiarum eversionem quinque ac trecentos annos complectitur, sed incompletos, initiumque primi ducit ab Octobri mense, Syrorum & Macedonum more, quem secuti sunt alii Patres Græci, qui dixere Christum Crucifixum anno Tiberii decimo octavo, qui juxta Romanum computum est decimus septimus.

Martyres. Act. sin. Eus. l. de martyr. Palæst. cap. 1.

XXII. Primus martyrum Palestinæ Procopius, vir cœlestis gratiæ, qui a parva ætate castitati semper & morum virtutibus studeret; corpus quidem sic confecit, ut pene mortuum putaretur, animum vero sic verbis confortabat divinis, ut etiam corpori virtutem ex hujus refectione ministraret. Cibus & potus ei panis & aqua fuit. His utebatur, cum post biduum triduumque diem, interdum etiam post septimanam ad cibum rediret. Sacrorum quoque meditatio sermonum ita mentem ejus obstrinxerat, ut nocte ac die in hac infatigabilis permaneret. Clementiæ autem & mansuetudinis tanquam cæteris inferior documentum præbebat: genere Æliensis, habitatione Scytopolitanus erat. Ibi Ecclesiæ tria ministeria præbebat, unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione sermonis; (scripturæ Græce legebantur in Ecclesia, quas Syra lingua exponebat) & tertium adversus dæmones manus impositione consummans. Cumque Scytopoli una cum sociis in Cæsaream transmissus fuisset, ab ipsis portis ad Præsidem ducitur, & priusquam carceris vel vinculorum experiretur angustias, in ipso ingressu suo a Judice Flaviano, ut diis sacrificaret, impellitur. At ille magna voce, non esse deos multos, sed unum omnium factorem opificemque testatus est. Judex ad alia se convertens, jussit ut Imperatoribus sacrificaret. Sanctus Dei Martyr sermonem ejus despiciens, hoc Homeri versu respondit: Haud bona res domini plures, herus unicus esto, rex unus. Hoc ejus verbo audito, quasi infausta Imperatoribus deprompsisset, jussu Judicis ducitur ad mortem, & capite amputato ingressum vitæ cœlestis vel compendium beatus invenit, Nonis Julii, primo anno quo adversus nos fuit persecutio.

Eus. ib.

Post hunc in eadem urbe quam plurimi Ecclesiarum illius provinciæ Antistites gravissima supplicia alacri animo perpessi sunt. Hic flagris concisus, ille intolerabilibus tormentis & ungulis excruciatus, & vinculis oppressus, adeo ut quibusdam manus laxata nervorum compage resolutæ sint. Singuli tamen quæcunque ipsis juxta arcanum Dei judicium eveniebant, fortiter tulere. Alius enim, cum quidam manus ejus apprehendissent, ipsumque ad aram adduxissent, & abominandum sacrificium dextræ ipsius injecissent, quasi sacrificasset, dimittebatur. Alius cum ne summis quidem digitis thus attigisset, nonnullis tantum affirmantibus eum sacrificasse, silentio abscedebat. Hic semivivus correptus ac sublimis elatus, projiciebatur ut mortuus, & vinculis absolvebatur, computatus inter eos qui sacrificaverant. Ille vociferans atque contestans se his quæ jubebantur minime assentiri, pugnis ore contuso, plurimis ob hoc constitutis illum tacere cogentibus, per vim extrudebatur, tametsi haud quaquam sacrificasset: adeo magni apud eos æstimabatur, si vel viderentur effecisse quod voluerant.

Christi An. 302. luerant. Non pauci præ ignavia fracti animis ac debilitati, primo statim impetu conciderunt. Ex istis igitur, qui tot numero erant, soli Alphæus & Zachæus martyrii coronam adepti sunt, qui post flagella & ungulas, post acerbissima vincula & dolores in eis exantlatos, post alia omnis generis tormenta, cum 24. horarum spatio, pedes in nervo ad quatuor usque puncta distinctos habuissent, unum Deum, unumque Regem ac Dominum Jesum Christum confessi, perinde ac si impium quidquam locuti essent, eodem, quo primus ille Martyr Procopius, supplicii genere, abscissis capitibus interiere, ante diem decimam quintam Kalend. Decembris. Zachæus in Menæis Græcorum dicitur Gadarensis Ecclesiæ diaconus.

Euf. ib. cap. 2. & l. 2. de Resurr. Sed & commemoratione digna sunt imprimis quæ circa Romanum martyrem eodem die Antiochiæ gesta sunt. Hic genere Palæstinus, Cæsariensis Ecclesiæ diaconus & exorcista, eo ipso temporis articulo, quo Ecclesiæ destruebantur, Antiochiam ingressus, cum innumerabiles viros simul ac mulieres una cum parvulis, templa deorum confestim adeuntes & sacrificantes vidisset, spectaculum id minime tolerandum ratus, zelo divini cultus ipsum incitante, propius accessit, & contenta voce inclamans objurgare eos cœpit; ob cujus facinoris audaciam illico comprehensus, generoso, si quis unquam alius, martyrio decoratus est. Judex ebrius in victoria eorum quos superaverat, ea illorum imbecillitate æstimans sancti constantiam, præcipit eum induci ... & universa ei admoveri tormenta jubet ... Cum autem fatigarentur torquentes, Domini miles sic eum increpat: Cur jam tyranne non cessas? confessus sum verum esse Regem Christum. Judex hanc injuriam non ferens... jubet eum igni tradi... Cum autem adunarentur sarmenta & cannæ ad flammæ velocitatem .... tunc forte quidam de Judæis dixerunt: ubi est eorum Deus? Apud nos salvabantur a flamma fornacis ardentis; isti autem ardent. At cœli dominus jubet nubibus coronari cœlum, adimplens sinus nubium grandine & imbre vehementi, & ventos addens ad velocem eorum emissionem, neque accendi flammam permittit, majorem hic ostendens virtutem, quam apud Babyloniam. Ministri non leviter turbati hæc nuntiant tyranno; scilicet Galerio Cæsari, qui tunc aderat. Jubet ille dimitti, quem sic liberaverat Deus, nec ultra cum eo jurgari de Deo. Judex tyranno blandiens, ad novam se convertens accusationem, ejus linguam, qua in hominem fuerat locutus, eo quod non negaverat Deum, incidi præcipit. Aderat forte præsens medicus, qui nuper infirmitate lapsus negaverat Fidem. Huic jubet Judex sancti linguam incidat, quam incisam ille non projecit, sed domi recondit. S. Martyr reducitur in carcerem ..... custos interrogat eum, quod ei nomen esset? Respondit: Romanus dicor; nec semel tantum locutus est, sed conferebat cum aliis de Cruce & victoria Christi, & hoc multis mensibus, & recte loquebatur, qui antea fuerat balbus.

Iterum hoc nuntiatur Judici & Tyranno. Eorum
Ibid. jussu comprehensus medicus, quasi ei pepercisset, ducitur ad Judicem: indignanti & mortem comminanti respondit medicus: Habeo linguam, quam incidi. Producatur alius, cui non adsistit Deus, & secundum mensuram incisæ linguæ incidatur ejus lingua, & si vixerit, meum commentum est, & non Dei defensio. Producitur quidam damnatorum, & diligentissime mensura accepta, ejus lingua incisa est, & statim mortuus est. Sic clarissimum Dei lumen apparebat ex comparatione tenebrarum. Tandem cum Imperatoris vicennalia jam adessent, & ex solemni more universis, qui in custodia tenebantur, indulgentia publice per præconem annuntiata esset, solus Romanus ad quatuor usque puncta distentos habens pedes, in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio, sicut optaverat, exor-
Prudent. natus est. Hæc primo persecutionis anno in hunc modum gesta sunt, cum adversus solos Ecclesiarum Præsides persecutorum immanitas desævitet. Prudentius in hymno de S. Martyre Romano narrat cum coram Judice de religione vera interrogasse puerum needum septemnem, cui nomen erat Barulas, qui respondit, non esse plures deos, sed unum colendum, qui Christus est. Quis author, ait illi Judex, vocis est hujus tibi? Respondit ille: mater, & matri Deus. Ergo ipsa mater adsit, exclamat Judex. Tunc, ea spectante, jubet crudelem in modum virgis cædi parvulum; tortores lacrymas non tenebant, sola mater non flebat, imo filium siti excruciatum & poscentem aquam severe monet, cuncta pro Christo constanter esse perferenda. His matris verbis factus fortior puer, jam lætus virgas strepentes ridet & dolorem verberum. Post hæc carcere clausus non exhortuit. Demum capitis abscissione consummavit martyrium. Christi An. 302.

XXIII. Non minus sævitum est adversus Christianos in provinciis Maximiano subditis, & præsertim in Africa. Imperatorum edictum positum est in civitate Thibarensi. Magnilianus Curator Aprum Presbyterum ad se jussit perduci, & Gyrum & Vitalem lectores, quibus dixit: libros Deificos habetis? Date illos igni aduri. Aper dixit: Episcopus noster apud se illos habet. Magnilianus dixit: ubi est? Aper dixit: nescio. Magnilianus dixit: Eritis ergo sub officio, donec Anulino Proconsuli rationem reddatis. Felix Episcopus postera die rediit; quem ad se perduci jussit Magnilianus, eique dixit: Felix Episcope, da libros, vel membranas quascunque habes. Felix Episcopus dixit: habeo, sed non dabo. Magnilianus dixit: Prius est quod Imperatores jusserunt, quam quod tu loqueris. Da libros, ut possint igne aduri. Felix dixit: Melius est me igne aduri, quam scripturas Deificas, quia bonum est Deo obedire magis, quam hominibus... Magnilianus dixit: Recogita tecum. Post tertium diem, cum constans in eadem sententia permaneret, Magnilianus eum per Vincentium Celsinum Decurionem transmisit ad Proconsulem. Act. sinc.

Profectus est octavo Kalendas Julias ligatus, seque in carcerem detrusus est. Alia die productus est ante lucem, cui dixit Proconsul: Quare scripturas supervacaneas non reddis? Felix Episcopus respondit: Habeo, sed non dabo. Tunc jussit eum ligatum in ima carceris mitti. Post sexdecim dies iterum productus est, eique dixit Anulinus Proconsul: Quare scripturas supervacaneas non reddis? Felix respondit: non sum eas daturus. Tunc missus est ad Præfectum prætorio Idibus Julii, qui jussit eum suo carcere recipi, & majoribus vinculis ligari. Post dies novem jussit eum Præfectus ad Imperatores navigare. Tunc Felix ascendit navim cum vinculis magnis, & fuit in capsa navis diebus quatuor, volutatus sub pedibus equorum panem & aquam non gustavit. Jejunus in portum pervenit, & in civitate Agrigento exceptus a Fratribus cum summo honore. Inde venerunt Catanam: ibi similiter sunt excepti, & in reliquis civitatibus: pervenit tandem Venusium, quæ est civitas Apuliæ. Tunc Præfectus jussit Felicem de vinculis eripi, & dixit: Felix, quare scripturas Dominicas non das? aut forsitan non habes? Cui respondit: Habeo quidem, sed non do. Præfectus dixit: Felicem gladio interficite. Felix Episcopus dixit voce clara: Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare; & ductus est ad passionis locum. Et elevans oculos in cœlum, clara voce dixit: Deus, gratias tibi, quinquaginta & sex annos habeo in hoc sæculo. Virginitatem custodivi, Evangelia servavi, fidem & veritatem prædicavi. Domine Deus cœli & terræ, Jesu Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum. Una cum eo passi sunt Audactus & Januarius presbyteri, Fortunatianus & Septiminus lectores. Complures in Africa hac occasione mortem pertulere. Alii vero, qui, pœnarum metu perterriti, prodiderunt sacros codices, famoso Traditorum nomini originem præbuerunt, irreparabileque damnum intulerunt Ecclesiæ; ea quippe Diocletiana conflagratione perierunt innumeri libri & actus Ecclesiastici. Ibid. Martyr. Rom. & Bedæ. *Traditores.*

XXIV. Imprimis insigne est D. Vincentii Levitæ martyrium in Hispania. Patre Eutico genitus, qui fuit Agressi nobilissimi Consulis filius: Mater vero ejus Enola ex Osea, nunc Huesca, qui a pueritia studiis literarum traditus, gemina scientia sub beato Valerio Cæsar-Augustæ civitatis Aotistite efficacissime claruit, a quo etiam sanctitatis insignis Diaconi-arcem suscepit. Et quoniam Episcopus impeditioris linguæ fuisse dignoscitur, tradito doctrinæ ministerio Venerabili Vincentio, ipse orationi & contemplationi sedulus insistebat. Cum igitur Daciano Præsidi a Principibus suis Diocletiano & Maximiano sæviendi in Christianos occasio cecidisset .... Episcopos ac Presbyteros, cæterosque sacri ordinis Act. sinc.

mini-

Christi An. 302. ministros rapi præcepit. Protinus ergo Valerius Episcopus, & Vincentius Archi-diaconus ...... in confessionem Domini alacriter cucurrerunt, tanto feliciores se futuros credentes, quanto acriora tyranni supplicia pia longanimitate certassent evincere. At Dacianus sanctos Dei primo Valentiam sub carcerali custodia, & famis miseria, ac catenarum stridore pertrahi præcepit, ut eos vexatione itineris frangeret ... Cumque jam eos defecisse putaret jugi injuria ... produci jussit e carcere ... Pavefactus ad conspectum eorum, quod integri corpore & viribus essent, ait suis: ut quid istis largiori pastu indulsistis & potu? ...

Ibid. Conversus ad Episcopum: Quid agis, inquit, tu Valeri? Quid sub nomine religionis contra Principes facis? Nescis, quia qui decreta regalia spernunt, de vita periclitantur? Cumque reticeret Episcopus linguæ impeditioris, ait Vincentius annuente Valerio.... Profitemur nos Christianæ religionis esse cultores, & unius ac veri Dei permanentis in sæcula famulos & testes. In ejus nomine contra exquisita calliditatis tuæ argumenta constanter arma spiritualia pugnaturi accepimus, minas & supplicia non metuentes, sed potius mortem pro veritate libentissime amplectentes. Suppliciis enim tuis erudimur ad coronam, morte deducimur ad vitam .... Jamque præ ira pœne extra se positus Dacianus dixit: Amovete hinc Episcopum istum. Justum est enim subire eum exilium, quoniam Imperiale contempsit edictum. Rebellem vero, qui in contumeliam publicam venit, gravioribus exhibete tormentis. Applicate eum ad equuleum. Dum cruciaretur, Dacianus ait: Quid dicis Vincenti? Vel ubi conspicis tuum jam miserabile corpus? At ille alacri vultu respondit: Hoc est quod semper optavi .... Tu solus meis votis maxime concordas. Paratus est Dei servus ad omnia pro Salvatoris nomine sustinenda .... Crudelitate, qua spiras, præstabis mihi gloriam ..... Clamare Dacianus cœpit, & in tortores ac carnifices suos virgis & fustibus desævire, quasi mollius agerent. Et Vincentium rursus novis tormentis applicari jubet; qui subridens ait: Dominum Christum confiteor Filium Altissimi Patris, unici unicum, ipsum cum Patre & Spiritu sancto unum solum Deum esse profiteor..... Præses profluentem a toto corpore sanguinem cernens, (erant enim viscerum interna patefacta, & juncturas e compagibus diversitas tormentorum separaverat) jam & ipse mirabatur; ait autem: Miserere tui Vincenti ..... parce suppliciis tuis, ut vel sero, quæ supersunt, tormenta lucreris ... At ille Spiritu sancto repletus ait: Non timeo supplicia quæcunque iratus impegeris ...

Ibid. Dacianus dixit: Transferatur hic ad legitimam quæstionem.... Hinc ex equuleo assumptus Levita Vincentius, ad ignis pabulum rapitur. Jam enim truculentus minister proferri lectum cum ferreis jusserat costis, & abdita subter carbonum congerie, axurendum Dei martyrem applicare. Intrepidus itaque Dei athleta candentis ferri machinam ultro conscendit. Torquetur, flagellatur, exuritur, & distentus membris crescit ad pœnam. Inseritur quoque pectori & membris depressa asperitas laminarum, & decurrente inter ipsas candentis ferri acies liquore, stridens flamma arvina respergitur, vulnera vulneribus infliguntur, salis ignibus spatio crepitantes minutiæ per membra dissiliunt, & jam non ad artus tantum, sed ad ipsa viscerum abdita suppliciorum tela jaciuntur ... Manet Dei servus immotus, & erectis in cœlum luminibus Dominum precabatur ...

Ibid. Heu, ait Dacianus, vincimur: ut semper duret in pœna, quærite locum tenebrosum & horridum, ibi fragmenta testarum exasperata passim congerite, ut quidquid jacentis corporis male incisa fractura tetigerit, illisistis figat aculeis; divaricatis præterea cruribus, ligno pedes ejus constringite: inde clausum relinquite .... Implent sine mora ministri quod Judex præceperat, & Dei athletam fortissimum horrendo recludunt ergastulo; sed custodibus dormientibus, repente carceris illius nox æternam accipit lucem, laxatumque ligni robur dissiluit; invictissimus Dei atheleta deambulabat, psalmum Deo & hymnum dicens cum Angelis. Turbati subito expavere custodes, & certius de miraculo explorare contendunt ... Introspicientesque per rimas, sanctum splendida luce circumfusum & cum Angelis canentem & deambulantem vident. Qui mox divino terrore atque respectu compuncti, relicto gentilitatis errore, Christianæ religioni fideliter sese dedere. Hæc ubi rescivit Dacianus, jussit ut referatur ad lectulum, stramentisque mollioribus foveatur. Nolo enim, inquit, gloriosiorem facere, si inter tormenta defecerit ... Delatus Dei martyr ad lectulum ... mox pretiosum resolutum in mortem cœlo spiritum reddidit. Videres circumstantium fidelium frequentiam, sancti vestigia certatim deosculando prolambere, vulnera totius laceri corporis pia curiositate palpare, sanguinem linteis excipere, sacra veneratione posteris profuturum ... Daciani jussu sacrum Vincentii corpus in campo feris objectum mire servatur ... Corpus haud procul residens ... cum adventantes aves reliquas quodam impetu eminus fugaret, advenientem subito immanem lupum in cursu etiam non segni abegit a corpore. Christi An. 302.

Territus ad hæc Dacianus nuntio dixit: Insuatur complicitum cadaver in culeo parricidæ, & demergatur in pelagus. Ergo ut jussum erat, justi cadaver insuitur, & cervice tenus constipatum duris ad molam funibus coarctatur, & in medium maris demergitur. Interea sanctus martyr quemdam virum in extasi conveniens se deportatum ad littus indicat, locumque, in quo jacebat, demonstrat. Qui de visione aliquantulum hæsitans, dum tardius tanto funeri monstratum exhibere parat obsequium, commonita in somnis quædam vidua, nomine Jonica, ætate & sanctitate plenissima, vera signa quiescentis corporis accepit .... Quam visionem non ignorans divinitus sibi esse manifestatam, pluribus Christianæ religionis clam innotescere studuit, & ut ad negotium sibi cœlitus ostensum una pergerent, solerter eos adhortari curavit. Venit ergo ad locum .... Mox beati Vincentii corpus inter ipsa soli aquarumque commercia reperiunt, quem divina miracula pro suæ sanctitatis merito & terris clarificaverunt & pelago. Itaque propter gentilium furorem, non valentes eum digno venerationis tumulare cultu, ad quamdam parvulam detulerunt basilicam sepeliendum. Illius passionis acta in Ecclesiis legi solita testatur Augustinus, qui eorum fragmenta refert in quatuor sermonibus, quos habuit in natali B. Vincentii: adeo verum est Sanctorum natalem in cœlis diem semper celebrasse Ecclesiam. Archi-diaconi dignitas quam antiqua sit, ex iisdem actis liquet; D. enim Vincentius in his dicitur Archi-diaconus. Hic erat primus inter Diaconos, ecclesiasticisque negotiis præficiebatur. Illum olim eligebat Episcopus, veruntamen e gradu sine legitima causa dejicere non poterat. Minores clericos docebat implere partes officii sui, & quomodo in domo Dei deberent conversari. Ipsius etiam erat inquirere in vitam & mores eorum, quos Episcopo sistebat ordinandos. Quandoque Episcopi jussu sacræ doctrinæ ministerium suscipiebat. Archi-diaconi quatuor celebres sunt in Ecclesia: D. Stephanus ab Apostolis institutus, Romæ D. Laurentius, in Hispania D. Vincentius, in Africa Cæcilianus, qui postea fuit Primas Carthaginensis.

Ibid. — Aug. ser. 274. & trib. seq. — *Archi-diacon. officium.* — Leo. ep. 58. — Concil. Carthag. 4. — Acta D. Vincent. — Hier. ad Evagr.

XXV. Probus Pannoniæ Præses imperata sibi persecutione, a Clericis sumpsit exordium, & comprehensum S. Montanum Presbyterum Ecclesiæ Singidunensis, diuque Christianæ Fidei virtutibus conversatum jussit necari. Irenæum quoque Episcopum Sirmiensis Ecclesiæ, pro Fide & commissæ sibi plebis constantia fortiter dimicantem, ad cœlestem palmam simili sententia cogit, renuntiantemque idolis, & impia præcepta contemnentem, vario tormentorum genere confectum, gladio percuti jussit die octavo Idus Aprilis, & corpus ejus projici in fluvium Savi. Passionis ejus circumstantiæ habentur in actis sinceris martyrum. Sed cum his ejus satiata crudelitas non fuisset, & cum sub specia publicæ necessitatis ad urbem Cibalitarum pervenisset, in qua Eusebius ejusdem Ecclesiæ venerandus Antistes moriendo pro Christi nomine da morte & de diabolo noscitur triumphasse: Act. sinc. — Act. sinc. pag. 432. & seq.

Contigit, Domini misericordia providente, ut eodem die comprehensus Pullio Primicerius lectorum, fidei ardore notissimus, a ministris crudelitatis ipsius offerretur examini, dicentibus: Hic in tantam prorupit superbiam, ut non cesset deos & principes blasphemare: quem cum Probus interrogasset de nomine & officio lectoris & Christianæ religionis professione, Pullio respondit: Leves & vani illi sunt, Ibid.

qui

CHRISTI AN. 302.

qui, relicto Creatore suo, vestris superstitionibus acquiescunt. Cæterum devoti & constantes probantur in fide Regis æterni, qui mandata quæ legerint, etiam tormentis prohibentibus, implere contendunt. Probus Præses dixit: Quæ mandata legendo, vel cujus Regis? Pullio respondit: Quæ unum Deum in cœlis indicant tonantem: quæ non posse dici Deum ex ligno & lapide salutifera admonitione testantur, quæ corrigunt noxas, & emendant, quæ innocentes in propositi sui perseverantia & observatione corroborant: quæ virgines integritatis suæ edocent obtinere fastigia; conjugem pudicam in erandis filiis continentiam custodire; quæ dominos servis plus pietate, quam furore persuadent, unius conditionis contemplatione, dominari; quæ docent Regibus justa præcipientibus obedire; sublimioribus potestatibus, cum bona jusserint, obtemperare: quæ præcipiunt parentibus honorem, amicis vicem, inimicis veniam, affectum civibus, hospitibus humanitatem, pauperibus misericordiam, charitatem cunctis, malum nemini facere, accipere patienter illatas injurias, facere omnino nullas, suis bonis cedere, aliena ne oculorum quidem delectatione concupiscere; in perpetuum esse victurum qui pro fide momentaneam mortem, quam vos potestis inferre, contempserit. Hæc si displicent, optime cognita tuo judicio poteris derogare . . . . . Probus dixit: Quid ista? Fac quod jusserunt Imperatores, ut sacrifices. Pullio respondit: Fac quod tibi præceptum est. Ego hoc facturus non sum, quia scriptum est: Sacrificans dæmoniis, & non Deo, eradicabitur . . . . Probus data sententia, flammis jussit eum exuri, moxque raptus a ministris diaboli, & ductus milliario longe a civitate, agonem suum implevit intrepidus, laudans, benedicens, & glorificans Deum. Hæc acta sunt in civitate Cibalitana die quinto Kalendarum Majarum. Sub eodem Præside passus est Victorinus Episcopus Petaviensis, seu Pitaboniensis in superiori Pannonia. Scripsit multa in plerosque sacræ Scripturæ libros, quæ non extant. Illius enim non est commentarius in Apocalypsim, qui sub ejus nomine circumfertur. In eo quippe impugnatur error Millenariorum, quorum opinionem tunc toleratam secutus est Victorinus, teste Hieronymo, qui ejus opera sic laudat: Victorinus non æque latine ut græce noverat, unde opera ejus grandia sensibus viliora videntur compositione verborum.

Roman. Martyr. 2. Nov.

Hier. de script. Eccl. Hier. in Chron.

Arnob. scribit pro religione Christian.

XXVI. Sæviente persecutione, Christianæ veritatis defensorem inter ethnicos præparavit divina providentia, Arnobium scilicet Rhetorem clarum in Africa, qui cum Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab Episcopo impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem septem luculentissimos libros; & tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœdus, sacrum videlicet baptismum impetravit. In fine quarti loquitur de persecutione, quæ tunc exercebatur, & facit mentionem jussionis Imperialis de demolitione ecclesiarum, & de codicibus Christianorum comburendis: ac proinde circa hunc annum opus suum promulgavit. In eo totus est, ut ab ethnicis illatas in Christianos calumnias refellat. Inæqualis & nimius est, & absque operis sui partitione confusus, ut observat D. Hieronymus: quædam etiam in eo cavenda sunt; nec mirum, siquidem nec inter catechumenos tunc erat receptus. Recte tamen Christum esse Deum & hominem confitetur. Christianæ religionis veritatem tribus potissimum argumentis astruit: primum ducitur ex Christi ejusque discipulorum miraculis, quæ coram tot testibus sæpissime facta sunt, ut ea nequidem negarent eorum adversarii. Tertium ex ejusdem religionis sanctitate.

Hieron. epist. 13. ad Paul. & epist. 76. ad Tranq.

Secundum, quod hic subjiciam, ex ejus mirabili propagatione tot inter persecutiones. " Nonne, inquit, vel hæc saltem vobis fidem faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi tempore immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt? Quod nulla jam natio est tam barbari moris, & mansuetudinem nesciens, quæ non ejus amore molliverit asperitatem suam, & in placidos sensus assumpta tranquillitate migraverit? Quod tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Consulti Juris, ac Medici, Philosophiæ etiam secreta rimantes mysteria, hæc expetunt, spretis quibus paulo antea fidebant? Quod ex dominis esse servi, cruciatibus affici omnibus statuerint, malint solvi conjuges matrimoniis, exhæreditari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, & salutaria militiæ sacramenta deponere? Quod cum genera pœnarum tanta sint a vobis proposita religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas, atque interdicta formidinum animosius populo obnitatur, & ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur? An nunquid hæc fieri passim & inaniter crediris fortuitis incursibus assumi has mentes? Itane istud non divinum & sacrum est, aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cum carnificis unci, aliique innumeri cruciatus impendeant credituris, velut a quadam dulcedine atque nectare ebrii cuncta contemnant? O ingratum & impium sæculum. „ Lactantii præceptor fuit Arnobius.

Arnob. lib. 1. *Christiana religionis veritas.*

CHRISTI AN. 303.

XXVII. Anno secundo persecutionis, Christi 303., cum furor vehementius incaluisset, primum Imperatoris missæ sunt litteræ, quibus generali præcepto jubebatur ut omnes ubique locorum ac gentium publice idolis sacrificia ac libationes offerrent. Marcellus Romanus Pontifex successorem habuit Eusebium, cum Ecclesiam administrasset annos quinque. Damasus in carmine scribit Marcellum pro Christo exulem diem extremum obiisse: ejus temporibus gravissima fuit, præsertim Romæ, persecutio. Jam vix iniri potest numerus omnium, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt, martyrum, ac præsertim eorum, qui per Africam & Mauritaniam, & per Thebaidem & Ægyptum sunt interfecti. Quos, quis est, qui cum videret, non admiratus sit innumerabiles ictus flagrorum, & in iis perferendis constantiam illorum revera illustrium Christianæ fidei athletarum: & post verbera certamen cum bestiis humanum sanguinem lambere assuetis, quas admoto igne & candenti ferro adversus illos incitabant. Quæ cum gererentur, nos ipsi præsentes aderamus, inquit Eusebius, ubi & divinam potentiam Servatoris nostri Jesu Christi, cui tunc martyres testimonium perhibebant, præsentem & semetipsam manifeste martyribus exhibentem perspeximus; siquidem voracissimæ bestiæ longo temporis spatio, nec attingere sanctorum corpora, nec propius accedere sunt ausæ . . . . . . Mirari tunc licebat intrepidam sanctorum constantiam. Vidisses tunc adolescentulum vixdum vicesimum ætatis annum ingressum absque vinculis stantem, & manibus in formam crucis expansis, firmo & impavido animo attentissime Deo supplicantem . . . . cum interim ursi & pardi furorem ac mortem anhelitu ipso spirantes membra illius pœne jam morsibus invaderent; qui tamen constrictis divina virtute ipsorum faucibus retro prorsus abscedebant. Vidisses alios quinque efferato objectos tauro, qui quosdam infideles cornibus in sublime jactatos discerpebat: ad solos autem martyres, cum in eos furens & minabundus irrueret, ne accedere quidem poterat; sed pedibus terram quatiens, licet candenti ferro exstimulatus, retro avertebatur. Aliæ rursus in illos immissæ sunt bestiæ. Denique post multiplices bestiarum incursus, cuncti gladio confossi, sepulchri loco marinis gurgitibus commissi sunt. Fideles Ægypti sic in urbe Tyro pro pietate gloriose dimicarunt.

Eus. l. de martyr. Palæst. cap. 3. *Persecutio fit universalis.*

Eus. hist. l. 8. c. 6. & 7.

Ejusdem generis innumerabiles alii cum uxoribus & liberis varia mortis genera sustinuerunt. Alii post ungulas & fidiculas, & post crudelissima verbera flammis absumpti sunt; alii in mare demersi, alii carnificibus capita sua amputanda alacri animo præbuerunt, nonnulli tormentis ipsis immortui, quidam fame consumpti, alii demum in crucem acti: & quidam capite deorsum verso clavis confixi, & vivi eo usque servati, quoad in ipsis patibulis fame interiissent. In Thebaide plures acutis testis vice ungularum adhibitis toto corpore ad mortem usque lacerati. Mulieres vero altero pede religatæ sublimes, capite deorsum, nudis corporibus. Alii rursus ad arbores & ramos colligati interiere. Nam cum robustissimos ramos inflexos machinamentis in unum coire fecissent, martyrum cruribus utrimque ad eos religatis, ramos in naturalem situm reverti sinebant, ut membra eorum,

Ib. c. 8.

Ib. c. 9.

CHRISTI AN. 303. adversus quos hæc excogitaverant, uno simul impetu discerperentus. Atque hæc omnia non paucis diebus, sed prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata sunt: cum nunc deni, interdum viceni & amplius, nonnunquam sexaginta, & quandoque centeni viri simul ac mulieres cum parvulis uno die interficerentur.

Ibid. Nos quoque, addit Eusebius, cum in illis partibus degeremus, quamplurimos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus, adeo ut gladii ipsi hebetarentur, & cædere amplius non valentes frangerentur; ipsique carnifices viribus fatiscentes sibi invicem succederent; quo quidem mirabilem animi ardorem, vereque divinam virtutem Fidelium oculis nostris conspeximus: Etenim viadum adversus primos lata erat sententis, cum alii ad tribunal Judicis prosilierunt, Christianos sese confessi: & pericula quidem cunctaque multiformium tormentorum genera parvi ducebant: Supremi vero omnium Numinis cultum libera voce absque ullo metu profitebantur, & cum gaudio atque hilaritate ridentes capitalem sententiam excipiebant. Urbem quamdam Christianorum
Ib. c. 11. in Phrygia milites armati obsidione cinxerunt, injectoque igne totam una cum viris ac mulieribus ac parvulis Christum omnium Deum invocantibus concremarunt, hanc scilicet ob causam, quod universi ejus urbis incolæ, & curator ipse ac magistratus cum honoratis omnibus ac plebeis Christianos se esse professi, sacrificare jubentibus nullo modo obtemperabant. Quidam etiam Adauctus nomine, claro in Italia genere ortus, Romana dignitate conspicuus, & per omnes honorum gradus in Imperatorum palatio provectus, quippe qui procurationem summæ rei, & magistri, ut vocant, ac Rationalis officium integerrime gessisset, præter hæc omnia multis præclaris actibus inter Fideles, & nominis Christi confessionibus nobilitatus, dum adhuc Rationalis officium administraret, pro vera pietate decertans,
Ib. c. 12. martyrii corona exornatus est. Alii partim securibus cæsi sunt, ut in Arabia contigit; partim suffractis cruribus interiere, quemadmodum accidit in Cappadocia: nonnulli capite deorsum verso pedibus suspensi, leni ac semissio igne subtus accenso, flagrantis materiæ fumo suffocati sunt, ut in Mesopotamia factum est: alii naso, auribus & manibus truncati, cæterisque corporis membris mutilati sunt, atque concisi, ut contigit Aleandriæ.

Ib. c. 12. Antiochiæ vero quidam craticulis impositi, non ad mortem usque, sed ad diuturnitatem supplicii torrebantur. Alii dexteras suas in ignem immittere maluerunt, quam impia libamina contingere. Ex quibus nonnulli periculum vitantes, priusquam caperentur, ex sublimibus tabulatis præcipites se dederunt, propter impiorum malitiam mortem lucro deputantes. Quædam etiam sanctissima fœmina, &
Joan. Crysost. tom. 1. hom. 51. Eus. ib. ob animi fortitudinem admirabilis, opibus ac splendore generis bonaque imprimis fama Antiochiæ percelebris, nomine Domnina, quæ duas filias virgines Prosdocem & Bernicem corporis forma & ætatis flore præstantes, Christianæ religionis præceptis instituerat, cum jam propinqui suos proderent ac traderent judicibus, cum eis fugit Edessam. Cum plurimi, stimulante ipsos invidia, earum latebras curiosius investigarent, deinde comperto eas apud exteros degere, virginum pater venit ad hanc urbem militibus ad capiendam prædam stipatus; conjugemque & filias dum reducit, venerunt Hierapolim, inde ad urbem sacram qua redibant, fluvius præterfluebat. Cum ergo mater se ac filias in militum laqueos incidisse sentiret, ad inopiam consilii redacta, filias allocuta est, & quanta ipsis mala a militibus imminerent, exposuit: omnium vero malorum gravissimum ac maxime intolerabile esse stuprum, cujus minas ne auditu quidem sustinere sibi ipsi ac filiabus fas esset. Ad hæc animam servituti & obsequio dæmonum mancipare, omni morte exitioque pejus esse cum dixisset, unicum adversus hæc omnia remedium esse admonuit, si ad opem Christi confugerent. His dictis, idem omnes consilium amplexæ, clam militibus, qui prandium sumebant, & inebriabantur, & fortassis conscio patre, ut milites fallerent, compositis honeste ac decenter vestibus, in præfluentem fluvium se conjecerunt, & hæ quidem semetipsas ita submerserunt. Duæ aliæ virgines Antiochiæ, divinæ prorsus ac germanæ per omnia sorores, splendore quidem natalium, opibus, ætate & forma florentes, CHRISTI AN. 303.
sed gravitate morum, mentis pietate, studioque & industria clariores, perinde ac si terra tantum decus ferre non posset, a cultoribus dæmonum jussæ sunt in mare præcipitari. Ibidem alii plures passi sunt, Martyr. Roman. 9. Jun.
quos inter memorantur Basilissus, Antonius presbyter, Anastasius, Marcionilla & puer Celsus, & septem fratres. In Syria superiore Sergius & Bacchus, qui postea claruere miraculis.

Quæ apud Pontum gesta sunt, vel ipso dictu incutiunt horrorem. Aliis manuum digiti a summis Eus. ib.
usque unguibus acutis arundinibus transfigebantur. Aliis plumbo ignis vi liquefacto, bulliente ac fervente metallo terga adurebantur, & corporis partes maxime necessariæ torrebantur. Quidam in visceribus ac pudendis partibus fœdos atque inexplicabiles cruciatus absque ulla miseratione pertulerunt, prout scilicet generosi illi atque æqui Judices solertiam suam ostentantes, quasi hoc virtutis alicujus ac prudentiæ esset, ambitiosius excogitabant, novis quotidie suppliciorum inventis superare se invicem contendentes. In Cilicia quoque plurimi sub Lysia Præside fuere martyres, quorum notissimi sunt Zenobius Ægeæ civitatis Episcopus cum sorore Zenobia.

Timotheus apud Gazam urbem Palæstinæ innumera perpessus tormenta, tandem tenui ac lento Eus. l. de martyr. Palæst. cap. 3.
igne consumptus, cum sinceræ erga Deum pietatis luculentissimum specimen edidisset, constanti in omnibus tolerantia coronam martyrii reportavit. Agapius quoque & Thecla damnati sunt ad bestias. Ingens omnium rumor erat, Christianos, qui nuper damnati fuerant, cum bestiis pugnaturos in quadam Gentilium solemnitate; cumque hujus rei fama apud omnes increbresceret, adolescentes numero sex, quorum unus natione Ponticus, Timolaus vocabatur, alter Tripoli Phœnices urbe oriundus erat, Dionysius nomine, tertius Diospolitanæ Ecclesiæ Subdiaconus, Romulus dicebatur; post hos Ægyptii duo, Pausis & Alexander, & alter Alexander, Gaza oriundus: Hi, inquam, omnes colligatis prius manibus, ut se ad subeundum martyrium promptos ac paratos ostenderent, contento cursu, ad Urbanum Præsidem, qui tunc forte ad amphitheatrum proficiscebatur, advolarunt, Christianos se esse confitentes, palamque omnibus facientes, præ fiducia animi adversus cuncta discrimina confirmati, eos qui verum Dei cultum profitentur, ne bestiarum quidem incursus formidare. Ac protinus quidem, cum & Præsidem ipsum, & eos qui astabant, non mediocri admiratione percussissent, custodiæ mancipati sunt. Paucis post diebus, cum alii duo ipsis accessissent, quorum alter Agapius nomine, jam dudum ante illos varia tormenta perpessus, multis confessionibus inclaruerat; alter nomine Dionysius, res ipsis ad corporis usum necessarias subministrabat: octo omnes uno eodemque die in urbe Cæsarea præcisis capitibus interierunt ante diem nonum Kalendas Apriles. Eus. hist. l. 8. c. 13.
Omnium in Phœnice martyrum nobilissimi, Christianique gregis fuere pastores, Tyrannio Ecclesiæ Tyriorum Episcopus, qui in profundum mare demersus est; & Zenobius medicus, & postea Presbyter apud Sidonem, qui dum ungulis latera ipsi sulcarentur, in mediis cruciatibus forti animo immortuus est.

XXVIII. Theotecnus Galatiæ Præses, homo Act. sinc.
violentus, cæde & sanguine gaudens, Imperatori adversus Ecclesiam belligeranti promiserat, quod si illius regionis gubernatio sibi crederetur, omnes, quotquot hic sunt, Christianos brevi tempore traduceret ad impietatem. Hic sola sui adventus fama pios omnes sic exterruit, ut desolata fuerit plenitudo Ecclesiæ, & fugitivis impletæ solitudines montiumque cacumina ..... Præmittebat enim nuntios palam declarantes animi sui consilia pessima; vix priores excusserant e pedibus pulverem, quin novi supervenirent afferentes edicta totius persecutionis, quæ cum proposita essent, & primi quique ex Fratribus ad custodiam ferro vincti tenerentur in carcere; Christianorum nemo apparebat in publico, palam autem expilabantur eorum ædes, prodebantur amici ..... Mulieres ingenuæ, virginesque a lascivis hominibus inverecunde raptabantur. Deerat jam fugitivis salutis locus, & ab aris recesserant Sacerdotes, derelinquentes vestibula ecclesiarum:

Christi An. 303. rum : omni supplicio gravior digressis instabat fames. Per totam quippe vagantes solitudinem, & in spelæis atqua cavernis, ut quisque latebram invenerat, se continentes, noo poterant diu tolerare esuriem; quin multi se comprehendendos præberent, misericordiam se consecuturos rati. Et paulo anta nullius indigi, tunc radicibus vescebantur & herbis.

Act. sinc. Theodotus, qui Ancyræ cauponariam exercebat, decertabat pro divinis institutis, multa pericula adiens. Hic a prima juventuta adversus voluptates famulantam sibi habuit jejunii consuetudinem, temperantiam adversus cupiditates corporis, & contra divitiarum abundantiam, osum sua distribuendi pauperibus. Multos ille abduxit a pravitata, eos velut a pestifero morbo curans instructione opportuna, & sanans oratione. Quin atiam doctrina & cahortatione admirabili, Paganorum atqua Judæorum numerum magnum adduxit ad Ecclesiam. Injuriam passis pro virili succurrebat, infirmis collaborabat, afflictis compatiebatur, particeps ipse passionum alienarum & charitate plenus. Quod autem imprimis admireris, etiam manus imponens quantumcunque iucurabili infirmitata detentis, liberabat morbo, suas eis preces pro medicina adhibens. Ex ejus disciplina ooo pauci numerantur, qui pro Christo non solum spreverunt flagra, sed etiam mortem qualemcnoque. Sæviente persecutione, ejus domus erat portus tranquillus religionis, illuc confluentibus, ibidemque abditis ad orationem locus munitus. Assumpto enim cauponarii quæstus prætextu in occasionem exercendæ pietatis, aliquandiu mansit inobservatus .... Ad tormenta perferenda animabat eos qui ducebantur captivi, atque aotea aras constitutos hortabatur pro Christo suscipere mortem. Ingens vero labor ei erat cum piis, qui detinebantur in custodia, & interfectos ab impiis conabatur contegere. Eorum anim corpora, qui variis tormentis fuerant oecati, projiciebantur caoibus in escam: & si quis inveniebatur eorum curare sepulturam, idem sustinebat supplicium. Theotecnus jusserat omnem humani victus speciem idolothytis inquinari, panem scilicet ac vinum, ut nec Deo quidem omnium Domino posset oblatio muoda exhiberi, & publicitus constituerat sacerdotes erroris qui id curarent .... Molestissimo huic commento celeriter remedium adinvenit martyr, quidquid enim prius emerat a Christianis, iisdem revendebat ad necessitatem faciendæ oblationis. Oblationes ergo sacras & conventus ne tunc quidem intermittebant Episcopi.

Ibid. Vicus arae distans ad quadragesimum ab urbe lapidem, Malus nomine .... Ad speluncam oon procul ab eo distaotem venit Theodotus, aom sancti & gloriosi martyris Valentis reliqoiæ, ejus nempe qui apud Medicones primum per moltas plagas, ac deniqua per ignem transierat, conjectæ essent in vorticosas aquas fluminis Halyos, quas ille sustulit. Istic aotem divina quadam ordinationa accidit ot Fratribus quibusdam occurreret, qui salutaro ei multas accumulabant actiones gratiarum, tanquam commnoi omnium afflictorum benefactori, & singillatim meminerant suæ erga eum obligationis, quod cum non ita pridem essent a propriis suis consanguineis detenti, qui festinabant eos tradere Præfectis, quia Dianæ aram subverterant, eos sanctus magno molimioe nec exiguo sumptu usus, ægra demum exemerat vinculis. Rogavit eos ut secum cibum sumerent. Illis super herbam recumbentibus .... quosdam e sociis sanctus misit ad vicum, qui sibi advocareot Presbyterum, qui simul pranderet, & profecturos consuetis ad iter muniret precationibus. Cum argo in viaum vanissent qui missi erant, occurrerunt Frontoni presbytero egredienti ab ecclesia, exponuntqua cujus causa venerint. Accedens igitur, & sanctum cum Fratribus osculatus, rogavit ot simul omnes venireot in domum suam. Ille vero escusabat se, eo quod festinaret ad Metropolim regredi, ut Fratribus in necessitate constitutis opitularetur. Tum sacerdotem adhortatur, ut martyrum memoriam sic ædificaret, promittens sa brevi subministraturum sacras reliquias. Atque hæc dicens, detraxit digito aonulum, deditque presbytero, & ait: Dominus testis sit inter me & te, quia brevi tibi providebitur de reliquiis, indicans scilicet vel alium se missurum, vel ipsummet venturum. Festinabat enim certaminis sui cursum absolvere. Reversus in urbem, ibi reperit velut a terræ motu eversa omnia. Christi An 303.

Virgines septem erant a prima ætate exercitatæ ad virtutem. Has cum tyranous comprehendisset, multisqua illatis tormentis non potuisset ad impietatem traducere, lascivis adolescentibus tradi violandas jussit .... Cum ducerentur ingemiscentes profuode, manusque cum oculis tollentes in cœlum: Domine, inquiebant, Jesu Christe, quandiu io oostra fuit potestate custodire virginitatem illibatam, oosti quam diligenter id fecerimus usque in hodiernum diem: ounc vero impudici adolescentes potestatem in aorpora nostra acceperunt. Hæc cum supplicantes dicerent, & lacrymarentur, seniorem ipsarum, Tecusam oomine, in partem trasit eorum nous impudentior. Ipsa vero flens, & pedes ejus tenens: Quodoam, inquit, o fili, ex me tibi lucrum, aut quæ voluptas esse poterit, commisceri corporibus senio, jejunio, morbo, cruciatuque, ut vides, consumptis? Jam anim septuagesimum supergrediebatur aonum, & reliquæ haud minoris ferma erant ætatis. Quin potius pro nobis accipite Dominum Jesum Christum, magnas vobis gratias redditurum. Sic illa aum lacrymis affata juvenem, & velum raptim discerpens, ostendebat ei capitis sui caoitiem. Talia cum diceret Tecusa, statim adolescentes, posito libidinis æstu, soluti etiam ipsi io lacrymas, virginibusque compatientes abierunt.

Audiens Theotecnus, quod constupratæ non essent, jussit eas fieri Dianæ atque Minervæ sacerdotes, ut quot annis justa morem lavarent earum simulacra in vicino lacu. Recurrebat tunc lavandorum idolorum anniversa dies. Cum ergo oporteras eorum singula vehiculis imponi, jussit etiam ipsas ad paludem duci. Vehebant ergo illas, nudatis corporibus, rectas stantes in curribus, ad verecundiam irrisionemque. Post ipsas vero vehebantur & idola. Simul etiam egrediebatur multitudo universæ civitatis ad spectaculum futurum. Virginum alii senium miserabantur, quidam admirabantur aonstantiam, nonnulli laudabant modestiam, omnes vero conspiciendo illas confectas plagis lacrymabantur. Ibid.

Theodotus pro illis sollicitus .... multis precibus eaorabat Deum, ut illas in agone juvaret. Ad hoc vero se concluserat in parva domuncula prope confessionem Patriarcharum, quæ pauperis cujusdam erat, Theocaridis nomine, una cum Polychronio, qui arat nepos Tecusæ martyris, & Theodoro juniore, aliisque nonnullis Christianis. Jacuaruot autem simul omnes in oratione a primo mane usque ad horam sextam, quando Theocaridis uxor nuntiavit virginum corpora in lacu submersa esse... Præses anm promissis & minis nibil proficeret, jusserat lapides earum illigari collis, navigioqua parvo impositas devehi, ubi profundior lacus erat. His auditis ibidem usque ad vesperam sa cootinuit, consultans qua rationa possent corpora educi e lacu. Sub occasum solis adolescens Christianus, nomine Glycerius, ei significavit, quod Theotecnus jusserit ad lacum permanere milites, custodes corporum futuros. Magno mœrore correptus fuit sanctus; divertit ad Theocaridis habitaculum. Ibi cum aliquantulom obdormisset, apparuit ei beata Tecusa dicens: Domine fili Theodore, ne, obsecro, sinas nostra corpora sub aquis laci fieri escam piscium, nam & post duos dies magnum te exspectat certamen. Surgens igitur accede ad paludem; verum cave tibi a proditore. Atque hæc dicens, recessit. Ibid.

Tunc exurgens a somno, oblatam sibi visionem exposuit Fratribus; cumqua illuxisset, Glycerium cum Theocaride miserunt accuratius exploraturum, quid asset de militibus, recessisse illos suspicati propter festum Dianæ, quam eo die celebrabant impii. Sed renuotiaruot adhuc eos perstare in custodia. Continuerunt argo sase illa die. Vespera facto, egressi sunt versus paludem jejuni, acutas secum falces deferentes. Teoebræ profundæ erant. Rursum ergo perterrefacti, Crucis signum suæ quisque impressit fronti. Igitur fideles tertio sæculo aliquod in eo præsidium positum esse credebant... Huic incommodo accedebat vehemeos imber. Substiterunt igitur rursus ad orandum. Subito apparuit

Christi An. 303.

paruit eis ignita lampas viam præmonstrans. Apparuerunt etiam viri duo splendidas induti vestes, capillo ac barba cani, atque dicentes: confide, Theodote, Dominus enim Jesus Christus nomen tuum inter martyres descripsit .... Veniens ad paludem, videbis sanctum Sosandrum armatum, qui custodibus formidinem incutit. Sed non debebas tecum adducere proditorem. Tunc facta sunt fulmina multa & tonitrua & imbres. Custodes præterea cernentes virum procerum armatum clypeo, thorace, galea & hasta, ex quibus undique absistebat ignis. Hic erat sanctus & gloriosus martyr Sosander, cujus aspectu conterriti, ad vicina fugerunt tuguriola. Aqua vero ventorum impetu in alterum propulsa littus, usque eo recesserat, ut fundus appareret siccus, & virginum corpora conspicerentur: quibus innexos funes præciderunt falcibus, efferentesque imposuerunt jumentis, atque venerunt ad ædem Patriarcharum, sepelientes ea in vicino monumento. Virginum autem nomina hæc sunt. Tecusa, Alexandra, Phaine, Claudia, Euphrosia, Matrona & Julitta. Tres priores Apotactitæ dicunt esse suas, sicut revera sunt. Apotactitæ vero dicebantur qui suis facultatibus renuntiantes, Apostolicam vitam sectabantur. Facta die, civitas universa æstuare cœpit propter raptum sacrorum corporum. Itaque mox ac Christianus aliquis conspiciebatur, trahebatur in quæstionem. Multis sic comprehensis, Theodotus seipsum tradere volens, prohibitus est a Fratribus. Polychronius autem mutato habitu se transformans in rusticum, in forum abiit ad veritatem totam certius explorandam. Sed mox comprehensus ab aliquibus, adductusque ad Præsidem, qui eum plagis mulctato mortem minaretur, strictum intentandum gladium, terrori cessit, fassus de reliquiis virginum, quodque eas de lacu tulisset Theodotus, & locum, ubi eas abdiderat, indicavit. Accipientes ergo sancta corpora ex sepulchris combusserunt illa. Hæc Theodoto quidam renuntiarunt.

Thedotus valedicens Fratribus, jubensque ne ab oratione cessarent, præparavit se ad verbera sustinenda, sic prolixe cum aliis precatus: Domine Jesu Christe, da mihi certaminis cursum perficere.... compesce tempestatem, ut æque & profunda tranquillitate potiantur omnes qui in te credunt; totumque corpus suum signo Crucis muniens, in stadium processit animo imperterrito .... seque accusatoribus suis sistit. Ingressus ad tribunal stabat intrepidus, vultuque subridenti præparata intuebatur tormenta. Erat enim accensus focus, & lebetes ferventes, rotæque, & alia plura cruciatuum instrumenta exposita. Sic astantem conspiciens Theotecnus: nihil propositorum suppliciorum, inquit, experieris, si persuaderi tibi sinas, ut sapere velis & sacrifices .... Quin etiam nostra præ aliis frueris amicitia, & victoriosissimis Imperatoribus carus evades, dignusque habeberis quem & suis dignentur literis, quique ipsis scribas. Toti urbi dominaberis factus sacerdos Apollinis.... Per te ordinabuntur sacerdotes, per te fient promotiones dignitatum, per te supplicabitur magistratibus pro patria, & legationes pro communibus causis ad Imperatores deferentur; affluentque tibi cum virtute divitiæ .... Ille sic respondit, ut deorum turpitudines ostenderet, Christique divinitatem prophetiis & miraculis comprobaret. Talia eum diceret, commota est universa multitudo idololatrarum .... Sacerdotibus vestes lacerantibus & coronas discerpentibus, populo autem vociferante & accusante Proconsulem, quod non ageret ex jure cum homine, verberum & mortis reo .... Hinc ergo magis exacerbatus Theotecnus mandavit satellitibus, ut statim sanctum tollerent in lignum. Nullum feralium instrumentorum permissum est otiosum, non ignis, non ferrum, non ungulæ, quibus ejus latera lacerabant. Martyr læto vultu intuebatur percutientes, habebat enim adjuvantem se Dominum nostrum Jesum Christum, usque dum verberantes lassarentur: & his deficientibus succedebant alii. Tunc jussit Theotecnus fortissimum acetum infundi lateribus ejus, & lampades flammantes admoveri: cumque sanctus martyr nonnihil avertisset nares, de throno suo exiliens Theotecnus: Ubi nunc, inquit, Theodote, verborum tuorum generositas? Video enim tantum non victum te tormentis cedere .... Cui martyr: Nihil te permoveat, Proconsul, quod videris me contorsisse nares, sed jube potius ut satellites tui exequantur mandata; conspicio enim eos remissius agere. Tu vero tormenta excogita, ut fortitudinem meam experiaris: quin potius agnosce Dominum Jesum adjuvantem me, per quem te velut mancipium contemno, & impios tuos Imperatores despicio. Hæc loquentis maxillas jussit Theotecnus saxis pulsari, & dentes excuti.

Christi An. 303.

Fessis laniando corpus lictoribus mandavit Præses, ex ligno depositum claudi carcere .... Cum per medium duceretur forum toto concisus corpore, ipsisque vulneribus victoriam ostentans, concurrentes undique ad spectaculum cives invitabat, ad cognoscendam ex iis, quæ passus erat, Christi potentiam; qui citra personarum acceptionem Dominus universorum universis præstat ejusmodi gratiam .... Convenit, inquit, credentibus in Christum hujusmodi sacrificia ei offerre, qualia ego obtuli, quandoquidem prior ipse pro unoquoque nostrum sic passus sit. Post dies quinque Theotecnus satellitibus mandavit adducere martyrem, quem iterum tentavit ingentibus promissis, denuntiatisque cruciatibus gravissimis. Utraque contempsit Theodotus .... Quapropter iterum jussit eum applicari ad lignum, & utrimque adstantes lictores cœperunt priorum vulnerum loca scrutari, & ungulas quam profundissime lateribus infigere. Interim gloriosus martyr voce magna fidem confitebatur. Videns Præses fatigatos tortores deficere, jussit eum supra ignitas testulas collocari; quibus interiora corporis penetrantibus, gravissimum dolorem sentiens Theodotus, oravit dicens: Domine Jesu Christe, exaudi orationem meam, & cruciatum hunc mitiga. Præses mandavit tertio in equuleo appendi sublatum, ac denuo priores plagas sulcari. Sed nullum corporis sui sensum ostendebat martyr .... Sola lingua ejus permanebat illæsa glorificans Deum, quam ei servare ad negandum volebant impii. Tandem Theotecnus tulit in eum sententiam dicens: Theodotum protectorem Galilæorum, deorum vero hostem, potestas nostra jubet gladii subire pœnam, & decollari corpus igne comburi, ne illud nacti Christiani sepeliant .... Cum ad locum pervenisset, orare cœpit martyr pro concessa sibi victoria & gloria, & adjecit, da requiem servis tuis, atque in me siste violentiam inimicorum, da Ecclesiæ tuæ pacem .... Et gaudens excepit gladium.

Tunc pyra ingenti constructa, cadaver sancti martyris in ipsam conjecere lictores, multam materiam circumponentes: sed subito apparuit supra pyram lumen circumquaque refulgens, ita ut nemo eorum, qui ignem succensuri erant, accedere auderet; atque ita sacrum corpus intra pyram illæsum permansit. Nuntiantibus id Theotecno famulis suis, jussit milites illud custodire. Advenit eodem ex vico malo presbyter Fronto ferens annulum sancti martyris, habens etiam jumentum vino veteri onustum; agriculturam enim exercebat egregius iste vir. Ex Dei providentia procubuit asina supra locum, ubi jacebat corpus martyris. Quod videntes custodes, accurrerunt, dixeruntque presbytero. Quo pergis hospes profunda jam vespera? Quin tu potius venis & manes nobiscum, ubi asina tua large pascetur. Ergo a via asinam deflectens, in tugurium ingressus est, quod illi pro se straxerant præcedenti die. Jacebat autem juxta tugurium cadaver martyris, ramis super injectis fœnoque opertum .... Invitant eum ad bibendum secum. Ille postulans poculum exoneravit asinam, illudque proprio suo vino implens singulis porrigit .... Inter bibendum sermocinabantur de plagis, quas acceperant propter quasdam fœminas in stagnum demersas, quas inde abstulerat Theodotus, cujus martyrium ab iis solerter didicit Fronto, & locum, in quo jacebat ejus cadaver, quod custodire jussi erant propter Christianos. Fronto vel ex errore, vel ex imprudentia, amplius illis offerebat de vino, usque dum illi inebriati somno gravi correpti sunt: tunc venerandum corpus tollens imposuit asinæ suæ; deinde ramos & fœnum, ut jacuerant supra sanctum, sic iterum composuit, ut custodes non suspicarentur aliquid esse ablatum. Asina autem deducta ab Angelo per devia loca abiit in malum, & cum suo onere procubuit in eo loco, ubi nunc est confessio S. Martyris Theodoti. Hæc ego Nilus, qui in custodia fui cum eo, & singula novi, cum diligentia vobis tradidi.

XXIX. Ve-

Christi An. 303. — Lact. de mort. persec. c. 16. & 17. — Eutrop. lib. 10. — *D. Genesius mart.* — Act. sinc.

XXIX. Vexabatur universa terra, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. Hoc scelere perpetrato, Diocletianus, cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembres, quo tempore triumphum ex multis gentibus hactenus dilatum egit uterque Imperator, pompa ferculorum illustri, qua Narsei conjux, sororesque & liberi ante currum ducti sunt. Circa idem tempus Romæ passus est B. Genesius magister mimithelinæ artis. Quadam die cum vellet Diocletiano ludum exhibere de mysterio Christianæ observantiæ ..... in medio theatri quasi ægrotus se postulavit baptizari .... Evocato presbytero & exorcista, repente, Deo inspirante, credidit; nam illi juxta lectum ipsius eum resedissent, dicunt ei: Quid ad nos misisti, filiole? Genesius jam non simulate ac ficte, sed ex puro corde respondit: Quia accipere cupio gratiam Christi, per quam renatus liberer a ruina iniquitatum mearum: cumque sacramentorum mysteria complessent, & indutus vestibus albis esset, veluti per ludum a militibus raptus, & ad similitudinem sanctorum martyrum de Christi discutiendus nomine, Imperatori fuisset exhibitus, stans in editiori loco, ita concionatus est.

Ibid.

Audi Imperator, & omnis exercitus, sapientes & populi hujus urbis. Ego quotiescunque Christianum vel nominatum audivi, exhorrui, & in confessione permanentibus insultavi. Ego etiam parentes meos, & affines causa Christiani nominis execratus sum, & in tanta derisione habui Christianos, ut mysteria eorum diligenti examinatione perquirerem, ut ea eorum sanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi aqua me nudum tetigit, & interrogatus credere me respondi, vidi super me manum cœlitus venientem, & Angelos radiantes super me stetisse, qui omnia peccata, quæ ab infantia feci, recitaverunt de libro, quæ mox in ipsa aqua laverunt, in qua in conspectu vestro perfusus sum, & mihi candidiorem nive postmodum ostenderunt. Nunc igitur, inclite Imperator, & vos omnes populi, qui de his mysteriis risistis, mecum credite Dominum verum esse Christum, hunc esse lumen, hunc esse veritatem, hunc esse pietatem, & per ipsum vos ad indulgentiam posse pertingere. Ad hæc Imperator Diocletianus vehementissime indignatus, statim eum fustibus crudelissime cæsum Plautiano præfecto tradidit ad sacrifica compellendum; a quo in equuleo suspensus, & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide persisteret dicens, non est Rex præter eum, quem vidi, & adoro, & colo eum, & pro ejus cultura si millies occidar, ipsius ero ut cœpi, Christum mihi de ore, Christum mihi de corde auferre tormenta non poterunt, valde enim pœnitet me errasse, quod nomen sanctum in hominibus sanctis exhorrui, & tardius ad adorandum verum Regem superbus miles accessi...... martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit octavo Kalendas Septembris. Illius baptismatis, quod in theatro recepit, minister cum fuerit mimus, qui per jocum imitabatur mysterium Christianorum, cui proinde defuit vera & sincera intentio baptizandi, qualem requirit Tridentinum, dicendum videtur eum fuisse baptizatum in sanguine suo, quamvis, dum aqua ablueretur, peccatorum remissionem consecutus sit per fidem operantem per charitatem.

Trid. sess. 7. can. 11. & sess. 14. c. 6. — *Martyres.* — Ambr. de exhort. virg. c. 12.

Ibidem plures tunc pro Christo animas suas posuere: quos inter eminent Soteris virgo nobilis majorum prosapia; consulatus & præfecturas parentum posthabuit Fidei, & immolare jussa non acquievit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet, vel pudori. At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta martyrio, & vultum offerens, ut martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris ..... tam fortis & patiens, ut prius carnifex cædendo defecerit, quam martyr injuriæ cederet .... non gemitum, non lacrymam dedit. Denique cum cætera pœnarum genera vicisset, gladium, quem quærebat, invenit. Beata quoque Agnes annorum tredecim ætatem vicit & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecravit. Hanc a præfecti filio in uxorem petitam fuisse ferunt: at illa, Et hæc sponsi injuria est, inquit, exspectare

Idem l. 3. de virg. cap. 6. — Hieron. epist. ad Demetr. — Ambr. l. 1. de virg. cap. 2.

placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit, & palmam tulit. Perpetuæ quoque famæ nomen commendavit Pancratius adolescens quatuordecim annorum, pro Christo fortiter obeundo mortem. Sebastianus quoque civis Mediolanensis, advertens hic tepere certamen, Romam profectus est, ubi propter Fidei studium, persecutionis acerbe fervebant. Ibi passus est, hoc est, ibi coronatus .... Marcellinus presbyter, & Petrus exorcista Judicis jussu ad sylvam nigram perducti sunt, ibique capite truncati, ut eorum corpora sic prorsus laterent. Lucilla divinitus admonita ea collegit & sepelivit. Hæc Papa Damasus, cum lector esset, puerulus didicit ab eo qui eos decollaverat; factus Episcopus, versibus celebravit. Porro locus ille memoria horum martyrum illustris redditus est; & a fidelibus non amplius sylva nigra, sed candida dictus est, sede quoque Episcopali postea insignitus. Aliorum plurimorum memoriam conservant Martyrologia.

Christi An. 303. — Ambr. in Ps. 118. num. 44. — Damas. carm.

Illustriores inter martyres Italiæ celebrantur Bononiæ Agricola & servus ejus Vitalis, qui prior fuit in passione. S. Vitalis cum cogeretur a persecutoribus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Jesum Christum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore ejus sine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum dicens: Domine Jesu Christe Salvator meus & Deus meus, jube suscipi spiritum meum, quia jam desidero, ut accipiam coronam, quam Angelus sanctus tuus mihi ostendit; & completa oratione, emisit spiritum. S. Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur, ideoque differebant ejus passionem. Supplicio servi dominum terrere voluerunt. Vertit hoc Christus in gratiam, ut martyrio servi dominus invitaretur. Reipsa ubi non adquievit S. Agricola, crucifixus est. Ambo sepulti sunt inter sepulchra Judæorum; eorum sacras reliquias postea inde extulit D. Ambrosius. Mediolani sancti Nazarius & Celsus, Nabor & Felix, Gervasius & Protasius, quorum corpora pariter levavit idem Ambrosius; Aquilejæ S. Cantius, Cantianus & Cantianilla ex Anicia familia consulari, dum consessa rheda fugam parant, mula jugali repente corruente comprehenduntur, unaque cum pædagogo ipsorum Proto propter Fidei confessionem interficiuntur.

Ambr. lib. de exhort. vir. c. 1. & 2. — Paulin. in vit. Ambr.

XXX. Eodem tempore Venustianus Augustalis Tusciæ cœpit curiose quærere si alicubi Christianum occultum inveniret, & divulgatus est ei Savinus Episcopus, vir eloquentissimus, in omnibus divinis instructionibus gratia Domini Jesu Christi repletus: mittens ergo milites tenuit eum in civitate Assisinari, & in eodem loco custodiæ mancipavit cum duobus diaconibus Marcello & Exuperantio, & multis clericis cum eis. Alia die venit Assisium Venustianus; tum oblatus est ei Savinus Episcopus cum duobus diaconibus suis, cui dixit: Elige tibi de duobus unum; aut sacrifica diis, & vive; aut certe tormentis, quibus dignus es, necaberis, & resurge sicut Dominus tuus Christus. Respondens Savinus Episcopus dixit: Et ego desidero necari & mori, ut resurgam sicut Dominus meus Jesus Christus. Deinde idolorum vanitatem ostendit..... & adjecit, deferatur huc Deus tuus. Venustianus hunc jussit adduci. Erat miræ facturæ ex lapide coralite Jovis, & vestimenta ejus deaurata erant. Tunc B. Savinus accepto Jove in manibus suis, oratione facta, continuo elisit eum in pavimento, & confregit deum Jovem. Hoc videns Venustianus tutudit cum furore frontem suam dicens: Sacrilegum Savinum, qui pertinacia sua confregit deum Jovem nostrum, omnibus præsentibus truncari præcipio. Eadem vero hora præcisæ sunt manus ejus ambæ. Marcellus & Exuperantius ejus diaconi diutissime timere & trepidare cœperunt, quos B. Savinus confortavit.

Act. sinc. Baluz. lib. 2. Miscel.

Exuperantius & Marcellus accepta fiducia cœperunt clamare: Pereant dii dæmoniorum, & lætetur cor quærentium Dominum. Tunc Venustianus jussit in conspectu suo Marcellum & Exuperantium in equuleo suspendi, præsente S. Savino, qui eos adhortabatur..... & cum diu cæderentur, clamabant: Gloria tibi Domine Jesu bone, quia meruimus introire in requiem tuam. Dicit ad eos Venustia-

CHRISTI An. 303. nustianus: Jam deponite mentes sacrilegas, & adorate deos, ut non pereatis. Illi dixerunt: Nos in nomine Domini nostri Jesu Christi renovati sumus. Venustianus dixit: Modo vos ego renovabo. Et jussit ut unguibus raderentur latera eorum. Subito ambo expirarunt, quorum corpora præcepit jactari in fluvium. Savinum vero Episcopum truncatum in carcerem mancipavit. Audiens quidam piscator & presbyter collegerunt corpora sanctorum martyrum, & sepelierunt juxta viam pridie Kalendarum Juniarum.

Post dies sex matrona quædam vidua, nomine Serena, de civitate Spoletana, Christianissima & timens Deum, orationibus, jejuniis & eleemosynis vacans, veniebat nocte ad sanctum Savinum, curam ei faciens ..... Adduxit ad eum cæcum nepotem suum, quem medici non potuerant curare, & S. Episcopum adjuravit per Christum, ut pro eo oraret, ulnasque suas ei imponeret, & credo, inquit, quia illuminabitur. Savinus flexis genibus admonuit Christum suæ promissionis, finitaque oratione, posuit truncos suos super oculos cæci, orans pro eo. Tunc aperti sunt oculi Prisciani nepotis Serenæ; & viderunt omnes, qui erant in custodia, mirabilia Dei quæ per S. Savinum Episcopum Jesus Christus fecit; & miserunt se ad pedes S. Savini, & rogantes dicebant ei, ut baptizaret eos, & baptizati sunt eadem die numero undecim. Hoc autem factum non potuit occultari, quia cæcus illuminatus fuisset per S. Savinum. Post dies triginta tres indoluerunt oculi Venustiano Præsidi, & præ nimio dolore nec cibum nec somnum potuit percipere, ita ut nullus medicorum ejus dolorem mitigare potuisset. Ei nuntiatum est quod S. Savinus illuminasset cæcum, & misit uxorem suam & duos filios, & cum grandi gloria rogavit S. Episcopum, qui dixit: Gloria tibi Domine, qui me dignatus es vocare inter servos tuos; & perrexit ad domum Venustiani. Tunc levaverunt eum in manibus, & projecerunt eum ante pedes Savini; quem ut vidit S. Episcopus, lacrymabiliter dixit voce clara: Illuminet te Christus, qui cæcum illuminavit. Respondit Venustianus cum uxore & filiis cum fletu, & dicebant: Peccavimus in mundo isto. Respondit S. Savinus, & dixit: Si credis ex toto corde tuo, & pœnitentiam agis, omnia ministrabuntur credenti ... Urgebatur autem Venustianus doloribus.

S. Savinus ei dixit: Et hoc te commoneo, ut pœniteas, & credas in Dominum Jesum Christum, & baptismum percipias, & salvus eris, & vitam æternam consequeris. Venustianus dixit: Baptiza me in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut percipiam promissa tua. Tunc S. Savinus genibus positis oravit, & catechizavit eum cum uxore & filiis, &
Interrogationes præmissæ baptismo. accepta aqua baptizavit eos dicens: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Respondit Venustianus: Credo. Et in Christo Jesu Filio ejus? Respondit, Credo. Et in Spiritu sancto? Respondit Venustianus: Credo. Et in eum, qui passus est & resurrexit? Respondit Venustianus: Credo. Et in eum, qui ascendit in cœlos, & iterum venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem? Dixit: Credo. Et in adventu ipsius, & regnum ejus, in remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem? Venustianus respondit: Credo in Christum Dei Filium, qui me illuminet. His verbis forma baptismi non continetur, sed interrogationes, quas baptismo præmittebat Episcopus, ut neophytus clare coram omnibus omnes & singulos symboli articulos profiteretur. Eadem hora levatus a pelve Venustianus, aperti sunt oculi ejus, ita ut nullum dolorem post baptismum pateretur. Et habitaverunt simul.

Hoc autem nuntiatum est Maximiano Augusto, quia Venustianus baptizatus est. Et iratus misit tribunum suum, & scriptionem simul, & damnari præcepit Savinum, & ipsum Venustianum capite truncari jussit. Veniens autem Lucius tribunus sine auditione Venustianum cum uxore & filiis capite truncavit in civitate Assisinati, quorum corpora abscondita sunt a Christianis. Eodem vero tempore tenuit S. Savinum, & adduxit eum in civitatem Spoletanam, & sine auditione tamdiu præcepit cædi, quousque deficeret: qui cum diu cæderetur, emisit spiritum; cujus corpus collegit matrona Serena, quæ manus ejus antea collegerat, & sepelivit eum milliario a civitate Spoletano plus minus secundo, sub die septimo Idus Decembris.

Diocletianus cum libertatem populi Romani ferre non posset, impotens & æger animi prorupit ex Urbe impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus Consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius, quam Ravennæ procederet Consul. Sed profectus hyeme, sæviente frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem ac perpetuum traxit, vexatusque per omne iter, lectica plurimum vehebatur. Eo anno plurimum fusum est sanguinis Christiani: infinitus sim, si singulorum passiones recensere velim. Quorum acta minime dubia sunt, compendiose describemus: aliorum martyrium quamvis negari non possit, eorum acta cum perierint, vel depravata sint, insigniores indicabimus; quam methodum hactenus secuti sumus. CHRISTI An. 303. Lact. de mort. persec. cap. 17.

XXXI. Quamvis tradendo Gentilibus scripturas Dominicas, atque testamenta divina profanis ignibus comburenda, a Fidei cardine cecidere non pauci in Africa, præsertim in civitate Cirthensi, ubi Sylvanus tum diaconus Pauli episcopi jussu res omnes Ecclesiæ prodidit; cujus exemplum secuti sunt alii clerici; conservando tamen eat, & pro ipsis libenter sanguinem suum effundendo, fortiter fecere quam plurimi..... In civitate Abitinensi, in domo Octavi Felicis, Dominica signa gloriosi martyres erexerunt, ibique celebrantes ex more Dominicum, a coloniæ magistratibus, atque ab ipso stationario milite apprehenduntur Saturninus presbyter cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore & Felice lectoribus, Maria sanctimoniali, Hilarione infante. Itemque Dativus senator, Felix, & alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus, Januarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima, Eva, Rogatianus, Guinalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, Flautus, Felix, Margarita, Major, Honorata, Regiola, Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoris, Herection, Secunda; item Matrona, Januaria. Hi quadraginta novem viri, feminæ septemdecim apprehensi producebantur alacres ad forum. Prior Dativus erat .... Jam in foro pro Dominicis scripturis dimicaverat, cum Fundanus, ipsius civitatis quondam Episcopus, scripturas Dominicas traderet exurendas: quas cum magistratus igni apponeret, subito imber sereno cœlo diffunditur, omnisque ipsa regio pro scripturis Dominicis elementis furentibus devastatur. Gesta purg. Cæcil. Baluz. tom. 2. Act. fine.

Hic martyres Christi exoptata prima vincula susceperunt, directique ad Carthaginem alacres per totum iter hymnos Domino canticaque psallebant.... Qui cum ad officium Anulini Proconsulis pervenissent, ei offeruntur ab officio, suggeriturque quod a magistratibus Abitinensium transmissi essent Christiani, qui contra interdictum Imperatorum collectam & Dominicum celebrassent. Primum Proconsul Dativum interrogat, cujus esset conditionis, & utrum collectam fecisset? Qui cum se Christianum, & in collecta fuisse profiteretur, statim jubetur officium eundem in equuleum sublevare, extensumque ungulis præcidi: sed cum carnifices jussa crudelia atroci velocitate complerent, ... subito sese per medium Thelica fortissimus martyr tormentis objecit, & clamavit: Christiani sumus nos, nos collegimus; statimque Proconsulis furor exarsit.... cum in equuleum suspensum extendit, ungulis laniavit. At contra gloriosissimus Thelica martyr media de ipsa carnificum rabie sic orabat: Deo gratias. In nomine tuo, Christe Dei Fili, libera servos tuos. Talia precanti Proconsul: Quis est, inquit, author tecum congregationis vestræ? Respondit: Saturninus Presbyter .... manabat cum voce sanguis Dominum deprecantis; ... Deus miserere, gratias tibi ago Domine, pro nomine tuo da sufferentiam. Libera servos tuos de captivitate hujus sæculi .... Et cum ictibus ungularum concussa fortius latera sulcarentur, profluens sanguinis unda violentis tractibus emanaret, Proconsulem sibi dicentem audivit .... Custodire te oportuit jussionem Imperatorum & Cæsarum. Respondit ille: Non curo nisi legem Dei, quam didici: ipsam custodio, pro ipsa moriar. Anulinus jussit eum recludi in carcerem. Ibid.

Dativus senator Carthaginensis, qui Thelicæ prælium spectaverat extensus in equuleo, interea cum se voce sæpius repetita Christianum esse, & collectam

fecisse

Digitized by Google

Christi An. 303.

fecisse fortiter proclamaret, emersit Fortunatianus Victoriæ frater, vir togatus, tuncque gentilis, accusans cum abductam e domo paterna decepisse sororem, ut fieret Christiana; quod negavit Victoria. Inter hæc Anulinus ardescens premi ungulas in martyrem jubet. Sed licet Dativi membra rumpantur, divellantur viscera, latera dissipentur, animus tamen martyris integer inconcussusque perdurat ..... atque constantius acclamabat: Christianus sum. Proconsul illum in carcerem trudens, passioni condignæ martyrem reservavit.

At vero presbyter Saturninus pendens in equuleo, cum interrogaretur, utrum ipse esset author, & omnes adunasset, & diceret; Etiam, ego præsens in collecta fui; Emeritus lector ad certamen exiliens: Ego sum, inquit, in cujus domo collectæ factæ sunt. Proconsul in presbyterum versus ..... tortorem sævire commonuit. Carnifices in senile corpus presbyteri ruunt, & rupta nervorum connexione, discerpunt illud in gemiscenda supplicia, & novi generis in sacerdotem Dei exquisita tormensa; adeo ut apertis visceribus, ad horrorem videntium, inter ruborem sanguinis ossa nudata pallerent. Interea martyr sic precabatur: Rogo, Christe, miserere: Dei Fili subveni. Anulinus eum in custodiam carceris redigens, exoptato supplicio destinavit.

Emerito applicito dixit Proconsul: In tua domo collectæ factæ sunt contra præcepta Imperatorum. Cui Emeritus: In domo mea egimus Dominicum.... (Ibid.) Statim ipse etiam in equuleo jubetur suspendi, extensusque vexari. Qui cum validos ictus innovato carnifice pateretur, Rogo, ait, Christe, subveni mihi, da sufferentiam; cui talia precanti hæc Proconsul injecit: Habes ergo scripturas aliquas in domo tua? Respondit: Habeo, sed in corde meo. Et Proconsul: In domo tua habes, an non? Emeritus martyr ait: In corde meo illas habeo .... Proconsul ejus professionem in memoriam seu memorialem una cum cæterorum confessionibus redigens, Pro meritis vestris, inquit, omnes secundum confessionem vestram pœnas meritas persolveris: sed spero vos hanc partem potius eligere, qua possitis vivere, ut jussiones conservetis. Contra quæ invicti martyres Christi tanquam ex uno ore dixerunt: Christiani sumus, non possumus, nisi Domini Legem sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire. Qua voce perculsus inimicus Felici dicebat: Non quæro utrum Christianus sis, sed an collectam feceris, aut scripturam aliquam habeas? ..... Collectam, inquit Felix, gloriosissime celebravimus, ad scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper. Qua confessione confusus graviter Anulinus, fustibus cæsum exanimem cœlesti consilio martyrem properantem ad syderea tribunalia, expleta passione, consociat. Hunc sequitur alius Felix, qui pari virtute congressus, etiam ipse fustium illisione quassatus, animam inter tormenta carceris ponens, superioris Felicis est martyrio copulatus.

Post hunc suscepit certamen Ampelius custos legis, scripturarumque divinarum fidelissimus conservator. Hic quærenti Proconsuli, an in collecta fuisset? hilaris atque securus respondit: cum Fratribus feci collectam, Dominicum celebravi, & scripturas Dominicas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas, Christe tibi laudes refero. Qui cum hæc dixisset, cervicibus contusus, in carcerem, quasi jam in Dominicum tabernaculum, lætus cum Fratribus relegatur. Hunc sequitur Rogatianus, qui confessus Domini nomen supradictis Fratribus jungebatur illæsus. Quintus vero applicitus, nomen Domini egregie magnificeque confessus, cæsus fustibus in carcerem truditur, condigno martyrio reservatus. Hunc sequebatur & Maximianus, in confessione par, in congressione consimilis, in victoriæ triumphis æqualis. Post quem junior Felix, spem salutemque Christianorum Dominicum esse clamans, cum similiter etiam ipse fustibus cæderetur; Ego, inquit, devota mente celebravi Dominicum, collectam cum Fratribus feci, quia Christianus sum. Qua confessione supradictis Fratribus meruit etiam ipse sociari.

At pariter junior Saturninus, martyris Saturnini (Ibid.) presbyteri sancta proles, in certamen optatum festinus accessit, dicens: Christianus sum, & Dominicum egi, quia Salvator est Christus. Anulinus exarsit, & in filium patrium instaurat equuleum. Extensoque Saturnino, ait: quid Saturnine profiteris? Vides ubi positus sis? Habes scripturas aliquas? Respondit: Christianus sum ..... Proconsul ad officium dixit: Vexa illum. Ibant in adolescentis latera paternis vulneribus lassati tortores, & adhuc humectantem in ungulis patrium sanguinem cognato filii cruori miscebant ..... At juvenis recepta in tormentis fortitudine, fortissimis vocibus exclamabat: Scripturas Dominicas habeo, sed in corde meo. Rogo, Christe, da sufferentiam, spes est in te. Anulinus .... eum in patrium consortium relegavit. Nox appetebat .... Quapropter cæteros Confessores sic alloquitur Proconsul: Vidistis eos qui perseveraverunt, quid sustinuerint, vel quid in sua confessione permanentes adhuc habeant sustinere. Et ideo qui vult vestrum ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur. Ad hæc Confessores Domini tanquam uno ex ore dixerunt: Christiani sumus. Anulinus omnes in carcerem trudens, sanctos illos martyrio destinavit.

(Ibid.) Fœminæ omnes & virgines in victoria congressæ sunt & coronatæ. Victoria, flos virginum, honesta natalibus, religione sanctissima, in qua pulchritudini corporis respondebat fides pulchrior mentis, & integritas sanctitatis, ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio lætabatur. Namque postquam plena virginitas adultum ætatis tempus explevit, cum puella nolens & reluctans in nuptias a parentibus cogeretur, ut prædonem fugeret, clam sese per præceps puella dimittit, atque ad portum pudoris intacta virgo confugit, ibique consecrati Deo dicatique capitis in perpetua virginitate sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit, (ac proinde puellæ Christianæ tum virginitatem profitebantur, atque in signum illius comam non deponebant, quemadmodum etiam testatur D. Optatus. (Optat. lib. 6.) Alia erat consuetudo in Ægypto & Syria, ut refert D. Hieronymus in epistola ad Sabinianum). Hæc ergo ad martyrium properans, interroganti Proconsuli quid profiteretur, clara voce respondit: Christiana sum. Et cum a Fortunatiano fratre ejusque defensore variis rationibus mente capta esse diceretur; respondit Victoria: Mens mea est, nunquam mutata sum. Ad hæc Proconsul: vis ire, inquit, cum Fortunatiano fratre tuo? Respondit: Nolo, quia Christiana sum, & illi sunt fratres mei, qui præcepta Dei custodiunt .... Quibus auditis, Anulinus, deposita Judicis authoritate, ad puellæ persuasionem descendit .... sed nihil proficiens furiis agitatus exarsit, & puellam sacratissimam martyrem Christi in carcerem una cum cæteris relegans, passioni omnes Dominicæ reservavit.

(Ibid.) Hilarinus adhuc supererat, unus de natis presbyteri martyris Saturnini, qui ætatem suam parvulam ingenti devotione vincebat. Huic cum diceretur: Patrem tuum, aut fratres tuos secutus es? Respondit, Christianus sum, & mea sponte, atque voluntate, cum patre meo & cum fratribus feci collectam. Proconsul putans tormentis infantiæ puerum posse terreri: amputabo, inquit, comam tibi, & nasum & auriculas, & sic te dimitto. Ad hæc Hilarinus puer respondit: Quidquid facere volueris, fac, quia Christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur .... Hic certaminis magni prima pugna perficitur. Catholici in collatione Carthaginensi hæc acta ut sincera protulerunt adversus Donatistas, (Aug. in brevic. collat. die 3. cap. 17.) ut ostenderent etiam tempore persecutionis, Concilium duodecim Episcoporum Cyrthæ congregati potuisse, quandoquidem Christiani tunc collectas & sacros conventus celebraverant. Verum paulo post depravata sunt a Donatistis, qui intactis, quæ de publicis quæstionibus a notariis excepta fuerant, & supra retulimus, inseruere circa finem multas calumnias adversus Mensurium Carthaginensem Episcopum, & Cæcilium ejus diaconum, & postea in Sede Carthaginensi successorem, quæ ideo omittimus. De morte horum sanctorum Confessorum hæc refer author Donatista: Anulino Proconsule, aliisque persecutoribus interim circa alia negotia occupatis, beati martyres isti corporeis alimentis destituti, paulatim & per intervalla dierum naturali conditioni famis atrocitate cogente cesserunt, & ad syderea regna cum palma martyrii migraverunt. Suffragatur Carthaginense Martyrologium, quod sanctorum martyrum Saturnini & sociorum passionem diversis diebus, imo & mensibus adscribit. Eorum memoriam die undecima Februarii consignavit Romanum Martyrologium.

XXXII.

CHRISTI AN. 303.

Aug. in Psalm. num. 13. Act. sinc.

XXXII. Præclaram & in Africa victoriam adepta est Crispina virgo Thagarensis, dives & nobilis, quam laudavit Augustinus. Hæc apud Coloniam Thebestinam inducta coram Anulino Proconsule, qui dixit ei: Præcepti sacri jam cognovisti sententiam ..!.. ut omnibus diis nostris pro salute Principum sacrifices .... Crispina respondit: Nunquam ego sacrificavi, nec sacrifico, nisi uni Deo, & Domino nostro Jesu Christo ejus Filio, qui natus est & passus. Et cum constans in ea confessione permaneret, ... Anulinus dixit: a novacula ablatis crinibus decalvetur, ut ejus primum facies ad pompam perveniat. Crispina respondit: Loquantur & ipsi dii, & credam ..... quod profecto numquam dixisset, si per deorum simulacra voces aliquas proferre solerent vel dæmones, vel sacrificuli. Anulinus dixit: Diu vivere desideras, aut mori in pœnis, sicut & cæteræ consortes tuæ, Maxima, Donatilla, & Secunda? Crispina respondit: Si mori vellem, & in ignem æternum animam meam tradere, tuis dæmoniis darem voluntatem meam ..... Anulinus dixit: Quid pluribus sufferimus impiam Crispinam? acta ex codice quæ dicta sunt, relegantur: Et cum relegerentur, Anulinus de libello sententiam legit: Crispina in superstitione indigna perdurans, diis nostris sacrificare noluit ..... eam gladio animadverti jubeo. Passa est apud Coloniam Thebestinam die nonarum Decembrium.

Aug. in brevic. collat. die 3. cap. 13.

XXXIII. Mensurius Ecclesiæ Carthaginensis tunc Episcopus, sacros codices, ne a persecutoribus invenirentur, abstulit atque servavit; dimisis autem in basilica novorum quæcunque reproba scripta hæresicorum, quæ cum invenissent persecutores & abstulissent, nihil ab illo amplius postularunt. Postea quidam Carthaginensis ordinis viri suggessere Proconsuli, quod illusi fuissent, qui missi fuerant ad Christianorum scripturas auferendas & incendendas, quia non invenerant, nisi nescio quæ ad eos non pertinentia; ipsas autem in domo Episcopi custodiri, unde deberent proferri & incendi; quibus consentire noluit Proconsul. Mensurius hoc scripsit Secundo Tigisitano, qui tunc habebat primatum Episcoporum Numidiæ. In iisdem literis improbabat eos, qui se offerens persecutoribus non comprehensi, & ultro dicerent se habere scripturas, quas non traderent, a quibus hoc nemo quæsierat; & ab iis honorandis prohibet Christianos. Quidam etiam in eadem epistola facinorosi arguebantur, & fisci debitores, qui occasione persecutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certe acquirere pecuniam, & in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum. Secundus in sua ad Mensurium pacifica narrat quæ egerint in Numidia persecutores, & qui comprehensi, & Scripturas sanctas tradere nolentes, & multa mala passi, & gravissimis suppliciis excruciati & occisi suos, eosque honorandos pro martyrii sui merito commendat, laudans eos non tradidisse Scripturas sanctas, illius mulieris exemplo, quæ duos exploratores in Hiericho, in quibus figurarentur duo Testamenta, vetus, & novum, tradere persecutoribus noluit.

Optat. contr. Parmen. lib. 1.

Interea Felix quidam diaconus, qui propter famosam nescio quam de tyranno Imperatore tunc factam epistolam appellatus est, periculum timens, apud Mensurium Episcopum delituisse dicitur; quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est. Rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec fodere terræ, nec secum portare poterat: ea quasi fidelibus senioribus commendavit, commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur, ut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, anicula illa illi daret, quem in episcopali cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit. Jussus est reverti Carthaginem: pervenire non potuit, nam diem obiit. En prima occasio sequentis schismatis.

Act. sinc.

XXXIV. Thessalonicæ cum præsideret Dulcetius, Artemensis scriba dixit: Cognitionem de his, qui præsentes sunt, a stationario missam, si jubes, legam. Jubeo, inquit Dulcetius, te legere. Tunc ais scriba: Cassander beneficiarius seu miles affectus beneficiis Principis hæc scripsit, scito, mi Domine, Agatonem, Agapen, Chioniam, Irenem, Casiam, Philippam, & Eutychiam nolle his vesci, quæ diis sunt immolata. Eas igitur ad tuam amplitudinem adducendas esse curavi. Dulcetius Præses illis dixit: Quænam est ista vestra tanta insania, ut nolitis religiosissimis nostrorum Imperatorum, & Cæsarum jussis obedire? Agatoni autem: Quare, inquis, tu ad sacra proficiscens, quemadmodum consuevere qui diis consecrati sunt, non his sacris usus es? Respondit Agatho: Quoniam Christianus ego sum. Tum Dulcetius: Num tu etiam hodierno die in eo proposito permanes? Maxime, inquit Agatho. Ille: Tu vero Agape quid ais? Respondit: Ego Deo viventi credo, neque volo recte factorum meorum conscientiam perdere .... Idem dixere reliquæ. Eutychia vero, cujus vir ante septem menses moriens, eam gravidam reliquerat, addidit: Malo & ipsa mori, quam facere quod jubes, sum enim Christiana. Tum ille: Quoniam Eutychia gravida est, interea servetur in carcere: atque hæc addidit, alias alloquens .... Num aliqua apud vos sunt impiorum Christianorum commentaria, vel membranæ aliquæ, vel libri? Respondit Chionia: Nulla, o Præses, nobis sunt. Omnia illa Imperatores, qui nunc sunt a nobis abstulerunt. Dixit Præses: Quinam sunt qui vobis authores fuerunt, ut ad istam stultitiam veniretis? Deus, inquit Chionia, Omnipotens, & Unigenitus ejus Filius Dominus noster Jesus Christus.... Dulcetius sententiam scriptam legit: Agapen & Chioniam, quoniam iniquis mensibus & contrariis sententiis elatæ, contra divinum edictum Dominorum Augustorum ac Cæsarum fecerunt, & nunc etiam temerariam & vanam, & piis omnibus execrabilem Christianorum religionem colunt, igni tradendas jubeo: hisque dictis, subjunxit: Agatho autem, Casia, Philippa & Irene, quoad mihi placuerit, serventur in carcere.

Postea vero quam sanctissimæ mulieres igne consummatæ sunt, cum rursus sancta Irene ad Præsidem ducta fuisset, Dulcetius sic illam affatus est: Tuæ insaniæ propositum ex his, quæ facis, manifeste apparet, quæ ut membranas, libros, tabellas, codicillos & paginas scripturarum, quæ sunt impiorum Christianorum, ad hodiernum usque diem servare voluisti, quæ cum prolata essent, agnovisti, quamvis quotidie negaveris vos ejusmodi scripta possidere.... Quamobrem tibi pœnam afferri necesse est: sed alienum tamen non videtur, etiam nunc benignitatis partem aliquam tibi condonari, ut, si volueris nunc saltem deos agnoscere, impunis & ab omni supplicio pericoloque libera esse possis. Quid igitur dicis? .... Num parata es sacrificiis vesci, & diis immolare? Minime, inquit Irene, per Deum illum Omnipotentem, qui creavit cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt. Summa enim illius ignis sempiterni pœna proposita his est qui Jesum Dei Verbum negaverint ..... Tum Præses: Quisnam, inquit, conscius erat hæc in domo illa esse, in qua habitabas? Respondit Irene: Hæc vidit Deus Omnipotens, quia omnia scit, præterea nemo: Nostros enim homines inimicis pejores duximus, ne forte nos deferrent. Itaque nulli hæc ostendimus. Superiore anno, inquit Præses, cum edictum illud tale ac pium jussum Dominorum Imperatorum ac Cæsarum primo fuit divulgatum, ubinam vos latuistis? Irene dixit: Illic ubi Deus voluit: in montibus, scit Deus, sub dio fuimus. Præses vero: apud quem viastis? Sub dio, inquit illa, alias in aliis montibus versantes. At Præses: Quinam erant qui vobis panem suppeditabant? Deus, inquit Irene, qui omnibus escam suppeditat. Tum Præses: Erat ne pater vester horum omnium conscius? Irene dixit: Minime per Deum Omnipotentem conscius erat ille, qui ne novit quidem hæc omnino. Præses ait: Quis igitur vestrorum vicinorum noverit? Vicinos, inquit Irene, interroga, & loca inquire, vel eos qui norunt ubi nos eramus. Præses dixit: Postquam e monte reversæ fuistis, ut tu dicis, legebanturne scripta ista præsente aliquo? Domi nostræ erant, inquit Irene, neque audebamus illa efferre. Quamobrem magnopere angebamur, quod non poteramus die ac nocte illis operam dare, sicut a principio consueveramus usque ad annum superiorem, quo & illa occultavimus. Præses dixit: Sorores quidem tuæ pœnas nostro jussu decretas exsolverunt: te vero, ... per satellites ipsos & Zozymum publicum carnificem

in

Christi An. 303. in lupanari nudam sistui præcipio, a palatio singulis diebus panem unum sumentem, satellitibus ipsis non permittentibus te illinc discedere. Qui cum præsto essent: Illud, inquit Præses, vobis notum sit, quod si mihi significatum fuerit, vel horæ alicujus momento, istam ex eo loco motam fuisse in quo esse jussimus, tunc vos supremæ pœnæ subjecti eritis. Scripta vero ipsa a scriniis & arculis Irenes proferantur.

Cum igitur eam illi ad publicum lupanar duxissent, & propter sancti Spiritus gratiam, quæ ipsam protegebat, & universorum Domino Deo puram atque intactam servabat, ne unus quidem ad eam accedere, vel turpe aliquid in eam facere aut dicere ausus fuisset, sanctissimam illam fœminam Præses revocavit, & ante tribunal sisti jussam sic affatus est: Nunquid in eadem adhuc temeritate persistis? Minime, inquit Irene, temeritas, sed Dei pietas est, in qua persisto. Cui respondit Præses: Ex priore tuo responso manifeste ostendisti te Imperatorum jussui nolle æquo animo parere, & nunc quoque in eadem arrogantia persistentem te video; quare dignam pœnam persolves: cumque chartam petiisset, sententiam hanc contra ipsam scripsit: Quoniam Irene Imperatorum jussui parere diisque immolare noluit; quin imo nunc quoque in Christianorum ordine ac religione perseverat; hac de causa, ut antea duas ejus sorores, ita & ipsam viventem nunc comburi jubeo. Hæc sententia cum a Præside lata fuisset, milites Irenem comprehensam in quemdam sublimem locum duxerunt, ubi & ejus sorores ante martyrium passæ fuerant. Cum autem magnum rogum accendissent, jusserunt ipsam in eum conscendere. Itaque sancta Irene psalmos canens, & Dei gloriam celebrans, in rogum se conjecit, atque ita consumata est in consulatu Diocletiani Augusti nono, Maximiani autem Augusti octavo, Kalendis Aprilis. Quis Agathonis fuerit exitus, aliarumque mulierum, quas Dulcetius post primam cognitionem carceri mancipavit, prorsus ignoratur, nullaque posteris est eorum memoria. Eodem anno post quatuor menses, cum creati fuerint novi Augusti & Cæsares, probabile videtur liberas fuisse dimissas.

Act. apud Sur. 30. Decemb. XXXV. Ibidem cum virgo quædam nomine Anysia properaret ad Dominicum, ingredereturque portam Cassandriaricam, excitatus est tumultus in populo. Deinde cum eam vidisset quidam ex satellitibus Imperatoris, & esset ab ejus pulchritudine sauciatus, ei factus obviam, sta, inquit, & dic quo vadis? Illa autem videns ejus insolentiam, & mente agitans tentationem, digito fecit in fronte signum Crucis. Ille vero se despectum arbitratus, cum eam apprehendisset, voce aspera eam aggressus interrogabat, quænam esset, & quo proficisceretur? Sum ancilla Christi, inquit, & vado ad Dominicum. Ille insolens dixit: Non sinam illuc te proficisci, sed te adducam ad diis libandum; Solem enim hodie colimus. Et simul hoc dicens, velum traxit, volens ejus vultum detegere. Illa autem generose & fortiter resistens, in ejus faciem inspirans dixit: Increpabit te Christus Jesus, diabole. Ille ea sufflatione & nomine Christi motus ad iram, stricto quem ferebat gladio latus ejus transfodit; quæ statim cum tremore & palpitatione membrorum in terram cadens, cum sancto sanguine reddens animam purpuream expiravit.

Phot. Bibliot. cod. 255. Demetrius in eadem urbe præco & doctor pietatis, Apostolorum peregrinationes & certamina imitabatur, & Thessalonicensem urbem lumine doctrinæ suæ ab erroris tenebris abductam ad Christum adducit. (Scilicet hic fidem propagavit) Maximianus Galerius Thessalonicæ commorabatur. Ibat ad spectaculum gladiatorum, & martyr vinctus ad illud stadium, quod prope erat, ab impiis ministris tanquam Christianus adducitur. Ille ad spectaculum festinans sanctum virum jussit prope stadium, cui publicum balneum vicinum erat, in fornice custodiri. Contigit, ut Lyæus gladiator ei maxime charus propter fortitudinem, a plebejo juvene, qui dicebatur Nestor, occideretur. Tyrannus tristis illinc domum discedit . . . . cum sanctus ei ad stadium properanti occurrisset, hastis jubet interfici. Pii vero corpus martyris, clam de nocte, in ruderibus, quibus interfectus erat, effossa terra sepeliunt. Postea claruit miraculis.

XXXVI. Beatus Philippus Episcopus Heracleæ, Thraciæ metropolis . . . . . cum diræ persecutionis immineret excidium, . . . de Ecclesia non recedens, ad tolerandi patientiam singulos Fratres docta oratione confirmabat: dum eos adhortaretur circa Epiphaniam, Aristhemacus stationarius civitatis, seu apparitor Præsidis advenit, ut Præsidis jussu impressis cera signis Ecclesiam clauderet Christianis . . . Qui postea cum ad Dominicum convenissent, Philippum cum cæteris Ecclesiæ foribus astantem Præses Bassus invenit. Qui ait: Quis ex vobis Christianorum magister est, aut doctor Ecclesiæ? Respondit Philippus: Ego sum ille quem quæris. Ait Bassus: Imperatoris legem audistis, jubentis nusquam colligere Christianos, ut in toto Orbe terrarum hujus sectæ homines, aut ad sacrificia convertantur, aut pereant. Vasa ergo quæcunque vobiscum sunt aurea, vel argentea, vel cujuscunque metalli, scripturas etiam, per quas vel legitis, vel docetis, obtutibus nostræ potestatis ingerite, ne hæc eadem, si dubitandum putaveritis, post tormenta faciatis. Philippus respondit: Si te nostra, ut dicis, tormenta delectant, paratus est animus ad ferendum . . . Vasa vero ea quæ postulas, quæcunque apud nos sunt, mox accipe; facile enim nos, qui a vobis pellimur, ista contemnimus. Non enim pretioso metallo Deum colimus, sed timore, ... scripturas vero nec accipere tibi, nec dare mihi convenit. Carnifices mox Præses jussit adduci. Hermes diaconus dixit: Etsi omnes scripturas nostras, dire inquisitor, acceperis, ut nulla prorsus in Orbe terrarum vestigia hujus veræ traditionis appareant, posteri tamen nostri & paternæ memoriæ, & animæ suæ consulentes, majore voluminum scripta conficient, & vehementius timorem, qui impendendus Christo sit, edocebunt. His dictis, diu antea verberatus, ingressus est ubi vasa omnia & scripturæ latebant. Secutus est eum Publius assessor Præsidis, homo furandi avidus. Itaque cum vasa aliqua callidus occultator auferret, contradicentem sibi, ne id auderet, Hermen fracta facie, effuso etiam aliquanto cruore fœdavit. Quibus cognitis, Bassus iratus est Publio, & curari præcepit Hermen. Inventa vero vasa & scripturas omnes tradi jussit officio. Philippum & cæteros vallatos hinc inde custodibus ad forum præcepit adduci; ut & populum juvaret spectaculum, & videntes cæteros qui negassent, terreret exemplo; & tegulis nudari jussit tectum Ecclesiæ . . . . Igne supposito, adstantibus etiam civibus, scripturas omnes divinas in medium misit incendium. Quidam in foro circa B. Philippum sedebant. Hac usus occasione, de divina ultione sermonem injecit, simul ostendens deorum infirmitatem, siquidem & ipse Hercules, quem ut suæ civitatis patronum colebant, igne consumptus est, aliorumque templa conflagravere . . . . .

Dum hæc fusius exponit Hermes, videns Catephronium sacerdotem, & ministros cæteros infelices epulas & profana sacra portantes, dixit ad circumstantes: Cœna ista, quam cernitis, diabolica est invocatio, & ut polluat nos, constat esse allatam. Cui Philippus ait: Fiet illud quod Domino placet. His dictis, forum Præses Bassus ingressus Philippum sic interrogat: Immola victimas numini. Philippus respondit: Quomodo possum lapides colere Christianus? Bassus respondit: Dominis nostris sacrificia rite solvenda sunt. Philippus respondit: Docti sumus parere majoribus, & obsequium Imperatoribus exhibere, & non cultum . . . . . Bassus Philippi constantiam admirans, ad Hermen se convertit iratus dicens: Vel tu sacrificium solve numinibus. Hermes respondit: Non sacrifico; Christianus sum. Bassus ait: Cujus conditionis sis, expone. Hermes respondit: Decurio sum, & doctori meo in omnibus obsecundo. Bassus ait: Si Philippus ad sacrificium fuerit adductus, sequeris authorem. Hermes respondit: Nec ego sequar, nec ille vincetur. Par enim nobis & virtus & animus est . . . . Bassus ait: Sacrificate ergo, si quæritis vitam, & tormenta vitate. Hermes respondit: Nunquam nos, Judex impie, ad ista perduces. Iste enim minæ aliquid ad fidem virtutis, non ad perfidiam timoris incutient. Tunc Bassus recipi eos jussit in carcerem. Quibus pergentibus, protervi quidam impulsu crudelis dexteræ Philippum solo sæpe fundebant; sed quasi nihil passus erigebatur a terra, læto vul-

Christi An. 303. Act. sinc.

tu,

Christi An. 303. tu, ut nec indigoationem ostenderet, nec dolorem. Mirabsutur singuli tot acerba a sene contenta mente tolerari. Paucis in carcere diebus effectis, divinæ Majestatis auxilio Pancrati cujusdam vicina domus complacuit, in qua sub custodia reciperentur hospitio. In ea commanentes, multos ad se Fratres certarim hinc inde venientes libenter exceptos divinæ Legis docebant sacra mysteria. Quæ cum diabolus videret, denuo eos remitti fecit in carcerem vicinum theatro, ad quem secretus erat ingressus. Hic suscipiebant conveoienrem ad se turbam. Tanta autem cupiditate currebatur a singulis, ut nec nox a salutatione cessaret ....

Dum hæc aguntur, Basso Præsidi annuus successor advcoit, Justinus quidam nomine, sed mente perversus, qui nesciebat Deum intelligere, vel timere. Hæc res Fratres vehementer afficit. Mitior enim fuerat Bassus, & ratione sibi reddira vincebatur, eo quod uxor ejus Deo jam aliquanto tempore serviebat. Tunc Zoilus magistratus illius civitatis ad tribunal Præsidis jussit Philippum adduci. Cui Justinus ait: Tu es Episcopus Christianus? Philippus respondit: Ego sum, negare non possum. Prælidi instanti ut sacrificaret, rursus dixit: Christianus sum, ideo quod dicis, facere non possum; jussus es punire, non cogere .... Justinus ait: Per mediam urbem traheris pedibus, & si vixeris, ad renovanda supplicia recipieris in carcerem .... Ille acceptis tot silicum offensione vulneribus, & per singula corporis membra laceratus, rursus ad carcerem Fratrum manibus reportatur. Severus presbyter, qui hactenus latuerat, cum quæreretur diligentius, impulsu sancti Spiritus in medium ipse prorupit; adductus ad judicium, cum Præsidis minas irrideret, reclusus est in carcerem cum Hermete diacono ..... & septem continuos menses in illo custodiarum pœdore eos detinuit. Tunc Adrianopolim eos præcepit adduci ..... Quo cum pervenissent, in Sempori cujusdam suburbano usque ad præsentiam Præsidis servabantur. Tandem Præses advenit, statimque alio die publice in thermis sedens, Philippum præcepit induci: quem cum in fide constaotem invenisset, eum spoliari jussit iratus, virgisque verberari. Qui eum omnia contenta mente toleraret .... ipsos quoque, per quos pœna mandabatur, esterroit ..... Omnes enim artus virgarum ictibus vehementer incisi, penetralia ipsa corporis atque intestina patefecerant ..... Justinus eum recipi jussit in carcerem, & vocavit Hermen, qui nec verbis, nec minis flecti potuit... Magistratus jam ante fuerat, & obsequiis suis officium sibi Præsidis obligarat, qui occasione redhibendæ gratiæ pro ejus salute trepidabane ..... Remissus est in carcerem: hic omnes agebant gratias Christo, majusque robur ad futura tormenta capiebant. B. Philippus, qui tactu ipso antea corporis habebatur delicatus ac mollis, nulla tunc sentiebat incommoda, ope tectus angelica.

Justinus post triduum tribunal ascendit, eosque jussit adduci, frustraque tentavit constantiam Philippi, qui se Christianum palam profitens, se diis sacrificaturum negavit ..... Eo relicto, Hermen Justinus alloqoitur: Si hunc senectus, vicina jam
morte, cogit bona hujus lucis horrere, tu sacrifi-
eando prosperiora non neglige. Hermes sic respon-
dit, ut cultum idolorum absurdum esse dæmonstra-
ret ..... Hæc audiens Justinus iratus exclamat:
Tu sic loqueris, quasi me possis facere Christia-
num. Hermes respondit: Non te solum, sed cir-
cumstantes singulos opto fieri Christianos. Cæterum
me sacrificaturum esse ne credas. Præses commu-
nicato cum Principibus & adsessore consilio, talem
edidit sententiam: Philippus & Hermes, qui præ-
ceptum Romani Imperatoris negligentes, alienos se
ab ipsa etiam Romani nominis compellatione fece-
runt, vivos jubemus incendi, ut cæteri facilius
agnoscant, quanto constet exitio Imperialia con-
rempsisse mandata. Tunc egressi gaudentes ibant
ad flammam. B. Severus presbyter licet solus in
carcere .... gaudio tamen attollebatur, quod eos
duci ad dulce & expetendum sibi passionis munus
audierat, inflexisque genibus orabat cum gemitu
magno, dicens ad Dominum .... Pater Domini
nostri Salvatoris Jesu Christi, qui donasti mihi si-
gnum Crucis & Christi, ne indignum me censeas
ab hac passione, quam mei obtinuere collegæ; sed
da mihi partem coronæ .... Tantum fidelia verba potuerunt, ut postero die id, quod postulabat, acciperet ...... B. Philippus manibus portabatur ad flammam, dolor enim pedum aliter eum ire non passus est; quem tardo passu B. sequebatur Hermes, simili dolore pedum constrictus: sed Hermes iter suum hoc sermone mulcebat, dicens Philippo: Doctor optime, festioanter pergamus ad Dominum: nulla nos pedum cura sollicitet, quibus jam nullus eorum futurus est usus ..... Sequentibus autem turbis dixit: Hoc me passurum Deo ac Domino jam ante annuntiante cognoveram revelatione certissima .... Dum hæc loqueretur, ad locum illum, in quo pœnæ parabantur, adveniuot. Tunc ex more carnifices B. Philippi pedes humo usque ad genua texerunt, religatas post tergum manus clavis in fuste configunt. Similiter & Hermes aptatur, qui priusquam supponeretur incendium, quemdam ex Fratribus Christianis ibi adstantem vocavit Velogium, quem magna per Dominum Jesum Christum adjuratione constrinxit, ut ad filium ejus Philippum patris mandata perferret, diceretque ei ut redderet omnibus quod deberet .... Hæc autem dicebat de illis, quæ a multis tute sibi credita redditurus acceperat, & victum labore sibi quærèret, sicut patrem fecisse meminit. Tunc a ministris flamma supponitur. Quibus ardentibus, quandiu sermo duravit, gratiæ reddebantur .... Extensæ B. Philippi manus inveniuntur. B. Hermes facie florens apparuit, lividis paulisper auriculis. Justinus sanctorum corpora Hebro jussit immergi ..... sed fideles quidam Adrianopolitæ navigium conscendunt, sacrasque reliquias retibus extrahunt, easque duodecimo ab urbe lapide sepeliunt in villa, quæ Ogestyron vocabatur.

XXXVII. In Tarso metropoli Liciæ assidente Numeriano Maximo Præside, Demetrius centurio dixit: Oblati sunt nobilitati tuæ, Domine, in Pompejopoli civitate ab Eutolmio Palladio speculatore, qui sunt pessimi & impii Christiani, Tarachus, Probus, & Andronicus, qui non consentiuot præceptis Dominorum; præsentes sunt aote tribunal nobilitatis tuæ. Maximus Præses Taracho dixit: Quis vocaris? Tarachus dixit: Christianus sum. Maximus dixit: Frangite illi maxillas dicentes: aliud pro alio noli respondere. Tarachus dixit: Quod est nomen meum, hoc dico. Si autem hoc quæris quod commune est, a parentibus dicor Tarachus, & cum militarem, numinatus sum Victor. Maximus dixit: Ex quo genere es? Tarachus dixit: Militaris sum & Romanus, natus in Claudiopoli civitate Isauriæ, & propterea quod Christiaous sum, renuntiavi militiæ; precatus sum Publionem principem, & dimisit me. Maximus dixit: Ergo respice in senectutem tuam, quoniam ego volo ut sis unus ex consentientibus præceptis Imperatorum, & a me honorem magnum accipias. Ergo accede, & sacrifica diis nostris, quoniam & ipsi Principes super omnem Orbem eos colunt. Tarachus dixit: Errant in multo errore satanæ. Præses dixit: Frangite maxillas, propterea quod dixit errasse Imperatores ...... Tarachus dixit: Impietates non operor, quoniam Legem Dei honorifico ...... Maximus dixit: Super cervicem ejus cædite illum dicentes: noli vanus esse. Tarachus dixit: Ego de vanitate ista non recedo, quæ salvum me facit. Maximus dixit: Ego te prudentem faciam. Tollite vestimenta ejus, & virgis eum cædite. Tarechus dixit: Nunc vere me prudentem fecisti, plagis confortans me. Magis ac magis opto confidere in nomine Domini & Christi ejus. Maximus dixit: Iojuste & maledicte, quomodo diis duobus servis, quos voce confiteris, & nunc deos negas? Tarachus: Deum ego confiteor manifeste, qui est Deus verax. Maximus dixit: Nuoc confessus es Christum & Deum. Tarachus dixit: Et bene, hic est enim Filius Dei, spes Christianorum, propter quem patimur & salvamur. Sexaginta & quioque annorum sum, & sic crevi, a veritate non recedens .... Maximus dixit: Iste ferreis vinculis magnis vinctus recipiatur in carcerem: adducite alium. Act. sinc.

Probus sistitur, qui nomine designato, dixit: Natus in fide Phamphiliæ sum plebejus, sed Christianus. Maximus dixit: Sacrifica diis, ut a Principibus honoreris, & noster amicus eris. Probus dixit: Neque honorem Principum volo, neque amicitiam tuam cupio: non enim pauca est substantia mearum Ibid.

divi-

Digitized by Google

Christi An. 303. divitiarum, quas reliqui, ut Deo vivo serviam. Maximus dixit: Dispoliate illum, & tollite ei pallium, & eiogite eum, & extendite, & nervis cædite. Probus dixit: Corpus meum ante vos est: mihi autem tormenta vestra unguentum est.... Maximus dixit: Gyrate illum, & super ventrem cædite. Probus dixit: Auxiliare servo tuo Domine. Maximus dixit: Cædentes illum, dicite illi, ubi est auxiliator tuus? Probus dixit: Auxiliatur, & auxiliabitur me. Sic enim pro nihilo babeo tormenta tua, ut non acquiescam tibi. Maximus dixit: Attende corpus tuum, miser, quoniam sanguine tuo impleta est terra. Probus dixit: Hoc scias, quod, quantum patitur corpus meum propter Christum, tanto magis anima sanatur, & vivificatur. Maximus dixit: Ambas manus, & pedes in nervo stringite, non permittentes aliquem ei curam apponere. Alium adducite.

Ibid. Andronicus de nobili genere, & primi ordinis Ephesiorum filius adductus, cum his se confessus est Christianum: cui Maximus dixit: Tu honorificans Principes, & Patres, diis nostris consenti. Andronicus dixit: Bene illos Patres nominatis, quoniam vos ipsi patrem habetis satanam; nam filii diaboli estis facti, & opera ejus perficitis ... Maximus dixit: Dispoliate illum, & cingite, & suspendite ..... Athanasius Cornicularius dixit: Consenti Præsidi. Pater tuus sum annis, ideo consilior tibi. Andronicus dixit: Vade, consilium tibi da, quia senior es, & sensum non babes, tale consilium mihi dans, ut lapidibus, & dæmoniis sacrificem ..... Maximus dixit: Torquete tibiam ejus fortiter. Andronicus dixit: Respiciat Deus, quia sine causa me, sicut homicidam, pœnis subjicis. Maximus dixit: Contemnis præcepta Principum, & tribunal meum nihil tibi videtur esse. Andronicus dixit: In Dei misericordia, & veritate confido, inde hoc patior ..... Maximus dixit: Convertite eum, & latera ejus pungite. Andronicus dixit: Ante te sum, quomodo vis, corpus meum pœnis subjice.. Maximus dixit: Tollite testas, & plagas ejus perfricate. Andronicus dixit: Confortasti nunc corpus meum in plagis. Maximus dixit: Ligate ejus pedes, & collum ferro, & sub custodia habeatur.

Secunda interrogatio facta est Mopsuestiæ.... Maximus Præses dixit Taracho: Scio quia senectus honoratur in multis, propterea quod est in ipsis bona cogitatio, & sensus. Proinde si cogitasti apud te, Tarache, ne iterum in prioribus cogitationibus velis & hodie permanere, sed magis accede, sacrifica diis pro honore Principum, ut honorem consequaris. Tarachus dixit: Honorem istum si intelligerent, & ipsi Principes, & alii qui communicant sensibus eorum, omnes a cæcitate cogitationum vanitatis suæ separarentur, & in meliorem, & fortiorem fidem a Deo vivificarentur. Maximus dixit: Lapidibus os ejus frangite, & dicite ei, recede a stultitia tua ..... Tarachus dixit: Maxillæ meæ fractæ sunt, quomodo respondeam tibi? ... Maximus dixit: Ego duritiam tuam expellam, maledicte. Tarachus dixit: Omnibus cogitationibus tuis adsum, sed vinco in eo, qui me fortem facit, id est in nomine Domini. Maximus dixit: Afferte ignem, & expandite manus ejus, & urite. Tarachus dixit: Ignem tuum temporalem non timeo, timeo autem, si consensero tibi, ne forte ignis æternus in me dominetur. Maximus dixit: Quid nunc? Ecce, manus tuæ exterminatæ sunt ab igne. Requiesce a vanitate tua, insensate, & immola diis. Tarachus dixit: Sic mihi loqueris, quasi jam voluntati tuæ consenserim, aut crudelitati tuæ voluntatem dederim; fortis autem sum in omnibus, quæ adversum me præparantur. Maximus dixit: Ligate eum a pedibus, & in altum suspendite, & acrem fumum supponite ad faciem ejus. Tarachus dixit: Ignem tuum contempsi, & fumum tuum timere debeo? ..... Maximus dixit: Afferte acetum acre cum sale, & in naribus ejus infundite. Tarachus dixit: acetum tuum dulce est mihi, & sal mihi fatuus est. Maximus dixit: Immiscete sinape cum aceto, & perfundite nares ejus. Tarachus dixit: Fallunt te ministri tui, Præses, mel pro sinape infuderunt mihi.... Maximus dixit: Deponite eum, & vinculis ferreis ligata, ut tradatur in custodiam. Sequentem adducite.

Ibid. Demetrius Centurio dixit: Præsto est, Domine. Maximus dixit: Dic mihi, Probe, cogitasti parcere tibi a pœnis, aut adhuc ab insania tua non recedis? Sed nunc accede, & immola diis, quoniam & ipsi Principes pro salute hominum sacrificant. Probus dixit: Audax tibi assisto, nam & de præteritis interrogationibus, & plagis fortissimus sum; & nunc proba in me de omnibus tormentis tuis. Neque tu, neque Principes tui facietis me delinquere, ut sacrificem diis, quos nescio. Habeo Deum meum in cœlis, ipsi soli servio, & adoro.... Maximus dixit: Ergo accede, & immola Jovi deo magno, & non multis, sicut dixisti ... Probus dixit: Illum dicis Deum, qui cum sua sorore fornicatus est, & alia multa fecit, quæ non possum dicere? Maximus dixit: Frangite os ejus, ut non blasphemet. Probus dixit: Quid me cædis? omnes qui ei immolant, hoc dicunt..... Maximus dixit: Nunc ignite ferrum, & mittite illi. Probus dixit: Ignis tuus tepidus est, & me non contingit. Maximus dixit: Ignite arctius ferrum, & stante eo injicite illi. Probus dixit: Nunc vere tepidus factus est ignis tuus. Irrident te ministri tui. Maximus dixit: Ligate eum, & tendite, & nervis crudis cædite, & aperite dorsum ejus. Probus dixit: Ignem tuum non timui, tormenta tua contemno; sed si habes aliam excogitationem, adhibe, ut cognoscas qui est in me Deus.... Maximus dixit: Radite ei caput, & prunas igneas superponite ei. Probus dixit: Ustulasti mihi pedes, & caput, & probasti quia Dei servus sum, & tolero iram tuam.... Maximus dixit: Frangite ei faciem, ut non dicat, Deum, sed deos. Probus dixit: Quia veritatem locutus sum, jussisti frangi os meum, iniquissime. Maximus dixit: Nunc & hic recipiatur in custodia. Alium sequentem afferte.

Ibid. Demetrius Centurio dixit: Præsto est, Domine. Maximus Præses dixit: Qui ante te interrogati sunt, multa tormenta passi sunt, & nihil lucrum fecerunt misceri, sed post tanta quæ passi sunt, vix potuimus eos convertere ad deos. Honorem autem magnum consecuti sunt a Principibus, unde & tu ipse consule tibi, & lucrare tormenta, & sacrifica diis nostris, ut honorem dignum consequaris a Principibus; si autem nolueris, juro tibi per deos, ne æstimes quia de manibus meis avades. Andronicus dixit: Miser & mendax, quid me fallis? non enim potes libertatem nostram convertere, neque enim potuerunt Dominum negare, & stultitiæ tuæ consentire. Existima ergo, quia & me talem invenies. Armatus a Deo meo ante te assisto in fide, & virtute Domini Dei omnipotentis, & Salvatoris nostri, neque deos tuos sciens, neque Principes, neque tribunal tuum metuens. Et nunc omnes cogitationes tuæ, & omnia genere pœnarum, quas excogitasti adversus servos Dei, proferantur in medio. Maximus dixit: Tendite eum in palis, & nervis crudis cædite eum. Andronicus dixit: Hæ sunt omnes minæ tuæ? .... Maximus dixit: De sale fricate ei dorsum. Andronicus dixit: Plus jube salem mitti, ut possim conditus esse, & stare contra malitiam tuam .... Maximus dixit: Convertite eum, & in ventrem cædite, ut priores plagæ excitentur, & usque ad medullas descendant. Andronicus dixit: Et in prima interrogatione vexasti corpus meum, & sanus ante tribunal tuum oblatus sum. Præsto est & nunc qui me curat, & salvat. Maximus dixit: Nonne præcepi vobis, o mali milites, ut nemo ad eum accederet, neque curaret, sed sic esset, ut vulnera ipsa in se putrirent? Pegasius Commentariensis dixit: Per magnificentiam tuam nemo eum curavit, neque aliquis intravit ad illum. In interiori custodia servabatur in vinculis; & si inveneritis me mendacem, caput habeo, potestatem habes. Maximus dixit: Quomodo ergo plagæ ejus non parent? Pegasius dixit: Nescio quomodo curatus sit per nobilitatem tuam. Andronicus dixit: Medicus noster grandis est, & pius, o stulte, non medicamentum ponit aut emplastrum, sed solo sermone curat omnes qui sperant in eum. Habitat enim in cœlo, præsens est ubique, quem tu non agnoscis, insensate.... Maximus dixit: Non me vinces. Andronicus dixit: Neque nos vincimur a sermonibus tuis, aut tormentis...... Maximus dixit: Parentur mihi alia tormentorum genera proxima sessione; hic autem in vinculis ferreis recipiatur in custodia, & a nullo videatur in imo carceris.

Tertia

Christi An. 303. Ibid. Tertia interrogatio facta est in Anazarbo eivitate .... Tarachus tertio sistitur Præsidi, sed semper fortis in fide ...., ait: Ego jam, & in prima, & in secunda confessione confessus sum Christiaoum me esse, & modo illud sum quod sum: erede mihi, hoc non facio, scilicet quod suades, noo enim licet mihi sacrificare. Maximus dixit: Quid prodest duritia tua? quoniam tormentis te affligam, & postmodum pœnitebis stulte. Tarachus dixit: Si pœnitetem, in primis pœnis, & io secundis pœnituissem, & voluntati tuæ consensissem; nunc autem fortis sum in Domino: fac quod vis impudens. Maximus dixit: Ligate eum, & suspeodite, quoniam stultus est ..... Tarachus dixit: Etsi non liceat tibi uoiversas mihi pœnas adhibere, quia militaris fui; sed ne existimes, quia acquiescam iniquitati tuæ (en privilegium vel ab ipso eoneessum Diocletiano, ne L. mil. cap. de quæst. militet eorumque filii plebejorum tormentis etiam in causis eriminum subjiciantur). Maximus ei quasi fugitivo minatur majora supplicia...., Tarachus dixit: Quod facturus es, fac eitius: noli sermonibus promittere ..... Maximus dixit: Frangite ei faciem, & concidite ejus labia ..... Tarachus dixit: Ne putes me timidum sermonibus tnis, paratus sum ad omnia, portans arma Dei ... Masimus dixit: Obeliscos incendite, & ei ad mammillas ponite. Tarachus dixit: Et pejora illis si feceris, non convertes servum Dei, ut adorem ignominias, & dæmonia. Masimus dixit: Afferte novaculam, & abscindite aures ejus; caput autem ejus radite, & prunas ei superimponite. Tarachus dixit: Et si totum corpus meum decoriari jubeas, noo recedo a Deo meo, qui me fortem facit sustinere arma malitiæ tuæ. Maximus disit: Tollite obeliscos, & incendite nimis, & sub alas ejus pooite. Tarachus dixit: Respiciat Deus hodie de cœlo, & judicet..... Maximus dixit: Hic recipiatur in custodiam, & servetur proximo muneri ad bestias; alium offerte ante tribunal.

Probus similiter in sua confessione perseveravit.... Cui Maximus dixit: Aotequam sentias duritiam meam, consiliare tibi, & recede ab his tormentis, & miserere tui, ut pius sis in deos ..... Probus dixit: Crede roihi juranti tibi bonam esse confessionem in Jesum Christum Dominum nostrum, quoniam neque tu, neque dæmones, quibus errans sacrificas, neque qui tibi dederuot istam potestatem in nobis, possunt pervertere a nobis fidem, & charitatem, quam habemus io Domino. Maximus disit: Cingite eum, & pedibus sursum suspendite ..... Probus dixit: Omnia quæ a te facta fuerint, mihi in consolationem animæ fiunt: ideo fac quod vis. Maximus dixit: Ignite obeliscos, & lateribus ejus apponite, ut non sit stultus ... Probus dixit: Subjectum est tibi corpus meum: videat Dominus de cœlo humilitatem meam, & sustinentiam meam. Masimus dixit: Quem Deum vocas, miser, ipse tradidit te digoe voluntati tuæ hæc pati. Probus dixit: Deus noster amator hominum est, nulli hominom mavult, sed unusquisque, prout est illi, facit, habeos liberum arbitrium. Maximus dixit: Infundite illi vinum, & carnes de ara mittite illi io os. Probus dixit: Videat Dominus, & respiciat de altissimis sedibus suis vim, quam patior, & judicet judicium meum. Maximus dixit: Multa sustinuisti, miser: ecce, jam de sacrificio accepisti: quid habes facere? Probus dixit: Nihil magnum fecisti mittens mihi de inquinamentis vestris, & infudisti mihi vioom vim faciens, Deus scit voluntatem meam ...... Maximua dixit: Ignite obeliscos, & suris ejus imponite. Probus dixit: Neque ignis tuus, neque tormenta tua, oeque pater tuus satanas potest pervertere servum Dei a confessione sua .... Maximus dixit: Clavos acutos ustulate, & in maoibus ejus figite. Probus dixit: Gloria tibi Domioe, quoniam & manus meas dignatus es crucifigi in nomine tuo. Deiode Præsidem cæcitatis redarguit .... Maximus autem iratus dixit: Pungite oculos ejus, ut vivens minutatim a lumioe isto separetur. Probus dixit: Ecce, & oculos corporis mei abstulisti, sed nunquam tibi bene sit, crudelissime tyraone, ut possis oculos interiores tollere. Maximus dixit: Totus in tenebris es, inique, & talia loqueris? Probut dixit: Si sciret tenebras quæ sunt in te, magnificares me, impie... Maximus dixit: Tollite, & ligate eum, & servate in custodia, & nemo de sodalibus eorum accedens magnificet eos; a me autem proximo munere tradentur ad bestias. Alium sequentem afferte.

Christi An. 303. Ibid. Andronicus, duobus sociis non inferior, pariter tyraoni minas, & promissa cootempsit, constanter negans se diis sacrificaturum..... Cui Maximus dixit: Qui ante te voloerunt loqui, multa ante tormenta locuti sunt quæ voluerunt; postea autem a plagis, & pœnis, quæ eis appositæ sunt, confessi sunt se esse pios, diis & principibus sacrificantes, & salvati suot. Androoicus dixit: Nihil extraneum operaris malitia cogitationis tuæ, mendacium dicens..... Maximus dixit: Date papyrum, & manipulos inde facite, & apponite ignem ventri ejus. Andronicus dixit: Etsi totus arsero, & fuerit io me spiritus, non me vioces, maledicte. Præsto est enim qui me confortat Deus meus, cui servio. Maximus dixit: Incendite obeliscos, & candentes ponite inter digitos ejus. Androoicus dixit: Insensate, & Dei contemptor, omoi cogitatione satanæ plenus es totus; vides enim corpus meum ustulatum a pœnis, & putas quoniam timeo cogitatiooes tuas? Sed habeo Christum in me, contemno te. Maximus dixit: Iniquissime, non scis, quem invocas Christom, hominem quemdam factum sub custodia Pontii Pilati punitum, cujus & acta reposita sont. Andronicus dixit: Obmutesce, spiritus immunde; non enim licet tibi loqui de hoc inique .... Maximus dixit: Aperite os ejus, & immittite ei carnes de ara, & infundite ei vinum. Andronicus dixit: Domine Deus meus, vide vim quam patior. Maximus dixit: In quos pius esse noluisti, ut sacrificares, jam gustasti de ara illorum. Andronicus dixit: Insensate, & tyranne, vim patientem cum periculo perfudisti me eo quod non me coinquinat, quia non voluntarie hoc feci .... Maximus dixit: Insipiens, faciam tibi linguam iocidi, ut vel sic non multum loquaris. Andronicus dixit: In hoc te rogo, ut absciodas labia mea, & linguam, in quibus putas inquinamenta tua immisisse.... Nunquam tibi bene sit, tyranne, neque his qui tibi dederunt potestatem istam, ut acquiescam tibi ..... Maximus dixit: Maledicis Principes, o malum caput, qui diuturnam, & almam pacem præstiteruot? Andronicus disit: Ego maledixi, & maledico potestates, & sanguibibulos, qui sæculum everterunt, quos Deus brachio suo alto evertat, & conterat, & perdat, & det super eos iram, ut sciant quid agant in servos Dei. Maximus dixit: Mittite ferrum in os ejus, & excutite ei dentes, & malam, & blasphemam linguam excidite, ut discat non blasphemare in Principes. Dentes autem ejus, & blasphemam linguam tollite, & comburite, & cinerem facite, & ubique spargite, ut nemo de coosortibus ejus impiis, aut de mulierculis aliqua colligat, aut servet, quasi pretiosum aliquid aut sanctum æstimet. Ipsum autem in custodia custodite, ut simul cum consortibus suis proximo munere offeratur bestiis. (En cultus religiosus, quem, vel teste Maximo tyranno, Fideles exhibebant sacris reliquiis.)

Maximus advocans ad se Terentianum sacerdotem communis Ciliciæ, jussit ei altera die parare munus civitati. Terentianus jossit his, qui præerant bestiis, omnia parare. Mane facto, omnis eivitas, virorum, & mulierum multitudo, exierunt in amphitheatrum ab urbe passuum mille distans. Venit & Maximus. Et cum multæ horæ transissent, multorum jacentium corpora gladiatorum a feris devorata sunt .... Maximus subito jubet militibus suis, ut sanctos Dei Martyres exhiberent. Milites autem angariaverunt homines, & imposuerunt martyres eis, & portaverunt eos ad amphiteatrum; non enim poterant ambulare a laceratione pœoarum, & ab exustione ignis .... Et cum martyres in medio amphitheatro projecti sunt ..... multi spectaculum dimiserunt, atque contemnentes ibaot murmurantes adversus Maximum. Maximus autem mandavit militibus suis ut eos, qoi discedebant, notarent, ita ut postmodum eos audiret. Jussit autem multas feras laxari. Et cum exissent bestiæ, non tetigerunt corpora sanctorum. Maximus iratus jussit vocari custodes ferarum, eosque cædi, & cum multa comminatione dixit eis, ut dimitterent atrocissimam feram, quam haberent. Illi dimiserunt ursum pessimum, quem dicebant ipsa die tres homines occidisse, & appropinquavit ad corpora sanctorum, & nullom corpus contaminavit. Et cum venisset ad sanctum Andronicum, sedens lingebat vuloera ejus. Sanctus vero Andronicus posuit caput suom soper ursum, & instigabat eum, ut irasceretur, & celerius redderet spiritum. Ursus autem

quasi

Digitized by Google

Christi An. 303.

quasi mansuetus subito factus est. Ira repletus Maximus jussit ursum occidi, & ante pedes Sancti Andronici fuit occisus. Misit autem Terentianus, metuens ne forte irasceretur Maximus, & condemnaret eum, & exire jussit leænam. Et cum exisset leæna, vidit corpora sanctorum projecta, & venit ad B. Tarachum, deposuit se ante pedes ejus quasi eum adorans. Sanctus autem Tarachus trahebat manu eam ad se, ut irasceretur bestia, & celerius consumaretur. Læna autem cum magna mansuetudine secus beatum martyrem, sicut ovis, jacebat. Maximus iracundia plenus jussit leænam provocari; quæ provocata cum magno rugitu posticam confregit, ut omnis populus a pavore clamaret: aperiatur leænæ. Tunc Maximus vocavit ad se Terentianum, & jussit gladiatores introduci, ut sanctos Dei martyres gladio interficerent, & statim consumpti sunt gladio, die quinto Idus Octobris. Maximus reliquit ibi decem milites, ut corpora sanctorum intermiscerent inter corpora gladiatorum, ut non possent agnosci. Hæc cum milites facerent, Fideles in proximo flexis genibus orabant Altissimum, ut bonitas pietatis ejus eis ostenderet reliquias SS. Martyrum....

Ibid.

Tunc subito terræ motus factus est magnus, & tonitrua, & fulgura, & nimia tempestas imbrium descendebat: quæ cum cessasset, rursus orantes ad corpora appropinquant, inveniuntque focum a tempestate extinctum: custodes autem fugerant. Christiani vero inquirentes corpora, manus ad cœlum levant, deprecantes Deum, ut ipsis ostenderet reliquias sanctorum. Subito misericors Deus stellam splendidam de cœlo misit, quæ sedebat super singula corpora sanctorum; quæ cum gaudio rapuere Fideles, & splendor stellæ antecedebat eos, iter demonstrans .... versus partem quamdam montis. Stella cum recessisset, hic viderunt petram apertam, in qua sanctorum corpora collocarunt: metuentes futuram inquisitionem cum magna diligentia eos absconderunt. Tunc redeuntes ad civitatem invenere custodes jam punitos a Maximo, eo quod sanctorum corpora non invenissent .... Hæc autem acta ut sincera, & vera communiter recipiuntur. Pars prior continet tres interrogationes, quas subjere sancti martyres: earum exemplar a quodam Sebasto spiculatore ducentis denariis mutuati sunt Anazarbeni Christiani, descriptumque transmisere Fratribus, qui erant Iconii, obsecrantes ut mitterent Fratribus Pisidiæ, & Pamphiliæ. BB. vero martyrum consummationem aliquot Christiani, qui rebus gestis præsentes aderant, prioribus adjunxere.

Theod. Episc. Icon. epist. de martyr. SS. Cyriaci, & Julit. Act. sync.

XXXVIII. Julittæ quoque, & Cyriaci ejus filii passio est in Martyrologiis Græcis, & Latinis celeberrima. Hæc furente Domitiano Lyconiæ Comite, fuga se cum duobus ancillis trimuloque filio Cyriaco, Iconio, unde & orta erat, se proripuit. Substantia itaque, qua longe locuples erat, relicta, Seleuciam pervenit, turbatas ibi magis res Christianorum offendens ..... Tarsum abiit ... ab Alexandro, qui Domitiani sævitiam multis partibus superabat, cum filio comprehensa Christianam se profitetur .... Alexander tolli ab ea puerum ..... matrem vero .... crudis nervis immaniter cædi imperavit ... In illam ministri, quod erant jussi, diris verberibus cruciantes adimplent; cum illa id unum responderet, Christianam se esse, nec fore ut dæmoniis unquam immolaret. Dum igitur in statuæ modum inanimis valide plagis conscinditur, accepto Prætor manu puero, blande deliniens, a fletu cohibere omnino nitebatur, genibusque impositum accipere osculo conabatur. Puer vero intentis in matrem luminibus, Prætorem ab se submovebat, manibusque obnitens, ejus faciem unguibus scalpebat..... Demum .... S. Cyriacus clamavit: Christianus sum. Calcibus quoque Judicis latus petebat. Quamobrem excandescens agrestis illa fera, pede arreptum e sublimi solio puerum terræ allidit. Præclari vero martyris cerebro ea in confessione ad graduum angulos colliso, gravique ictu contrito, circum late tribunalis area cruore opplebatur, infansque in Dei manus spiritum reddebat. Id S. Julitta conspicata, velut exuberanti gaudio repleta, Deo gratias agebat.... Hinc Judex Julittæ fodi latera, eaque lebete haustam picem bullientem pedibus affundi jubet. Cum tormentis non cederet .... cædi gladio fœminæ cervicem, filii cadaver in damnatorum loco projici Judex jubet, decimo septimo Kalendas Augusti. Postridie ambæ ejus ancillæ, quæ effugerant, sublata noctu cadavera procul deposita humo condiderunt in Tarsi urbis agro. Constantini Imperatoris temporibus superstes ancillarum altera, locum prodidit; tumque Fideles aliquid ex sacris pignoribus ad vitæ suæ munimen, & præsidium accepturi, atque ad Dei nostri optimi gloriam properarunt, ac locum frequentarunt.

Christi An. 303.

Virgines a Deo servatæ. Basil. lib. de vera virg.

XXXIX. Cum tyrannorum sævitia Christianarum virginum constantiam promissis ac tormentis superare non posset, adversus earum pudorem bellum indixit: sed virgines, inquit Divus Basilius, propter Sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditæ, corporibus inviolatæ perdurarunt, eo scilicet, cujus gratia id perferebant, impiorum conatus irritos arguente, & integra earum corpora non sine prodigio, & virtute custodiente. Hujus rei multa jam exempla protulimus: novum, & illustre nobis suppeditat Theodora virgo nobilis. Alexandriæ Proculus cum sedisset pro tribunali, dixit:

Act. sinc. Ambr. lib. 2. de virg. c. 4.

Vocate Theodoram virginem: quæ alapis cæsa, Judicis minas contemnens, gloriosam fidei suæ confessionem edidit: cui demum Judex dixit: Do itaque tibi tridui spatium, & per deos, nisi consenseris, scilicet diis sacrificare, in meritorium te statuam, ut videant omnes mulieres, & videntes arguantur per suam injuriam. Theodora respondit: Et nunc ipse est Deus, qui semper fuit, qui non patietur me derelinquere eum. Quapropter comparata sum corpus præstare tibi, nam mihi & tres hi dies jam transierunt: fac itaque quod vis. Rogo autem te, immaculatam me custodiri jube, donec des sententiam. Judex annuit, & præcepit, ne quis ei violentiam ingereret. Post tres dies cum sedisset Judex, jussit vocari Theodoram, eique dixit: Si te jam emendasti, sacrifica, & vade .... Quod si in hoc permaneas proposito, non eris pudica. Theodora respondit: Jam tibi dixi: & ea iterum me dicere non excuso, quoniam promissio castitatis per Christum est, ... & ipse scit quomodo castam suam ancillam custodiat. Judex dixit: Videamus, si custodiat te Christus... Perducta est itaque in meritorium. Ingressa divinum implorat auxilium.... Domine Jesus Christus nec tunc defuit, sed confestim misit qui eam liberavit. De Fratribus unus ..... induit se militari habitu .... intravitque ad eam prior, tanquam unus de sceleratis .... Illa turbata circumfugiebat per angulos; cui Frater cœpit dicere: Non sum quem vides, ... Frater enim voluntate cum sim tuus, in diabolicis vestimentis ingressus sum, ut te hinc possem liberare .... Veni itaque, mutemus vestem .... Egredere tu ad Deum, hæc ipsa, quæ timuisti vestimenta induta .... Consensit ei Theodora .... Accipiens itaque virgo habitum militis, capiti imposuit depresso pileum .... Et præcepit ei ut deorsum respiceret, & nulli loqueretur ad portam. At illa cum exisset, elevavit alas suas ad cœlum ab ore accipitris liberata .... eumque hora transisset, quidam ingressus est ex istis, & invenit pro virgine virum; & stupefactus dixit: Putas, & virgines in viros demutat Jesus? ..... Timeo ne me demutet in mulierem. At Didymus non abscondit factionem suam, sed magna voce ait: Non mutavit me Dominus, sed coronavit me, & illam ..... Exivit is qui intraverat, & quod erat factum audiens Judex, jussit illum adduci, & interrogavit: Quid diceris? At ille dixit: Didymus. Judex dixit: Quis te submisit ut hoc faceres? Didymus respondit: Deus me misit, ut hoc facerem: Judex dixit: Confitere ante tormenta, ubi est Theodora? Didymus dixit: Per Jesum Christum Filium Dei, nescio ubi est; scio autem quoniam est ancilla Dei, & Deus custodivit illam immaculatam... Judex dixit: Per deos, quia repositi sunt tibi duplices cruciatus, nisi sacrificaveris diis, ut & indulgeatur tibi quod temere usurpasti .... Didymus respondit: Quod tibi placuerit, celerius facito, non enim sacrifico demoniis, etiamsi igni me tradi jubeas. Judex dixit: Propter audaciam tuam tantam, caput tuum excidetur; & eo quod non obedisti jussionibus Imperatorum, reliquum corpus tuum igni tradetur.

Ambros. Ibid.

Fertur Theodora ad locum supplicii concurrisse, certasse ambos de nece, cum ille diceret: Ego sum jussus occidi. At illa clamare cœpit: Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem

Christi An. 303.

pudoris optavi .... Quod si mihi præripis mortem, non redemisti me, sed circumvenisti .... Ambo vicerunt, nec divisa est corona, sed addita; altera principium martyrio dedit, altera effectum: utriusque memoriam celebrat Latina, & Græca Ecclesia.

Prudent. de mart. D. Eulal. Hymn. 3.

XL. Passa est & Eulalia duodenois virgo nobilis decimo Decembris, in Hispania apud Emeritensem civitatem. Illius laudes celebrarunt multi sacri scriptores, imprimis Poeta Prudentius. Hæc post ungulas ferreas, quarum vulnera tranquilla numerabat, igne consumpta est. Toleti Diva Leocadia virgo in carcere cum audisset passionem S. Eulaliæ flexis genibus orans, emisit spiritum. Cæsar-Augustæ sub Daciano Præside octodecim martyres e variis Hispaniæ urbibus huc adductos, & coronatos recenset Prudentius. Compluti, Deus elegit duos pueros Christianos, Justum, & Pastorem, quorum exemplo Fidelium animos adventu Daciani consternatos erigeret atque confirmaret. Hi martyrii cupidissimi, relictis tabellis, quibus in literis ediscendis detinebantur, ambo pariter mira alacritate martyrio sese obtulerunt. Dacianus mirum in modum offensus, nullo in pœnis infligendis ætatis discrimine habito, eosdem diris cruciamentis exagitatos, gladio demum jussit occidi.

Martyr. 9. Dec. Prudent. Hymn. 4.

Martyr. 6. Aug.

Act. sinc.

Cordubæ adversus Christianos non minus sæviebat Eugenius: ei Faustus, Januarius, & Martialis occurrerunt dicentes: Quid tibi vis, Eugeni? qui Dei servis mavis invidere, quam credere?..... Eugenius dixit: O infelices homines, quid vos esse vultis? Faustus respondit: Nos Christiani sumus, fatentes, quia Dominus unus est, per quem omnis, & nos per ipsum facti sumus ..... Præses iratus dixit: Imponite Faustum in equuleo, qui tam irreverenter, & impie mihi loqueris. Jaouarius dixit: Nobis confessio Christi nulla impietas. Eugenius ad Martialem conversus dixit: Vides istorum animi dementiam .... noli maleficis istis, & impiis te credere. Martialis dixit: Solus Deus immortalis est, qui cœlum fecit, & terram. Ipse pro tuis malis operibus te puoiet. Quod audiens Eugenius: Et hic, inquit, ponatur in equuleo, & jussit eos torqueri, donec adorent deos. Ei Faustus cum constanter, sed paulo durius respondisset, Eugenius dixit: Abscindantur ei nares, & auriculæ, supercilia radantur, dentesque mandibulæ superioris evellantur. Quod cum factum esset, Faustus Deo gratias agens, magis hilaris factus ast ..... Eugenius Januario dixit: Videsne, Januari, quanta tormenta passus fuerit Faustus, dum deceptus opinione sua, pertioaciter imperio meo parere recusat? Januarius dixit: Impietas ista, & pertinacia Fausti in me maneat. Tuoc dixit Eugenius: Auferantur & huic quæ præcepi pro Fausto. Dum torqueretur Januarius, Præses dixit ad Martialem: Vides propter sociorom tuorum dementiam, quæ illis mala eveniant? tu igitur consula tibi, tequa disjunge ab illorum prava voluntate. Martialis dixit: Consolatio mea Christus est, quem illi gaudentes, & voce præcona testantur: ideoque confitendus, & laudaodus est Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Tunc Eugenius furore succensus, jussit eos legitimo igna comburi; quos cum lictores ducerent ad locum supplicii, Christi plebem adhortabantur, ut omnes in fide Christi constantes perseverarent ...... simulque traditi flammis exultanter tradiderunt Deo spiritum. Eorum SS. martyrum meminere antiquiora Martyrologia, & Prudentius, qui ibidem vere scripsit, innumeram Christianorum multitudinem in Hispaniis mortem pertulisse. Id evincunt duæ inscriptiones, quæ Cluniæ, & Arevaci repertæ sunt in pluribus columnis. In priori sic legitur: Diocletianus Jovius, Masimianus Herculeus, Cæsares Augusti, amplificato per Orientem, & Occidentem Imperio Romano, & nomine Christianorum deleto, qui Rempublicam evertebant. Altera inscriptio hæc habet. Diocletianus Cæsar Augustus, Galerio in Oriente adoptato, superstitione Christi ubique deleta, cultu deorum propagato. Idem confirmat adversus Christianos odium Maximiani crudelissimi tyranni, cui subjacebat Hispania, ut aperte tradit Lactantius.

Prudent. Hymn. 4. Apud Gruter pag. 280.

Lact. l. de mort. pers. c. 8.

Act. sinc.

XLI. In civitata Augustana Vindelicorum, cum Christianorum essec sæva persecutio, & omnes pro Christi nomine variis suppliciis affecti ad sacrificia traherentur, contigit Afram, quam notam habebat fama publica, quod esset lupanaria, a persecutoribus comprehendi. Judex dixit ei: Sacrifica diis; expedit tibi magis vivera, quam inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt mihi peccata mea, quæ igoorans Deum gessi; hoc autem quod me jubes facere, nunquam factura sum. Gajus Judex dixit: Ut audio, meretrix es: sacrifica, quia aliena es a Deo Christianorum. Afra respondit: Dominus meus Jesus Christus dixit sa pro peccatoribus descendisse de cœlo, nam & Evangelia testaotur, quod meretrix rigaverit lacrymis pedes ejus, & indulgentiam acceperit. Judex dixit: Sacrifica, ut diligaris ab amatoribus tuis, & inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis. Afra respondit: Pecunias execrabiles jam nunquam accipiam, nam & quas habui, quasi sordes, abjeci, quia non erant de bona conscientia. Nam nolentes accipere aliquando Fratres meos pauperes, etiam precibus axoravi, ut a me dignarentur accipere, & pro peccatis meis orarent. (Publicorum igitur peccatorum eleemosynas, nisi resipiscereot, tunc non recipiebant paoperes Christiani.) Gajus dixit: Jam te Christus dignam non habet, sine causa vis eum Deum tuum dicere, qui te suam esse non coguoscit. Afra respondit: Christiaoa ego quidem dici non mereor, sed misericordia Dei, qui non de merito, sed de soa pietare judicat, ipse me ad hoc nomen admisit. Gajus dixit: Unde nosti quia te admisit ad hoc nomen? Afra respondit: In hoc me cognosco a facie Dei non esse projectam, quin ad gloriosam confessionem sui sancti nominis permittor accedere, per quam me sredo omnium scelerum meorum indulgentiam accepturam. Judex dixit: Hæc fabulæ sunt, magis sacrifica diis, per quos salutem consequeris. Afra respondit: Salus mea Christus est, qui pendens in Cruce latroni confitenti bona paradisi pollicitus est;.... & cum constans in confessione permaneret, nec ullis minis flecteretur, Judex dictavit sententiam dicens: Afram publicam meretricem, quæ se Christinnam professa est, & noluit sacrificiis participare, vivam incendi præcipimus. Statim igitur rapta est a ministris, & ducta in insulam Lyci fluminis, ibique eam exspoliantes, ad stipitem ligaverunt. Atque illa levans oculos suos, oravit cum lacrymis dicens: Domine Deus Omnipotens Jesu Christe, qui non justos venisti vocare, sed peccatores ad pœnitentiam, cujus promissio vera est, & manifesta, quia dignatus es dicere: Qua ora conversus fuerit peccator a suis iniquitatibus, eadem bora te non rememoraturum peccatorum ejus, accipe in hac hora passionis meæ pœoitentiam, & per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo igne æternò me libera, qui animam simul, & corpus exurit. Et his dictis expletis, circumdata sarmentis, igne supposito, vox ejus audiebatur, dicens: Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, qui me dignatus es hostiam habere pro nomine tuo, qui pro toto mundo solus hostia oblatus es in Croce, justus pro injustis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, mundus a peccato pro peccatoribus universis, tibi offero sacrificium meum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Et hæc dicens, emisit spiritum.

Const. ap. l. 3. cap. 5.

Ibid.

Cum autem beata Christi martyr Afra cœli gaudia sic per martyrii palmam intrasset, stabant juxta ripam fluminis Digna, Euoomia, & Eutropia, quæ fuerant ejus ancillæ, simulque fueraot in peccato, & simul a sancto Narcisso Episcopo baptizatæ. Quæ rogaverunt milites descendentes de barca, ut se illuc transferrent: cumque eas transtulissent, invenerunt sanctæ Afræ integrum corpus. Puer autem qui cum ipsis erat, transnatavit, & nuntiavit matri ejus Hilariæ, & venit nocte cum sacerdotibus Dei, & tulit corpus ejus, & posuit secondo milliario a civitate Augusta, in monumentum, quod sibi suisque construxerat. Nuotiatum est autem Gajo Judici, qui misit ad ipsum monumentum, dicens: Ite, & tenere eas, & si consenserint vobis ad sacrificandum, cum honore eas adducite ad me, ut remonerem illas censu dignissimo; si autem videritis eas animo pertinaci obsistere, & nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum, impleta mooumentum cremiis, & spinis siccis, & claudita super eas ipsum monumentum, & ita demum ignem supponite, ut nulla ex iis avadat. Euntes autem ad eas milites, prius

blan-

Christi An. 303.

blando sermone aas provocabant, post hæc terroribus impellebant. At ubi vident omnes simul contemnere sacrificia, repleverunt memoriam seu sepulchrum sarmentis & siccis spinis, & clauserunt super eas, & supposito igne abierunt, sicque factum est, ut eodem die, quo sepulta est Afra, simul etiam mater ejus Hilaria, nec non famulæ ejus secundum carnem, sed etiam sorores in Christo, Digna, Eutropia, & Eunomia simul martyrii coronam acciperent. S. Afræ memoriam die quinta Augusti celebrant antiquiora Martyrologia.

Act. sinc.

XLII. In Catanensium civitate Siciliæ, cum esset extra velum secretarii; Euplius diaconus proclamavit, dicens: Christianus sum, & pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Calvisius Consularis dixit: Ingrediatur qui clamavit. Et cum ingressus fuisset Euplius secretarium Judicis, Evangelia portans, unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximus dixit: Non decet tales chartas cum tenere contra regalem præceptionem ..... Calvisianus dixit: Lege ea. Euplius aperiens legit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Et alio loco: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me*. Calvisianus dixit: Hoc quid vult esse? Euplius dixit: Lex Domini mei, quæ mihi tradita est. Calvisianus dixit: a quo? Euplius respondit: a Jesu Christo Filio Dei vivi ..... Calvisianus dixit: Quoniam innotuit ejus confessio, interrogetur sub tormentis, tradatur tortoribus ..... Et cum in tormentis positus in Christi confessione constans perseveraret, Calvisianus interlocutus cum suo concilio dixit: Euplius, qui secundum edictum Principum non tradidit scripturas, sed legit populo, torqueatur, quoad usque confiteatur se deos omnipotentes adorare. Cumque torqueretur, dixit Euplius: Gratias tibi ago Christe, me custodi, qui propter te hæc patior ..... Postquam diu tortus esset, jussi sunt cessare carnifices. Et dixit Calvisianus: Miser adora deos, Martem cole, Apollinem & Æsculapium. Euplius dixit: Patrem & Filium & Spiritum sanctum adoro, sanctam Trinitatem adoro, præter quam non est Deus. Pereant dii, qui non fecerunt cœlum & terram & quæ in eis sunt. Christianus sum ..... Calvisianus præcepit iterum torqueri acrius; cumque torqueretur dixit: Gratias tibi ago Christe, succurre .... Et deficientibus viribus, dicebat labiis tantum, absque voce hæc, vel alia. Calvisianus intra velum interius ingrediens sententiam dictavit, & foras egressus, afferens tabellam legit: Euplium Christianum edicta Principum contemnentem, deos blasphemantem, nec resipiscentem gladio animadverti jubeo. Ducite eum .... Tunc appensum est ad collum ejus Evangelium ..... proclamante hæc Præcone: Euplius Christianus inimicus deorum & Imperatorum..... Et cum ad locum perductus esset, genuflexus prolixius oravit, & decollatus est, pridie Idus Augustas. Sublatum est postea corpus ejus a Christianis, & conditum aromatibus sepultum est.

Prud. hymn. 9.

XLIII. Imolæ, quæ tunc dicebatur forum Cornelii, D. Cassianus jam dudum præerat studiis puerilibus, quos notis brevibus sic verba comprehendere docebat, ut continuo loquentis sermonem exciperent. Sæviente persecutione deprehensus Christianus, pueris ipsis traditur excarnificandus. Hi stylis, quibus ceræ notas imprimebant, eum impetunt, ac mille plagis levioribus lente enecant. Anno 1628. prope Hortam coloniam Etruscorum inventa est hæc inscriptio, Lannus Christi martyr hic requiescit, sub Diocletiano L, E, P, S. passus: D. Chrysogoni, & S. Anastasiæ martyrum sub Diocletiano nomina in canone Missæ leguntur. Dies plures non sufficerent, si tantum recensere vellem eorum nomina, qui passi sunt hoc anno secundo persecutionis universalis, quæ paulo post in Occidente pene cessavit. Nam, ut refert Eusebius, Sicilia, Gallia quoque, & Hispania, Mauritania & Africa, cum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli expertæ essent, divini Numinis præsentissimum auxilium & pacem brevi sunt consecutæ, Dei scilicet providentia simplicitati illorum hominum ac fidei prospiciente. Quotquot vero in altera Orbis Romani parte degebant, innumera adhuc per octo annos certamina subierunt.

Abb. Funt.

Eus. de martyr. Palæst. cap. 13.

Lact. de mort. persec. cap. 17.

XLIV. Diocletianus æger, sic ætate transacta, Ravenna profectus per circuitum Ripæ Strigæ, scilicet per Pannoniam & ora Propontidis venit Nicomediam, quam Romæ coæquare studebat; morbo jam gravi insurgente, quo cum se premi videret, prolatus tamen, ut circum, quem fecerat, dedicaret anno post vicennalia celebrata expleto, mense Novembri anno trecentesimo quarto. Deinde ita languore oppressus est, ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur. Non defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus donec Cæsar veniret, ne quid forte a militibus novaretur: quæ suspicio tantum valuit, ut nemo crederet eum vivere, nisi Kalendis Martiis prodiisset vix agnoscendus, quippe qui anno fere toto ægritudine tabuisset. Demens factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret. Nec multis post diebus Cæsar Galerius Maximianus advenit, non ut patri gratularetur, sed ut eum cogeret Imperio cedere. Jam conflixerat nuper cum Maximiano sene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est Diocletianum, primum molliter & amice, jam senem esse dicens, jam minus validum, & administrandæ Reipublicæ inhabilem, debere illum quiescere post labores. Ille vero ajebat indecens esse, si post tantam sublimis fastigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidisset, & minus tutum, quod in tam longo tempore multorum sibi odia quæsisset. Verum si nomen Imperatoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse, quo minus omnes Augusti nuncuparentur. At Galerius, qui totum Orbem jam spe invaserat, cum inde sibi aut nihil præter nomen, aut non multum videret accedere; respondit: Debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in Republica majores, qui summam rerum teneant; item duo minores, qui sint adjumento, inter duos facile posse concordiam servari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor & extremus esset. Jam fluxisse annos quindecim, cum in Illyricum, vel ad oram Danubii relegatus cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores & quietiores terras delicate imperarent. His auditis, senex languidus, qui jam Maximiani senis literas acceperat scribentis quæcunque locutus fuisset, & didicerat a Galerio augeri exercitum, lacrymabundus, fiat, inquit, si hoc placet.

Christi An. 304.

Diocletianus incidit in amentiam.

Ib. c. 18

Ibid.

Diocletianus abdicat Imperium.

Supererat ut communi omnium consilio Cæsares legerentur. Erat Galerio Maxentius gener, Maximiani Herculei filius, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeo superbus & contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit adorare, & ideo utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, illo fastigio dignissimus, tunc præsens, jam pridem a Diocletiano factus tribunus primi ordinis, quem a Diocletiano propositum rejecit Galerius .... Eos, inquit, oportet nuncupari qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant, nisi meo jussu ..... Proponit ergo Severum, hominem saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die, & dies pro nocte. Alterum vero dedit Dajam, adolescentem semibarbarum, quem recens jusserat Maximinum vocari de suo nomine, sorore ipsius natum ..... Cum hæc essent constituta, proceditur Kalendis Majis. Constantinum omnes intuebantur, nulla erat dubitatio .... Erat locus altus extra civitatem ad millia fere tria .... Eo pergitur, concio militum convocatur. Diocletianus cum lacrymis alloquitur milites; se invalidum esse, requiem post labores petere, Imperium validioribus tradere, alios Cæsares subrogare. Tunc repente pronuntiat Severum & Maximinum Cæsares. Obstupefiunt omnes in tribunali. Cum Galerius manum retrorsum extendens, protraxit a tergo Dajam, Constantino repulso, & exutum vestem privatam constituit in medium. Huic purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit, & Diocles iterum factus est. Tum descenditur, & rheda per civitatem veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Sic Diocletianus post cruentam persecutionis sævitiam, suamet ipse sententia damnatus, ob vitium insaniæ, vili quodam clausus domicilio pœnas dedit anno Imperii sui vigesimo primo sex mensibus inchoato, Christi trecentesimo quinto, & Dioclex in Dalmatia usque ad obitum vixit in tranquillo otio. Maximianus vero Herculejus Mediolani eodem die purpuram exuit invitus, & Severum dixit Cæsarem, abdicatoque Imperio concessit in Lucaniam.

Constantin. orat. cap. 25.
Eus. hist. lib. 8.
Eutrop. lib. 10.

CHRISTI AN. 305. Eutrop. lib. 11. Lact. de mort. persec. cap. 20.

His igitur abeontibus admioistrationa Reipublicæ, Constautius & Galerius Augusti ereati sunt anno Christi treçentesimo quioto, divisusque est inter eos ita Romanus Orbis, ut Gallias, Italiam, Hispaniam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, sumptis duobus Cæsaribus, Severo per Italiam, Maximino per Orieutem. Galerius Coostantium contemnebat, quod & natura mitis esset, & valetudine corporis impeditus. Hunc sperabat brevi obiturum, & si noo obiisset, vel invitum exuere facile videbatur. Quid enim faceret, si e tribus cogeretur Imperium daponere? Habebat ipse Licinium veteris contuberuii amicum, & e prima militia familiarem, cujus consiliis ad omoia regenda utebatur; sed eum Cæsarem facare noluit, ut postea iu Constautii locum nuncuparet Augustum atque fratrem, tunc vero ipse priucipatum teneret, ac substituto Candidiano Cæsare filio suo ex concubina, qui tunc erat novennis, tranquilla viveret . . . . . Sed Deus, quem sibi fecit infestum, enocta illius cogitata dissolvit.

Optat. Mil. l. 1. *Synodus Cirtbens. traditores absolvit.* Aug. l. 3. contra Crescon. cap. 27.

XLV. Hoc eodem anoo post persecutionem, ut testetur Optatus Milevitauus, duodecim Episcopi convenerunt apud Cirtham civitatem Numidiæ, ut in Paoli locum sufficereut Sylvauum; & quia basilica uecdum fuerat restituta, in domum Urbani Carisii consederuut die trigesimo Iduum Majarum. Qui omues, exceptis quatuor, erant traditores. Secundus Tisigiranut primæ Catbedræ dixit: Probemus uos primo, & sic poterimus ordinare Episcopum. Donaro Masculitatano dixit: Dicitur te tradidisse. Donetus respondit: Scis, qusutum me quæsivit Florus, ut thurificarem, & uon tredidit me Deus in mauus ejus, frater; sed quia Deus mihi dimisit, ergo & tu serva me Deo. Secundus dixit: Quid ergo facturi sumus de martyribus, quia non tradiderunt, & ideo coronati sunt? Donatus dixit: Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem. Secundus dixit: Accede uua parte. Secundus Marino ab aquis Tibilitanis dixit: Dicitur & te tradidisse. Marinus respondit: Dedi Pollo chartulas, nam codices mei salvi sunt. Secundus dixit: Transi una parte. Secondus Donato Calamensi dixit: Dicitur te tradidisse. Donarus respondit: Dedi codices medicinales. Secundus dixit: Transi uua parte. Secoodus Victori e Rusicate dixit: Dicitur te tradidisse quatuor Evangelia. Victor respondit: Valentianus curator fuit, ipse me coegit, ut mitterem illa in iguem; hoc delictum indulge mihi. Secundus dixit: Transi una parte. Secundus dixit Purpurio e Limata: Dicitur te necesse filios sororis tuæ. Purpurius respondit: Putas me terreri a te sicut & alteri? Tu quid egisti, qui tentus es a curatore & ordioe ut scripturas dares, quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut jussisti deri? Nem non te dimittebant passim. Ego occidi, & occido eos, qui cantra me faciunt. Ideo noli me provocaro, ut plus dicam; scis me de nemiue tractare. Secundus mioor patruo suo Secundo dixit? Audis quid dicat in te: paratus est recedere & schima facere, non taurum ipse, sed & omnes quos arguis, quos scio quia dimittere te habent, & dare in re sententiam, & remanebis solus hæreticus. Ideo quid ad te pertinet, quid quis egerit? Deo debet reddere rationem. Secundus Felici a Rotaria, Nerbori e Centurione, & Victori a Garbe dixit: Quid vobis videtur? Responderunt: Habent Deum, cui reddant rationem. Secundus dixit: Vos scitis, & Deus; sedete. Quæ vox absolutio quædam fuit, & omnes respooderunt: Deo gratias.

Ibid.

His peractis, Sylvanus & ipse traditor ordioatur Episcopus Cirthæ metropolis Numidia. Ex bis manifestum est, quantum in iis, qui aliorum correctioni præsuot, necessaria sit morum probitas, ut valeant perfringere iniquitatem. Hæc gesta Episcopalia decreti Cirtensis, inquit D. Augustinus, consignata sunt tertio Nonas Martias, post consulatum nonum Diocletiani, & octavum Maximiani, quo gesta martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, facta sunt. Iidem Episcopi, sua confessione traditores, postea sententiam dixerunt adversus Cæcilianum Carthagineusem, ejusque collegas; quos accusabant commuoicasse cum Felice Aptungensi, cui traditionis crimen falso imponebant. Hæresis sic sibi contrarie semper invenitur, suisque factis damnata deprehenditur.

Aug in brevic. collat. Carth. die 3. cap. 17.

CHRISTI AN. 305. *Schisma Meletian.* Athan. Apolog.

XLVI. Circa idem tempus, Ægypti Ecclesias schisma vexavit, cui causam præbuit Meletius Lycopolitanus Episcopus. Hunc Petrus Alexandrinus multis convictum criminibus, & imprimis qood idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, ueque eorum successoribus studuit se purgare, sed schisma fecit, adeo ut ejus sectatores pro Christianis Meletiani vocarentor, & jam tum in Episcopos convitia dicere coepit, & primum Petrum, disciplinæ laxioris eum accusans in lapsis recipiendis, eaque de causa ab ejus commuuione se recessisse emeutiens, quam falsam narrationem ut veram arripuit D. Epiphanius. Pietatis obtentu ambitioni suæ velificatus Meletius, dum Petrus Episcopus Alexandriæ, qui postea martyrium consummavit, ob sævientem tunc persecutionem fugisset, ordinationes ad illum pertinentes sibi vindicavit. Iu eo schismate plurimos Clericos & viginti novem Episcopos fautores habuit Meletius, quorum etiam uomina in breviario obtulit Alexandro, quo tempore ab eo susceptus est, ut infra explicabimus.

Epiph. hær. 68.

Sozom. l. 1. c. 24. Athan. ibid.

Canones pœnit. Petri Alexander. Tom. 1. concil.

XLVII. Petrus in eadem Synodo propter lapsos edidit quindecim canones pœnitentiæ, quos promulgavit in epistola. Exscribemus quæ magis conducunt ad illustraodam historiam. *Primus* sic habet: " Quoniam quartum Pasche persecutionem jam apprehendit, satis est iis, qui dilati quidem sunt, in custodiasque conjecti, tormentaque non sufferenda, & intolerabilia flagella & multas alias graves necessitates sustinueruut, postea autem sunt e carnis imbecillitate proditi, etiamsi non initio suscepti propter gravem lapsum consecutum, tamen qoia multum decertarunt, & diu restiterunt, & stigmata Jesu in suis corporibus ostentant, & anno jam tertio deflent, eis ab adventu per revocationem in memoriam alii quadraginta dies injongantur, ... in quibus & ipsi cum valde exercitati fuerint, & coostantius jejunaverint, vigilabunt io orationibus. *Secundus*. Iis, qui postquam carceris afflictiooes gravesque fœtores passi sunt, postea autem sine bello tormentorum captivi facti sunt uimia virium inopia . . . . placet annum pœnitentiæ ad alind tempus adjungi. *Tertius*. Iis, qui nihil mali passi sunt, uec fidei fructum ostenderuut, sed ad vitium transfugeruut, ... nunc autem veniunt ad pœnitentiam, quadriennii tempus imponit. *Quintus*. Iis, qoi simularuut, ... & non nuda negationem inscripserunt: . . . . . . velut qui altaria pervaseriut, vel tanquam qui chirographum dederint, vel qui pro se ethnicos immiserunt . . . . . . semestre imponetur in pœnitentia conversionis. *Sextus & septimus*. Iis, qui servos Christianos pro se submiserunt, servi quidem, qui . . . . . . propter dominorum metum sic compulsi & lapsi, anno opera pœnitentiæ ostendent . . . . Liberi vero tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quod dissimulaverint, tum quod effecerint ut servi sacrificarent. *Octavus*. Iis, qui exciderunt, & rursus ad certamen accesserunt, se esse Christianos confitentes & in custodiam cum tormentis conjecti sunt, æquum est in exultatione cordis simul vires addere, & cis in omnibus communicere, & in orationibus, & in participatione corporis & sanguinis, & sermonis exhortatione, ut qui constantius decertaverunt, ipsi quoque supernæ vocationis bravio dignentur. „ *Nonus* reprehendit eos, qui se ultro persecutoribus offerunt, quibus tamen communionem concedi jubet. *Decimus* Sacramento quidem Clericis lapsis indulget, sed eos movet officio suo. Prioribus igitur sæculis Clericis non imponebatur publica pœnitentia, quemadmodum etiam tradit Papa Siricius: Illud quoque, inquit, nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem, & reconciliationem, ulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci. Id infra constabit pluribus exemplis. *Undecimus*. Iis, qui nutibus hortaodo martyres capti sunt, & traditi in carcerem, & postea cessere tormentis, concedit communionem precum. *Duodecimus*. " Iis, qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis molestiæ omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel

Clerici non subjacent pœnit. publicæ. Siric. epist. 1.

ipsam

Digitized by Google

CHRISTI AN. 305.

ipſam etiam perderent . „ *Decimus tertius* Adductis Apoſtolorum exemplis laudat eos , qui Fidei ſervandæ cauſa omnia reliquerunt , & ſuceſſerunt . *Decimus quartus* Vult inter confeſſores haberi eos qui , vi compulſi , immolata invito animo deguſtarunt , quod multis etiam Clericis contigiſſe , præſertim in Lybia , certo notum erat . *Decimus quintus* eſt de jejuniis . “ Non reprehendet nos quiſquam quartam & ſextam feriam obſervantes , in quibus nos jejunare ſecundum traditionem præceptum eſt : Quartam quidem propter initum a Judæis conſilium de proditione Domini ; ſextam autem , quod ipſe pro nobis paſſus ſit . „ En jejunia , quæ ex præcepto Eccleſiæ Fideles obſervabant prioribus ſæculis . Scripſit etiam Petrus librum de divinitate , qui in Epheſina , Chalcedoneque Synodo laudatur . Adſcribitur ei quoque de Paſchate Diatriba , quam in Uranologia Petavius edidit .

Lact. de mort. perſec. cap. 21. *Galerii crudelitas.*

XLVIII. Galerius Imperator adeptus maximam poteſtatem ad vexandum Orbem , quem ſibi patefecerat , animum inſtituit ; Parſarum more Romanis tanquam familia uti voluit . Et quia id aperte jubere non poterat , ſic agebat , ut libertatem hominibus auferret ; & imprimis honores ademit , ut poſſent viri nobiles ſubjici cruciatibus . Torquebantur ab eo non modo decuriones , ſed primores etiam civitatum , & quidem in cauſis levibus atque civilibus ; ſi morte digni viderentur , cruces ſtabant ; ſin minus , compedes parati . Matres-familias nobiles & ingenuæ in gynecæum rapiebantur . . . Habebat urſos ferociæ ac magnitudinis ſuæ ſimillimos . . . . Quoties delectari libuerat , . . . his homines abſorbendi objectabantur , quorum artus cum diſſiparentur , ridebat ſuaviſſime , nec unquam ſine humano

Ib. c. 22.

cruore cœnabat . Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit . . . . . . Quæ in Chriſtianis excruciandis didicerat , conſuetudine ipſa in omnes exercebat . Nulla pœna penes eum levis . . . . . . In cauſa capitis animadverſio gladii admodum paucis quaſi beneficii loco deferebatur , qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem . Eloquentia tunc extincta , cauſidici ſublati , Jure-conſulti aut relegati , aut necati . Literæ autem inter malas artes habitæ , & qui eas noverant , pro hoſtibus execrati . Licentia rerum omnium , ſolutis legibus , adſumpta & judicibus data . Judices militares humanitatis literarum rudes , ſine adſeſſoribus in provincias immiſſi . Cenſus in provincias ſemel miſſus , cenſitoribus ubique diffuſis & omnia exagitantibus , hoſtilis tumultus , & captivitatis horrendæ ſpecies erant . . . Tormenta & verbera perſonabant , filii adverſus parentes ſuſpendebantur , fideliſſimi quique ſervi contra dominos vexabantur , uxores adverſus maritos . . . . nulla ætatis , valetudinis excuſatio . . . . Pecuniæ pro capitibus pendebantur , & merces pro vita dabatur . . . Interea minuebantur animalia , & mortales obibant , & nihil minus ſolvebantur tributa pro mortuis , ut nec vivere jam , nec mori gratis liceret . Mendici ſupererant ſoli , a quibus nihil exigi poſſet , quos homo impius congregari omnes juſſit , & exportatos naviculis in mare mergi . Ita dum cavit , nequis ſimulatione mendicitatis cenſum ſubterfugiat , multitudinem virorum miſerorum contra omne jus humanitatis occidit .

Ib. c. 21. *Ingraveſcit perſecutio.*

His longe graviora intulit Chriſtianis . Id exitii primo adverſus Chriſtianos permiſerat datis legibus ; ut poſt tormenta damnati , lentis ignibus urerentur . Qui cum deligati fuiſſent , ſubdebatur primo pedibus lenis flamma tam diu , donec callum ſolorum contractum igne ab oſſibus revelleretur . Deinde incenſæ faces & extinctæ admovebantur ſingulis membris , ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus . Et inter hæc ſuffundebatur facies aqua frigida , & os humore abluebatur , ne areſcentibus ſiccitate faucibus cito ſpiritus redderetur ; quod poſtremo accidebat , cum per multum diem decocta omni cute , vis ignis ad intima viſcera penetraſſet . Hinc rogo facto cremabantur corpora , atque in pulverem comminuta jactabantur in flumina ac ma-

Euſ. l. de martyr. Pal. c. 4.

re . Ne Chriſtianorum tormentis aliquid deeſſet , Maximinus Cæſar , quaſi qui odii in Deum , & impietatis ſibi innatæ inſignia oſtentare vellet , violentius quam ſuperiores Principes perſecutioni noſtrorum incubuit . Anno igitur tertio perſecutionis univerſalis , ſecundum adverſus Chriſtianos bellum excitatur , & per omnes provincias mittuntur edicta Tyranni , quibus Rectores jubebantur operam

CHRISTI AN. 305.

dare , ut omnes omnium urbium incolæ diis publice ſacrificarent ; omnque præcones per univerſam Cæſaream cunctos Patres-familias ad dæmonum templa juſſu Præſidis Urbani evocarent , ac præterea tribuni militum ſingulos ex tabella nominatim citarent , omnibus ubique locorum Chriſtianis inexplicabili malorum turbine concuſſis , plurimi Chriſtianæ fortitudinis exempla præbuere cæteris , quorum ſigillatim certamina referemus . Hæc referunt Lactantius & Euſebius , quorum primus Nicomediæ , alter Cæſareæ vitam agebat .

Euſ. ibid.

Martyres

XLIX. Apphianus adoleſcens nobilis , Pagis Lyciæ civitate non obſcura oriundus , parentibus locupletiſſimis , martyrii palmam obtinuit ad portas urbis Cæſareæ , nondum viginti annos natus . Ac prius quidem cum ſæcularium diſciplinarum cauſa plurimum temporis Beryti eſſet commoratus , incredibile dictu eſt , quo pacto in hac civitate calcatis adoleſcentiæ cupiditatibus , nec vigore corporis , nec ſodalium conſuetudine corrumpi ſe paſſus , modeſtiam amplexatus ſit , honeſte , ſobrie , ac pie ex præcepto Chriſtianiſmi degens , moreſque ſuos moderans ac caſtigans . Reverſus in patriam , ubi pater ipſius principem locum obtinebat ; ipſe nihilominus cum patre & propinquis ſuis verſari non ſuſtinuit , eo quod illi ex divinæ religionis præceptis vitam agere recuſarent . . . Vanam igitur hujus ſæculi gloriam , & corporis voluptates deſpiciens , clam domo aufugit , ac nequidem de ſumptu ad diurnum victum neceſſario ſollicitus , ob ſpem & fiduciam , quam in Deo collocaverat ; prævio , & quaſi manu ipſum ducente Spiritu ſancto , Cæſaream pervenit , ibique cum Euſebio hiſtorico verſatus , cum ex ſacrarum literarum lectione , quantum fieri potuit , breviſſimo illo tempore fructus ſibi collegiſſet , & congrua arctioris abſtinentiæ exercitatione ſe roboraſſet . . . nemini communicato conſilio , clam omnibus ad Urbanum tum forte litantem intrepidus acceſſit , fidentique animo comprehenſa ejus dextera , e veſtigio quidem ſacrificium omittere ipſum coegit . . . . Mox inſtar prudentiſſimi monitoris , cum divina quadam gravitate hortari eum cœpit , ut ab errore deſiſteret . Quippe abſurdum eſſe , ut poſthabito veri ac ſolius Dei Numine , ſimulacris ac dæmonibus homines ſacra faciant . . . . Mox a militibus , qui Præſidi apparebant , diſcerptus , & innumera verbera toto corpore perpeſſus , in carcerem conjicitur , ubi cum noctis ac diei unius ſpatio pedibus in nervo diſtentis manſiſſet , poſtero die in judicium adducitur .

Ibid.

Compulſus a judice diis ſacrificare , invictam adverſus ærumnas & quantumvis horrendos dolores conſtantiam animi declaravit , lateribus non ſemel , ſed iterum ac ſæpius ad ipſa uſque oſſa & viſcera ſulcatis , totque plumbatarum ictibus in os ac cervicem verberatus , ut contuſa ac tumefacta facie , ne ab illis quidem , qui eum optime norant , agnoſceretur . Verum cum ille tantis doloribus nullatenus cederet , tortores juſſu Præſidis lineum oleo madefactum pedibus ejus circumponentes , ignem poſtea ſubjecerunt . Ignis conſumptis ejus carnibus ad oſſa uſque penetrabat , adeo ut univerſus humor corporis ceræ inſtar liquefactus ſtillatim difflueret : ſed neque his cruciatibus ſuperatus , rurſus in vincula compingitur . Dehinc tertio die Judici oblatus , eamdemque fidei conſtantiam profeſſus , licet ſemivivus , in profundum mare demerſus eſt . . . . Repente tantus motus , tantuſque fragor non ſolum mare , verum etiam cœlum omne concuſſit , ut terra quoque , & ipſa Cæſarienſium civitas eo motu quateretur . Eodemque temporis momento . . . divini martyris cadaver , utpote quod marini fluctus continere non poterant , ab iiſdem ante portas civitatis ejectum eſt . Hujuſmodi fuit exitus admirandi Apphianii die tertio Nonas Apriles feria ſexta . Iiſdem pene diebus , adoleſcens

Euſeb. ibid. c. 5.

quidam Ulpianus nomine , poſt crudeles plagas , & acerbiſſima flagrorum verbera , una cum cane & aſpide in culeum ex crudo bovis corio inſutus , in mare præcipitatus eſt . Parricidarum hoc fuit ſupplicium . Aliquanto poſt tempore Ædeſius , tam ſecundum Deum , quam juxta carnem Apphianii frater germanus germana cum illo perpeſſus eſt . Quippe poſt innumerabiles confeſſiones , poſt diuturnos carceris & vinculorum cruciatus , poſt Præſidum ſententias , quibus ad metalla Palæſtinæ fuerat condemnatus . . . tandem apud Alexandriam , cum Judicem , qui de Chriſtianis quæſtionem habebat , ſupra modum debacchantem

Christi An. 305.

atque insoltantem vidisset, & nuoe quidem viros graves variis afficientem contumeliis, nune mulieres eximia castitate præditas, atque etiam virgines Deo devotas lenonibus ad omne genus turpitudinis dedentem, idem ae frater facere conatus est. Com enim hæc ipsi intolerabilia viderentor, iogeoti animi fiducia accessit ad judicem, eumque verbis simul ac factis illum pudore atque ignominia perfudisset, post hæc multipliees tormentorum cruciatus fortiter perpessus, tandem in mare præcipitatus, eodem, quo frater, genere mortis interiit.

L. Alexandriæ quoque passi sunt Philoromus procurator summæ rei, seu rationalis summarum Ægypti, qui pro dignitate & prærogativa honoris Romani, stipatus militibus quotidie jus dicebat; & Phileas Ecclesiæ Thmoitarum Episcopus, vir cunctis in patria honoribus ac muneribus somma eum laude perfunctus, & in Philosophiæ studiis admodum clarus. Qoi cum inoumeri cogoati atque amici, qoidam etiam ex magistratibus atque honoratis eos rogarent, cum Judex ipse eos cohortaretur, ut sui ipsorom misereri, & uxoribus ac liberis sois consulere vellent, numquam his omnibus adduci potuerunt, ut vitæ suæ conservandæ causa divinas leges de confessione & negariooe nominis Christi latas, eootemnerent; sed religiosa ac Deo dicata meote adversus omnes Judicis minas & contumelias ambo perstantes, secori percussi sunt. Phileas in græcis disciplinis apprime versatus, elegantissimam ad Thmuitas epistolam scripsit de passionibus martyrum . . . . . Eorum virtutem, ioquit, & in siogulis tormeotis fortitudinem quæ tandem oratio possit percensere? nam cum eos injuria afficere cuivis liceret, alii fustibus, alii virgis eos verberabant, quidam loris, nonnulli etiam fuoibus cædebant . . . . . Quidam illorum manibus post tergum revinctis ad stipitem suspendebantor, ac deinde universa corporis membra machinis distendebantur. Post hæc tortores jussu Judicis universo corpori, neque ut homicidis solet, lateribus duntaxat, sed etiam ventri, cruribus ac genis cruciatus ferreis ungulis adhibebant. Quidam altera manu ad porticum suspensi peodebant, quibus articulorum membrorumque omoium distentio quovis cruciatu erat acerbior. Alii vultibus in se mutuo conversis ad columnas alligabantur, pedibus terram noo contingeotibus, adeo ut vincula gravitate corporum adacta acrius intenderentur. Atque id tolerabaot, non solum quamdiu Præses eos alloquebatur, sed toto propemodum die; nam ubi ad alios audieodos transierat, ministros officii sui relinquebat, qui prioribus imminerent, si forte quis tormentorum acerbitate victus a proposito deficere videretur; jobebatqoe eos absque ulla miseratione vinculis striogi, & postea cum jam animam exhalarent, humi abjectos trahi. Neque enim, ajebat, vel minimam nostri curam habendam esse, sed cunctos sic erga nos agere debere, quasi oon amplius homioes essemus... Quidam etiam post tormenta in oetvo jacuerunt, pedibus usque ad quatuor foramina divaricatis, ita ut supioi esse cogereotur, cum ob recentes plagarum cicatrices, qoas toto corpore gerebant, stare omnino non possent. Alii humi projecti jacebant præ nimia tormentorum acerbitate, & multo gravius, quam dum cruciarentur, spectaculum intuentibus præbebant, varia ac multiplicia tormentorum excogitata genera corporibus sois circumferentes. Quæ cum ita gererentor, alii in ipsis tormentis exspirabant, alii semineces in carcerem trusi paucis post diebus doloribus oppressi vitam finierunt. Reliqui curantium remediis refocillati, tempore ipso, ac diuturna carceris mora fidentiores evasere. Itaque cum postea juberentur eligere utrum mallent, an, cootactis nefariis sacrificiis, omni molestia liberari, & abominandæ absolutioois sententiam ab ipsis consequi; an vero sacrificare abnuentes damnari; omnes nihil cunctati, libenti animo ad mortem perrexerunt. Quippe probe norant qoæ in sacris literis præscripta sunt: *Qui sacrificat diis alienis, exterminabitur*. Hæc suot Phileæ martyris verba; quæ adhuc in custodia constitutus ad Fratres Ecclesiæ suæ scripsit, partim quo io statu versaretur exponens; partim eos adhortans ut pietatem in Christum etiam post obitum suum jamjam imminentem mordicus retineret.

Ibid. 10.

Phileæ martyris epist. de martyribus.

Exod. 22.

Illius quoque disputationem adversus Judicem, qui eum sacrificare cogebat, laudat D. Hieronymus. Hæ sunt partes ejus præcipuæ. Imposito Philea super ambonem, Culciaous Præfectus augustalis Ægypti coostitutus a Maximino dixit illi . . . . Sacrifica diis. Phileas respondit: Non sacrifico. Culcianus dixit. Quare? Phileas respondit: Quia sacræ & divinæ scripturæ dicunt: *Qui immolat diis, eradicabitur, nisi soli Deo*. Culcianus dixit: Immola ergo soli Deo. Phileas respondit: Non immolo; oon enim talia sacrificia desiderat Deus . . . Culcianus dixit: Qualibus ergo sacrificiis delectatur Deus tuus? Phileas respondit; Corde mundo, & sensibus sinceris, & verborum verorum sacrificiis delectatur Deus. Culciaous dixit: Immola ouoe, siquidem Paulus & Moyses immolarunt. Phileas negavit se sacrificaturum, vel sacrificasse Paulum, scilicet jam Christianum. De Moyse vero dixit: solis Judæis præceptum fuerat sacrificare Deo soli in Jerosolyma...... Culcianus dixit: Jam sacrifica. Phileas respondit: Noo sacrifico. Culcianus dixit: Conscientia est. Phileas respondit: Ita. Culcianus dixit: Quomodo ergo quæ ad filios tuos & conjugem coosciencia est, non custodis? Phileas respondit: Quoniam quæ ad Deom est conscientia, emineotior est. Culcianus dixit: Quem Deum! Phileas extendit manus suas ad cœlum, & dixit: Deum, qui fecit cœlum & terram; mare, & omnia quæ in eis suot, qui solus est, & permanet in sæcula sæculorum. Culcianus dixit. Deus erat Christus? Phileas respondit: Ita. Culeianus dixit: Quomodo persuasus es de eo, quod Deus esset? Phileas respondit: Cœcos videre fecit, surdos audire, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, mortuus resurrexit, & alia multa signa & prodigia fecit. Culcianus dixit: Est Deus Crucifixus? Phileas respondit: Propter nostram salutem Crucifixus est. Et quidem sciebat quia crucifigendus erat, & dedit semetipsum omnia pati propter nos; etenim sacræ Scripturæ hæc de eo prædixerant . . . . . Culcianus dixit: Quid desideras? Phileas respoodit: Temeritate tua utere, fac quod tibi jussum est . . . . Culcianus dixit: Beneficiom te dono fratri tuo. Phileas respoodit: Et tu gratiam hanc perfectam mihi præsta, utere temeritate tua, & quod tibi jussum est, fac. Culcianus dixit: Si scirem te indigere, & sic in haoc amentiam venisse, noo tibi parcerem; sed quia multam substantiam habes, ita ot non solum te, sed prope cunctam provinciam alere possis, ideo parco tibi, & suadeo te immolare. Phileas respondit: Non immolo . . . . Advocati ad Præsidem dixeruot: Jam immolavit in phrontisterio. Phileas respondit: Non immolavi certe . . . . Aderat tunc Philoromus. Hic eom vidisset Phileam circumdatum lacrymis propinquorum, & Præsidis calliditate fatigari, nec tamen flecti, aut infringi ullatenus posse, exclamavit dicens: Quid inaniter & superflue constantiam viri tentatis? . . . Quid eum cogitis negare Deum, ut hominibus acquiescat? Non videtis quod ejus oculi vestras lacrymas non vident; quod aures ejus vestra verba non audiunt?..... Judex ambos feriri gladio jubet; eumque ireot ad locum cædis, frater Phileæ, qui erat unus ex advocatis, exclamavit, dicens: Phileas abolitionem petit. Culcianus revocans eum, dixit: Quid appellasti? Phileas respondit: Non appellavi, absit. Ego autem magnas ago gratias Regibus & Præsidi, quoniam cohæres factus sum Jesu Christi.

Christi An. 305.

Hier. de script. Eccl.

Act. sinc.

Exod. 22.

Ibid.

Atrox fuit etiam in Cappadocia persecutio Maximioi. Hunc athletarum quidem nostrorum permulti superarunt, & ad mortem usque decertantes, hactenus videlicet relicti, ut victoriæ suæ superstites essent, atque aliis virtutis adeptæ spirantes columnæ, tacitaque præconia relinquerentur. Cum multis autem aliis D. Basilii paterni proavi, quibus, eum omoe pietatis genus coluissent, etiam tempestas illa coronidem invexit. Nam quooiam lex martyrii hæc est, ut nec nos ultro ad certamen accedamus, hac nimirum ratione tum persecutoribus, tum imbecillioribus athletis consulentes, nec cum præsentes sumus, certamen detrectemus. In hac qooque re Legislatorem hoore afficientes .... ad quamdam Ponticorum montium sylvam eum paucis, tam fugæ comitibus, quam ciborum ministria confugiuot; atque hic in annum septimum protractum illis exilium fuisse oarrant: ita ut sub dio agentes, algoribus, caloribus, pluviis divexarentur: quæ res maxime gravis eis ærumnosa fuit . . . . quam oratione & patientia leoiebaot. Victum eis providit Deus: cervi e tumulis apparentes sic ultro se offerebant, ut paratos ad cædem conjiceres.

Gregor. Nazianz. orat. 20.

LI. In-

Christi An. 305. Greg. Nyssen. orat. de B. Theod. Act. fine. LI. Inclaruit Theodoro martyre Amasenfis Ecclesia. Patriam cum Jobo communem habebat, ac militaris erat ordinis, fidemque in Christum ubique circumferens, insigni pietate præditus .... Præses & tribunus, qui in unum convenerant, eum sistunt ad judicium, interrogantque, quare contumax adversus leges Imperatorum diis non sacrificaret? Respondit ille: Deos quidem nescio ...... mihi vero Deus est Christus, Dei unigenitus Filius. Incidat, laceret, flammam admoveat, qui his meis vocibus offenditur ...... Ut autem illi paulisper cunctabantur, deliberantes quid facto opus esset? unus ex iis, qui ordines ducebant, miles, responsum martyris irridens: Estne, inquit, o Theodore, Filius Deo tuo? Theodorus respondit: humano quidem more affectibus carnis obnoxius Deus meus non generavit: verum & Filium confiteor, & nativitatem talem esse dico, quæ Deum deceat. Tu vero miser & imperite, an non erubescis, qui fœminam Deum confiteris, & ut matrem duodecim deorum eamdem adoras? intelligebat Cybelem deorum matrem, quæ tunc Amaseæ colebatur ..... Tyranni exiguum ad deliberandum tempus ei concedunt. At Christi miles eo ad forte facinus abutitur: matris deorum templum concremavit ...... Ubi factum confessus est, eum judicum minis non cederet, promissis illum aggrediuntur, spe Pontificatus injecta ...... Quæ cum rejecisset, variis martyrem cruciatibus lacerant. De pristina virtute nihil ille remittens, in tormentis cantabat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Hoc modo punitum carcer excepit, ac rursus circa sanctum miracula videbantur, ac noctu vox multitudinis psallentium audiebatur, & facum lucentium splendor ab iis, qui foris erant, conspiciebatur; adeo ut etiam carceris custos insolita & admirabili visione & auditione turbatus, insiliret in domunculam, & neminem inveniret præter martyrem quiescentem. Posteaquam autem in eo multa tentata sunt, & ad confessionem & pietatem obfirmatus erat, prolata est in eum sententia, & igne confici & consumari jussus est: ipse quidem beato itinere abiit in cœlum. Christi An. 305. Psal. 33.

Hæc acta Martyrum hactenus laudata quisquis legerit, quamvis longe plures sint martyres, quorum acta sincera non extant, facile intelliget, quam vere dixerit Augustinus: "Unus dies passionis martyrum si computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum. Reipsa nullo unquam bello mundus magis exhaustus est; sed neque majore unquam triumpho vicimus, quam eum decem annorum stragibus vinci non potuimus." August. sermon. 252.

TEXTUS GRÆCI
LIBRI OCTAVI.

NUm. XLIII. Euseb. de Martyr. Palæstinæ c. 13. Τὰ γάρ τοι ἐπίχωρα, ... Σικελία, Γαλλία τε, καὶ ὅσα κατὰ δυόμενον ἥλιον ἐπὶ Σπανίαν, Μαυριτανίαν τε, καὶ Ἀφρικήν, οὐδ᾽ ὅλοις ἔτεσι δυσὶ τοῖς πρώτοις τοῦ διωγμοῦ τὸν πόλεμον ὑπομείναντα, τάχιστα ἠξιώθησαν ἐπισκοπῆς τε Θεοῦ καὶ εἰρήνης· τῆς οὐρανίου προνοίας φειδοῖ τῆς τῶν ἀνδρῶν ἁπλότητος καὶ πίστεως ποιησαμένης ...... τῶν ἀνὰ τὴν ἄλλην οἰκουμένην μυρίοις ἐπὶ μυρίοις ἀγῶνας ὑπομεμενηκότων.

Num. XLVII. Canon. XV. Petri Alexandr. T. 1. Conc. Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευήν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστέτακται· τὴν μὲν γὰρ τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου, τὴν δὲ παρασκευὴν .... Deest hic aliquid in Textu Græco.

Num. LI. Theodorus Martyr. apud Greg. Nyss. in ejus vita. Θεοὺς μὲν οὐκ οἶδα, οὐδὲ γάρ εἰσι κατὰ τὴν ἀλήθειαν, δαίμονας δὲ ὑμεῖς ἀπατώμενοι πλάνῃ δὴ τῷ τοῦ Θεοῦ τιμῶντες προσηγορίᾳ. ἐμοὶ δὲ Θεὸς ὁ Χριστὸς, ὁ τοῦ Θεοῦ μονογενὴς Υἱός. ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας τοίνυν καὶ τῆς εἰς ἐκεῖνον, καὶ ὁ τιτρώσκων τεμνέτω, καὶ ὁ καίων προσαγέτω τὴν φλόγα. καὶ ὁ ταῖς φωναῖς μου ἀνιώμενος ἀχθόμενος ἐξαιρείτω τὴν γλῶσσαν. καθ᾽ ἕκαστον γὰρ μέλος τὸ σῶμα τῷ κτίσαντι χρεωστεῖ τὴν ὑπομονήν. ἐνεθύμησαν λόγων οἱ τύραννοι ... εἷς τις τῶν ἐν τέλει στρατιωτικῶν κομψὸς εἶναι οἰόμενος, ἐπιχλευάζων εἰς τὴν ἀπόκρισιν τοῦ Μάρτυρος. ἔστι γὰρ, ἔφη, Υἱός, ὦ Θεόδωρε, τῷ σῷ Θεῷ; καὶ γεννᾷ ἐκεῖνος ὡς ἄνθρωπος ἐμπαθῶς; ἐμπαθῶς μὲν ὁ ἐμός, ἔφη, Θεὸς οὐκ ἐγέννησεν. ἀλλὰ καὶ Υἱὸν ὁμολογῶ καὶ θεοπρεπῆ λέγω τὴν γέννησιν. σὺ, ὦ πανάθλιε τὸν λογισμὸν καὶ ἄθλιε, οὐκ ἐρυθριᾷς οὐδὲ ἐγκαλύπτῃ καὶ θήλειαν ὁμολογῶν Θεὸν, καὶ ὡς μητέρα δώδεκα παίδων τὴν αὐτὴν προσκυνῶν; &c.

LIBER NONUS.

Galerius & Maximinus atrocissime sæviunt adversus Christianos: sed misere pereuntes coguntur divinam confiteri potentiam. Ecclesiam duplici schismate dilacerant Meletius & Donatus. Interea Constantinus modo prorsus mirabili fit Imperator Christianus, Christianæque Religionis splendorem, exstructis Ecclesiis, legibus, Clericorum immunitate & privilegiis, opumque largitione promovet. Licinius in Oriente instaurat persecutionem, & gliscit Ariana hæresis. Sed tot mala ad salutem convertit divina providentia. Donatistæ in Synodis Romana & Arelatensi damnantur, & absolvitur Cæcilianus. Alexandrina, Cirtensis, Illiberitana, Ancyrana, & Neocæsariensis Synodi disciplinæ leges sanciunt. Constantinus debellat Licinium, & Fidei libertatem in toto Orbe restituit, & pro pace Ecclesiarum plurimum laborat. S. Antonius & Pachomius & Hilarion, virorum & virginum monasteria instituunt. Florent Scriptores Ecclesiastici S. Petrus & Lucianus Martyres, & S. Metodius, & Lactantius, & Eusebius.

Christi An. 306.

I. Onstantius filium suum Constantinum Nicomediæ agentem jam dudum frustra repetierat: Galerius enim nihil minus volebat; nam & insidiis sæpe juvenem appetiverat, & sub obtentu exercitii ac lusus feris illum objecerat, & Constantii obitum exspectabat, sed tardiorem; qui cum graviter laboraret, miserat literas, ut filium suum remitteret sibi videndum .... Cum jam diutius negare non posset, dedit illi sigillum inclinante jam die, præcepitque ut postridie mane acceptis mandatis proficisceretur, vel ipse illum occasione aliqua retentaturus, vel præmissurus literas, ut a Severo teneretus. Quæ cum ille prospiceret, quiescente jam Imperatore post cœnam properavit exire, sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis evolavit. Postridie Imperator, cum consulto ad medium diem usque obdormisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post cœnam statim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poscebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. Constantinus incredibili celeritate usus, ad patrem venit Boloniam, ad tempus ipsum, quo in Britanniam transfretabat. Constantius Eboracum cum venisset, paucis post diebus morbo cedens; Constantino militibus commendato, Imperium per manus tradidit, atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit. Cæsar per quindecim annos administravit Gallias & Britanniam. Imperavit anno uno & tribus prope mensibus.

Excerpta Vales. Eumen. in Paneg. Const. Lact. ib. Firmic. lib. 1. Mathes. Eutrop. lib. 15. Amb. in Paneg. Theodos.

Constantinus Imperat. ejus mores.

II. Constantinus ex obscuriore cum Helena matrimonio ejus filius in Britannia Imperator creatus est scato Kalendas Augusti, anno Christi trecentesimo sexto, cunctis qui circa ipsum erant annitentibus; sed præcipue Alemannorum Rege Eroco auxilii gratia Constantinum comitato. Exercitus ei collatam a patre dignitatem confirmavit. Innumeræ in eo corporis animæque virtutes claruerunt. Militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bello prospera fuit; verum ita, ut non superarit industriam. Civilibus artibus, & liberalibus studiis deditus, utriusque linguæ latinæ & græcæ peritus, affectator justi amoris, quem omnino sibi & liberalitate & docilitate quæsivit. Sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius, nihil occasionum prætermittens, quo opulentiores eos clarioresque præstaret: nihil egit prius, quam Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio. Paucis post diebus laureata imago ejus allata est ad Galerium, qui eam via recepit admodum invitus, atque ipsi purpuram misit, ut ultro asciville illum in societatem videretur ... sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum vero non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem eum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.

Lact. de mort. persec. 24. & 25.

In Occidente cessat persecutio.

Christi An. 306.

Constantini imagine Romæ quoque pro more exhibita, Maxentius Maximiani Herculei, sed a matre Eutropia suppositus, ut multi putabant, filius, purpuram arripere molitur. Ejus consilium Galeriana rapacitas adjuvit. Galerius quippe cum statuisset, censibus institutis, Orbem terræ devorare, ne populum quidem Romanum ab hac captivitate fieri voluit immunem .... Castra quoque prætoria sustulerat. Itaque milites pauci, qui Romæ in castris relicti erant, opportunitatem nacti, occisis quibusdam judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerunt sexto Kalendas Novembris anni trecentesimi scati. Principio quidem Fidei nostræ professionem simulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque populo Romano. Itaque subditis suis præcepit, ut a persecutione Christianorum desisterent, fictam scilicet pietatis speciem præ se ferens, utque benignior multo atque humanior superioribus Principibus videretur. Hinc facile intelligere est, quanta Christianorum multitudo Romæ tunc extiterit, & in Italia, quibus sic blandiretur immanis tyrannus, qui progressu temporis haud quaquam talem se exhibuit, qualis futurus sperabatur. Scribit Augustinus Melchiadem hoc tempore Romanum presbyterum, postea Papam, misisse Stratonem diaconum & alios cum literis Maxentii Imperatoris, & præfecti prætorio ad præfectum Urbis, ut reciperet loca, quæ fuerant a Christianis tempore persecutionis ablata.

Zozim. l. 1. c. 9. Edit. Vales. Vict. epitom. Lact. ib. cap. 26. Ib. c. 44. Eus. hist. l. 8. c. 14. Edit. Vales.

Aug. in brev. collat. c. 18. & adv. Donat. cap. 12.

III. Concilium Eliberitanum circa idem tempus celebratum putamus, quo status Ecclesiarum Hispaniæ sic tranquillus esset, ut nova procella timenda videretur. Hanc enim epocham indicant sequentes canones: Fidelibus in persecutione lapsis pœnitentia quidem conceditur, sed ad terrorem aliorum communio negatur. Novemdecim fuit Episcoporum, qui Illiberim in Bætica provincia convenere: quos inter celebres sunt Osius Cordubensis, qui confessionis munus explevit, primum cum persecutio moveretur a Maximiano, & Valerius Cæsar-Augustanus etiam confessor insignis; residentibus etiam 26. Presbyteris, adstantibus diaconis & universa plebe. Octoginta & unus ejus canones ad disciplinam pertinent; præcipuos recensemus.

Concil. tom. 1. Mendoz. l. 1. cap. 1.

Concilium Eliberit.

Osi epist. ad Constantin.

Primus.

“ Placuit, inter eos, qui post fidem baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idololatraturus accesserit, & fecerit quod est crimen capitale (quia est summum scelus) placuit nec in fine eum communionem accipere. „

Secundus.

“ Flamines qui post fidem lavacri & regenerationis sacrificaverint, vel geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohærente moe-

Christi An. 306. mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem. „ Nonnulli Christiani, qui antea fuerant idolorum flamines, honoris & lucri causa, post baptismum idem munus retinebant, vel etiam inviti ad illud retinendum legibus cogebantur. Quapropter in eos severe animadvertunt Patres, si sacrificaverint, vel ediderint munus aliquod publicum, in quo gladiatores vel feræ cum hominibus decertabant.

Sextus.

“ Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam illi communionem. „ Communionem pariter in mortis articulo negant. *Primo* Iis qui post lapsum mœchiæ accepta pœnitentia fuerint fornicati. *Secundo* Fœminis, quæ, nulla præcedente causa, reliquerint viros suos, & se copulaverint alteris. *Tertio* Fidelibus, qui lenocinium exercuerint. *Quarto* Virginibus, quæ se Deo dicaverint, si pactum perdiderint Virginitatis, atque libidini servierint. *Quinto* Parentibus, qui Sacerdotibus idolorum filias suas junxerint. *Sexto* Episcopis, Presbyteris & Diaconis, qui detecti fuerint mœchati. *Septimo* Mulieribus nuptis, quæ per adulterium conceperint, & fœtum necaverint. *Octavo*. Clericis, qui conjugem adulteram retinuerint. *Nono* Illi, qui prævignam suam duxerit uxorem. *Decimo* Mulieri, quæ virum comicum aut scenicum duxerit. *Undecimo* Stupratoribus puerorum. *Duodecimo* Delatoribus in causa mortis, & falsis testibus.

can. 7a. can. 8. can. 12. can. 13. can. 17. can. 19. can. 63. can. 65. can. 66. can. 71. can. 73. can. 74.

Moribundis pœnit. absolutionem Sacramentalem nunquam negavit Ecclesia

Communionis nomine nonnulli intelligunt Sacramentalem absolutionem, quam etiam in fine ejusmodi scelerum reis denegatam volunt: sed plurimis, & merito quidem, displicet hæc durior opinio, & repugnat praxi Ecclesiæ. Incestuoso Corinthio pacem dedit Apostolus. Adolescens, qui post baptismum homicidiis ac latrociniis se dederat, a D. Joanne conquisitus, per absolutionem reconciliatus est Ecclesiæ. Concilium Nicænum can. 13. De his, inquit, qui ad vitæ exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo & maxime necessario Viatico minime privetur. Generaliter autem cuilibet in exitu posito & poscenti sibi Eucharistiæ gratiam tribui, Episcopus, postquam probaverit, debet dare. Hæc Canonis verba, „ lex antiqua servabitur “, evidenter probant, Concilium stabilire antiquum Ecclesiæ morem in articulo mortis absolvendi quoslibet peccatores pœnitentes: qui mos etiam in Africa viguit, teste D. Cypriano: Apud antecessores nostros, inquit, quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; non tamen a Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritie, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt. Quibus verbis aperte indicat Cyprianus reliquos omnes Africæ Episcopos mœchis & adulteris dedisse pacem, eosque reconciliasse per pœnitentiam. Orientalis & Africanæ Ecclesiæ disciplinam ea in re tenuit quoque Occidentalis Ecclesia; siquidem Legati Romani Pontificis, quos inter eminebat Hosius Hispanus, & alii Occidentales Episcopi Canonem Nicænum laudatum sua subscriptione confirmarunt.

2. ad Cor. 2. Euseb. hist. l. 3. c. 17. Cypr. epist. 52.

Innoc. 1. epist. 3. c. 2. ad Exuper. Tolos. Idem confirmat Innocentius Papa primus. Exuperius Tolosanus eum consuluerat, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extrema fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt? sic respondet summus Pontifex: De his observatio prior, durior: posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur eis pœnitentia; sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessæ facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur; & duriorem remissionem fecit temporis ratio: sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis tribueretur. Innocentius hic ait dandam iis inveteratis peccatoribus communionem quasi viaticum, quod de Eucharistia sola potest intelligi. Igitur cum antea dixerit eis olim negatam communionem, pariter loquitur de Eucharistia. Nec dici potest Innocentium per pœnitentiam intellexisse tantum eos recipiendos in album pœnitentium, & indicandum, quam, & quot annis pœnitentiam agere debeant. Hoc enim absurdum videtur respectu hominis jam agentis extremum spiritum; præsertim cum, juxta Tridentinum, pœnitentiæ Sacramentum necessitate medii peccatoribus necessarium sit, dum haberi potest, ac perinde est, ac si totum eis fuisset negatum. Quid autem durius, ut observat Ambrosius adversus Novatianos, quam ut indicent pœnitentiam, quam non relaxent, imprimis morienti. Hanc expositionem confirmat Cœlestinus Papa scribens ad Episcopos provinciæ Viennensis. Agnovimus, inquit, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, Fratres, fateor, tantæ impietatis posse aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore accurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? An Cœlestinus primus sic impietatis accusaret eos qui moribundis negant absolutionem sacramentalem, si quinquaginta annis antea, ut volunt adversarii, Romana Ecclesia hanc disciplinam tenuisset?

Christi An. 306.

Amb. l. 1. de pœn. cap. 1. Cœlest. epist. 2. ad Epis. Vienn. cap. 2.

In aliis plerisque canonibus certum pœnitentiæ tempus pro aliis gravibus criminibus determinatur. Illius ætatis rigor disciplinæ ut satis innotescat, unum proferam exemplum. “ Si quis de Ecclesia Catholica ad hæresim transitum fecerit, rursusque ad Ecclesiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum. Qui etiam decem annis agat pœnitentiam; cui post decem annos præstari communio debet. „ Nonnulla etiam circa mores cultumque divinum observanda sunt, & primo quidem circa majorum ordinum cœlibatum: “ Placuit in totum prohiberi Episcopis, presbyteris & diaconibus & subdiaconibus in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, & non generare filios. Quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur. „ Illius continentiæ antiquitas inde patet. Difficilior est sequens canon: “ Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi. Inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt, „ id est Fidelium, qui ad orationem conveniunt: timent enim ne sic pateant insultibus infidelium. Mendoza putat hic damnari superstitionem eorum, qui cereis accensis utebantur ad animas mortuorum evocandas. Sequentem in suas partes trahunt Iconoclastæ: “ Placuit picturas in Ecclesia non esse, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. „ Hic prohibentur imagines, quibus Deus ipse, qui solus adoratur, depingeretur; ne gentiles suspicarentur Christianorum Deum hominibus similem, vel Christianos adorare plures deos; vel etiam ne Catechumeni aliquid minus digne sentirent de Deo, quem audierant immensum esse, spiritualem, & invisibilem. Præterea sacræ imagines res sunt disciplinæ, quæ possunt permitti, vel prohiberi pro utilitate Fidelium. Id unum ad dogma pertinet. Imagines sacræ si fiant, cultus relativus ad prototypon civili major eis debetur, & legitime redditur; nec prohiberi possunt, ut per se malæ.

Can. 22. *Can. 33. Majorum clericorum continentia.* *Can. 34.* *Can. 36. Imagines qua prohibita, cur.*

Confirmationem esse Sacramentum, cujus minister est Episcopus, evincit sequens canon: “ Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum producat, ut per manus impositionem perfici possit. „ Eorum zelum, qui factis, vel verbis sese objiciunt persecutoribus, reprobat canon sexagesimus. “ Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangeliis non est scriptum, nec invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit eum in numerum non recipi martyrum. „ Eveniebat enim plerumque infidelium animos sic exacerbari, ut in reliquos Christianos acerbissime grassarentur. Præterea id multis male cessisse docebat experientia. Aleæ ludos quantum detestata sit Ecclesia, docet sequens canon: “ Si quis Fidelis alea luserit, placuit eum abstinere; & si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari. „

Can. 38. *Can. 60.* *Can. 79.*

Pe-

CHRISTI AN. 306.

Literæ formatæ.

Perantiquam literarum formatarum praxim sic commendat canon quinquagesimus octavus. " Placuit ut ubique, & maxime in eo loco, in quo prima Cathedra constituta est Episcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias literas tradunt, an omnia recte habeant, & suo testimonio comprobent. „ Formatæ literæ Fidelibus laicis & etiam clericis in aliam diœcesim profecturis concedebantur, ut reciperentur in communionem, auxilioque sibi necessario adjuvarentur; periculum enim erat, ne nebulones vel hæretici Fideles fallerent. Hinc ejusmodi literas non habentes, a communione repellebantur. Eas in Apostolicis auctoritatibus esse fundatas affirmat Augustinus. Reipsa Paulus sic scribit ad Corinthios: Nunquid egemus sicut quidam commendatitiis epistolis? Et canon trigesimus secundus Apostolorum sic habet: Nullus externorum Episcoporum vel presbyterorum, vel diaconorum sine commendatitiis recipiatur. Earum exempla nobis suppeditant supra laudatæ B. Polycarpi ad Philippenses, & Ecclesiæ Lugdunensis ad Eleutherum Papam epistolæ.

August. epist. 44. olim 163. Ad Cor. 3. Tom. 1. lib. 3.

Prioribus sæculis eas certam habuisse formam non invenimus. Hanc sic determinasse Nicænum Concilium, multorum est opinio. Assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, & Filii, & Spiritus sancti, hoc est π. υ. α. quæ elementa octogenarium, & quadringentesimum, & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima litera, id est π, quæ numerum octogiata significat. Numerales hæ literæ formatis omnibus erant communes & propriæ. Sequentes in singulis erant diversæ, ejus scilicet, qui scribit, Episcopi, prima litera; cui scribitur, secunda litera; accipientis tertia litera; civitatis quoque, de qua scribitur, quarta, & indictionis, quæcunque est illius temporis, numerus assumatur, atque ita his omnibus Græcis literis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, nam quæcunque collecta fuerit, summam epistola teneat; quod ex sequentibus formatarum patefiet exemplis.

Sirmond. tom. 3. Concil. Gall.

Prima est Hidilonis Galli Episcopi. In nomine Patris Π & Filii υ & Spiritus sancti α. Heidilo superna ejusdem Patris & Filii & Spiritus sancti favente clementia Noviomagsium humilis Episcopus, sancto & Venerabili nobis Rodulpho sanctæ Lauduaensis Ecclesiæ Episcopo, geminam in Christo pacem exoptat, & gloriam. Vestræ intueatur magnitudinis experientia hunc præsentem Clericum nomine Rotgerium, a nobis per singulos Ecclesiastici honoris gradus ad onus Diaconii sota promotum. Et exposita petitione ipsius ad proficiscendum, commendat eum plurimum. Nos etiam more Canonico hanc ei formatam epistolam secundum decreta Nicæni Concilii Græcis characteribus insignitam vobis deferendam concessimus, per quam ipsum vestræ tuitioni committimus, & a nostra Parochia penitus sequestramus. In qua quidem post Æolica superius elementa in supputatione Patris & Filii & Spiritus sancti assumpta, Petri quoque primum elementum Π ut nos corde fidem sanctæ Trinitatis habentes, confiteamur ore ad salutem per ejusdem Principis Apostolorum doctrinam, rationabili ordine subnexuimus. Et ne aliqua fraus falsitatis in ea locum obtinere prævaleat, nominis nostri, qui scribimus, primam literam H, cui scribitur, secundam O, vestri tandem qui accipitis, tertiam Δ, civitatis nostræ insuper quartam I. cum indictione v. Hujus igitur calculationis summam in unum pariter comprehensam, ita diligentius annotare studuimus. Π 80, υ 400, α 1, Π, 80, H, 8. O, 70. Δ, 4. I, 10. Addidimus præterea nonagenarium, & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat, A, M, H, N; summa vero totius numeri in omnia ducti complet 1146. Hæc autem omnia requirenda sunt diligenter, & cum omni cautela. En formata Heidilonis epistola, cui reliquæ Latinæ consonant, præterquam quod earum aliquæ literas Græcas ponunt initio, quas aliæ in medio, aliæ in fine collocant.

Græcorum formatæ non parum ab his discrepabant. Unum proferre juvat exemplum. In testimonium & securitatem filii secundum spiritum Domini Cyri, N; in palatio nostro Episcopali Amathuntis scripta est ex potestate a sanctis Apostolis data Pontificibus creandi diaconos, hypodiaconos, & in sacerdotii dignitatem promovendi: ac propter illam gratiam, quæ in mediocritatem nostram etiam pervenit, in sacerdotii gradum adoptavi monachum Cyrum N, exhibito nobis Patris illius spiritalis testimonio, secundum Apostolicos canones. Dedi ipsi liberam potestatem sacri faciendi in Ecclesia Dei; hanc ob causam mediocritas nostra præsentem formatam exaravit, & accipienti inter monachos sacerdoti Cyro N, in ipsius securitatem contulit.

Euchol. Græc.

CHRISTI AN. 306. ad 309.

Ab utraque differt, quam nobis exhibet liber diurnus Romanorum Pontificum. Hæc sic data est Episcopo.... Ill. Presbyteris, diaconibus, & plebi consistenti N. Fratribus salutem. Per carissimum nostrum Episcopum salutamus vos, carissimi nostri: Vos etiam nostri salutant. Bene valete Fratres in nomine Domini. Dominicum erit Pascha, die . . . Mensis . . Indictione . . . Archidiaconus Sanctæ sedis Apostolicæ subscripsi, & dimisi. Data die . . . Mensis . . . Imperante . . . Post Consulatum . . . Indictione . . . Ex his, ut patet, & Romani Pontifices prioribus sæculis temporum notas designabant per consulatus, Imperatorum annos & indictiones. Nonnullos induxit hæc tanta formatarum diversitas, ut earum formulam a Nicæna Synodo præscriptam non putarent, siquidem Græci ab ejus institutione non ita recessissent. Reipsa nullum earum extat indicium in actis Nicænæ Synodi, & Suessionensis Synodi Anno 853. Illiberitanos canones laudarunt Osius in Sardicensi Synodo, Agobardus Lugdunensis in suo tractatu de imaginibus.

IV. Dum Constantinus atque Maxentius in Provinciis sibi subditis persecutionem extinguunt, in aliis regionibus Galerii Maximinique furor Ecclesiam misere depascitur. Hoc anno persecutionis quarto, ante diem duodecimum Kalendas Decembris feria sexta, apud Cæsaream martyrium prorsus mirabile perpetratum est, præsente Maximino, & ob natalem suum spectacula populis exhibente . . . Nostræ religionis martyr in medium adductus est, pro vera & sola pietate pugnaturus, nomine Agapius, quem una cum Thecla ad bestias damnatum fuisse secundo persecutionis anno retulimus. Hic igitur cum ter jam ex carcere eductus, & sæpius, & sæpius cum maleficis soleant pompa traductus esset in stadio, Judice post varias comminationes ad alia subinde certamina ipsum differente, tunc tandem præsente Imperatore productus est. Trahitur ergo in medium stadium una cum noxio quodam, qui dominum peremisse ferebatur, qui bestiis objectus, veniam & clementiam Imperatoris promeruit. Agapius vero primum ab Imperatore accitus, cum ab eo postularetur, ut fidei suæ propositum abjuraret, promissa ipsi, si id faceret, libertate, contenta voce professus est, se non ob aliquod crimen, sed pro pietate, quæcunque sibi inferrentur supplicia, non modo alacri & forti animo, sed etiam cum voluptate esse subiturum. Hæc locutus, simul cum dictis facta conjungens, ursæ, quæ adversus ipsum dimissa fuerat, concito cursu obviam occurrit, seque ipsum bestiæ devorandum libentissime obtulit. Post cujus laniatus adhuc spirans in carcerem reportatur; ubi cum diei spatio supervixisset, sequenti die appensis ad pedes ejus lapidibus, medio mari submersus est.

Euf. de mart. Palæst. c. 6.

Antonius interea annis viginti solitarie in castello transactis, neque inde progressus, nec nisi raro visus ab aliquo. Post hæc autem cupientibus permultis ejus propositum imitari, accedentibusque familiaribus, atque vi confractis & depulsis foribus exiit tanquam ex adyto mysteriis initiatus, atque divino afflatus numine. Ut viderunt illi, mirati sunt corporis habitum eumdem ipsum esse, qui semper fuerat. Multos corpore per eum sanavit Dominus; alios dæmonibus liberavit. Gratiam item et loquendi dederat Dominus, ut mœstos plurimos consolaretur; concertantes alios reduceret in amicitiam, hortans omnes, ut nihil mundanarum rerum anteferrent charitati Christi. Multis persuasit monasticam ut eligerent vitam, atque ita demum in montibus quoque excitata sunt monasteria, eremusque a monachis habitata est, qui relictis suis omnibus, cœlesti instituto nomen dabant. Duplex monasterium erexit ex utraque parte Nili. Necesse cum esset, ut Arsenoitieum canalem transmearet, ut ex usu Fratres inviseret, canalisque crocodilorum plenus esset, oratione facta cum sociis pertransiit illæsus. Reversus ad monasterium pristinos labores fortiter adiit; frequentibus autem

S. Anton. recipit discipulos & Athan. vitæ D. Anton. c. 14.

Monasteriorum institutio.

collo-

Christi An. 309.

colloquiis monachorum auxit alacritatem, aliosque plurimos ad Asceticæ vitæ amorem inflammavit, ita ut ejus suasu brevi plurima fierent monasteria, quibus omnibus quasi pater ipse præerat.

Ægyptiaca lingua sic eos adhortabatur, proposita felicitatis æternæ mercede pro brevi labore. Illud imprimis sit commune omnium studium, ut a cœpto ne recedamus, neve propter laborem animo concidamus, nec dicamus: Jam diu asceticam agimus vitam: Imo potius, ac si quotidie inciperemus, alacritatem augeamus ..... ne mundum intuentes, existimemus magnis nos rebus renunciasse, siquidem totus orbis terrarum minimus est, si cum cœlo conferatur. Si tota igitur terra potiremur, totique renuntiaremus, nequaquam illud dignum esset regno cœlorum .... Qui ergo aruras paucas relinquit, quasi nihil amittat, vel etiamsi domum, multumque auri dimittat, nequaquam gloriari debet, aut remissius agere .... Idcirco tenendus est continuus instituti rigor habentibus Deum auxiliatorem: ut autem non negligenter agamus, Apostoli dictum meditari convenit,

1. ad Cor. 16.

quotidie morior, Si enim vixerimus, quasi quotidie morituri, non peccabimus. Quod ita intelligendum, ut quotidie mane surgentes, non existimemus nos ad vesperam usque victuros; & cum decumbimus, ne surrecturos arbitremur .... Nemo

Luc. 6.

retrorsum convertatur, cum Dominus dixerit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum*. Retro autem respicere nihil aliud est, quam rursum mundana sapere .... Demum eos docet varias fallendi artes dæmonum, qui nobis perpetuo insidiantur ... Non est autem, quod eorum suggestionibus terreamur, nam precibus, jejuniis ac fide in Dominum statim illi labuntur: sed neque illorum phantasiæ sunt pertimescendæ; nihil enim sunt, subito evanescunt, si maxime fide & signo Crucis se quis munierit .... timidi quippe sunt, & signum Dominicæ Crucis admodum pertimescunt; illo quippe ipsos Salvator spoliatos palam traduxit.

Signi Crucis virtus.

Spirituum discretio.

Non est difficilis bonorum spirituum malorumque discretio, quæ sic Deo tribuente panditur .... Sanctorum quippe visio non perturbationem affert,... sed ita placide, ita leniter fit, ut gaudium, exultatio & lætitia hinc animæ exoriatur: Cum illis quippe Dominus est, qui nostrum gaudium est, Deique Patris potentia, ejusque cogitationes imperturbatæ ac tranquillæ remanent, ita ut anima illuminata per se ipsam, eos, qui apparent, contempletur: Tunc cœlestium præmiorum aviditate flagrans, vellet prorsus eis adjungi, ut cum illis abiret. Quod si quidam, utpote homines, bonorum visionem extimuerint, hi metum illis dilectione sua statim adimunt. Malorum vero incursus & phantasia cum tumultu, strepitu, sono, clamore obvenit: Unde exoritur animi pavor, turbatio & confusio cogitationum, tristitia animi, mœror & tædium, incuria, cognatorum recordatio, formido mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, inordinati mores. Si igitur conspectis quibusdam spiritibus, statim post timorem ei successerit gaudium, tranquillitas, Dei amor, & in eum fiducia, confidite & orate: Gaudium enim & ille animæ status præsentis sanctitatem indicat; sic Abraham videns Dominum exultavit. Sin autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur, neque enim dæmones metum auferunt ... Quin potius si reformidantes cernant, phantasias adaugent, majorem ut incutiant terrorem, atque adorti demum irrideant, dicentes: Prostrati adorate. Ita Gentiles deceperunt, sic ab illis falsi dii habiti sunt. Hinc narrat quot quantaque ab eis passus sit, & quomodo per Christum eos vicerit...... Sic omnibus persuasit contemnendas esse dæmonum insidias.

Ibid.

Erant igitur in montibus monasteria quasi tabernacula repleta divinis choreis psallentium, legentium, jejunantium, orantium, exultantium spe futurorum, laborantium ad eleemosynas erogandas; mutua charitate & concordia junctorum: nullus ibi, qui injuria vel afficeret, vel afficeretur: nulla exactoris increpatio, sed unum erat omnium virtutis studium....

cap. 45.

Ipse vero more solito secedens intra monasterium suum, majore vitam asceticam studio adiit, ingemebatque quotidie cœlestium memor mansionum, earumque desiderio captus, ac humanæ vitæ fragilitatem animo versans, cibum aut somnum, aut cæteras corporis necessitates nonnisi cum rubore capiebat, secum reputans animæ vim intelligendi ...

Christi An. 309.

Martyres.

V. In hunc etiam annum conjici potest D. Barlaami martyrium, cujus tempus certo non liquet. Illius memoria decimo nono Novembris celebratur. Cæsareæ in Cappadocia passus est: is agrestis licet & rudis, Christi sapientia munitus tyrannum vicit, & ignem ipsum Fidei constantia superavit. Post carcerem flagris sic laceratus est, ut jam torperent flagellando lictores; verum mens ejus haud quaquam flectebatur, sed martyr robustior inveniebatur .... Tunc aræ pro more dæmoniaco libaminis igne imposito martyrem adductum sistentes, focoque incenso dexteram supinam impendere jubentes, manu quasi æreo altari abutebantur, thure illi ardenti malitiose imposito; sperabant enim ignis vi expugnatam manum necessario ac velociter incensum thus in aram excussuram; sed immota perstitit, strenue contra flammam dimicans, & propheticas martyri voces proferendas administrans, ut diceret: *Benedictus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. Invictam ejus constantiam laudarunt D. Basilius & D. Chrysostomus.

Act. sinc. Basil. tom. 1. hom. 18.

Ps. 143. Chrysost. tom. 1. hom. 73. Act. sinc. Basil. hom. 19.

Ibidem passus est D. Gordius Cæsareæ civis, & Centurionis dignitate ornatus. Cum in ea civitate gravissima esset persecutio, abjecto militiæ baltheo, sponte sibi exilium delegit, ad vasta deserta & hominibus invia loca contendit. Ibi sese jejuniis, vigiliis, orationibus, perpetua & indesinenti Spiritus sancti oraculorum meditatione probe exercitatum, & ad certamen instructum animadvertens, hunc maxime diem observavit, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta, ut eam ingrederetur. Adeo intrepido excelsoque animo fuit, ut cum in eminentiore theatri parte staret, ingenti voce exclamarit: *Ecce, inventus sum ab iis qui me non quærunt: his, qui me non interrogabant, palam apparui*. Omnium igitur oculos statim in se convertit. Erat enim aspectu horridus, & quod montana diu incoluerat, squallenti capillo, barba promissa, veste obsita, corpore toto aridus, pera præcinctus, baculo innixus, in quibus omnibus gratia quædam elucebat ex mentis habitu... Ubi autem quis esset, cognitus fuit, Gentilium simul & Christianorum clamor est ortus; his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus; illis vero Judæis animum ad ejus cædem accendentibus... Hinc ad Præsidis tribunal, qui tum in eodem loco sedebat, confestim adductus, a quo, quisnam, aut cujas esset, miti voce interrogatur. Ubi vero patriam, genus, & gradum dignitatis, quem tenuerat; præterea fugæ causam ac redditus pariter enarravit: Reversus sum, inquit, palam ostendens quod tua edicta nihil omnino curo, sed Jesum Christum, spem meam, meumque præsidium profiteor... His verbis iram Præsidis, & quidquid in eo furoris erat, in seipsum convertit... qui omni tormentorum subtili invento ipsius constantiam expugnare certabat. Martyr autem in cœlum oculos attollens, sacra Psalmorum carmina sibi decantabat: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*... Cum tandem vir beatus hac severitate a fide obstinata averti non posset, alia tunc via Præses eum aggressus est, scilicet illecebris & omni lenitate. Pollicetur locum inter milites illustrem, opes, facultates, quidquid denique animus cuperet. At ille nec sic quidem victus, Præsidis insaniam ridebat... qui furore percitus, ensem vagina diripit, lictorem coram astare jussit... B. Gordium amicorum turba circumstabat, & flentes adhortabantur, ne se in ardentes flammas conjiceret; corde Christum retineret, ore tantum negaret, suadebant. At ille in proposito inexorabilis permansit, ... & Crucis se signo communit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit...

Ad Rom. 10.

Ps. 117.

Act. sinc. Basil. tom. 1. orat. 5.

In eadem urbe beatissima mulier Julitta decertavit. Hæc litem judiciariam intenderat uni cuipiam ex primoribus civitatis, qui violenta impressione ejus opes sibi vindicarat... cumque hæc cœpisset instruere Judicem de impotenti tyrannide hominis, ille tum in aream fori progressus ait, lege illi agere non licere, nec actionem illam introducere, eum hactenus minime coluerit deos Imperatorum, ni prius Christum ejurarit: Principum edictis consentaneum id Prætori videbatur. Jubetur afferri thus & prunas. Julitta contestans ancillam se

esse

Digitized by Google

CHRISTI AN. 309.

esse Christi, execrabatur eos qui invitarent & hortarentur ad ejurandam fidem...... Tum Judex eam atrociter addicit igni..... Illa de Christi confessione eum multa dixisset... in lignorum struem incensam insiluit, quæ animam quidem in cœlestem destinavit regionem..... corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit cognatis incolume, nec ulla sui parte læsum; quod postea in vestibulo templi primarii illius urbis conditum est. Terra porro illius beatæ adventu benedicta, aquam emisit civibus salutarem. Tarsi pro Christi confessione post multa tormenta gladio truncatus est D. Bonifacius Aglaes mulieris nobilis procurator. Impure cum ea Romæ vixerat aliquandiu. Pœnitentia ductus, in Orientem proficiscitur, ut martyrum corpora auro redempta sepeliret honorifice. Dum aliquot hortatur ad mortem pro Christo fortiter obeundam, eorum supplicii, ac triumphi particeps efficitur. Illius corpus Romam relatum ab Aglae sepelitur; quæ & ipsa sanctissime vivens, beato fine in Domino obdormiit. Illius martyrii acta, quæ etiam edidit Valesius, multis, nec immerito, videntur interpolata.

Lact. de mort. persec. cap. 26.

VI. Galerius ut audiit Maxentium sumpsisse purpuram, Severum cum exercitu Maximiani Herculeii mittit ad eum espugnandum. Maxentius, ut se a periculo impendente muniret, patri suo in Campania moranti purpuram mittit, & bis Augustum nominat. Severus interim ad muros urbis armatus accedit. Statim milites sublatis signis abeunt, & se contra quem venerant, tradunt. Quid restabat deserto, nisi fuga? Sed occurrebat, jam resumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique se cum paucis militibus inclusit. Qui cum videret futurum ut Maximiano traderetur, dedit se ipse, & purpuram eidem, a quo acceperat, reddidit. Quo facto nihil aliud impetravit nisi bonam mortem; nam venis incisis leniter mori coa-

Ib. c. 27.

ctus est. Herculejus cum Galerii nosset insaniam, urbe munita, proficiscitur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret suæ minoris filiæ nu-

Eus. vit. Const. l. 1. c. 25. Lactant. cap. 27.

ptiis, eumque declarat Augustum. Galerius interea coacto exercitu invadit Italiam, ad urbem accedit. Tunc quædam legiones translatis signis ejus, imperium reliquerunt, cum ille fracta superbia, Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat, ne hosti traderetur; ac fugam trepidus capessivit..... Vastata est ea pars Italiæ, quo pestiferum

Ib. c. 28.

illud agmen incessit........ Maximianus Romam reversus filio suo perili æmulatione invidebat: cogitabat ergo adolescentem expellere. Advocavit populum & milites, quasi concionem de præsentibus Reipublicæ malis habiturus: de quibus cum multa dixisset, convertit ad filium manus, illum esse dicens authorem eorum malorum, diripuitque ab humeris ejus purpuram. Exutus ille præcipitem se de tribunali dedit; sed a militibus exceptus est: quorum ira & clamore perturbatus senex impius, ab urbe Roma tanquam Superbus alter exactus est.

Ib. c. 29. *Licinius Imperat.* Socrat. l. 2. c. 2. Vict. in epit. Lactant. cap. 29.

Proficiscitur per Gallias in Pannoniam ad Galerium; qui, præsente illo, Licinium veterem amicum Dacia oriundum in Severi locum substituit decimo Novembris anni trecentesimi noni. Maximianus Diocletiano persuadere nititur, ut Imperium resumeret. Ille tanquam pestem aliquam detestans in hunc modum respondit: Utinam Salone possetis visere olera nostris manibus instituta! profecto nunquam istud tentandum judicaretis. Herculejus eo conatu frustratus redit Ravennam.

Martyres. Eus. l. de mart. Palæst. cap. 7.

VII. Quintus jam annus persecutionis volvebatur; cum ante diem quartum nonas Aprilis, ipso Dominicæ resurrectionis die, rursus apud Cæsaream Theodosia virgo ex urbe Tyro oriunda, fidelis gravisque imprimis puella, nondum octodecim annos nata, ad vinctos quosdam accessit, qui regnum Dei libere confitentes ante Prætorium sedebant, ut eos salutaret. Correpta a militibus deducitur ad Præsidem. Ille confestim belluino furoris impetu incitatus, cum eam acerbis atque horrendis tormentis excruciasset, & latera ipsius ac papillas ad ipsa usque ossa ferreis ungulis exarasset, spirantem adhuc & læto atque hilari vultu cuncta tolerantem, marinis fluctibus mergi jubet. Inde ad reliquos Christi confessores se transferens, omnes ad æris metalla, quæ sunt apud Phænum Palæstinæ, damnavit. Post hæc nonis Novembris in eadem urbe Cæsarea Sylvanus tum Presbyter & Confessor, & alii quidam ejus comites, cum pro vera pietate singularem constantiam ostendissent, ad opus in iisdem metallis faciendum condemnati sunt, decretumque ut pedum juncturæ candente ferro prius ipsis debilitarentur. Eodem temporis momento, quo adversus istos damnationis sententiam tulerat, virum quemdam innumeris aliis confessionibus nobilitatum, Domninum nomine, qui ob singularem in dicendo libertatem universis Palæstinis erat notissimus, vivum comburi præcepit... Idem Judex... inaudita prius supplicia adversus Dei cultores excogitavit: ac tres quidem pugilatu inter se dimicare lata sententia coegit. Quemdam vero sanctum ac venerabilem senem, nomine Auxentium, bestiis objecit. Alios jam adultos, & virilem ætatem ingressos exsectis prius testiculis ad eadem metalla damnavit. Alios rursus post acerbissima tormenta in carcerem conjecit.

Hos inter erat Pamphilus Cæsareæ Ecclesiæ presbyter. Ac primum quidem Urbanus ejus tum in arte dicendi, tum in Philosophia peritiam experimento aliquo cognoscere voluit. Deinde sacrificare illum jubens, cum renuentem, minasque ipsius aspernantem videret, supra modum efferatus, gravioribus cum tormentis excruciari præcepit. Post hæc ungularum, quibus latera ejus persulcaverat, crebritate ac pertinacia tantum non carnibus illius pastus, cum ex his omnibus nihil, præter dedecus, retulisset, tandem illum cæteris, qui in carcere erant, Confessoribus aggregavit. Urbanus Palæstinæ Præses, qui adversus Christi martyres tantopere debacchatus est, Deum paulo post experitur ultorem: cum adhuc provinciam administraret, Maximinus, quo sese maxime ille efferebat, utpote ei carus imprimis & acceptus ob ea quæ adversus nostros crudeliter agebat, in ipsa urbe Cæsarea post plurima opprobria, quibus ob illa, quorum convictus fuerat, crimina affectus est, capitali eum sententia damnavit.

Act. sinc.

VIII. Apud Sirmiensium civitatem Serenus peregrinus, Græcus civis, hortum colere cœpit, ut inde vitam suam transigeret; qui tempore persecutionis metuens corporales plagas, latitavit paucis mensibus. Postea vero hortum suum cœpit iterum libere operari. Quadam die mulierem cum puellis insolita hora deambulantem in horto suo reprehendit, & abire jussit. Illa confusionem non ferens, scripsit ad virum suum Galerii domesticum, qui querelas defert ad Imperatorem, acceptisque ab eo literis ad Rectorem provinciæ, ut vindicaret hanc contumeliam, venire festinat, qui jussit Serenum exhiberi. Quare, inquit, injuriam irrogasti matronæ tanti viri? Ille respondit: Nulli matronæ injuriam feci.... Scio me retinere, ante hos dies matronam in horto meo hora indecenti ambulasse; increpavi eam, & dixi, quod non recte versaretur mulier, quæ tali hora de domo viri sui egressa fuisset. Hoc audiens vir suus... erubuit & obmutuit. Præses vero cum responsionem sancti viri audisset, intra se cogitare cœpit: Hic homo Christianus est, & dixit ad illum: Quod genus tibi est? Ille sine mora respondit: Christianus sum... Præses cum hoc audisset, vehementer iratus dixit: Quia Imperialia præcepta latendo contempsisti, & quia diis sacrificare noluisti, jubemus te capite plecti; & statim adductus est ad locum, & decollatus est octavo Kalendas Martii.

Act. sinc. Eus. in Chron. Matt. 10. *Christi divinitas.*

IX. D. Quirinus Episcopus Scissianus in Pannonia etiam pro Christo gloriose interficitur. Fugiens comprehensus est; cumque a Maximo Præside interrogaretur, quo fugeret, respondit: Non fugiebam, sed jussum Domini mei faciebam. Scriptum nobis est: *Si vos persequuntur in una civitate, fugite in aliam.* Maximus dixit: Quis hoc præcepit? Quirinus respondit: Christus, qui est verus Deus. (En confessio Episcopi, qui vixit tertio sæculo......) Maximus dixit: Et nescis, quia te ubique Imperatorum præcepta poterant invenire? & hic, quem dicis verum Deum, comprehenso tibi subvenire non poterit. Quirinus respondit: Semper nobiscum est; & ubicunque fuerimus, Dominus, quem colimus, subvenire potest; & hic mecum est confortans me, & ipse tibi de meo ore respondet.... Maximus cum neque suadendo, neque minis terrendo posset eum a confessione Christi dimovere, jussit eum fustibus cædi..... Quirinus dixit: Vere modo sacerdos effectus sum, si me ipsum vero Deo sacrificium obtulero. Et hoc quod corpus

meum

CHRISTI AN. 309.

meum cæsum est, delectur, nullum sentiens dolorem, ideoque offero me majoribus suppliciis .... Maximus dixit: Claudatur in carcere, & grevetur catenis donec sobrius efficiatur ..... Quirinus autem in carcere sic orabat: Gratias tibi ago Domine, quia propter te hæ mihi illatæ sunt contumeliæ, & rogo, ut qui in hoc carcere detinentur, sentiant me cultorem veri Dei esse, & credant, quia non est alius Deus, nisi tu. Media autem nocte apparuit splendor magnus in carcere; quem cum vidisset Marcellus custos personarum, aperuit carcerem, & prostravit se ad pedes beati Quirini Episcopi, dicens cum lacrymis: Ora pro me Dominum, quia credo non esse alium Deum, nisi quem tu colis. Multum autem hortatus est eum beatus Episcopus, & consignavit eum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Post triduum Maximus Quirinum jussit ad Amantium Præsidem deduci .... Perductus est igitur ad urbem Sabariensem, ubi Christianæ mulieres cibum & potum obtulerunt ei: quarum fidem intuens beatus Episcopus, dum ea quæ offerunt, benedicit, catenæ, quibus ligatæ manus ejus & peda fuerent, ceciderunt ..... Postea sistitur Amantio Præsidi, qui eum interrogat, an quæ gesta dicuntur apud Maximum vera sint? Quirinus respondit: Apud Scissiam verum Deum confessus sum, ipsum semper colui, ipsum corde teneo, nec me ab eodem, qui unus Deus & verus est, homo poterit separare ..... Cumque in eadem confessione post varias sollicitationes perseveraret, Amantius ..... jussit sancto Dei sacerdoti molam ad collum ligari, & in fluvii Sibaris undas demergi: cumque de ponte præcipitatus fuisset in fluvium, & diutissime supernataret, & cum spectantibus locutus esset, ne suo terrerentur exemplo, vix orans, ut mergeretur, obtinuit. Passus est pridie nonarum Juniarum. Ejus corpus non longe ab eodem loco, ubi demersum fuerat, inventum est, ubi etiam locus orationis habetur.

Act. sinc. B. Aster. Episc. Chalcedone Euphemia intemerata virgo, quæ suam Deo castitatem dicaverat, post varios cruciatus, igne consummavit suum martyrium, quod in tabella antiquitus depictum laudavit B. Asterius Amaseæ Episcopus.

Lact. de mort. persec. c. 29. & 30. X. Anno sequenti, Maximianus redit in Galliam, ut Constantinum generum suum dolo malo circumveniret, & ut posset fallere, deponit regiam vestem. Francorum gens in armis erat; persuadet nihil suspicanti, ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse barbaros debellari, ut & ipse haberet exercitum quem occuparet. Credit adolescens ut perito seni, proficiscitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus exspectatis, cum jam Constantinum æstimaret intrasse fines barbarorum, repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat ut solet large. Imperatori propere quæ gesta sunt, nuntiantur: admirabili celeritate cum exercitu revolat; milites ad Imperatorem suum redeunt. Maximianus occupat Massiliam. Accedit propius Imperator, & in muro adstantem alloquitur non aspere, sed rogat, cur faceret, quod ipsum præcipue non deceret? Ille vero ingerebat maledicta de muris. Tum subito a tergo ejus portæ referantur, milites recipiuntur; attrahitur ad Constantinum. detrahitur ei vestis Imperatoria, & increpato vita donatur.

Maximiani mors. Maximianus, amisso Imperatoris honore, humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est. Vocat filiam Faustam, eamque sollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur; petit cubiculum patens relinqui, & negligenter custodiri sinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur scena, qua manifestum facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Maximianus surgit nocte intempesta, videt omnia insidiis opportuna; rari excubitores erant, quibus dicit, vidisse somnium, quod filio suo narrare vellet. Ingreditur armatus, & spadone obtruncato prosilit gloriabundus, ac profitetur, quod admiserit. Repente se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur e cubiculo cadaver occisi, hæret manifestarius homicida ..... Impietatis ac sceleris increpatur. Postremo datur ei potestas liberæ mortis. Ille nodum informis lethi trabe nectit ab alta. Ita ille Romani nominis Maximus Imperator, qui per longum tempo-

CHRISTI AN. 309.

ris intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliso & fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi & ignominiosa morte finivit anno Christi trecentesimo decimo. Massiliæ circa annum 1030. sepulchrum illius inventum est. Erat mirabiliter corpus ejus intus & extra unctum balsamo, & aliis nonnullis generibus odoramentorum oppido perfusum; tetro pilo, carne candida, barba permasima: ad caput ejus pocula erant ex auro obrizo, plena balsamis; ipse vero in locello plumbeo quiescebat, in quodam labro ex marmore candidissimo, cum literis aureis insuper scriptis. Raimbaldi Archi-episcopi Arelatensis consilio cadaver in mare actum esse dicitur.

Pagi crit. an. 307.

Martyres. Eus. lib. de mart. Palæst. c. 8. XI. Cum in sextum usque annum persecutionis procella continuo desæviret, ex Confessoribus divinæ religionis, quorum innumerabilis multitudo jam pridem apud Thebaidem versabatur in loco qui Porphyrites vocabatur ex nomine marmoris quod ibi effoditur, nonaginta septem viri una cum mulieribus & parvulis ad Præsidem Palæstinæ transmissi sunt. Quibus omnibus, cum universorum opificem Deum, Christumque confessi essent, Firmilianus Præses, qui Urbano successerat, sinistri pedis curvaturas simul cum ipsis nervis candente ferro excindi, dextrosque oculos primum quidem mucronibus confodi simul cum membranis & pupillis, deinde ad ipsas usque radices cauterio peruri, tanquam ex Imperatoris mandato præcepit. Posthæc ad merella Provinciæ Palestinæ laboribus & ærumnis conficiendos transmittit: Tres etiam illi, quos ad pugilatus certamina condemnatos paulo ante diximus, cum non solum procuratoribus, sed etiam ipsi Maximino exhibiti, invictam in Christi confessione constantiam famis & flagrorum tolerantia declarassent, eadem pertulerunt, adjunctis quibusdam aliis Confessoribus in ipsa urbe Cæsarea. Quidam etiam alii apud Gazam capti fuerant, dum ad audiendas sacræ Scripturæ lectiones convenirent. Pars easdem oculorum pedumque mutilationes sustinuerunt; pars sulcatis lateribus multo graviores cruciatus pertulerunt.

Mulier virilem animum gerens, cum stupri comminationem non sustineret, jacto adversus tyrannum convicio, quippe qui tam sævis Judicibus regendas provincias commisisset, primum quidem flagris verberata est, deinde sublimis in equuleo suspensa admotas lateribus ungulas pertulit. Hanc Græcum Menologium Theam nominat. Cum ministri omni pertinacia, omnique virium nisu instantes jussu Judicis eam cruciarent, alia quædam mulier, quæ Virginitatis propositum perinde ac prior amplexa fuerat, ipso quidem aspectu vilis ac despicabilis, verum forti, & supra quam sexus ferebat, sublimi animo prædita, cum tantam immanitatem ferre non valeret, ex media turba inclamare adversus Judicem cœpit: Quo usque tandem adeo crudeliter meam torquebit sororem? Quo dicto ille exacerbatus, corripi repente mulierem jubet. Tracta in medium, cum augusto Servatoris nostri nomine sese indigitasset, primum quidem blandioribus verbis sollicitata est, ut sacrificare vellet; sed cum id abnueret, vi ad aram pertracta est. Tum illa firmo ac fidenti pede aram calcibus incessit, eamque cum imposito ipsi rogo disturbat. Quam ob causam Judex ejus latera tot tantisque ungularum ictibus laniari præcepit, quot nullius unquam antea: Demum hanc copulans cum illa, quam sororem suam appellaverat, ambas flammis jussit absumi. Harum prior ex regione Gazensium orta ferebatur, altera vero Valentina nomine patriam habuit Cæsaream.

25. Julii.

XII. Eodem temporis articulo Paulus capitali supplicio damnatus est .... Breve temporis spatium a carnifice sibi concedi flagitavit; eoque impetrato, contenta voce primum pro universa Christianorum gente preces ad Deum fudit, orans ut iisdem reconciliari vellet, atque pax illis atque securitas quam primum restitueretur. Tum pro Judæis supplicavit, ut per Christi fidem ad Deum conversi accederent .... Eadem pro Samaritanis obsecravit. Post hæc pro Gentilibus .... Deum precatus est, ut ad agnitionem ejus tandem pervenirent, veramque religionem susciperent .... Post hos omnes, pro ipso Judice, a quo capitis supplicio damnatus fuerat, pro Imperatoribus, ac pro ipso etiam carnifice, cunctis qui aderant audientibus,

CHRISTI AN. 309. supplex Deum rogavit, ne, quod in ipsum admittebant facinus, illis imputaretur ... Cum universi miseratione ejus commoti, utpote qui innocens occideretur, lacrymas funderent, nihilominus semet ipse composuis, nudamque cervicem gladio feriendam præbens, divino martyrio decoratus est ante diem octavum Kalendas Augusti....

Ibid.c.9. Non longo post tempore rursus ex Ægypto centum & triginta athletæ, Christianæ fidei confessione nobiles, oculorum ac pedum mutilationes jam antea in Ægypto perpessi, jussu Imperatoris Maximini, pars ad Palæstinæ, pars ad Ciliciæ provinciæ metalla damnati ac deducti sunt: paulo post hia, qui per Thebaidem ad metalla damnati graviter vexabantur, quies ac libertas indulta est, ac persecutionis incendium imminui cœperat: cum repente Maximini edicta contra Christianos quoquo versus per singulas missa sunt provincias. Simul Præsides, ipseque Præfectus Prætorii propositis edictis & epistolis, ac publicis jussionibus instabant curatoribus civitatum & magistratibus ac tabulariis, ut Imperatoris præceptum executioni mandarent; quo jussum erat, ut idolorum quidem delubra, quæ vetustate collapsa erant, omni cura ac studio instaurarent; cunctos vero tam viros, quam mulieres una cum servulis, & infantibus sacrificare & libare diis cogerent, & immolatis hostiarum carnibus vesci, utque cuncta in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinarentur, & ante publicas balneas quasi in insidiis collocarentur custodes, qui lavantes illic homines execrandis sacrificiis macularent. Ipsimet Gentiles ut gravem improbabant ejusmodi atrocitatem.

Ibid.c.9. XIII. Gravissima igitur omnibus ubicunque positis imminente tempestate, rursus divina potentia Servatoris nostri athletis suis tantam animi fiduciam addidit, ut ultro tot adversariorum minas proculcarent. Tres ex fidelium numero, quasi juncto agmine, irruunt in Præsidem, qui tum idolis sacrificabat, clamantes ut ab errore desisteret, neque enim alium esse Deum præter universi Creatorem. Post hæc interrogati quinam essent, Christianos se esse audacter profitentur. Quamobrem acrius commotus Firmilianus, nullis prius tormentis excruciatos capitali supplicio addixit. Horum primus Presbyter quidam fuit nomine Antoninus; alter Zebinas vocabatur, patria Eleutheropolitanus; tertius dictus est Germanus. Hæc idibus Novembris adversus eos gesta sunt. Eodem die comes illis adjuncta est mulier quædam Scytopolitana, Ennathas nomine; ipsa quoque Virginitatis infulis decorata, quas gestabant Virgines Deo consecratæ: hæc autem non sese ultro obtulerat, sed per vim eracta, & ad Judicem ducta est. Post flagra, gravesque contumelias, quas absque permissu majoris potestatis inferre ei ausus est quidam ex ipsius vicinia tribunus Maxys nomine, vir sceleratus moribus, atque ingenio violentus. Hic beatissimam Virginem omni veste sic nudatam, ut a lumbis deorsum ad pedes operta esset, per universam Cæsariensium civitatem circumducens, tractam per omnia urbis fora loris cædere pro magno habuit. Post tot verbera, cum ad ipsum etiam tribunal Præsidis magnum constantis fiduciæ specimen edidisset, Judex eam vivam exuri præcepit... Ipsasque communis naturæ leges prætergressus, martyrum cadaveribus sepulturam negare non est veritus. Horum igitur corpora sub dio exposita, ut a bestiis laniarentur, diu noctuque sollicite jussit custodiri .... Canes, & feræ bestiæ, & carnivoræ alites humanos artus hac atque illac dispergebant, totaque circum undique civitas visceribus & ossibus constrata erat....

Eus. l. de mart. Palæst. c. 10. XIV. Insequentis mensis Decembris die decimo quarto quidam Ægyptii, qui ad ministeria Confessoribus in Cilicia constitutis exhibenda ex patria profecti erant, comprehensi ab iis qui ad portas urbis appositi cunctos transeuntes scrutabantur, pars eadem pœna qua illi, quibus ministraturi venerant, damnati sunt, oculorum ac pedum usu eis adempto... Tres vero ex ipsis in urbe Ascalone, cum admirabilem animi fortitudinem ostendissent, diverso martyrii exitu occubuere. Quippe unus illorum, Ares nomine, flammis consumptus est: reliquis duobus, quorum alter Probus, alter Elias vocabatur, caput gladio præcisum. Tertio autem Idus Januarias Petrus asceta, qui & Apselamus vocabatur, ortus ex vico Anea in agro Eleutheropolitano, velut aurum purissimum per ignem probatus, suæ in Christum fidei in urbe Cæsarea illustre specimen edidit, nam & Judicem ipsum, & cunctos qui ei apparebant, identidem hortantes, ut sui ipsius misereri vellet, suæque adolescentiæ consuleret, generoso animo despexit, & spem, quam in conditore omnium Deo collocaverat, omnibus rebus, ipsique adeo vitæ suæ anteposuit. Cum eo Asclepius, sectæ Marcionitarum episcopus, zelo quidem, ut ipse existimabat, pietatis adductus, sed non illius quæ est secundum scientiam, uno eodemque rogo consumptus ex hac luce migravit, sed non ad eundem quietis æternæ locum; siquidem, ut docet Apostolus, *sine fide impossibile est placere Deo*. Hæc narrat Eusebius de martyribus Palæstinis testis occulatus, ex quibus intelligimus, quanta strages Christianorum facta sit in Provinciis Galerio subditis. CHRISTI AN. 309.

Eus. hist. l. 8. c. 14. Lact. de mort. persec. c. 36. XV. Maximinus tot scelerum author adeo meticulosus erat ac superstitiosus, ut nihil certi aggredi, nihil summo, quod ajunt, digito commovere absque vaticiniis & oraculis auderet. Impostorum & magorum principes summi honoris apicem obtinebant. Quam ob causam acerbius ac vehementius, quam superiores Principes, persequi nostros instituit .... Post hæc universas provincias Imperio suo subjectas, pecuniarum exactionibus & indictionibus gravissimis, variisque subinde condemnationibus vexavit, atque oppressit; sed & locupletissimum quemque paternis avitisque spolians bonis, ingentes opes ac nummorum acervos assentatoribus suis donabat. Jam vero temulentiæ & crapulæ eo usque obnoxius fuit, ut in compotationibus insaniret ac fureret, & ea imperaret ebrius, quorum postridie sobrium pœnitebat. Quod autem ad luxum ac delicias, in eo nulli secundus .... Quid dicam de fœdissima hominis libidine? Vincit officium linguæ sceleris magnitudo; neque enim per ullam urbem iter unquam fecit, quin mulierum stupra, & virginum raptus in ea perpetraret. Eunuchi lenones scrutabantur omnia; ubicunque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit; si qua nudari detrectarat, in aqua necabatur, tanquam majestatis crimen esset ... Ingenuas virgines imminutas servis suis dabat uxores. Mulieres Christianæ despexerunt ejus tyrannidem. Quædam cum raperentur ad stuprum, vitam citius, quam pudorem sui corporis prodere sustinuerunt.

Ibid. Mulier Christiana, Alexandrinarum omnium nobilissima atque opulentissima, cum cæteræ a tyranno violatæ fuissent, effusam atque effrenatam Maximini libidinem virili quadam animi celsitudine devicit. Mulier tum ob splendorem generis ac divitias, tum ob singularem doctrinam celeberrima, sed quæ modestiam atque pudicitiam his omnibus præferebat, quam cum tyrannus sæpius interpellasset de stupro, obtruncare quidem illam mori paratam non sustinuit, eo quod crudelitate superior esset cupiditas; cæterum bonis omnibus expoliatam exilio damnavit .... Eusebium de D. Catharina martyre hic loqui multorum est opinio. Passionis ejus acta, quæ refert Metaphrastes & Leo Allatius, non sunt legitima. Hæc de iis observat Papebrochius. Hecatarinam Græci, Latini Catharinam appellant. Acta apud utrosque quantum habent admirabilitatis, tanto etiam plus difficultatis patiuntur ad obtinendam fidem. Nihilo levior objicitur molestia circa sacri corporis ad montem Sinai translationem, indubitabilem illam quidem quoad substantiam, sed quoad authores ejus ac tempus perquam obscuram. Hoc certum, nullam esse sanctam, cujus fama cultusque primis post persecutiones sæculis ignotior, celebrior autem ætatibus posterioribus fuerit, non solum in Orientali, sed etiam in Occidentali Ecclesia.

Chrys. hom. 40. XVI. Antiochiæ Pelagia virgo, cum milites repente irruentes, & ad ipsas fores stantes vidit, qui ad judicium illam vocabant .... non pater intus erat, non mater, non nutrix, sed sola a carnificibus comprehensa est .... E domo egressa petiit a militibus, ut sibi liceret redire intro, & vestem mutare. Illi concedunt. Ingressa statim ad fastigium domus cucurrit, & inde se præcipitat. Parata erat ad cruciatus tormentaque, & omne suppliciorum genus perferendum; sed metuebat tamen, ne virginitatis coronam perderet. Illius martyrium laudibus prosecutus est D. Chrysostomus. Pelagiæ persecutores ubi ereptam sibi viderunt pudoris præ- Ambr. lib. 3. de virg. c. 7.

dam,

Christi An. 309.

dam, matrem & sorores cœperunt quærere; sed istæ imminentibus jam persecutoribus sese in fluvium præcipitarunt. De ejusmodi factis sic statuit

Aug. l. 1. de civit. Dei c. 26.

S. Augustinus: Quia non solum quoad dolorem, verum etiam quoad libidinem pertinet, in corpore alieno perpetrari potest, quidquid tale perpetratum fuerit, etsi retentam constantissimo animo pudicitiam non excutit, pudorem tamen incutit, ne credatur factum cum mentis etiam voluntate quod fieri fortasse sine carnis aliqua voluptate non potuit. Ac per hoc, & quæ se occiderunt, ne quicquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignosci? & quæ se occidere noluerunt, ne suo facinore alienum flagitium devitarent, quisquis eis hoc crimini dederit, ipse crimine insipientiæ non carebit. Has, & alias sanctas martyres, Deo inspirante & adjuvante sibi mortem intulisse minime dubium est; cum autem, inquit Augustinus, Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obsequium pietatis accuset?

Eus. hist. l. 8. c. 14.

XVII. Sexcentæ aliæ, cum stupri minas, quas provinciarum rectores ipsis intentabant, ne auditu quidem tenus ferre potuissent, omnia cruciatuum, tormentorum & capitalium suppliciorum genera pertulere. Sed magnam admirationem meretur mulier illa in urbe Roma, omnium earum, quas Maxentius, Maximino in cunctis simillimus, violare aggressus est, longe nobilissima & castissima. Hæc enim simul atque eos, quibus tyrannus ad hujusmodi flagitia ministris utebatur, irrupisse in domum suam comperit, & maritum suum, qui præfecturam Romanæ urbis gerebat, conterritum permisisse satellitibus ut ipsam abducerent, (erat autem Christiana) breve temporis spatium quasi ad exornandum corpus concedi sibi postulavit; post hæc cubiculum ingressa, solam se relictam esse circumspiciens, gladium pectori immergit. Quo vul-

Eus. hist. l. 8. c. 14. Eutrop. lib. 11.

nere protinus examinata, cadaver quidem perductoribus dereliquit. Maxentius autem ad omnia, scelera & flagitia æstu quodam mentis abreptus, nullum impietatis aut libidinis genus prætermisit..... Senatorum & maxime nobilium matronas publice abstrahi, atque ad suam libidinem deduci imperabat, & post contaminationem viris suis reddi jubebat. Senatores vero, & hi maxime, qui vel honoribus, vel opibus clariores in Curia videbantur, confictis criminibus, tanquam rei puniti proscripti que sunt, ut in bona eorum invaderetur; magicis artibus imprimis deditus erat. Tantus vero metus Patres plebemque oppresserat, uti nec ipsum quidem, qui in metu erant, palam ostendere auderent; sed ferebant insuetam servitutem gementes, cum illa non jam ira, sed libidine ædis agitare-

4. Catal. Bibliot. Colbert.

tur. Hoc anno Christi trecentesimo nono diem extremum obiit Eusebius Romanus Pontifex; sex annos ei assignant catalogi antiquiores; successit Melchiades.

Eus. l. de mart. Palæst. cap. 11.

XVIII. Septimus decurrebat persecutionis annus, quo persecutionis furor in Oriente innumeros coronavit martyres, quorum nominibus implentur martyrologia. Primus se offert Pamphilus, Eusebio historico amicissimus, & Pierii discipulus, presbyter Cæsariensis Ecclesiæ, vir pietate, modestia, erga pauperes liberalitate, mundi contemptu, temperantia ornatissimus. Secundus in certamen descendit Valens Æliæ urbis diaconus, qui divinas Scripturas præ cæteris egregie callebat; eas enim usque adeo fideli memoria complectebatur, ut nihil omnino interesset, an ex codice ipso legerat, an cujuslibet Scripturæ integras paginas memoriter recitaret. Tertius erat Paulus Jamnitarum oppido oriundus, vir in agendo fervidus, & ardore spiritus plenus, qui ante martyrium ardentis ferri exustiones perpessus, confessionis coronam retulerat. His biennii spatio in carcere detentis occasionem martyrii præbuit Ægyptiorum itarum fratrum adventus, qui constitutos in Cilicia confessores ad usque metalla, quæ illic sita sunt, honoris causa erant prosecuti. Cum in patriam reverterentur, ad ipsas urbis Cæsareæ portas interrogati a custodibus, quinam, & unde profecti essent, rem ut erat confessi, tanquam malefici vinciuntur. Erant hi numero quinque, qui ad tyrannum perducti, & libere locuti, continuo truduntur in carcerem.

Postridie vero, scilicet ante diem decimum quartum Kalendas Martias, una cum Pamphilo & sociis ejus exhibentur Judici Firmiliano. Hic primum quidem Ægyptiorum inexpugnabilem constantiam omni tormentorum genere & variis novarum machinarum adinventionibus experiri aggreditur. Illi indita sibi a parentibus nomina, ideo fortasse, quod essent idolorum vocabula, abjecerant, & Heliæ, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis, & Danielis nomina sibi adsciverant, patriamque suam pariter dicebant Hierusalem, intelligentes cœlestem. Judex vero quænam illa urbs, & ubi gentium esset, sollicite inquirebat. Urbs enim Hierusalem a temporibus Adriani dicebatur Ælia. Tormenta dehinc adhibuit, ut veritatem eliceret. Ille vero manus post tergum retortas, pedesque novis quibusdam machinis luxatos habens, verum se dixisse affirmavit. Interroganti sæpius, quænam esset illa quam dicebat civitas? Eorum duntaxat, qui veri Dei cultores essent, hanc esse patriam respondit. Judex dubius atque anceps animo æstuabat, ratus Christianos urbem aliquam æmulam atque infensam Romanis alicubi conditutos esse. Proinde multum laborabat, ut eam pervestigaret, & Orientis regionem, quam martyr dixerat, indagaret. Verum ubi fortissimum virum post flagrorum verbera, quibus eum laniaverat, stabilem atque immotum in iisdem, quæ prius dixerat, perseverare intellexit, capitali eum sententia damnavit. Reliquos deinde cum similibus prolusionibus exercuisset, pari quoque genere mortis extinxit....

Ibid.

Ad Pamphilum ejusque socios transit Firmilianus... Interrogatque, utrum vel nunc tandem præceptis Imperialibus parere vellent? Abnuentes eodem cum superioribus supplicio eos afficit. Porphyrius adolescens ex familia Pamphili simul atque sententiam in dominum suum latam esse agnovit, e medio turbæ exclamans, ut mortuorum cadavera sepulturæ saltem traderentur, postulavit. Ut Judex ex ipsiusmet confessione didicit eum esse Christianum, mandat tortoribus, ut totis viribus in adolescentem sævirent. Post hæc sacrificare eum jubens, cum renuentem videret, adolescentis latera ad ipsa usque ossa & intimos viscerum recessus absque ullis induciis sulcari jubet..... Quod cum diutius fieret, Judex adolescentem, toto licet corpore tormentis conscisso, nec vocem edere, nec sensu ullo doloris tangi videns, statim illum, eo quo erat habitu, ingenti rogo cremari præcepit. Hic licet postremus in stadium ingressus, tamen Pamphilum ex hac vita digredi occupavit; cum ii, qui priores illos expugnare studebant, adhuc moram traherent..... Pallio contectus in ipso palo serenitatem oris retinuit, tranquilloque animo familiaribus suis, quæcunque volebat, innuit. Quin etiam cum rogus satis longo ab ipso intervallo circumquaque accensus fuisset, ipse hinc inde flammam ore attrahebat, nec post unicam illam vocem, quam, cum flamma ipsum contingere cœpisset, protulit, Jesum scilicet Filium Dei adjutorem sibi invocans, quidquam locutus est; ad extremum usque spiritum in silentio perseverans. Seleucus confessor, qui miles olim fuerat, cum Porphyrii certamen Pamphilo renuntiasset, vixque a martyribus unum osculo salutasset, subito milites correptum eum deducunt ad Præsidem, qui statim illum capitali supplicio plecti jussit... Ac sub initia quidem persecutionis flagrorum verbera perpessus in confessionis stadio inclaruerat; post depositam vero militiam, æmulatus eos qui divinæ pietatis studiis atque exercitationibus se totos dediderunt, pupillis ac viduis omni ope ac patrocinio destitutis, egenis quoque & infirmis, instar patris cujusdam aut curatoris, inspectorem se atque adjutorem exhibuit. Quibus operibus martyrii vocationem a Deo promeruit. Hic decimus athleta post omnes supra memoratos interfectus est....

Ibid.

XIX. Post hæc Theodulus gravis & religiosus senex, unus ex Præsidis familia, & ab ipso Firmiliano præ cunctis domesticis honoratus,.... ad eum deductus, statim in crucem agitur. Cum unus adhuc deesset, qui duodecimi numerum impleret, adfuit post omnes Julianus, qui cum peregre advenisset, simul atque de martyrum cæde audivit, statim de via concito cursu ad id spectaculum contendit; cumque sanctorum cadavera humi jacentia vidisset, gaudio effusus, singulos complexus, honorifice salutavit. Quo in facinore comprehen-

Christi An. 309.

sus a militibus perducitur ad Firmilianum, qui martyrem comburi jussit. Julianus gestiens, ac præ lætitia exiliens, & clara voce Domino, qui tanto honore ipsum affecisset, gratias agens, martyrii coronam adeptus est. Patria Cappadox erat, moribus vero religiosissimus, & fidei sinceritate atque integritate conspicuus .... ipsoque sancti Spiritus numine erat plenus. Hi Pamphilo martyri comites fuere, quorum sacrosancta cadavera jussu quidem impii Præsidis per quatuor continuos dies totidemque noctes additis militaribus excubiis exposita sunt, ut a carnivoris bestiis laniarentur: sed cum, præter omnium exspectationem, nec fera, nec volucris, nec canis ad ea accederet, tandem, divina ordinante providentia, integra atque illæsa asportata sunt, omnique funebri cultu, ut par erat, ornata, & curata, consuetæ tradita sunt sepulturæ.

Hier. de script. Eccl.

Non virtutibus tantum, sed & literarum quoque studio gloriæ multum adeptus est Pamphilus. De clarissimo martyre sic scribit Hieronymus. Pamphilus presbyter Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ tanto amplector & servo gaudio, ut Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitia est unam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum? per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia. Origenis apologiam, inquit Photius, una cum Eusebio communi carcere inclusi conscripsere. Id negat antiquior Hieronymus; atque ita probat: Unum nunc proferam, cui contradicere vel stulti sit, vel impudentis. Sexti libri Eusebii super Origenis defensione principium usque ad mille ferme versus, liber iste, qui Pamphili dicitur, continet. Et in reliquis scripto profert testimonia, quibus nititur approbare Origenem fuisse catholicum. Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuerunt concordiam, ut unius animæ homines putes. Quomodo igitur inter se dissentire potuerunt, ut Eusebius in toto opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus, Nicænæ Synodi, quæ fuit postea, defensorem? Ex quo ostenditur, vel Didymi, vel cujuslibet alterius esse opusculum, qui, sexti libri capite detruncato, extera membra sociarit.

Phot. bibliot. cod. 118. Hieron. epist. 41. alias 65.

XX. Cum Firmiliani furor adversus martyres adhuc in ore omnium versaretur, Adrianus & Eubulus e regione Maganæa Cæsaream ad reliquos confessores profecti, in ipso civitatis introitu interrogati, cujus rei gratia advenissent, confessi sunt id quod erant. Firmiliano exhibentur; qui, nulla dilatione usus, post crebra ungularum verbera, quibus latera eorum sulcaverat, eos ad bestias damnavit. Biduo igitur interjecto, Adrianus ante diem tertium nonas Martias, quo die natalis genii publici apud Cæsaream celebratur, leoni objectus, ac deinde gladio transfixus martyrium consummavit: Eubulus vero perendie ipsis nonis Martiis, cum Judex enixe eum rogasset, ut, oblato diis sacrificio, libertatem consequeretur, gloriosam mortem pro pietate toleratam huic caducæ vitæ anteponens, post bestias jugulatus, Cæsariensium martyrum certamina ultimus obsignavit ...... Firmilianus, qui martyribus Christi adeo contumeliose insultaverat, cum aliis extremo supplicio addictus, capite truncatus est.

Eus. hist. l. 7. c. 32.

XXI. Stephanus Laodiceæ in Syria Episcopus, vir Philosophiæ quidem & Græcarum disciplinarum causa magnam apud multos gloriam consecutus, verum erga Fidem Christianam haud perinde animo affectus, eo quippe tempore persecutionis, simulator potius & ignavus, atque imbellis, quam verus Philosophus apparuit; sed post eum hanc Ecclesiam restituit atque instauravit Theodotus, qui nominis sui & Episcopalis officii veritatem rebus ipsis exhibuit; ac medicinæ quidem, quæ in corporibus curandis existit, omnium sine controversia peritissimus fuit; in animarum autem curatione nullum sibi parem habuit: tanta erat hominis humanitas, sinceritas animi, miseratio & studium in adjuvandis iis qui ope ipsius indigerent. Idem in divinis disciplinis admodum exercitatus fuit. Apud Cæsaream vero Palæstinæ post obitum Theotecni Agapius hanc Ecclesiam summa cum cura gubernabat. Quem quidem plurimum laborasse, & populi, cui præerat, commodis benigne consuluisse, cunctosque ac præsertim pauperes liberalitate sublevasse novimus.

Christi An. 309.

Act. sinc. ex lib. de agon. mart.

XXII. In Achaja quoque tota familia Christi variis turbabatur lupi sævientis incursibus .... Per singula tecta, ubi Christi, ubi veri Dei cultor sola opinione aut esse, aut fuisse credebatur, scatebat publicum scelus; nec erat locus, in quo non committeretur pro religione sacrilegium. Cogebatur Christi populus variis superstitionibus interesse, & aut libamina incesta in cultum nefandi ritus profundere, aut victimas sertis corollisque ornatas trahere, aut redolentia thura succendere, & bacchantium ritu psallere, ut his illicitis sacrificiorum exhibitionibus a Christianorum moribus Deus posset expelli .... Arcadius Christi miles videns urbem funesta confusione turbari, contemptis facultatibus suis, fugit, & aliquantulum temporis latuit, vigiliis & orationibus, & omni vitæ sobrietate Christo serviens. Verum cum sacrificiis invenitur absens, repente in ejus domicilium grassantium satellitum hostilis & furore præceps irruit manus, sperans celeri festinatione famulum Dei præoccupari posse. Quem propinquus martyris, qui forte in illas ædes ascenderat, pro posse defendit absentem. Hunc vero, eo quem quærebant, non reperto, ad nefanda rapuerunt; quem Præses jubet in carcere custodiri, donec prodat locum in quem Arcadius diffugisset.

Arcadius id intelligens, continuo .... in urbem rediens, voluntarie se Rectori provinciæ obtulit ..... Si, inquit, mea causa propinquum in vinculis detines, nunc absolva innocentem .... Dixit Judex: Do huic fugæ tuæ veniam .... si vel sero sacrificare acquiescis. Cui Arcadius: Quid ais, Judicum vanissime? Putasne istius perdendæ fugacissimæ vitæ metu famulos Domini posse terreri? cum sciamus scriptum esse: *Mihi vivere Christus est, & lucrum mori*. Excogita quibusvis potes suppliciis graviora tormenta .... nos a Deo vero non potes separare. Statim igitur provinciæ Rector .... jubet beatum martyrem tradi sui furoris consciis .... Exspectet, inquit, mortem suam, & per membra dissectus trunco similis vivum cadaver aspiciat: incidatur per singulas corporis juncturas ..... a digitorum condylis incipite, deinde manus a lacertis dissocientur, lacerti a cubitis; mox a thorace dissocientur humeri, & sic ab articulis pedum gradatim ascendentes .... diuturnitate tormentorum miseriam suam agnoscat qui patriorum deorum sacrificia fugiens, alienum voluerit colere Deum.

Ad Philip. 1.

Tunc lictores Arcadium ducunt ad victimæ locum ...... Ille intuens in cœlum, stetit Deo invocato securus .... & cum articulatim secaretur, narrabat: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me, da mihi intellectum*. Et carnifices magis deficiebant ab exequenda crudelitate, quam ipse quiescebat a laude .... Et ipse jam summa parte truncatus in dorsum supinari jubetur. Resupinus in terga, Deum magis glorificans, quod in martyrio cœlum susciperet, unde peteret auxilium; pedes alacris porrigit, & crura secanda. Et protinus pedes articulis, crura pedibus, femora coxendicibus, venter quoque coxis, sæva carnificum arte viduantur. Et tanta fit martyri constantia, tanta patientia, tanta denique gratiarum actio, ut crudeles astantium oculi lacrymas continere non possent, & cœlestem plane agnoscerent virtutem, quæ tantam causaret patientiam ... Et inter hæc omnia martyris spiritus perdurat invictus; & videns laceras corporis sui partes jacere in terra, dicebat: o vos felicia membra, quæ meruistis Deo vestro famulari: nunquam vos sic amavi in corpore sita, ut nunc exulto vos intuens separata: sic nos decuit ad tempus sejungi, ut nostro Regi occurramus in gloria, & pro mortalibus membris, vos eadem mihi restituamini immortalia. Vos estis nunc membra Christi, & me nunc Christi esse sentio, quod semper super omnia optavi. Dehinc infideles hortabatur ad amplexandam Christi Fidem ...... Pridie Idus Januarii Christo Domino gloriosam reddidit animam. Videntes autem gloriosi martyris exitum .... Christiani magis animabantur ad suscipiendum martyrium, qui & sepelierunt corpus martyris cum honore, & reliquias ejus dispersas colligentes ei adjunxerunt, laudantes in martyre Christum Dominum ....

An-

Christi An. 309. Chrysost. tom. 5. hom. 71. Chrysost. tom. 1. hom. 47.

Antiochiæ D. Drosis junior virgo cum aliorum tormentorum minis non terreretur, Judex jubet accendi rogum, atque ut indomitam ejus mentem illius aspectu superaret, in medium illam protulit. Cum igitur rogum accendisset, & flamma in summam altitudinem attolleretur; hæc cum cerneret beata martyr, inflammabatur ipsa quoque, atque amore Christi ardebat, igneque purgata ad Christum suum sponsum deducitur .... Ægeæ D. Julianus Anazarbi in Cilicia natus, variis modis tentatus, cum illius animi robur non infringeretur, annoque integro per totam Ciliciam ignominiose circumductus, fieret fortior & illustrior, diris tormentis eum excruciari jubet Judex: post hæc allato sacco, & arena completo, cum in eum scorpiones, viperas, dracones injecisset, eum illis & sanctum injecit, & in mare demersit. Illius corpus extractum a Christianis postea honorifice sepultum est Antiochiæ.

Act. sinc. in April. Bolland.

XXIII. Brusæ in Bithynia Julius Proconsul, cum ingressus thermas, sacra Asclepio & saluti peregisset, ... sanctum sibi Patricium sisti jussit .... Tu, inquit, qui ad vanas adhærescens fabulas Christum insanus invocas, vide quam ultro dii nostri, thermarum concessa virtute, salutares sunt nobis: si vis cruciatus effugere, eos supplici prece veneratus adora .... At Patricius: Illustrissime Proconsul, ... Christianus sum, & quisquis hæc sacra professus, verum & unicum universi Deum adorat .... Hic humani generis est author, & omnia quæ in cœlo & in terra sunt, per suum unigenitum Filium omnipotens & æternus Deus condidit. Eo enim ejus se extendit efficiendi potentia, quo volendi facultas; effecitque in ipsis provida & præscia virtute omnia ea, quibus sustentandum a se hominem carere non posse sciebat .... His fusius explicatis, ignis infectorum ad æternum malorum supplicium destinati mentionem injicit. Ad hæc Proconsul: Christus ergo horum author, & non dii sunt? Christus, inquit Patricius. Scriptum est

Joan. 1.

enim, quia *omnia per ipsum facta sunt* .... Ubi igitur, inquit Proconsul, in has te thermas ego præcipitem dari jussero, quia, spretis diis, Christum earum authorem facis, uti ille nequaquam te sinet. Penes Christum, inquit Patricius, potestatem me servandi esse scito; potest enim eum vult, potest etiam ubi voluerit, hoc quo mortali astringor vitæ vinculum per suas thermas dissolvere. Scito, quidquid me spectat & manet, perspectum ei atque exploratum esse; imo ita illum rebus inesse universis, ut absque voluntate ejus ac decreto ne pilus quidem unus ex capite cujusquam hominis defluat. His auditis Judex, supra quam dici potest commotus, nudatum veste, in ferventes aquas abjici jussit; qui dum præcipitaretur, Domine Jesu Christe adesto mihi servo tuo, precabatur, stillæque absistentes a thermis inevitabili aestu circumstantes milites urebant. Ipse vero Patricius in balneum velut in refrigerium ingressus, cum diu in eo innoxius jacuisset, ab irato Proconsule per milites educi, & securi percuti jussus est. Quapropter rursus orans divinum deprecabatur auxilium, & oratione finita, positis genibus capite cæsus est die decima nona mensis Maji.

Act. sinc.

XXIV. Sinope in Ponto D. Phocas hortulanus ut verus Christi discipulus denuntiatus est: huic vitæ studium erat horti cultura, quem ibi ante portam civitatis in isthmi ostio possidens, diligenter colebat, ut sibi ac indigentibus esset vitæ solatium; sed & hospitibus prompto ac alacri animo parvam ac pauperem domum apertam volebat. Cum autem habitaret in via publica, quæ suppeditabant adventantibus communia promebat. Venientes ergo lictores apud eum ipsum, qui quærebatur, diversati sunt, ut neque eum cognoscerent, neque ab illo cognoscerentur. Interim causam adventus celebrant, ut cum prius accepissent ex iis, qui habitabant extra civitatem, quisnam esset Phocas, & ubi degeret, repente invadentes comprehenderent ..... Cum autem, uti moris est, mensæ societas ac consuetudo fiduciam invicem generassent, rogavit ex iis martyr quinam essent, & qua de causa ad eam venissent civitatem? Illi vero alacrem viri susceptionem ac hospitalitatem reveriti, cum præcepissent, ne quod auditurus erat cuiquam enuntiaret, ei arcanum aperiunt, ut nimirum quærant

Christi An. 309.

puniendum Phocam. Quocirca hospitalitatis cumulo, hoc quoque beneficio ab eo affici rogabant, ut captando quem quærebant, una ipse operam conferret suam. Audivit Dei servus, ... ac non fugere statuens, eorum precibus annuit: Ego, inquit, ... novi virum, & facile quæsitum inveniam. Crastina die eum vobis ostendam ... Cum autem parasset fossam, & quæ ad sepulturam erant necessaria, ad eos postridie accedens: Diligenter, inquit, vobis quæsivi Phocam, estque jam parata præda; ac, si lubet, comprehendatur. Illis præ gaudio quærentibus ubinam vir ille esset? Non procul, inquit, sed vobiscum est, nam & ego ille ipse sum. Rem itaque exequimini .... Obstupuerunt animis homines, ... munificum in paupertate virum reveriti. Ille animos, ut se interficerent, exhortatione addebat, dicens eorum fore facinus qui præcepissent. Dixit, persuasit, passus est, ac capite truncatus, grata Deo hostia oblatus est.

Galerii punitio. Lact. de mort. persec. cap. 33.

XXV. Quam atrociter adversus Christianos sævierit Galerius, nefandæ persecutionis author, demonstrat subsecuta divina ultio. Jam decimus & octavus ejus Imperii Cæsarei annus agebatur, cum percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant, sed inductam jam cicatricem scindit vulnus, & rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix cruor sistitur; nova ex integro cura; tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motu vulneratus, plus sanguinis, quam ante, decurrit. Albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur, & tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam. Proxima quæque cancer invadit, & quanto magis circumsecatur, latius sævit; quanto curatur, increscit. Cessere magistri Phyllides, Cirona, Metoonius, Melamphius. Undique medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola; Apollo & Æsculapius orantur; remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multo pejus augetur. Jam non longe pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, & in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe fovendi mali, fovere, curare. Repercussis medullis, malum recidit introrsus, & interna comprehendit, vermes intus creantur. Odor autem non modo per palatium, sed totam civitatem pervasit: nec mirum, cum jam confusi essent exitus stercoris & urinæ. Comestus a vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur, clamores horrendos tollit. Apponebantur ad sedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis, inæstimabile scatebat examen; & tamen multo majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies secunda generaverat. Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, & miserabili macie cutis lurida longe inter ossa consederat. Inferior sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat. Et hæc facta sunt per annum perpetem; cum tandem malis domitus, Deum coactus est confiteri. Nova vi doloris urgentis per intervalla exclamat se restiturum Dei templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens edictum misit hujusmodi.

Lact. de mort. persec. cap. 34. *Galerii edictum pro Christianis.*

XXVI. Imperator Cæsar Galerius Valerius Maximianus, tribunitiæ potestatis 20. Imperii 19. Inter cætera quæ pro Reipublicæ semper commodis atque utilitate disponimus, Nos quidem volueramus antehac, juxta leges veteres, & publicam disciplinam Romanorum, cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerunt sectam, ad bonas mentes redirent .... Cum ejusmodi nostra jussio extitisset, ut ad veterum instituta se conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt, atque cum plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum Deum observare, contemplationem mitissimæ nostræ clementiæ intuentes ..... promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credimus porrigendam, ut denuo sint Christiani, & conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola judicibus significaturi sumus quid debeant observare.

CHRISTI AN. 309.

re. Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, & Reipublicæ, ac sua, ut undiqueversum Respublica pariter incolumis, & securi vivere in sedibus suis. Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie Kalendas Majas anno Christi trecentesimo nono.

Euf. hist. l. 9. c. 1.
Cessat persecutio.

Sabinus autem Præfectus prætorio singularum provinciarum Præsidibus voluntatem Imperatoriam insinuavit per epistolam, cujus idem omnino sensus est atque edicti. Post hæc singularum provinciarum Præsides, rati hanc esse revera Principis mentem, quæ literis Sabini exprimeretur, continuo curatores & magistratus & pagorum præpositos per literas de Imperatoris voluntate certiores faciunt. Nec vero scriptis duntaxat, verum etiam factis multo magis instabant, ut Principis jussa executioni mandarent. Repente instar cœlestis cujusdam lucis, quæ post densissimas tenebras exoritur, Ecclesias in singulis civitatibus, & frequentissimos Christianorum concursus, & collectas ibidem ex more fieri solitas cernere licebat. Ex quo infidelium populos ingens pervaserat stupor, cum tantam, tamque insperatam rerum conversionem admirarentur; exclamabantque, solum magnum, & vere Deum esse, qui a Christianis coleretur. Ex nostris vero quotquot in persecutionis discrimine fideliter ac fortiter decertaverant, magna apud omnes fiducia & libertate potiebantur; sed quorum vacillaverat fides, animæque naufragium fecerant, ii ad remedium avide properabant, supplicantes & flagitantes a validioribus, ut salutarem sibi dexteram porrigerent; libellos scilicet commendatitios a Confessoribus tormenta passis postulabant, quo facilius ad pacem Ecclesiæ pervenirent; Deumque orantes, ut propitius sibi esse vellet. Post hæc etiam generosi illi sacræ religionis pugiles, metallorum ærumnis liberati, in suam singuli patriam reverti cœperunt, perque urbes pervias læti atque alacres incedebant, incredibili quodam gaudio, & inexplicabili fiducia repleti. Sic igitur numerosa nostrorum agmina, per vias publicas, & per fora Deum hymnis & canticis celebrando iter suum peregerunt.

Lactant. c. 16. & 35.

Tunc Donatus, illustrissimus Confessor, qui præter cæteros tempestatem turbidæ persecutionis expertus erat; nam cum incidisset in Flaccinum præfectum non pusillum homicidam; deinde in Hieroclen ex Vicario Præsidem, qui author & consiliarius ad faciendam persecutionem fuit; postremo in Priscillianum successorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuit; novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicit. Tunc, inquam, Donatus apertis carceribus cum cæteris confessoribus e custodia liberatus est, cum ei carcer sex annis pro domicilio fuisset.

Lactant. cap. 35.

XXVII. Maximinus vero, vir omnium hominum impiissimus, & divinæ religionis hostis acerrimus, cum ejusmodi literæ ei displicerent, suppresso Galerii edicto, verbis duntaxat mandavit judicibus suis, ut ab oppugnatione nostrorum abstinerent; nec enim audebat potiorum voluntati ac sententiæ resistere. Galerius autem nec hoc facto veniam sceleris accepit a Deo, apud quem non se accusat, sed potius excusat superbe, & Christianos calumniatur; sed post paucos dies, commendatis Licinio, conjuge sua Valeria, Diocletiani filia, & filio Candidiano, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra diffluerent, horrenda tabe consumptus est Sardicæ eodem mense Majo, cum futura essent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus; ac proinde mortuus est decimo nono dominationis, ex quibus 15. Cæsar administravit Illyricum, anno Christi trecentesimo nono.

Lactant. cap. 18.
Zozim. l. 2. c. 13.

Maxentius Africam ad suas partes allicere jam voluerat, ac primum quidem imagines suas miserat Carthaginem; sed milites fidem Galerio servantes obstiterant ne reciperentur . . . eoque mortuo, Alexandrum proclamant Imperatorem, hominem quidem segnem & imbellem, & jam ætate provectum. Hanc occasionem mortis Galerii opportunam ratus Maxentius, coactis copiis, Rufum Volusianum Præfectum prætorio cum duce Zena in Africam mittit, a quibus Alexander primo prælio victus, interfectus est. Bello in hunc modum finito .... omnes prope dixerim, quotquot in Africa vel genere, vel opibus præstabant, tanquam partium Alexandri fautores delati sunt; nec ullis omnino parcebatur, dum

Optat. Milev. lib. 1.

alii necarentur, alii facultates suas amitterent: pacem tamen Ecclesiæ reddidit Maxentius, qui Romæ triumphavit.

CHRISTI AN. 309.

Lactant. cap. 36.

XXVIII. Maximinus etiam audita morte Galerii, dispositis ab Oriente cursibus pervolavit, ut provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia sibi usque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingressusque Bithyniam, quo sibi ad præsens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia sustulit censum. Discordia inter ambos Imperatores, ac pene bellum. Diversas ripas armati tenebant, sed conditionibus certis pax & amicitia componitur, & in ipso freto fœdus fit, ac dexteræ copulantur. Maximinus redit securus, & fit qualis in Syria & Ægypto fuit. Imprimis indulgentiam communi titulo ante sex menses datam tollit, subornatis legationibus civitatum, quæ peterent ne intra civitates suas Christianis conventicula extruere liceret; ut quasi coactus & impulsus facere videretur quod erat sponte facturus. Quibus annuens, primum quidem nostros a conventibus, qui in cœmeteriis fieri solebant, arcere aggressus est. Deinde sollicitatis per quosdam nefarios homines Antiochensibus, ut abs se instar maximi beneficii peterent, ne cui Christianorum Antiochiam incolere liceret. Quorum omnium author in ipsa urbe Antiochia extitit Theotecnus vir violentus, versutus atque improbus, qui tunc in illa civitate curatoris officium gerebat. Hic igitur cum nos antea omnibus modis impugnasset, & nostros tanquam fures ac maleficos investigari, & ex latibulis suis erui curasset; cumque nihil eorum, quæ ad nos infamandos & calumniandos facere poterat, omisisset, innumeris denique mortis causa extitisset, tandem simulacrum Jovis Philii magicis artibus consecratum erexit: eumque ad ejus cultum impuras initiationes, & inania mysteria ac detestandas expiationes instituisset, compositis quibusdam oraculis ad ipsum usque Imperatorem præstigiarum suarum specimen detulit, fœdaque adulatione Principis gratiam captans, dæmonem adversus Christianos stimulabat, fingens Deum jubere, ut Christiani, quippe qui hostes sui essent, urbe omnique territorio pellerentur. Hæc cum illi ex sententia successissent, reliqui deinceps magistratus, qui civitates Maximini imperio subjectas incolebant, idem quoque decernere instituerunt, ipsis etiam provinciarum Præsidibus, qui id gratum esse Imperatori perspexerant, subditos omnes, ut idem facerent, submonentibus. Quorum decretis cum tyrannus dato rescripto libentissime annuisset, rursus adversus nostros recruduit persecutio.

Persecutio renovatur in Oriente.
Euf. hist. l. 9. c. 2.
Ib. c. 3.
Ib. c. 4.

XXIX. Novo more sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex primoribus fecit, qui & sacrificia per omnes deos quotidie facerent, & veterum sacerdotum ministerio subnixi darent operam, ut Christiani neque fabricarent, neque publice, aut privatim colerent, sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel judicibus offerrent. Denique insolita, & prodigiosa Principis superstitio, cunctos, ut breviter dicam, ipsius dominationi subjectos tam privatos, quam magistratus eo perpulit, ut in ejus gratiam nihil non agerent adversus nostros, & pro beneficiis, quæ se ab illo consecuturos esse sperabant, nihil gratius rependere se posse crederent, quam si cædes nostrorum patrarent, & nova quædam adversus nostros fraudum atque insidiarum genera ostentarent. Anno persecutionis octavo, cum in metallis æris apud Palæstinam maxima confessorum multitudo in unum congregata, incredibili libertate fruerentur, adeo ut ecclesias etiam extruerent, Præses provinciæ, vir sævus atque improbus, illuc delatus, audita illorum vivendi ratione, rem statim ad Imperatorem detulit, calumniose in eos scribens. Dehinc præpositus metallorum eo adveniens, velut ex imperiali præcepto confessores varias in turmas distribuit, & alios quidem apud Cyprum, alios in Libano jussit incolere. Reliquos per varia Palæstinæ loca dispersit, diversorum operum molestiis vexari omnes mandavit. Quatuor deinde ex illis seligens, qui cæteris antecellere videbantur, ad ducem, qui militaribus copiis illic præerat, eos mittit. Horum duo erant, Ægyptiorum Episcopi, Peleus ac Nilus, tertius Helias presbyter, quartus fuit pater Murbius, vir ob prolixam in omnes benevolentiam cunctis notissimus. A quibus cum dux ille postulasset ut religionem suam abnegarent, repulsam passus, flammis eos absumi præcepit.

Lactant. cap. 36.
Martyres.
Euf. hist. l. 9. c. 4.
Euf. l. de mart. Palæst. cap. 13.
Men. Græc. 17. Sept.

Christi An 309.

Alii rursus ibidem versabantur, sejunctam a cæteris regionem seorsim incolendam sortiti, quotquot scilicet ex Confessoribus ob senectutem, aut membrorum debilitatem ab opere faciendo immunes erant, quorum Princeps erat Sylvanus, Gaza oriundus, Episcopus, vir qui religionis Christianæ absolutissimum quoddam, & venerabile exemplum extitit. Hic cum a primo, ut ita dicam, persecutionis die, & per totum deinceps illud tempus, variis confessionum certaminibus inclaruisset, ad id usque temporis servatus fuerat: una cum illo erant Ægyptii complures, inter quos fuit Joannes quidam, qui jam antea luminibus erat orbatus. Nihilominus tamen in confessionum certaminibus, in quibus maxime enituit, cum ipsi perinde ac cæteris alter pedum candente ferro debilitatus esset, oculi quoque lumine orbati, cauterio perusti fuat. Porro hunc virum ob mores quidem, & Philosophicam vivendi rationem nihil attinet prædicare, præsertim cum ejus rei causa non tantum admirationis consecutus, quantum ex memoriæ præstantia, quippe qui totos divinæ Scripturæ libros ..... in anima candida, & in purissimo mentis lumine perscriptos habuerit, adeo ut quoties vellet, interdum Legis Mosaicæ, interdum Prophetarum libros, nonnunquam sacræ historiæ locos, alias Evangelica, & Apostolorum scripta memoriter velut ex literario quodam penu proferret. Fateor, inquit Eusebius, obstupuisse me, cum illum in frequentissimo Ecclesiæ cœtu medium stantem, & quosdam divinæ Scripturæ locos recitantem primitus vidi. Porro Sylvanus cum supradictis unus de quadraginta viris, qui, seorsum degentes, orationibus & jejuniis incumbebant, jussu Maximini capite truncatus est.

Euf. hist. l. 9. c. 5.
Pilati quædam acta de Christo supposita.

XXX. Alii cum acta quædam tanquam apud Pilatum super Servatorem nostrum habita composuissent, plena impietatis adversus Christum, ea per omnes provincias Imperii Maximini ipso jubente dirigunt, mandantes per literas, ut ubique locorum tam in agris, quam in civitatibus publice proponerentur, utque ludimagistri pro dictatis hæc declamanda, & memoriæ commendanda pueris traderent. Quæ dum ita geruntur, dux quidam in urbe Phœnices Damasco cum impuras nescio quas mulierculas ex foro rapuisset, tormenta se ipsis admoturum minatus, eas miseras adegit, ut publice editis apud acta testimoniis faterentur se olim Christianas fuisse, flagitiorum, quæ a Christianis gererentur, conscias esse: eos in ipsis ædibus sacris obscœna quædam perpetrare asseverantes, & quæcunque alia ad infamandam religionem nostram effutire eas dux voluerat. Harum igitur mulierum testimonia actis inserta dux confestim ad Imperatorem mittit: nec mora, jubente Principe in singulis urbibus ac locis hæc quoque monumenta publicantur. Verum non longo post tempore dux ille mortem sibi consciscens improbitatis suæ pœnas dedit. Ipsamet ratio temporis actis prænotata authores mendacii coarguebat, Quippe consulatu Tiberii Augusti quarto, qui incidit in septimum ejus Imperii annum, ea, quæ isti in salutari Domini nostri passione ausi sunt confingere, gesta dicuntur. Quo quidem tempore nondum in Judæam advenisse Pilatum satis constat; siquidem Josephus diserte tradit, anno Principatus Tiberii duodecimo Pilatum Judææ procuratorem a Tiberio factum fuisse. Præterea Christus non ante decimum quintum Tiberii annum passus est. Porro in mediis urbibus, quod nunquam antea factum fuerat, civitatum adversus nos decreta, & constitutionum Imperialium rescripta æreis incisa tabulis proponebantur. Pueri in scholis toto die nihil aliud præter Jesum, & Pilatum, & acta illa ad contumeliam nostram conficta in ore habebant. Maximini rescriptum, quo respondet decretis civitatum adversus Christianos, hic apponere opportunum videtur.

Euf. hist. l. 1. c. 9.
Joseph. l. 18. c. 3.
Luc. 3.
Euf. hist. l. 9. c. 7.

Maximini decretum adversus Christianos.
Euf. ib.

XXXI. " Incredibile dictu est, quam grata, quamque jucunda nobis fuerit, & accepta, quod religiosi vestri erga deos propositi illustrissimum specimen dederitis. Nam antea quidem nemini erat obscurum, quanta observantia ac religione deos immortales coleretis .... Nunc vero civitas vestra, neglectis omnibus quæ ipsius interesse videbantur, & omissis precibus, quas pro Reipublicæ suæ negotiis ante hac nobis offerre consueverat, ubi primum sensit homines detestandæ vanitatis iterum serpere cœpisse ...... confestim ad nostram pietatem tanquam ad totius religionis metropolim confugit, remedium aliquod, & subsidium efflagitans. Quod quidem salubre consilium vobis ob fidem pietatis vestræ a diis immortalibus suggestum esse non dubium est. „ Tum iisdem diis, & præcipue Jovi accepta refere bona temporalia, quibus fruebantur, & immunitatem a malis quibus non vexabantur... " Quas, inquit, calamitates, iisque adhuc acerbiores alias ante hac sæpius contigisse, nemo est qui ignoret. Hæc porro omnia ob pestiferum errorem inanissimæ vanitatis sceleratorum illorum hominum evenerunt; quo tempore error ille in animis eorum pullulavit, & universum propemodum terrarum orbem probro ac dedecore opplevit .... Quicunque ex eo illo errore, & ambage liberati ad rectam sanamque sententiam redierunt, eo magis gaudeant jucundissima in posterum vita fruituri. Quod si qui in detestando suæ vanitatis errore adhuc perstant, ii quam longissime a vestra urbe, & territorio seclusi, sicut petiistis, abigantur, ut hoc pacto civitas vestra, juxta laudabile studium vestrum ac desiderium, omni piaculo ac scelere liberata, pro insito sibi affectu cum debita veneratione deorum immortalium sacrificiis inserviat. „ Hujusmodi literæ in omnibus provinciis adversum nos publice propositæ omnem nobis, quantum quidem in hominum potestate situm erat, spem felicitatis ademerant, adeo ut, juxta divinum illud oraculum, etiam electi, si hoc fieri posset, ob hæc scandalum paterentur.

Euseb. ibid. c. 6.

Hinc Christianorum fugæ rursus, & acerbissimæ persecutiones renovari cœpere, provinciarum Rectoribus acriter contra nos insurgentibus, adeo ut nonnulli, qui in sacræ Fidei prædicatione excellere videbantur, comprehensi absque ulla miseratione, capitali sententia damnati sunt. Ex quibus tres apud Emesam urbem Phœnices, Christianos se esse confessi, bestiis objiciuntur. Erat inter hos Sylvanus Emesæ Episcopus, decrepitæ jam ætatis, qui per annos quadraginta sacerdotis ministerium obierat. In eadem provincia omnium martyrum nobilissimi Deoque accepti martyres, Christiani gregis pastores fuere, Tyrannio Ecclesiæ Tyriorum Episcopus, & Zenobius presbyter apud Sidonem, qui Antiochiæ doctrinam veræ fidei constantissima in perferendis ad mortem usque tormentis patientia ambo illustrarunt: Tyrannio quidem in profundum mare demersus: Zenobius vero, medicorum omnium præstantissimus, dum ungulis ipsi latera sulcarentur, in mediis cruciatibus forti animo immortuus.

Euf. hist. l. 8. c. 13.

XXXII. Apollonius, cum vitam monasticam egisset inter Fratres, etiam diaconus ordinatus est. Tempore ergo persecutionis erat ei studium singulos quoque circuire fratres, & addens animum Christi confessoribus, multos effecit martyres. Cumque fuisset etiam ipse comprehensus, & in carcerem trusus, gentilium apud Antinorum plurimi tanquam insultantes veniebant ad eum; inter quos fuit quidam Philemon nomine, choraula famosissimus, & omni populo amabilis, qui cum multis eum fatigaret injuriis, ... respondit ei Apollonius dicens: Misereatur tibi Dominus, fili mi, & nihil tibi horum, quæ locutus es, reputet ad peccatum. Hæc cum audisset Philemon, corde compunctus est, vimque verborum ejus supra humanum morem in sua mente persensit in tantum, ut Christianum se repente fateretur; & inde statim pervolat ad tribunal Judicis Ariani, atque in conspectu totius populi proclamans: Injuste, agis, o Judex iniquitatis, viros religiosos, & Deo amabiles puniens; nihil enim malum Christiani vel faciunt, vel docent. At ille hæc audiens, primo quidem putabat, joci aliquid proponere: sed cum vidisset hæc eum prosequentem, & cum omni constantia asserentem: Insanis, inquit, o Philemon? at ille: Ego, inquit, non insanio, sed tu, qui tot justos injuste perimis viros. Ego enim Christianus sum, quod est hominum genus optimum. Judex coram populo cœpit eum primo blandimentis revocare velle ad id quod eum noverat; sed ut immobilem vidit, omnia intendit in eum genera tormentorum. Cognito vero quod ex verbis Apollonii hæc facta ei fuerit permutatio, correptum etiam Apollonium gravioribus subdidit tormentis, & deceptoris in eum crimen exaggerat. Apollonius vero

Act. sinc. Rufin. de vit. Patr. cap. 19.

dixit

Christi An. 309.

dixit ad eum: Utinam & tu, Judex, & omnes qui assistunt, hunc meum quem dicis errorem deceptionemque sequeremini! At ille ubi hæc audivit, & ipsum, & Philemonem ignibus tradi jussit. Illi vero postquam ingressi sunt flammas, beatus Apollonius cunctis audientibus clamabat ad Dominum dicens: Non tradas Domine bestiis animas confitentium tibi, sed ostende nobis evidenter salutare tuum. Repente nubes repleta rore circumdedit viros, & flammas accensi ignis extinxit: super quo stupefacti Judex, & populus, una omnes voce clamare cœperunt: Magnus & Unus est Deus Christianorum, solus immortalis est. Sed hæc cum fuissent Præfecto Alexandriæ nuntiata, semetipso truculentior redditur, & electos quosdam de officio suo crudelissimos mittit, qui & ipsum Judicem, qui mirabilibus divinis crediderat, & eos, per quos Dei virtus apparuerat, vinctos Alexandriam adducerent. Igitur cum adducerentur omnes, cœpit Apollonius eos, qui se vinctos ducebant, Fidem Dei docere. Quique cum Dei misericordiam credidissent, & Fidem Dei tota cordis firmitate recepissent, semetipsos cum his, quos exhibere venerant vinctos, offerunt Judici, & Christianos se esse pariter profitentur. Quos cum Præfectus in Fide Domini pertinaces, & immobiles pervidisset, universos pariter jubet in profundum maris demergi. Horum corpora maris unda integra reportavit ad littus; quæ suscepta ab iis, qui obsequii causa simul venerant, sub uno sepulchri domicilio collocata sunt; a quibus virtutes multæ, & signa miranda omnibus consummata sunt.

Christi An. 312. Optat. Mil. l. 1. num. 18. *Initia schismatis Donatist.*

XXXIII. Dum in Oriente sævit Maximinus, gravior calamitas Ecclesiæ incubuit ex schismate Donatistarum. Perlata in Africam Maxentii indulgentia, cum libertas Christianis reddita esset, de substituendo in locum Mensurii defuncti Episcopo agi cœptum est apud Carthaginem. Botrus, & Cœlestius ordinari cupientes, operam dederunt, ut, absentibus Numidis, soli vicini Episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente Felice Aptungitano Episcopus ordinatur. Tunc index auri, & argenti sedenti Cæciliano, sicut delegatum a Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. Convocantur memorati seniores, apud quos depositus fuerat thesaurus Ecclesiæ, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cum reddere cogerentur, subduxerunt communioni pedem: non minus Botrus, & Cœlestius, quibus ordinari non contigit; necnon & Lucilla, quæ jam dudum ferre non potuit disciplinam, cum omnibus suis potens, & factiosa fœmina communioni Cæci-

Ib. n. 16.

liani misceri noluit. Hæc, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum, & potum os nescio cujus martyris, si tamen martyris, sed necdum approbati libare seu deosculari dicebatur; & correpta, cum confusione discessit irata.

Ib. n. 18.

Hæ causæ irarum in Cæcilianum; ab his tribus personis contra eum causæ confictæ sunt, ut vitiosa diceretur ejus ordinatio. Ad Secundum Tigisitanum

August. brev. collat. die 3. cap. 14.

mittunt, orantes ut cum Numidiæ Episcopis Carthaginem veniret. Adfuere septuaginta circiter Episcopi, in quibus erant illi qui in Cirtensi concilio confessi erant se esse traditores; suscepti sunt non a Catholicis, sed ab inimicis Cæciliani. Ad basilicam, ubi frequens cum Cæciliano civitas aderat, nullus eorum accessit. Indigne ferebant, se non exspectatos, imprimis Secundus Numidiæ Primas, quod eum non ordinasset; sed in domo quadam conventiculum suum habuerunt tertio nonas

Optat. l. 1. n. 19.

Martias anno trecentesimo duodecimo. Vocatus Cæcilianus eis mandat: Si quod est in me, probetur, exeat accusator, & probet. Illo tempore a tot inimicis nihil potuit in eum confingi; sed id unum, & falso quidem objecere, quod a traditore consecratus fuisset. Erroneam hanc deducebant inde conclusionem, eum non recepisse characterem Episcopalem. Unde consequenter dixerunt: Sacramenta ab hæreticis vel ab impiis collata esse prorsus invalida; quo errore suum schisma tuebantur Donatistæ. Quapropter iterum mandat Cæcilianus, ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquam diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius, qui jam sororis filios se occidisse confessus erat, sic ait: Exeat huc, quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia. Clerici enim, qui publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, hoc ipso excidebant gradu, nec poterant ulterius promoveri ad sacros ordines; quod non desperatione veniæ statutum erat, sed rigore disciplinæ.

Christi An. 312. August. epist. 85. olim 50.

His rebus compertis, tota Ecclesia Cæcilianum retinuit, ne se latronibus traderet. Eum itaque absentem damnant, quod ad eos venire noluerit, tanquam a traditoribus ordinatus; & quia, cum esset diaconus, victum afferre martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. Nominati sunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui traditores asserebantur publicis gestis; quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos autem maxime Felix Aptungensis acerbius accusatus est, ita ut fons malorum omnium diceretur. Deinde sententiæ a singulis dictæ sunt, primitus a Secundo Tigisitano, qui eorum princeps fuit; deinde a cæteris, quibus expresserant, se Cæciliano, & collegis ejus non communicare. Damnato Cæciliano, Majorinus a schismatica Synodo creatur Episcopus Carthaginensis: lector fuerat in diaconio Cæciliani, domesticus Lucillæ, cujus pecunia, & suffragio ab Episcopis suamet confessione traditoribus ordinatur; nam quadringentos folles eam propterea Episcopis dedisse postea compertum fuit. Concilii literas livore dictante conscriptas miserunt ad omnes Africæ Ecclesias, quibus Cæciliani ordinatores traditionis reos esse calumniabantur; Cæciliani ordinationem irritam esse pronuntiabant; ac omnes monebant, ut ab ejus communione abstinerent, & Majorinum pro legitimo agnoscerent Episcopo. His creditum a pluribus Africanis. Hinc non tantum Carthaginensis, sed universa Africana Ecclesia in duas partes divisa est. Multi a Cæciliani communione recesserunt; quorum conspirantem potuit non curare multitudinem, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, & cæteris terris per communicatorias literas esse conjunctum. Hinc altare contra altare. Hinc fons initiumque dissensionis, & schismatis Donatistarum, quibus nomen dedit Donatus a casis nigris, qui Cæciliano adhuc diacono schisma fecerat Carthagine, hujusque hæresis princeps fuit. Hæc totidem verbis referunt Optatus Milevitanus, & Augustinus.

August. in brev. coll. die 3. c. 14. — Optat. l. 1. n. 19. — Libel. nundin. diac. append. ad l. Optat. — August. epist. 43. olim 162. — August. brev. coll. die 3. c. 14. & de hæres. c. 69.

XXXIV. Persecutionis furor in Oriente magis ac magis sæviebat. Nicomediæ Basiliscus Comanorum Episcopus martyrium passus est, quem secutus est Lucianus Syrus vir nobilis. In prima ætate Macarii cujusdam Edessæ degentis consuetudine usus, sacrorum librorum interpretis, ad solitariam vitam declinavit, & ad omnem virtutis mensuram plenam pervenit: ad sacerdotium etiam provectus presbyter Antiochiæ magnam scholam illic instituit, quotidie undique studiosissimis, & optimis quibusque confluentibus: tantum in scripturarum studio laboravit, ut septuaginta interpretum versionem emendatam ediderit Fratribus. Tunc tria ejus exemplaria laudatissima circumferebantur; Ægyptiaca, auctore Hesychio; Palæstina, opus Pamphili martyris; Antiochena Luciani, quibus usque Constantinopolim utebantur Ecclesiæ. Tantus vir in errorem Pauli Samosateni incidit, teste Alexandro Alexandrino illius coævo, & Epiphanio, & Theodoreto: ecclesiastica societate trium Episcoporum, scilicet Domni, Timæi, ac Cyrilli segregatus pluribus annis permansit: tandem ad Ecclesiæ rediit unitatem; cum enim a trium Episcoporum communione sejunctum fuisse dicat Alexander, consequens est eum communicasse cum Tyranno, qui quartus fuit a Paulo Samosateno Antiochensium Episcopus; ac postea in vera fide, & pietate per annos quindecim perseveravit: alioquin quomodo Chrysostomus tantis laudibus eum celebrasset in publica panegyri, quam recitavit in ecclesia Antiochena? pleraque, quæ spectant ejus passionem, ex ea describemus.

Pallad. vit. Chrys. cap. 11. Surd. *Luciani martyris vita.* Hieron. l. de script. Eccl. & ep. 107. Theod. hist. l. 1. cap. 4. Epiph. hær. 43.

Comprehensus, & perductus Nicomediam, ubi tunc Imperator Maximinus commorabatur, cum defensionem fidei illius, quam profitebatur, coram Præside edidisset, conjectus in carcerem diu fame maceratur. Tum mensa idolothytis referta coram eo apponitur, ut facultas utendi ejus animi robur infringeret. Postquam autem se nihil profi-

Eus. hist. l. 9. c. 6. Chrys. tom. 8. hom. 46.

CHRISTI AN. 312.

proficere sceleratus ille vidit, ad tribunal rursus eum deducit, & tormentis admotis continuas adjungebat interrogationes de nomine, patria, parentibus, & confessione. Ille vero ad unamquamque interrogationem tantum respondebat: Christianus sum. Reductus in carcerem pridie suæ mortis, die festo Epiphaniæ, cum altare deficeret, cumque vincula & plagæ ne quidem ut se commoveret ei permitterent, supinus jacens supra proprium pectus tremendum sacrificium peregit; tum aliis, ut de immaculato sacrificio participarent, copiam fecit. Antea scripserat epistolam ad Antiochenos, quæ perfectam ejus cum hac Ecclesia & cum martyribus unionem indicat: "Salutem plurimam, inquit, dicit vobis universus simul martyrum chorus. Nuntio duntaxat vobis Anthimum Papam martyrii cursum peregisse." In carcere trucidatur septimo die mensis Januarii, anno 312. Ejus corpus in mare projectum. Inde extractum a Fidelibus Drepani Bithyniæ sepultum est; quam civitatem postea Constantinus in ejus honorem instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit. Hieronymi ætate circumferebantur de Luciani martyris fide libelli, quos Macedoniorum perfidia corrupit.

Philostorg. hist. l. 2. cap. 14. *Eucharistiæ sacrificium.* Chron. Pasc.

Euf. in Chron. Hier. de script. Eccl.

XXXV. D. Methodius Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopus, non sub Decio, vel Valeriano, sed ad extremum hujusce novissimæ persecutionis martyrio coronatus est, ut constat ex ejus operibus: nitidissimi enim compositique sermonis adversus Porphyrium, qui floruit sub Diocletiano, scripsit octo libros, & Symposium decem virginum, & de Resurrectione opus egregium, & de Pythonissa contra Origenem, & de libero arbitrio; ideoque ejus operum non meminit Eusebius Cæsariensis: scripsit etiam in Genesim & Cantica Canticorum commentarios, & multa alia, quorum aliqua tantum fragmenta supersunt apud D. Epiphanium & Photium, & in Parallelis S. Joannis Damasceni.

Maxim. dial. 3. de Trinit. inter opera D. Athan. Epiph. hær. 64. Phot. Bibl. cod. 234. & seq. Euseb. hist. l. 7. c. 32. & l. 9. c. 6.

XXXVI. Alexandriæ Petrus, præcipuum Episcoporum decus, cum ob totius vitæ sanctimoniam, tum ob studium ac peritiam sacrarum scripturarum, ante persecutionem quidem tribus fere annis hanc Ecclesiam rexit. Deinceps vero reliquum tempus ætatis arctiore disciplina semet exercens transegit; nec minus interim communi Ecclesiarum utilitati prospexit. Quam ob causam præter omnium exspectationem comprehensus anno persecutionis nono, Maximino jubente, capite truncatur. Et inter ejus presbyteros passi sunt Faustus, Dius, atque Ammonius perfecti martyres Christi. Præterea Phileas & Hesychius, Pachumius ac Theodorus diversarum in Ægypto Ecclesiarum Episcopi, innumerabiles denique alii minime obscuri, qui per Ecclesias in illis locis constitutas multis laudibus celebrantur. Petrus Alexandrinus præter canones pœnitentiæ, quorum supra meminimus, scripsit librum de Divinitate, in quo accurate exponit mysterium Incarnationis: hunc laudarunt tertia & quarta Synodus. Alexandrina Ecclesia uno anno vidua permansit, tum ei præpositus est Achillas, vir gravis & magnanimus.

Euf. hist. l. 8. c. 13. Gelas. Lysic. lib. 11. hist. c. 11. Gelas. hist. l. 11. cap. 11. Hieron. l. de scrip. Eccles. Athan. vit. Ant. c. 46. *D. Antonius martyres palam adjuvat.*

XXXVII. D. Antonius sanctos martyres Alexandriam adductos relicto monasterio secutus est, ajens: Pergamus & nos, ut vel vocati congrediamur, vel prælianses spectemus. Et martyrii quidem desiderio flagrabat; sed cum nollet sese tradere, Confessoribus in metallis & in carceribus ministrabat: magna quoque ipsi cura in judicii loco vocatos concertantesque hortari ad animi alacritatem, martyriumque passuros excipere, atque comitari, donec consummarentur. Judex, viso tam illius, quam suorum intrepido animo, jussit neminem monachorum in judicii loco interesse, vel in urbe prorsus versari. Tum aliis omnibus visum est illo die sese occultare .... Antonius autem impavidus, neglecto persecutoris imperio, lavit ependitem suum, & sequenti die in edito loco conspicuus stetit, & candenti præcinctus veste, Præfecto sese exhibuit. Omnibus rem mirantibus, ipsoque Judice id perspiciente, & cum militum suorum turma prætereunte, contristatus est, quod martyrium assequi non posset. Dominus autem eum conservabat ad multorum utilitatem, ut asceticæ vitæ, quam ex Scripturis ipse didicerat, permultis magister foret. Postquam autem cessavit persecutio, Antonius secessit in monasterium, ubi conscientiæ suæ studio quotidie martyr erat. Maximinus, ut clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit. Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ desecabantur.

CHRISTI AN. 312. Lact. de mort. persec. cap. 36.

XXXVIII. Hæc ille moliens Constantini literis deterretur: dissimulavit ergo, & tamen si quis inciderat, mari occulte mergebatur. Consuetudinem quoque suam non intermisit, ut in palatio per singulos dies sacrificaretur .... Quam vana & impia foret spes Imperatoris, qui de deorum suorum protectione palam gloriabatur, brevi declaravit divina justitia; nam imbres ac pluviæ hyberno tempore abundantius cadere præter solitum desierunt, & insperata contigit fames, quam deinde pestis subsecuta est. Præter hæc alterius cujusdam morbi vis sævit, ulcus videlicet, quod ob inflammationem carbunculus vocatur. Hic morbus per universum corpus paulatim serpens gravia ægris discrimina afferebat; sed præcipue circa oculos hærens & insidens diutius innumeros promiscuæ ætatis & sexus luminibus orbavit.

Ib. c. 37. *Fames & pestis vastant provincias Maximini.* Euf. hist l. 9. c. 8

Bellum insuper a Tyranno commotum est adversus Armenios, jam inde a priscis temporibus amicos ac socios populi Romani; qui cum Christiani ipsi quoque essent, & divinæ religionis studiosissimi, Deo invisus Tyrannus eos ad simulacrorum & dæmonum cultum traducere per vim conatus, pro amicis inimicos, hostes pro sociis effecit. Hæc igitur omnia eodem temporis momento cum subito confluxissent, arrogantem confidentissimi Tyranni jactantiam confutarunt, qui ob studium suum in colendis simulacris, & propter persecutionem nostrorum, nec famem, nec pestilentiam, nec bellum denique ullum suis temporibus accidisse audacter gloriabatur. Et ipse quidem in bello adversus Armenios una cum exercitu suo varias clades atque ærumnas pertulit. Reliqui vero qui urbes ejus imperio subditas colebant, fame simul & pestilentia graviter vexati sunt adeo, ut unus frumenti medimnus, seu duo modii, bis mille & quingentis atticis drachmis, seu nongentis sexaginta libris Romanis communis monetæ venundaretur. Plures vero in agris & vicis passim interibant; in tantum ut censuales tabulæ olim ingenti rusticorum numero repletæ, una prope litura deletæ fuerint .... Sed & mulieres quædam inter suos non ignobiles, præ summa egestate ad inverecundam compulsæ necessitatem, mendicandi causa in forum ventitabant; quarum verecundia in vultu, & in amictu modestia, olim ipsas liberaliter educatas fuisse satis indicabat. Et nonnulli quidem aridi, ut umbras mortuorum diceres, deficientibus viribus, huc illuc nutabundi ac cespitantes, cum præ imbecillitate consistere non possent, in media platea corruebant, pronique humi jacentes, toto corpore expanso, modicum panis frustum sibi porrigi flagitabant .... Quotquot vero locupletiores esse videbantur, mendicantium multitudine obstupefacti, postquam egentibus plurima impertierant, durum deinceps & omnis miserationis expertem animum induebant; eamdem cum mendicantibus calamitatem ipsi quoque se passuros esse prævidentes. Itaque in medio foro & per angiportus nuda atque insepulta cadavera pluribus diebus jacentia, prorsus miserabile spectaculum præbebant intuentibus......

Interim pestilentia totas domos ac familias nihilo segnius depascebatur, præcipue invadens eos quos cunctis ad victum necessariis affluentes fames conficere non potuerat. Igitur opulentissimi quique provinciarum Rectores ac Præsides, & ex primoribus civitatum quam plurimi, perinde ac si fames eos de industria transmissos pestilentiæ reservasset, acutissimo ac violentissimo mortis genere interibant. Cuncta passim loca, angiportus, fora, plateæ, lamentis redundabant: neque aliud cernere licebat, quam lugubres nænias cum usitato apud infideles tibiarum cantu atque planctu. Ex una eademque domo duo simul ac tria cadavera efferebantur ad sepulturam. Hinc patet morem cremandi cadavera tunc abolitum fuisse apud Romanos. Illius mutationis initium indicare difficillimum est. Videtur tamen a Judæis & Christianis morem humandi corpora transiisse ad Romanos. In tantis calamitatibus Christianorum erga omnes sedulitas ac pietas manifestissimo indicio universis Gentilibus innotuit. Quippe hi soli misericordiæ atque humanitatis offi-

Christianorum charitas erga miseros.

eia

Christi An. 312.

cia rebus ipsis exhibentes, quotidie partim curandis ac sepeliendis mortuorum cadaveribus vacabant; partim omnibus tota urbe egenis, qui fame opprimebantur, in unum convocatis, panes singulis dividebant, adeo ut cum hujus rei fama crebris hominum sermonibus divulgaretur, cuncti Christianorum Deum summis laudibus extollerent, eosque solos pios Dei cultores reipsa & factis comprobatos esse faterentur.

Lact. de mort. persec. cap. 37.

Tot publicis miseriis cumulum imposuit Maximini avaritia: viventium bona, quæ supererant, sine pudore auferebat. Horrea privatorum claudebantur, apothecæ obsignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia quotidiana, & ad alendos exercitus, qui corrumpebant annonam, & effundebant passim sine delectu, sine modo. Avaritiæ par erat ejus libido flagitiosa; ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. (cap. 39.) Venerat post obitum Galerii Maximiani ad eum Valeria, cum se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime quod haberet uxorem; adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmissis in matrimonio postulat, ejecturus uxorem, si impetrasset. Respondit illa libere, primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui, patris ejus. Postremo nefas esse illius nominis ac loci fœminam sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid esset ausa; statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exilium relegat .... Augusta in desertas quasdam Syriæ solitudines relegata, patrem suum Diocletianum per occultos gnarum suæ calamitatis facit. Mittit ille legatos, & rogat ut ad se filiam remittat; .... Illi imperfecta legatione irritas preces renuntiant.

Lactant. cap. 42. *Diocletiani mors funesta.*

XXXIX. Eodem tempore senis Maximiani statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines Diocletiani, cum quo pictus esset, detrahebantur. Itaque Diocletianus cum videret vivus quod nulli unquam Imperatori acciderat, duplici ægritudine affectus, moriendum sibi esse decrevit. Jactabat se huc atque illuc, æstuante anima per dolorem, nec somnum, nec cibum capiens. Suspiria & gemitus, crebræ lacrymæ. Ita viginti annorum felicissimus Imperator ad humilem vitam dejectus adeo & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, postremo fame atque angore confectus est, nonis Decembris, anno trecentesimo duodecimo; sex annos & septem fere menses postquam abdicasset Imperium.

Maximinus ut audivit Constantini sororem Constantiam Licinio esse desponsatam, existimavit affinitatem duorum Imperatorum contra se copulari.

Zozim. lib. 11. Lactant. cap. 44. Nazar. Paneg.

Et ipse legatos ad urbem misit, occulte societatem Maxentii atque amicitiam postulans: recipiuntur legati benigne, fit amicitia. Maxentius jam bellum Constantino, eversis Romæ ejus imaginibus, indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus. Plus virium ei erat, quod & patris sui exercitum receperat a Severo, & suum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum levioribus præliis, & Maxentiani milites prævalebant, quorum tamen equitatus apud Brixiam & Veronam pulsus fuerat primo impetu. Confirmato animo, Constantinus copias omnes ad urbem propius admovit, & e regione pontis Milvii consedit.

Eus. l. 1. de vit. Const. cap. 27.

Jam vero cum intelligeret præter militares copias præstantiore aliquo subsidio sibi opus esse ..... cogitare apud se cœpit quemnam sibi Deum adsciseeret. Hæc illi subiit cogitatio: ex plurimis, qui ante se Imperium tenuerant, eos quidem, qui in deorum multitudine spem suam collocassent, & qui victimis illos ac donariis coluissent, infausto mortis genere interiisse .... solum ipsius patrem, qui contrariam prioribus illis viam iniisset, Deum Servatorem Imperii, & omnium bonorum authorem habuisse .... Hujus ergo opem implorare cœpit, orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum præberet, ac præsentibus negotiis adjutricem manum porrigeret.

Ib. c. 28. *Constantino Crux apparet; ejus labarum & victoria.*

Hæc præcanti ac suppliciter postulanti Imperatori admirabile quoddam signum a Deo missum apparuit .... Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, Crucis trophæum in cœlo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis oculis vidit, cum hujusmodi inscriptione: *Hac vince*. Eo viso, ipse & milites, qui eum sequebantur, & spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupuere. Augustus ipse Victor, inquit Eusebius, longo post tempore id nobis retulit, & sermonem sacramenti religione firmavit.

Christi An. 312.

Lact. de mort. persec. cap. 4.

Sequenti nocte commonitus in quiete, ut cœleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret, fecit ut jussus est, & transversa X litera summo capite circumflexu Christo in scutis sic notat

P

X

Eus. l. 4 de vit. Const. cap. 31

Illudque inscripsit labaro, seu vexillo Imperatorio: erat autem hujusmodi. Hasta longior auro contecta, transversam habens antennam instar Crucis; supra in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta. In hac salutaris appellationis signum, duæ videlicet literæ nomen Christi primis apicibus designabant, litera, P, in medio sui decussata. Quas quidem literas Imperator in galea gestare post hæc etiam consuevit. Porro ex antenna, quæ oblique per hastam trajecta est, velum quoddam quadratum dependebat, textum videlicet purpureum, pretiosis lapidibus inter se junctis, & luminis sui fulgore perstringentibus coopertum, multoque intertexto auro, inexplicabilem pulchritudinis speciem intuentibus præbens. Ipsa vero recta hasta ab infima sui parte in magnam longitudinem producta, in superiore parte sub ipso Cruci signo ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem, auream Imperatoris & liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus gestabat sublimem. Hoc Constantini labarum quantum ad formam nihil habuit speciale, nisi duas literas X, P, nominis Salvatoris initiales, quarum posterior priorem perpendicularis dividebat.

Minut. Felix in Octav.

Sic enim ante centum annos de signis militaribus scribebat Minutius Felix: Signa ipsa, & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud, quam inauratæ Cruces sunt & ornatæ, tropæa vestra victricia non tantum simplicis Crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur; Imperatoris scilicet aurea statua e summa parte pendebat.

Lact. de mort. persec. cap. 44.

Hoc ergo signo Constantini exercitus armatus capit ferrum. Imminebat dies, quo Maxentius Imperium cœperat, qui ad sextum Kalendas Novembris anni trecentesimi undecimi, & quinquennalia ejus Imperii terminabantur. Procedit hostis obviam sine Imperatore, pontemque transgreditur. Summa vi utrinque pugnatur, neque his nota fuga, neque illis. Fit in urbe seditio, & dux increpitatur velut desertor salutis publicæ. Repente populus (Circenses enim natali suo edebat) una voce subclamat, Constantinum vinci non posse. Qua voce consternatus proripit se, & in aciem venit. Cum pontem, quem ex navigiis junxerat, transivisset, eo viso pugna crudescit. Suis Constantinus, ut aciem struerent, imperat, equitatumque immisit. Is equitatum hostilem adorsus fudit. Maxentius fugiens, paulo superius a ponte Milvio, in pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est,

Eutrop. lib. 11.

voratumque limo pondere thoracis corpus vix repertum, suffixum hastæ ejus caput per urbis vicos circumfertur, deinde missum in Africam.

Lact. ib. Eus. l. 1. de vit. Const. cap. 40.

Confecto bello acerbissimo, triumphans urbem ingreditur Constantinus, atque cum magna Senatus populique lætitia susceptus, Maximini perfidiam cognoscit, literas deprehendit, statuas & imagines invenit. Qui cum Dei auxilium sibi adfuisse intelligeret, illico victoriæ authori gratiarum actionem supplex rependit, sublimemque hastam in modum Crucis in manum statuæ suæ in celeberrimo urbis loco poni jussit, cum hac inscriptione: “Hoc salutari signo, quod veræ virtutis argumentum est, vestram urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi: Senatui Populoque Romano in libertatem asserto, pristinum decus nobilitatis, splendoremque restitui.” Triumphalem arcum, qui etiamnum visitur Romæ, ei erexit Senatus cum hac inscriptione:

Imp.

CHRISTI AN. 312.

Imp. Cæs. Fl. Constantino Maximo
P. F. Augusto S. P. Q. R.
Quod. Instinctu. Divinitatis. Mentis.
Magnitudine. Cum. Exercitu. Suo.
Tam. De. Tyranno. Quam. De. Omni. Ejus.
Factione. Uno. Tempore. Justis.
Rempublicam. Ultus. Est. Armis.
Arcum. Triumphis. Insignem. Dicavit.
Liberatori. Urbis. Fundatori. Quietis.

Lactant. cap. 44.

Senatus præterea Constantino virtutis gratia primi nominis inter Imperatores titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat: ad quem victori liberatæ urbis cum fuisset allata, non aliter accepit, quam si ipse victus esset. Cognito deinde Senatus decreto, sic exarsit dolore, ut inimicitias aperte profiteretur.

Eus. l. 1. de vit. Const. cap. 32. *Constantinus arcessit Episcopos & discit mysteria Christianæ religionis.*

XL. Constantinus Romæ degens sacerdotes doctrinæ Christianæ mysteriis instructos ad se accersivit, & quisnam esset ille Deus, qui sibi apparuisset, interrogavit; quidve signi illius visio sibi vellet. Illi hunc quidem Deum esse dixerunt, unius ac solius Dei unicum Filium: signum vero illud quod ostensum fuisset, immortalitatis symbolum esse, & tropæum victoriæ, quam ille in terris olim versatus de morte retulisset: simul causas illius adventus eum edocuerunt, accuratam Incarnationis rationem exponentes. At ille hos sermones discendi cupidus auscultabat. Cæterum Dei præsentiæ suis conspectibus exhibitæ admiratione tenebatur, cumque cœlestem illam visionem, & sacerdotalium sermonum interpretationem inter se contulisset, confirmatus est animo; harum rerum cognitionem Dei ipsius magisterio sibi tradi pro certo habens. Exinde ipsemet divinorum librorum lectioni vacare instituit, & cum sacerdotes Dei sibi assessores adscivisset, Deum illum, quem viderat, omni observantia colendum esse duxit. Profecto Christianum populum, non obstante decennali persecutione, tunc valde numerosum esse oportuit; vel Christianæ religionis veritas, & Dei, quem colit, potentia debuit evidentibus signis innotescere tanto Imperatori, ut, nihil veritus gentilium defectionem, illius cultorem se palam profiteretur. Rebus in urbe compositis, hyeme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit, ut Constantiam acciperet uxorem; amboque uno consensu legem sequentem pro Christianis dederunt. Hanc latine, quo idiomate dictata est, refert Lactantius. Quapropter illius exemplum prætulimus Eusebianæ versioni, ex qua tamen nonnulla, quæ mutila sunt apud Lactantium, supplevimus.

Lactant. cap. 45.

Ib. c. 48. *Constantini edictum pro Christianis.*

XLI. " Cum feliciter tam ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus, atque universa, quæ ad commoda & securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, hæc inter cætera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel imprimis ordinanda esse credidimus, quibus divinitatis reverentia continebatur, ut Christianis & omnibus daremus liberam potestatem sequendi religionem quam quisque voluisset. Quo scilicet quidquid illud est divinum ac cœleste Numen, nobis & universis, qui sub Imperio nostro degunt, propitium esse possit. Itaque hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse credimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam dederit, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret, ut possit nobis summa divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benevolentiamque præstare. Quare scire dignationem tuam convenit placuisse nobis, ut, amotis omnibus omnino conditionibus quæ prius scriptis ad officium tuum datis super Christianorum nomine videbantur, nunc cavere, ut simpliciter unusquisque eorum, qui eamdem observandæ religionis Christianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac molestiam sui, idipsum observare contendant. Quæ sollicitudini tuæ plenissime significanda esse credimus, quo scires, nos liberam atque absolutam colendæ religionis suæ facultatem iisdem Christianis dedisse: quod cum iisdem a nobis indultum esse pervideas, intelligat dignatio tua, etiam aliis religionis suæ vel observantiæ potestatem similiter apertam & liberam pro quiete temporis nostri esse concessam. Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse annuimus. Quod si eadem loca, ad quæ antea convenire consueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum literis, certa antehac forma fuerat comprehensa, priore tempore aliqui vel a fisco nostro, vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia, & sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituant. Qui etiam dono fuerint consecuti, eadem similiter iisdem Christianis quantocyus reddant, etiam vel hi qui emerunt, vel qui dono erunt consecuti: si putaverint de nostra benevolentia aliquid, Vicarium postulent, quo & ipsis per nostram clementiam consulatur. Quæ quidem omnia corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem Christiani non ea loca tantum ad quæ convenire consueverunt, sed etiam alia habuisse noscuntur ad jus corporis eorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum pertinentia, ea omnia lege, qua superius, comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem vel controversiam iisdem Christianis, id est, corpori & conventiculis eorum reddi jubebis, supradicta scilicet ratione servata, ut ii, qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentia sperent. In quibus omnibus supra dicto corpori Christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut præceptum nostrum quantocyus compleatur .... Ut autem hujus sanctionis benevolentiæ nostræ forma ad omnem possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo hæc scripta & ubique proponere, & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benevolentiæ nostræ sanctio latere non possit. „ Hæc lex, quæ data est anno trecentesimo duodecimo: tunc quidem non promulgata est propter sequentes belli tumultus; sed Constantinus privatis literis Præsidibus suarum provinciarum eadem præcepit.

Eus. hist. l. 10. c. 5. *Constantini rescriptum pro Christianis.*

XLII. Illius ad Anulinum Africæ Proconsulem Epistolæ exemplar hic subjicimus. " Ave Anuline carissime nobis. Est hic mos bonitatis nostræ, ut ea quæ ad alienum jus pertinent, non modo nulla inquietudine affici, sed etiam restitui velimus, Anuline carissime. Quapropter jubemus, ut simul atque has literas acceperis, si quæ ex illis, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam per singulas civitates, aut aliis in locis pertinebant, nunc a Decurionibus aut quibuslibet aliis detinentur, ea confestim illorum Ecclesiis restitui facias. Quandoquidem volumus ut quæ supra dictæ Ecclesiæ possederunt, ad earum jus omnino revertantur. Cum ergo perspiciat devotio tua, hujus nostræ jussionis manifestum esse præscriptum, operam dabis ut sive horti, sive ædes, seu quodcunque aliud ad jus earumdem Ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocyus restituantur. „ Haud dubium est Christianos in Italia, Gallia, & Hispania, & Africa, pari modo in integrum fuisse restitutos: his enim provinciis imperabat Constantius.

Lactant. cap. 45.

XLIII. Maximinus vero ubi duos Imperatores intellexit nuptiarum solemnitatibus occupatos, exercitum movit e Syria hyeme quam cum maxime sæviente, & mansionibus geminatis in Bythiniam concurrit debilitato agmine ..... trajectoque protinus freto, ad Byzantii portas accessit armatus. Milites præsidiarii per undecim dies restitere, per quos fuit spatium nuntios literasque mittendi ad Imperatorem; tum paucitate diffisi se ipsos dediderunt. Hinc promovit Heracleam, & illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempora amisit. Jam Licinius festinato itinere cum paucis Adrianopolim venerat, collectis ex proximo quantis potuit militibus pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quam proposito dimicandi, aut spe victoriæ; quippe cum ille septuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta millium numerum collegisset.

Licinius, invocato vero Deo, vincit Maximinum.

Ib. c. 46.

Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut, si victoriam obtineret, Christianorum nomen extingueret, funditusque deleret. Tunc proxima nocte Licinio quiescenti adstitit Angelus Dei monens ut ocyus surgeret, atque adoraret Deum summum cum omni exercitu suo, illius fore victoriam, si fecisset. Post has voces, cum surgere sibi visus esset, & cum

ipse

CHRISTI AN. 312. ipse, qui monebat, adstaret, tunc docebat eum quomodo, & quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, notarium jussit adsciri, & sicut audierat, hæc verba dictavit: " Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi commendamus, salutem nostram tibi commendamus. Per te vivimus. Per te victores & felices existimus. Summe sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi summe sancte Deus. " Scribuntur hæc in libellis plurimis, & per præpositos tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis victoriam sibi credentibus de cœlo nuntiatam. Maximinus pridie Kalendas Majas mane aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castris movisse Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt ..... Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cœlum manus tendunt, præeuntibus præpositis, & post Imperatorem precem dicunt ..... oratione ter dicta, virtute jam pleni reponunt capitibus galeas, scuta tollunt.

Procedunt Imperatores ad colloquium: ferri non potuit Maximinus ad pacem; contemnebat enim Licinium ..... Ergo propius acceditur. Liciniani impetu facto adversarios invadunt .... Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis: nullo loco auditur, fit impetus in eum, & ad suos refugit. Cædebatur ejus acies impune, & tanta vis militum a paucis metebatur .... Jam strata erat ingens multitudo. Videt

Ib. c. 47. Maximinus aliter rem geri, quam putabat. Projicit purpuram, & sumpta veste servili fugit, ac fretum trajicit. At in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita, vel in fugam versa est. Maximinus Kalendis Majis, id est una nocte, & una die, Nicomediam pervenit, cum locus prælii abesset millia centum sexaginta, raptisque filiis & uxore & paucis ex palatio comitibus petivit Orientem; sed in Cappadocia collectis ex fuga, & ab

Lactant. cap. 48. *Licinius promulgat edictum pro Christianis.* Oriente militibus substitit .... Ita vestem resumpsit. Licinius accepta exercitus victi parte ac distributa trajecit exercitum in Bythiniam; & Nicomediam ingressus, gratias Deo, cujus auxilio vicerat, retulit: ac die Iduum Juniarum Constantino atque ipso ter Consulibus, anno Christi trecentesimo duodecimo constitutionem de restituenda Ecclesia, quam Mediolani cum Constantino dederat, proponi jussit. Sic ab eversa Ecclesia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minus quatuor.

XLIV. Sequenti autem Licinio cum exercitu

Lactant. cap. 49. *Maximini mors funesta.* Tyrannum, profugus ille concessit, & rursus Tauri montis angustias petit, qui munimentis ibidem ac turribus fabricatis iter obstruere conatus est. Inde dextrorsum perrumpentibus omnia victoribus, Tarsum postremo confugit. Ibi cum jam terra marique perterreretur, nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem quasi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingessit; sed prius cibo se infersit, ac vino ingurgitavit, & sic hausit venenum, cujus vis, referto stomacho, repercussa valere non potuit in præsens: sed in languorem malum versa pestilentiæ similem, ut diutius protracto spiritu cruciamenta sentiret. Jam sævire in eum cœperat virus, cujus vi cum præcordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est, adeo ut per dies quatuor insania percitus haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos graves cruciatus, cum caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum amisso visu Deum videre cœpit candidatis ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii, qui torqueri solent, & non se, sed alios fecisse dicebat. Deinde quasi tormentis adactus fatebatur, Christum subinde deprecans & plorans ut sui misereretur, sed inter gemitus, quos, tanquam cremaretur, edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit.

Lactant. cap. 50. Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps, nec radix ulla remaneret. Nam Licinius summa rerum potitus, Candidianum benefactoris sui filium Galerii, qui Nicomediæ ei occurrerat, & cum honore susceperat, necari jussit. Severi quoque filium Severianum jam ætate robustum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie secutus, tanquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententiæ subjectum interemit. Ipsum quoque Maximini filium agentem in annis octo, & filiam septennem, quæ desponsata fuerat Candidiano, extinxit; sed prius mater eorum in Orontem præcipitata est Antiochiæ. Ibi sæpe illa castas fœminas mergi jusserat. Sic omnes impii vero & justo judicio Dei eadem, quæ fecerant, receperunt. Valeria quoque Diocletiani filia, & conjux Galerii per varias provincias quindecim mensibus plebejo cultu pervagata, postremo apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre Prisca pœnas dedit. Ductæ igitur mulieres cum ingenti spectaculo & miseratione tanti casus ad supplicium, & amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Hæc de Christianorum persecutoribus scripsit Lactantius author coætaneus, qui Nicomediæ in Bythinia habitavit per totum illud tempus, quo persecutio in Oriente grassata est; & postea Crispum Constantini filium Latinis literis erudivit. CHRISTI AN. 312.

Eusebius refert Constitutionem a Maximino pro Christianis datam paucis ante obitum diebus. Tyrannus hic omnium persecutorum sævissimus in prima parte persecutionis crudelitatem transfert in Præsides, qui priorem ejus legem minus recte intellexerint. In secunda parte sic habet; " Igitur ut Euf. hist. l. 9. c. 10.
omnis in posterum suspicio, metus & ambiguitas adimatur, hoc edictum proponi statuimus, quo cuncti intelligant, iis, qui hanc sectam & religionem sequi volunt, ex hac indulgentia majestatis nostræ licere, prout cuique libitum & acceptum fuerit, ad eam religionem, cui ex more servire constituit, colendam accedere; sed & Dominica sua ipsis instaurare conceditur. Cæterum ut indulgentia nostra prolixior appareat, illud etiam sancire voluimus, ut si quæ domus aut loca ad jus Christianorum antehac pertinentia, ex jussione divorum parentum nostrorum ad jus fisci devoluta sint, aut ab aliqua civitate occupata, aut certe vendita, aut alicui dono data, cuncta ad pristinum jus ac dominium Christianorum revocentur, ut hac etiam in re pietatem & providentiam nostram cuncti possint agnoscere. " Hæc falsa nihil ei profuit pœnitentia.

Omnes denique provinciarum Rectores, qui præ Ib. c. 11.
reliquis, ut ei assentarentur, adversus religionem Christianam insolenter debacchati fuerant, jussu Licinii capite plectuntur. Ex quorum numero fuit Peucetius, sodalium omnium charissimus, quem ille iterum ac tertio Consulem, & Præfectum, & procuratorem summæ rei creaverat. Et Culcianus omnibus similiter magistratibus, provinciarum administrationibus perfunctus, qui & ipse innumeris Christianorum cædibus apud Ægyptum inclaruerat. Theotecnum quoque, & sacerdotes omnes illius novi simulacri, quod Antiochiæ consecraverat, postquam tormentis coegit fateri, qua ratione fraudem hanc concinnassent, interfici jussit Licinius, qui in bono proposito diu non stetit.

Ecclesiæ Florens status. Euf. hist. l. 10. c. 1. 2. & 3. XLV. Jam dies serenus ac liquidus, nulla amplius nube fuscatus, Ecclesias Christi toto Orbe diffusas cœlestis lucis splendore illustrabat ...... Christianis, qui spem omnem in Christo positam habent, incredibilis quædam inerat lætitia; & divina quædam hilaritas in omnium vultu emicabat, cum loca cuncta, quæ tyrannorum impietas paulo ante subruerat, tanquam ex diuturna & pestifera labe reviviscere viderent: templaque rursus a solo in immensam altitudinem erigi, & longe majore cultu ac splendore, quam illa quæ prius expugnata fuissent, nitescere .... Votivum ipsis ac desideratum spectaculum præbebat Dedicationum festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recens exstructorum consecrationes: ad hæc Episcoporum conventus, peregrinorum ab externis & procul dissitis regionibus concursus, populorum inter se mutua charitas & benevolentia, cum membra corporis Christi in unam compagem coalescerent ..... Una erat divini Spiritus virtus per universa commeans membra; eadem alacritas fidei: unus omnium concentus divinitatem hymnis celebrantium. Jam vero Antistitum absolutissimæ cæremoniæ, & accurata sacrificia sacerdotum, & divini quidam augustique Ecclesiæ ritus; hinc psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium, illinc divina & arcana obeuntium ministeria. Denique omnis ætas, & promiscua utriusque sexus multitudo, toto pectore precationibus, & gratiarum actionibus

Christi An. 312.

nibus incumbens, cum ſumma animorum lætitia Deum bonorum authorem venerabatur.

Ibid.

Sed & Eccleſiarum Antiſtites quotquot aderant, panegyricas habebant orationes; & quantum quiſque ingenio poterat, conventum laudibus extollere ſtudebant. Euſebius refert eam orationem, quam

Ib. c. 4.

coram plurimis Epiſcopis habuit in urbe Tyro: illius Epiſcopus erat Paulinus, cujus ſtudio templum erat extructum, omnium quæ in Phœnice ſunt, longe pulcherrimum. Hæc pauca tantum hic exſcribam, quæ ſingulari digna ſunt obſervatione.

Euſebii oratio.

" Quod nunquam antea contigerat, Summi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, ſibi conſcii, in mortuorum ſimulacrorum faciem conſpuunt, & profanos dæmonum ritus conculcant: unum vero ac ſolum Deum cum erga omnes, tum in ſeipſos maxime beneficum agnoſcunt, & Chriſtum Dei Filium univerſorum Regem eſſe profitentur, eum Servatorem in edictis ſuis prædicant, ejuſque res præclare geſtas & victorias de impiis partas in media Urbe, quæ omnium in toto Orbe civitatum Regina eſt, regalibus apicibus ad perpetuam poſteritatis memoriam perſcribunt. Adeo ut Servator noſter Jeſus Chriſtus, ſolus ex omnibus, qui ab omni ævo unquam extiterunt, ab ipſis Orbis terrarum ſummis Principibus, non ut Rex vulgaris ex hominibus factus prædicetur, ſed

Chriſti divinitas.

tanquam ſummi omnium Dei naturalis Filius, ac per ſe Deus adoretur, atque id jure merito. *Et infra*. Quid obſiſtere poterat nutui ac voluntati Verbi omnium Regis ac Principis, ac per ſe Dei? „ Hæc fidei de vera Chriſti divinitate prædicatio, quam decem annis ante Nicænum Concilium habuit Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, omnino Orthodoxa eſt, Anti-Trinitarioſque confondit.

XLVI. Admirabilem Tyrienſis templi ſtructuram

Ib. c. 4. *Templum Tyrienſe.*

ibidem ſic deſcribit Euſebius: Veteris & dirutæ Eccleſiæ locum omnium ſordium ac purgamentorum congerie infideles fraudulenter adobruerant. Paulinus eorum improbitati cedere non ſuſtinens, cum alio quæſito loco, laboris compendium facere, ſeque multis negotiis liberare poſſet: tamen primus ad opus ſeſe accingens, deinde totius populi animis incredibili alacritate confirmatis, atque ex omnibus una ingenti manu conflata, primum hoc certamen ſubiit, & locum repurgavit. Et multo ampliorem locum metatus, exteriorem ambitum muro undique communivit, qui totius operis tutiſſimum eſſet propugnaculum. Magnum deinde atque excelſum veſtibulum ad ipſos ſolis orientis radios extendit; iis, qui a ſacro loci ambitu longius remoti ſunt, conſpectum quemdam eorum, quæ intus reconduntur, abunde exhibens; & oculos eorum, qui a noſtra fide alieni ſunt, ad conſpicienda limina quodammodo invitans. Inter templum & veſtibulum maximo intervallo relicto, hoc ſpatium in quadrati ſpeciem circumſeptum quatuor obliquis porticibus circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Inter-columnia porro ipſa ſeptis e ligno reticulatis, in mediocrem & congruam altitudinem elatis circumcluſit. Medium autem ſpatium patens & apertum reliquit, ut & cœli aſpectum præberet, & aerem ſplendidum, ſoliſque radiis colluſtratum præſtaret. Hic ſacrarum expiationum ſigna poſuit, fontes ſcilicet ex adverſo Eccleſiæ ſtructos, qui interius ſacrarium ingreſſuris copioſos latices ad abluendum miniſtrarent. Atque hoc primum intrantium diverſorium eſt; iis vero, qui inſtitutione adhuc opus habent, ſeu Catechumenis, congruentem præbens manſionem.

Jam vero hoc ſpectaculum prætervectus, pluribus aliis interioribus veſtibulis aditus ad templum patentes effecit, rurſus ad ipſos ſolis orientis radios tribus ordine januis uno eodemque latere conſtructis. Quarum mediam duabus aliis utrimque poſitis, & altitudine, & latitudine plurimum præſtare voluit, eamdemque æreis tabulis ferro vinctis, & ſculpturis variis præcipue decoravit. Aditus per eam patebat ad primam templi interioris partem: aliæ duæ, cum parem veſtibulorum numerum diſpoſuiſſet, deducebant ad latera, ſeu ad porticus in utroque templi latere fabricatas. Diverſos etiam aditus, quibus copioſum lumen ſuperne in ædem infunderetur, ſupra ipſas porticus excogitavit, eaſque feneſtras variis e ligno ſculpturis minutiſſimi operis ornavit. Ipſam vero ædem regiam opulentioribus, magiſque pretioſis ſpeciebus inſtruxit. Contignatio fuit e lignis cedrinis, quæ ex monte Libano vicino facile tranſvehebantur... Sanctum Sanctorum, ſeu altare in medio conſtituit; utque hæc ſacraria multitudini inacceſſa eſſent, ea rurſus ligneis cancellis munivit, minutiſſimo opere ad ſummum artis faſtigium elaboratis, adeo ut mirabile intuentibus ſpectaculum exhiberent, throniſque altiſſimis in honorem præſidentium, ac præterea ſubſelliis per univerſum templum ordine diſpoſitis illud exornavit. Laicis autem ante vel poſt divinum officium ſedere licebat, non

Optat. lib. 4. Athan. epiſt. ad Solit.

autem dum celebrabatur. Solum ipſum marmore mirum in modum erat exornatum. Exterius exhedræ & oeci ampliſſimi utrimque ſumma cum peritia fabricati videbantur, qui ſibi invicem ad latera ipſius baſilicæ conjunguntur, portiſque, quibus in medium templum intratur, connexi ſunt. Porro per oecos & exhedras intelligit Euſebius baptiſterium, ſecretarium, ſalutatorium, quæ conjuncta erant baſilicæ.

Aliarum partium interiorum ſtructuram non deſcribit Euſebius. Hinc ſuſpicor ea tantum attigiſſe,

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 57.

quæ priori templo adjecta ſunt, vel exornata magnificentius. Hic omiſſa quædam ſic ſupplent conſtitutiones, quæ dicuntur Apoſtolicæ. Ac primum quidem ſit ædes oblonga, Orientem verſus navi ſimilis, utrimque Paſtophoria in Orientem. Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum, & ex utroque latere ſedeant presbyteri, & adſtent diaconi ſuccincti & expediti, ſine multa veſte; ſunt enim ſimiles nautis illis, qui per foros navis curſitant. Sit autem horum cura, ut laici in altera parte, ordine & decore & quiete ſedeant: item ut ſedeant mulieres ſeparatim, ac cum ſilentio; in medio autem lector ex loco edito legat: Janitores ſtent ad introitum virorum, cuſtodiendi cauſa; diaconiſſæ vero

Microl. cap. 9. Chryſ. in Matt. 74.

ad mulierum. Diaconus legens Evangelium, in ambone vertatur ad meridiem, ubi maſculi conveniunt, non ad Aquilonem, ubi fœminæ conſiſtunt. Oportet quidem vos, inquit D. Chryſoſtomus, interiore pariete ſeparari. Verum quoniam non vultis, neceſſarium Patres noſtri putaverunt, ſaltem his ligneis parietibus vos ſeparare. Audivi autem ego a ſenioribus non fuiſſe hos parietes ab initio: In Chriſto enim Jeſu non eſt mas neque fœmina. Apoſtolorum tempore una viri & mulieres orabant. Gnoſticos, qui ſacros conventus ſuis libidinibus polluebant, huic ſapienti œconomiæ occaſionem dediſſe facile putaverim. Tabulatum ergo ſeu murus intermedius, virorum ſtationem ab illa fœminarum dirimens, pertingebat a primis Eccleſiæ foribus ad uſque ambonem & ſanctuarium. Ex his facile intelligere eſt, quæ prioribus ſæculis fuerit forma baſilicarum.

Euſeb. de vit. Conſt. l. 1. c. 41. & 42.

XLVII. Eccleſiarum inſtaurationem & amplificationem modis omnibus adjuvat Imperator. Illius literæ ubique propoſitæ legebantur, quibus ii, qui bonis ſuis ſpoliati fuiſſent, eorum poſſeſſionem beneficio Principis recuperabant; & qui injuſte relegati eſſent, penatibus ſuis reſtituebantur. Vinculis quoque & omni periculo ac metu liberabantur ii qui per tyrannicam crudelitatem iis vexati fuiſſent. Imperator miniſtros Dei a ſe convocatos omni obſequio atque honore proſequebatur; eos utpote Deo, quem colebat, conſecratos, non verbis modo, verum etiam factis humaniter excipiens. Proinde menſæ ipſius adhibebantur homines externo quidem habitu & veſtitu deſpicabiles, ſed quos ille minime deſpicabiles judicabat, quippe qui non externam hominis ſpeciem, quæ oculis ſubjecta eſt, ſed Deum ipſum introſpiceret. Ad hæc, quocunque iter faceret, eos ſecum deducebat; Deum, quem illi colerent, ob id etiam propitium ſibi adfore pro certo habens. Quin etiam Eccleſiis Dei plurima ex theſauris ſuis beneficia ſubminiſtravit, partim ſacras ædes amplificans & in ſublime erigens, partim auguſta Eccleſiarum ſacraria plurimis donariis exornans.

Euſ. hiſt. l. 10. c. 6. *Conſtantini liberalitas erga Eccleſias.*

Illius liberalitatem teſtantur literæ, quas dedit ad Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem. " Quandoquidem, inquit, placuit nobis ut per omnes provincias Africæ, Numidiæ, & utriuſque Mauritaniæ certis quibuſdam legitimæ & ſanctiſſimæ religionis Catholicæ miniſtris ad ſumptus neceſſarios aliquid præberetur; literas dedi ad Urſum virum perfectiſſimum rationalem Africæ, eique ſignificavi

CHRISTI AN. 312.

ut ter mille folles, seu trecenta librarum millia, gravitati tuæ numerari curaret. Tu itaque, ubi prædictam quantitatem acceperis, operam dabis, ut cunctis supra memoratis juxta brevem ab Osio ad te directum ea pecunia dividatur. Quod si forte ad meum erga vos omnes in hac parte studium explendum deesse aliquid intellexeritis, incunctanter quidquid necessarium tibi videbitur, ab Heraclida procuratore prædiorum nostrorum petere debes: nam & ipsi coram mandavi, ut si quid pecuniæ gravitas tua ab ipso postularet, absque ulla dubitatione dinumerandum tibi curaret. Et quoniam accepi quosdam non satis compositæ mentis homines id agere, ut sanctissimæ & Catholicæ Ecclesiæ populum improba atque adulterina falsitate corrumpant, (loquitur de Donatistis) scias me Anulino Proconsuli, & Patricio Vicario Præfectorum coram hæc dedisse mandata, ut inter cætera hujus rei competentem curam gerant; nec si quid ejusmodi agatur, negligere ac dissimulare sustineant. Itaque si quos hujusmodi homines in hac amentia perseverare conspexeris, absque ulla hæsitatione supradictos Judices adibis, idque ipsis referes, ut in eos, quemadmodum ipsis coram mandavi, animadvertant. Divinitas summi Dei multis annis te servet. „

Ib. 7. *Constantinus clericis concedit immunitates.*

XLVIII. Idem Imperator ad Anulinum de clericorum immunitate scribens, eos tantum a publicis functionibus eximit, qui in Ecclesia Catholica ministrant. Illius Epistolæ exemplum hic referre juvat. " Cum ex multis rebus constet, religionem illam, in qua summa divinæ majestatis reverentia custoditur, spretam quidem, maxima Reipublicæ importasse discrimina, eamdem vero rite susceptam ac custoditam, & nomini Romano maximam prosperitatem, & cunctis mortalium rebus, divina id tribuente munificentia, præcipuam felicitatem contulisse, placuit, ut homines illi, qui cum debita sanctimonia, & assiduа hujus legis observantia, ministerium suum divinæ religionis cultui exhibent, laborum suorum mercedem reportent. Quocirca eos homines, qui intra provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica, cui Cæcilianus præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos clericos vocare consueverunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego a cultu summæ divinitati debito abstrahantur, sed ut potius absque ulla inquietudine propriæ legi deserviant. " De tributis nihil dicit: Agri Ecclesiæ solvunt tributum, solvimus; post sexaginta annos scribebat Ambrosius.

Ambr. Epist. 32.

Aug. in Epist 88. olim 68.

XLIX. Acceptis his literis, Anulinus Cæcilianum & clericos Carthaginensis Ecclesiæ accersivit, perlectoque ipsis Imperiali præcepto, eos hortatus est, ut, unitate omnium consensu facta, immunitate sibi concessa fruerentur. Verum post paucos dies quidam ex adversariis Cæciliani, adjuncta sibi populi multitudine, Proconsulem adeunt, eique offerunt duos libellos, orantque ut transmittat Imperatori: unus in aluta subscriptus sic erat: Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus a parte Majorini. Item alius sine sigillo, cohærens eidem alutæ, datus die decimo septimo Kalendas Majas, Carthagine, Domino nostro Constantino Augusto, tertium Consule, ac proinde anno Christi trecentesimo duodecimo: libellos sibi oblatos simul cum prædicta relatione ad Imperatorem, ut cuncta posset dignoscere, misit Anulinus. Cæcilianum interim in suo statu reliquit. Libellus alutæ annexus ista continebat. " Rogamus te, o Constantine optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua. „ Datæ a Luciano, Digno, Nasotio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati. Quibus lectis, Constantinus, qui tum erat in Gallia, respondit: Petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium exspectem. Et tamen dati sunt Judices, Maternus Agrippinensis, seu Coloniensis, Reticius Augustodunensis, Marinus Arelatensis. His tribus Gallis adjuncti sunt alii quindecim Itali, qui cum Melchiade Romano Episcopo Romæ rem judicarent. Ergo scripsit in hunc modum: " Constantinus Augustus Miltiadi Episcopo urbis Romæ, & Marco. Quoniam hujusmodi plures libelli a viro clarissimo Anulino Africæ Proconsule ad me sunt missi, in quibus continetur Cæcilianum Carthaginensium urbis Episcopum a quibusdam collegis suis per Africam constitutis, multis de causis insimulari; quod quidem permolestum mihi videtur in istis provinciis, quas divina providentia meæ devotioni spontanea deditione tradidit, & in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, & Episcopos inter se dissentire. Placuit mihi, ut idem Cæcilianus una cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum decem aliis, quos ipse ad suam causam necessarios esse judicaverit, Romam naviget, ut ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino collegis vestris, quos ea causa Romam properare jussi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ Legi convenire optime nostis. Porro ut totius negotii plenissimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me missorum literis meis subjecta ad collegas vestros supradictos transmisi. Quibus lectis, perpendet gravitas vestra, quonam modo supra memorata controversia accuratissime dijudicanda sit, & ex præscripto justitiæ terminanda; siquidem nec tuam sedulitatem latet, tantam a me reverentiam sanctissimæ Ecclesiæ Catholicæ exhiberi, ut generaliter nullum schisma aut dissidium ullibi a vobis relinqui velim. „

Optat. L.1. c.xx. *Donatistæ Judices postulant adversus Cæcilian.*

Ib. c. 23.

CHRISTI AN. 312.

Eus. hist. L.10. c.5.

Anulinus juxta mandatum Imperatoris Cæciliano & adversariis ejus præcepit, ut deni ex utraque parte Romam proficiscerentur. Quod cum illi se facturos promisissent, ea de re certiorem Principem fecit. Convenerunt omnes in domum Faustæ, scilicet Imperatricis, in Laterano, sexto nonas Octobris, anno trecentesimo duodecimo, sexta feria. Cum consedissent Melchiades, & post eum tres Episcopi Gallicani, deinde quindecim Itali, quorum primus erat Merocles Mediolanensis, Cæciliani causa per triduum acta est, assistentibus Notariis, qui acta conficerent. Primo die quæsierunt Judices, quinam essent accusatores & testes adversus Cæcilianum? cumque Episcopi partis Majorini proferrent libellum criminum Cæciliani, qui oblatus fuerat Carthagine a plebe partis Majorini, & contenderent Cæcilianum ab universa plebe Carthaginensi accusatum fuisse, Judices hujus accusationis, quæ tumultuosis solum clamoribus, nulla documentorum attestatione, nulla testium fide nitebatur, nullam rationem habendam esse censuerunt; requisieruntque ab iis, ut certos testes accusatores inducerent. Post hæc Cæcilianus Donatum a casis nigris accusavit, quod, superstite Mensurio Carthaginensi Episcopo, schisma primum fecisset Carthagine; quod rebaptizasset; quod Episcopis lapsis manum denuo imposuisset. Denique questus est, quod Donatus & collegæ ejus subtraxissent accusatores vel testes, qui simul cum ipsis ex Africa venerant, ut adversus Cæcilianum testimonium dicerent. Et Donatus quidem se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse confessus est. Eos autem, quos huic causæ necessarios subtraxisse arguebatur, se exhibiturum esse promisit. Quod cum semel atque iterum promisisset, deinceps ad illud judicium accedere noluit, veritus scilicet, ne, post tantorum criminum confessionem, ipse a judicibus damnaretur.

Aug. col. 3. Carth. cap. 318. Brev. collat. die 3. cap. 12. Optat. L.1. c.23. *Concil. Rom. in causa Cæciliani.*

Altero die datus est a quibusdam denuntiationis libellus adversus Cæcilianum: quod cum factum fuisset, rursus agitata est cognitio tam de personis quæ libellum dederant, quam de criminibus quæ in eo continebantur. Nihil tamen probari potuit adversus Cæcilianum. Tertio die actum est de Concilio Carthaginensi septuaginta Episcoporum, qui Cæcilianum & ordinatores ejus damnaverant; cujus Concilii authoritate adversarii Cæciliani maxime nitebantur. Sed Melchiades, & reliqui, qui in ejus Concilio erant Episcopi, nullam Carthaginensis illius Concilii rationem habendam esse duxerunt; quippe quo Cæcilianus absens & inauditus cum collegis damnatus fuisset. Causas porro cur ad illud Carthaginense judicium venire noluisset Cæcilianus valde probabiles afferebat. Nam Episcopos ab adversariis suis accitos esse Carthaginem, & apud eosdem diversatos, cumque iis capita conferre

Ibid.

ferre

CHRISTI AN. 312.

ferre probe norat, minasque Purpurii Limatensis Episcopi cognitas habebat. Proinde mirum non est, si semetipsum eorum furori committere noluit, quos in perniciem suam collectos videbat. Hic non se defendit, quod cum Primas esset, inferiorum judicio subjici non deberet. Nam, ut multis constabat exemplis, etiam Patriarchæ non detrectavere judicium Synodi, etiam provincialis.

Totam igitur causam de integro agitandam sibi remansisse Judices prospiciebant, de traditione scilicet Felicis Aptungitani, & aliorum, qui Cæcilianum ordinaverant. Verum hæc quæstio in immensum porrigi, & nexus quosdam inexplicabiles habere videbatur. Deinde traditionis crimen Cæcilianus retorquebat in adversarios, qui in Cirtensi Concilio illud confessi sibi mutuo indulsissent. Postremo superflua hæc quæstio videbatur; nam & si Felix fuisset reus, non idcirco vitiosa erat Cæciliani ordinatio, cum constet Episcopum quamdiu locum suum retinet, nec Ecclesiastico judicio damnatus est, ordinationem legitimam posse celebrare. Quare Episcopi, qui cum Melchiade sedebant, merito ab illa quæstione sibi temperandum esse existimarunt, ne, si eam discuterent, novas potius in Africana Ecclesia turbas excitarent, quam jurgia ad judicium suum delata componerent. Itaque hoc temperamentum adhibuere. Cæcilianus omnium sententiis innocens est pronuntiatus nonis Octobris, etiam Melchiadis sententia, quia judicium clausum est hisce verbis: Cum constiterit Cæcilianum ab iis qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo. His verbis ejus ordinationem confirmavit. Episcopos vero, qui Cæcilianum in Carthaginensi Concilio damnaverant, & qui ad eum accusandum venerant, a communione sua minime removet. Solus Donatus a casis nigris, utpote totius mali author, post gravissimorum criminum confessionem, ultima Miltiadis sententia percussus est. Sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias literas mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret. Ita ut quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet qui fuisset ordinatus prior; alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur; quod quidem insigne est exemplum dispensationis Ecclesiasticæ.

Optat. l. 1. c. 25. Cæcilianus absolvitur.

Aug. ep. 43. olim 162. c. 5.

His peractis Melchiades, & reliqui Episcopi quæcunque in Concilio gesta fuerant, una cum actis ipsius ad Imperatorem direxerunt, verbo etiam affirmantes, quod judicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum. E contra Cæciliani adversarii post reditum in Africam hoc Melchiadis judicium totis viribus infirmare voluerunt; quem ideo crimine traditionis asperserunt, dixeruntque Stratonem diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca Ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem: quam infamiam ad ipsum Melchiadem redundare contendebant, quod diacono illo, non degradato, uteretur. Melchiades vero paulo post moritur, cum sedisset annis tribus; Sylvester in Episcopatu ei successit, anno Christi trecentesimo duodecimo, vel initio sequentis. Eodem tempore Donatus petiit ut ei reverti licuisset, & nec ad Carthaginem accederet. Tunc a Filumino suffragatore ejus Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur, & factum est. Tunc duo Episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius, & Olympius; venerunt, & apud Carthaginem fuerunt per dies 40., ut pronuntiarent ubi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est: de studio partium strepitus quotidie sunt habiti: novissima sententia eorumdem Episcoporum talis legitur; ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in toto Orbe terrarum diffusa; & sententiam decem & novem Episcoporum jam dudum datam dissolvi non posse; sic communicarunt clero Cæciliani, & reversi sunt. Dum hæc fierent, Donatus ultro prior ad Carthaginem redit. Hoc audito, Cæcilianus ad suam plebem properavit: hoc modo iterum renovatæ sunt partes.

Const. ep. ad Elaf. Donatistæ non acquiescunt judicio.

August. brev. col. die 3. cap. 18.

Optat. l. 1. c. 26.

Const. epist. ad Elaf. concil. tom. 2.

L. Itaque Donatianæ factionis homines in pervicacia sua permanentes, novos etiam tumultus per Africam concitare cœperunt, & " ex iis nonnulli Imperatorem adire ausi sunt, affirmantes, quod minus dignus Cæcilianus cultu sanctissimæ religionis habeatur. Quibus cum respondisses Imperator: frustra id eos jactare, cum res fuissent apud urbem Romam ab idoneis, & probatissimis viris Episcopis terminatæ, obnixe, & pertinaciter responderunt: quod non omnis eorum causa fuisset audita, sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout aptum ipsis fuerat, judicassent. " Hanc autem causam prætendebant, quia de Felice Aptungitano, quem traditionis accusabant, nihil fuerat in Romano Concilio pronuntiatum, & purgandus adhuc remanserat ordinator Cæciliani. His permotus Constantinus; ut dissensionibus finem imponeret, scripsit ad Verum Vicarium Africæ, ut de vita Felicis Aptungitani, & de crimine traditionis, cujus insimulabatur, publice inquireretur. Cum autem Verus incommoda valetudine teneretur, Ælianus Proconsul quæstionem habuit loco Vicarii.

CHRISTI AN. 313.

Donatistæ novum judicium petunt.

Acta purg. Felic. Aptung.

Hæc inquisitio facta est decimo quinto Kalendas Martias, quatuor mensibus post Synodum Romanam, ac proinde anno Christi trecentesimo decimo tertio. Inducti sunt Claudius Saturianus curator Reipublicæ, Callidius Gratianus, & magistratus, seu decemvir Alfius Cæcilianus, sed & Superius miles stationarius a cohorte officialium Præsidis, & Ingentius scriba publicus. Is pependit sub metu imminentium tormentorum, quia corruptus a Donatistis epistolæ Alfii Cæciliani ad Felicem multa addiderat, ut constat ex actis publicis, in quibus, nonnullis præmissis, hæc leguntur: Agesilaus dixit: Sunt & aliæ epistolæ huic rei necessariæ, interest ut legantur. Ælianus Proconsul dixit: Lega Cæciliano audiente, ut agnoscat an ipse dictaverit. Agesilaus recitavit Donatistarum libellum supplicem adversus Felicem: postulabant ut illius sceleris testes literæ ab Alfio Cæciliano conscriptæ legerentur. Hic interrogatus respondit: Zamæ eram ...... miserunt ad me in prætorio ipsi Christiani, ut dicerent: Sacrum præceptum ad te pervenit? Ego dixi: Non, sed vidi jam exempla, & Zamæ, & Fornis dirui basilicas, & uri scripturas vidi. Itaque proferte si quas scripturas habeatis..... Tunc mittunt in domum Episcopi Felicis, ut tollerent inde scripturas, ut exuri possent secundum sacrum præceptum. Sic Galatius nobiscum perrexit ad locum, ubi orationes celebrare consueti fuerant. Inde cathedram tulimus, & epistolas salutatorias; & ostia omnia combusta sunt...... & cum ad domum ejusdem Felicis mitteremus, renuntiaverunt Officiales publici illum absentem esse. Postea Augentio, cum quo Ædilitatem administravi, dictavi epistolam, quam feci ad Felicem Episcopum. Maximus dixit: Epistola ei offeratur, ut eam recognoscat. Respondit: Ipsa est. Maximus dixit: Quoniam recognovit epistolam suam, hanc lego, & ora, plena actis inferatur; & recitavit integram, & desinebat in his verbis: Opto te parens charissime bene valere. Hoc additamentum falsarii manu sequebatur. Hoc signum, quod ad me deprecatorium miserant Christiani, & ipse cujus est Prætorium, & dixisti: Tolle clavem, & quos inveneris in cathedra libros, & super lapide codices, tolle illos, sed vide, Officiales ne tollant oleum, & triticum; Et ego dixi tibi: Tu nescis, quia ubi scripturæ inveniuntur, ipsa domus diruitur; Et tu dixisti: Quid ergo facimus? Et dixi ego vobis: Tollat aliquis de vestris in area, ubi orationes facitis, & illic ponantur, & ego venio cum Officialibus, & tollo. Et nos illo venimus, & omnia tulimus secundum sacrum præceptum.

Baluz. tom. 2. Miscel. Aug. post collat. cap. 33. & epist. 152. Optat. l. 1. c. 27.

Acta purgat. supr.

Cæcilianus dixit: Domine, usque ad hoc dictavi, usque quo habet: *Opto te parens charissime bene valere*. Apronianus dixit: Semper sic falsum per terrorem, per scenam, per irreligiosam mentem actum est ab his, qui Catholicæ Ecclesiæ consentire noluerunt...... qua de re igitur de Ingentio quærendum est, quatenus hæc machinata sint ac fabricata, & quatenus voluerit circumscribere magistrum ad mendacium, ut Felicem aspergeret infamia...... Ælianus Proconsul Ingentio tergiversanti dixit: Revinceris alio titulo, & dixit ad officium: Apta illum; cumque aptaretur, Ælianus dixit: Suspendatur. Tunc iterum recitatæ sunt Cæciliani literæ...... Cæcilianus rursus dixit: Huc usque est epistola mea, bene vale parens charissime, reliquum est falsum.

CHRISTI AN. 313.

Ælianus dixit: Quem diris addidisse ad apistolam? Cæcilianus dixit. Ingentium. Ælianus dixit: Professio tua actis hæret, & dixit Ingentio, torqueris, ne mentiaris. Ingentius dixit: Erravi, huic epistolæ ego addidi, dolens causa Mauri hospitis mei; hic Uticæ urbis Episcopus fuit, & traditor ...... Ælianus Proconsul dixit: Constat ergo falsatam esse epistolam...... Cæcilianus respondit: Constat Domine, non mentior in sanguine meo, Ælianus Proconsul dixit: Cum decemviratum egeris in patria tua, oportet & fidem verbis tuis habere. Cæterum, & actis addiderunt quod voluerunt. Jam artificium est illis. Ælianus Proconsul dixit: ex professione Cæciliani, qui acta falsata esse dixit, atque epistolæ plurima addita manifestum est qua voluntate hæc gesserit Ingentius; & ideo recipiatur in carcerem, est enim arctiori interrogationi necessarius. Felicem autem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum Deificorum manifestum est; cum nemo aliquid in eum probare potuerit, quod religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit; omnium enim interrogatio subscripta manifestata est, nullas scripturas Deificas vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur, quod Felix Episcopus religiosus illis temporibus neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri jusserit.

Optat. l. 1. c. 28.

Ælianus hæc acta transmisit ad Constantinum, qui curam omnem adhibens, ut pax in Ecclesia constitueretur, Donatistis dedit aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, inquit Augustinus, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohiberi. Licet ergo permitteremus, quod quidam volunt, a Melchiadis Pontificis sententia provocasse Donatistas; ejusmodi appellatio probaret tantum eorum audaciam, cui cessit Imperator, acquievit Romanus Pontifex, uterque studio pacis, in causa facti personalis. Constantinus igitur sic scripsit Elafio, seu potius Æliano Proconsuli. " Cum ditionis tuæ scripta legissem, quæ ad Nirasium, & cæteros super iisdem simulationibus gravitas tua mittenda crediderat, evidenter agnovi, quod neque respectum salutis suæ, neque, quod est majus, Dei Omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere, siquidem ea agere persistant, quæ non modo ad ipsorum dedecus infamiamque pertineant, sed etiam his hominibus detrahendi dent facilitatem, qui longe ab ejus sanctissima observantia sensus suos noscuntur avertere. „ Tum exagitat invictam Donatistarum obstinaciam, iisque subjicit. " Quare cum hæc tot, & tanta nimium obnixas dissensiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis iisdem dari posse videretur, nisi Cæcilianus idem, & ex his, qui contra eum dissident, tres aliqui ...., ad Arelatense oppidum venerint, injungendum solertiæ tuæ duxi, ut mox has literas meas acceperis, & Cæcilianum supradictum cum aliquibus ex his quos ipse delegerit, sed & de Byzatenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum provinciis singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos; sed etiam aliquos, qui contra eundem Cæcilianum dissentiunt, data evectione publica, per Africam, Mauritaniam, inde ad Hispaniam brevi tractu facias navigare, & inde nihilominus his in singulis Episcopis singulas tractatorias tribuas, ut ipsi ad supradictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint pervenire. Tractatoriæ vero dicebantur quædam diplomata concessa missis vel evocatis a Principe, quorum numerus designabatur, cursu publico vehebantur, adscriptis etiam stativis seu mansionibus, in quibus alebantur sumptibus publicis.

Aug. ep. 43. olim 162.

Epist. Const. ad Ælian, tom. 1. Concil.

Imperator quoque dedit encyclicam ad Episcopos, quos ex omnibus Occidentis provinciis sibi subditis evocabat ad Concilium. Illius exemplum ad Chrestum Syracusanum conforme cæteris sic refert Eusebius: " Quoniam igitur plurimos ex diversis ac prope infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra Kalendas Augusti jussimus convenire, tibi quoque scribendum censuimus, ut, accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano correctore Siciliæ, adjunctis sibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis, qui in itinere ministrare vobis possint, intra eamdem diem ad prædictum locum occurras. Quo tum per tuam gravitatem, tum per cæterorum in unum coeuntium unanimem concordemque solertiam controversia hæc, quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus eorum qui nunc inter se dissident, quos etiam adesse jussimus, allegationibus, ad congruam religionis, & fidei observantiam, fraternamque concordiam tandem aliquando possit revocari. „ Invitatum quoque Sylvestrum Papam docet Synodica ipsiusmet Concilii epistola; ipsiusque nomine ei interfuisse quatuor legatos, scilicet Claudianum, & Vitum presbyteros, & duos diaconos Eugenium, & Cyriacum.

Eus. hist. l. 10. c. 5.

CHRISTI AN. 313.

LI. Congregati sunt Episcopi in civitate Arelate Kalendis Augusti anno Christi trecentesimo decimo tertio. Causam Cæciliani rursus examinarunt. Accusatores ei duo criminum genera objecerunt: *Primo*: quod cum esset adhuc diaconus, jussu Mensurii Carthaginensis Episcopi ad limina carceris publici, in quo martyres vincti erant, cum loris, & flagellis, & armatorum multitudine stans, alimenta martyribus afferri prohibuisset. *Secundo*: quod a traditoribus sacrorum voluminum ordinatus fuisset Episcopus. Verum, ut ait Concilium in epistola Synodica, cum nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret, innocens ab eorum calumniis pronuntiatur Cæcilianus. Ipsi vero Donatistæ, Judice Deo, & matre Ecclesia, quæ suos novit, & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi. Indultum tamen eorum clericis, qui redirent ad unitatem, ut in gradu suo manerent. Et circa Episcopos idem statutum ac in Concilio Romano.

Synodus Arelat. damnat Donatistas.

August. brev. collat. 3. Epist. Syn. Arelat. Conc. tom. 1. Concil. Ibid. Can. Concil. Arelat. tom. 1. Concil. Can. 13.

His peractis, visum ipsis condere quosdam canones præsenti rerum statui accommodatos: edidere viginti duos, quorum duo sunt qui ad præsentem causam maxime pertinent. Tertius decimus de his, qui sacras Scripturas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica, vel nomina Fratrum suorum. " Placuit nobis, ut quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine clerici amoveatur. Nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, & de his quos ordinaverint, ratio subsistit, non illis obsit ordinatio. Et quoniam multi sunt, qui contra ecclesiasticam regulam pugnare videntur, & per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, omnino non admittantur, nisi, ut supra diximus, actis publicis docuerint. „ Alter canon, qui causam Afrorum spectat, est octavus, de baptismo hæreticorum, cujus hæc sunt verba. " De Afris, quod propria lege sua utantur ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si perviderint eum, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit Trinitatem, baptizetur. „ Is canon non est tantum adversus Donatistas, sed contra veterem consuetudinem per Agrippinum inductam de rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptizati fuerant, cum ad Ecclesiam veniebant; quam Concilium hoc canone temperavit, eamque restringit ad eos hæreticos, qui fidem Trinitatis abnegantes, in ea non baptizabant.

Can. 8.

Quo ad reliquos canones, eos tantum referemus, qui graviora sine momenti; aliorum titulos indicabimus: *primus* jubet, ut uno die, & tempore Pascha celebretur. *Secundus*, ut ubi quisque ordinatur, ibi permaneat. *Quintus* de theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, a communione separari. *Decimus*: " de his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut, in quantum possit, consilium eis detur, ut, viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant. Patres dicunt dandum esse consilium, ne magistratus offenderent; civiles enim leges his concedebant secundas nuptias; quas fidelibus, vivente priore conjuge licet adultera, interdictas esse satis declarant hisce verbis: Et prohibentur nubere.

Ibid. Can. 1. 2. 5. 10.

Arelatenses Patres, priusquam discederent, Synodicam epistolam ad Sylvestrum scripsere, qua ipsum eorum quæ gesserant certiorem faciunt; & simul canones a se conditos ipsi transmittunt, ut per eum cæteris Ecclesiis innotescerent. In superscriptione præfert nomina triginta trium Episcoporum: sexdecim erant Galli: in iis Marinus, & Rheticius, & Ma-

Can. 12.

CHRISTI AN. 313.

& Maternus, qui Synodo Romanæ jam intersuerant. Marinum Arelatensem huic Synodo præfuisse aliqui opinantur, eo quod ejus nomen primum legatur; sed non advertunt Romani Pontificis legatos non subscripsisse huic epistolæ. Undecim Africani Episcopi cum illis triginta tribus actis subscripsere. Alii ducentos Episcopos Arelate convenisse suspicantur ea eo corrupto Augustini loco: Usque adeo dementes sunt, (scilicet Donatistæ) ut ducentos Judices, apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos. Sed genuinus Augustini textus in postrema editione restitutus ex veteri codice Vaticano, sic habet: Usque adeo dementes sunt homines, ut contra Judicea, apud quos victis litigatoribus credant. Hanc veram esse lectionem ea eo patet, quod D. Augustinus ibi loquatur de Romano Concilio, quod novemdecim tantum Episcoporum haud dubie fuit.

Aug. l. 1. contra Parm. cap. 5.

Scripserunt etiam ad Constantinum Imperatorem, datumque inter partes judicium, & obstinatam damnatorum pervicaciam ei significarunt. Equidem post authoritatem judicii Episcopalis, multi ea parte Donati, damnata pristina dissensione, cum Cæciliano in concordiam redierant. Quidam vero pertinacissimi ac litigiosissimi ab Episcopali sententia ad Imperatorem provocaverunt. Quorum appellationem detestatus Constantinus, eorum audaciam sic perstringit, rescribens ad Episcopos. " Quoties jam a me ipso improbis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant; qui ipse judicium Christi exspecto. Dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia, ut vere dixi, diaboli? Perquirunt sæcularia, relinquentes cœlestia. O tabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt . . . . . Equidem, Fratres charissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui Domini Salvatoris sequimini viam, patientiam adhibete, data his adhuc optione, quid putent deligendum; ac si eos in iisdem videritis perseverare, protinus cum his, quos Dominus dignos cultu suo judicavit, proficiscimini, & redite ad proprias sedes, meique mementote, ut mei Salvator noster semper misereatur. Cæterum direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, ut ubi degant, ibi sibi mortem pervideant. Dedi quoque literas competentes ad eum qui Vicariam præfecturam per Africam tuetur, ut quotquot hujus insaniæ similes invenerit, statim eos ad comitatum meum dirigat, ne ulterius sub tanta claritate Dei nostri ea ab ipsis fiant, quæ maximam iracundiam cœlestis providentiæ possint incitare. „ Reipsa Donatistæ pertinaciores ad comitatum ducti sunt. Reliquis ad suas sedes redeuntibus concessit annonam. Qui religionis causas ad magistratus civiles pertinere putant, atque ad eos a judiciis Ecclesiasticis provocare licitum esse, Constantinique exemplo suam opinionem tuentur, hac ejus epistola revincuntur: perspicue in ea profitetur, ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet: eorum cœleste judicium nonnisi perversissime per appellationem infirmandum deferri sæcularibus.

Ibid. August. epist. 88. olim 68.

Epist. Const. ad Episc. Concil. Arelat. tom. 1. Concil.

LII. Dum schisma persecutioni in Africa succedit, doctorum scriptis, sanctorum institutis, & celebratione Synodorum in Oriente floret religio. Eusebius Pamphili, tunc presbyter Ecclesiæ Cæsareæ Palæstinæ, & postea Episcopus, vir fuit incredibilis eruditionis, atque in Scripturis divinis studiosissimus; dictionem quidem quod attinet, nec jucundus, nec splendidus. Circa hæc tempora insignes de demonstratione & de præparatione Evangelica libros elucubravit. Hebræorum doctrina de unico Deo rerum omnium creatore colendo, quantum præcellat Philosophiæ & institutis gentilium, evidenter probat in quindecim libris de præparatione Evangelica, quos scripsit ad Theodotum Episcopum: atque ex his concludit Christianos ea omnibus nationibus conscriptos non inconsideratæ cujusdam ac temerariæ fidei, sed consilii utilitatisque plenis rationibus, quæ veræ pietatis formam & institutum complectantur, semetipsos addixisse, atque a patria superstitione descivisse ad Christianismum.

Eusebii libri de demonstratione & præp. evangelica.

Hier. de script. Eccl. Photii bibl. c. 13.

Euseb. præp. Evang. l. 1. c. 5.

" Evangelicæ, inquit, demonstrationis vis illa divina clarius elucescet, si oculis omnes usurpare potuerint, quorum tandem, & cujusmodi malorum ea medicinam feliciter annuntiet . . . . Itaque vetustissimas, adeoque illas ipsas, quas a majoribus accepimus de deorum natura sententias . . . . . unaque pergraves illas egregiorum Philosophorum de mundi ac deorum ipsorum origine disputationes ante omnia complectemur: sic enim intelligemus, jure ne, an secus ab iisdem recesserimus. Verbis autem meis non utar, ut ista proferam, sed illorum, qui quos ipsi deos vocant, eorum cultum singulari ac præcipua contentione studioque defenderunt, ut ab omni fingendi calumniandique suspicione nostra hæc disputatio vindicetur. „

Totius operis œconomiam & partitionem sic exponit in proœmio libri decimi quinti. " Cum ingens operæ pretium me facturum putarem, si deorum multitudinem, quam communis ille populorum error invexerat, in ipso Evangelicæ præparationis limine coarguerem, non eas modo fabulas, quas eorum Theologi ac Poetæ suis de Numinibus docuerunt, verum etiam honestiores illas, planeque reconditas, quæ ex natura ducuntur, explicandi rationes, ante omnia primis tribus libris diligenter excussi. Atque id sane diligenter imprimis observandum, quos illi vetustissimos omnium Theologos habuerunt, eos, præter nudam rerum historiam, agnovisse nihil, solis inhæsisse fabulis. Deinde quæ ad decantata ipsorum oracula pertinebant, simulque celebratam a plurimis illam quidem, sed tamen vanam fati opinionem, perspicuis aliorum trium librorum argumentis confutatam nudavi; non domesticis modo rationibus, sed etiam Græcorum Philosophorum testimoniis eum in finem usus „ quibus etiam probat omnia oracula præter duo jam ætate sua conticuisse. Tum ad Hebræorum inde literas ac monimenta progressus: " Universam gentis, inquit, historiam complexi sumus. Deinceps patefactis Græcorum moribus, cum eos a barbaris hominibus omnia mutuatos esse ostendissem, Græcanicæ Philosophiæ Principes cum Hebræorum doctrina consentire allatis eorum testibus comprobavi. Quin etiam quotquot apud Græcos Philosophi diversam a nostra opinionem secuti sunt, eos non a nobis tantum, sed etiam a suis dissentire, ac discipulorum quoque suorum disputationibus refelli. Quibus ea omnibus . . . . . lectores intelligant . . . . . quam prudenti maturoque judicio Hebræorum priscam simulque veram Philosophiam ac pietatem Græcanicæ prætulerimus . . . . . Unde ad perfectum Evangelicæ demonstrationis progressi reddemus rationem, cur nos Christiani, qui Patriis legibus Hebræorum oracula prætulimus, attamen Judæis simile vitæ genus institutumque non teneamus . . . . . Ad extremum quæ nostra sit Evangelicæ doctrinæ ratio, quis item proprie Christianismus nominetur. „ Hanc veluti secundam operis sui partem viginti libris fuse pertractarat; periere decem ultimi.

Ib. l. 15. Proœmium.

Ibid. præpar. Evang. l. 5. c. 5.

LIII. In primo libro demonstrationis Evangelicæ ostendit legem Mosaicam uni Judaicæ genti Palæstinam incolenti sic accommodatam esse, ut reliquis gentibus minime conveniret, quippe quæ uni Deo sacrificia offerre, sed in solo Jerosolymitano templo præciperet. Quapropter novum Testamentum debuit institui, quod omnibus gentibus ad vitam prodesse posset. Talis porro extitit Lex, quam Christus Salvator noster a Judæorum Prophetis toties prænuntiatus instituit, quæ prisca illa & Moyse antiquior instaurator religio, ad cujus normam antiquos Patriarchas vixisse facile demonstratur. Hinc præcipuas ejus partes explicat, attingit etiam Evangelica consilia, quæ perfectis proposita sunt. " Quocirca, inquit, in Ecclesia Dei duo etiam vivendi modi instituti sunt. Alter quidem naturam nostram & communem vitæ hominum rationem excedens, non nuptias, non substantiam, non opum facultatem requirens, totos autem prorsus a communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & soli divino cultui ex immenso rerum cœlestium amore addictus. Qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita sejuncti . . . . cogitatione atque animo in ipso cœlo

Eus. demonstr. Evang. l. 1. c. 5.

Ibid. c. 8.

CHRISTI An. 313.

degentes ...... supremo omnium Deo sacrati sunt. Idque non boum mactationibus, sed rectis veræ pietatis sententiis, & purgati animi affectione, operibus quoque ac verbis, quæ a virtute proficiscantur ...... Et talis quidem extitit in Christianismo perfectæ vitæ modus. „ En vera idea religiosæ professionis.

“ Alter vero remissior atque humanior, hic & modesto conjugio, & sobolis procuratione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & juste militantibus quæ sint agenda describit: agros quoque & mercaturam, aliumque magis civilem vivendi morem adjuncta religione non negligit. Iis autem qui hunc modum elegerunt, & exercitationum tempora, & discendi, verbumque divinum audiendi certi dies assignati sunt, & his quidem secundus pietatis attributus est gradus, dum aptam huic generi vitæ præbet utilitatem, ut nullus plane ab adventu salutari separetur, sed omne genus hominum, tam barbarorum, quam Græcorum, Evangelicæ doctrinæ fructum percipit. „

Ib. c. 10.

“ Cur autem Deo nos quoque animalia non sacrificemus, cum veteres illi Dei amatores, quorum pietatem nos imitari dicimus, hoc factitarint, talis a nobis ratio reddatur. Dum nulla præstantior, neque major, neque pretiosior, neque convenientior victima hominibus aderat, sacrificia interim ex animalibus .... ipsi Deo reddere illos convenienter oportet, sicut etiam veteres Dei amici & cultores faciebant, qui venerabilem quamdam Deoque acceptam & magnam hostiam venturam ad homines, divino indicante spiritu, tanto ante didicerant, quæ totius mundi expiatio existeret; cujus etiam signa quædam & notas interea ipsi obirent ...... Ubi autem quod perfectum erat, advenit, quemadmodum vaticinia Prophetarum prædixerant, priora illa desierunt, & præstantiore verioreque sacrificio illico sublata sunt. Hic autem fuit Christus Dei, de quo antiquitus dictum est, quod ad homines esset venturus, atque instar pecudis pro toto genere humano interficiendus, ut ait Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ductus est* ...... Hic peccata nostra fert, & pro

Christi sacrificium. Isaiæ 53.

nobis in dolore est ...... *Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & tulit languorem propter iniquitates nostras* ...... Quando igitur secundum testimonia Prophetarum inventum est magnum, magnique æstimandum pro redimendis & Judæis pariter & Græcis pretium, illud pro toto mundo piaculum, illud pro anima omnium hominum sacrificium, illa pro omni macula & peccato purissima hostia. Ille utique agnus Dei ...... de quo Prophetæ tam multa dixerunt, per cujus divinam ac mysticam doctrinam omnes nos, qui de gentibus assumpti sumus, remissionem priorum peccatorum invenimus, ex quo etiam Judæorum quicunque in illo spem habuerunt, a Mosis execratione liberantur, merito sane, quando illius memoriam, Corporisque ejusdem & Sanguinis recordationem quotidie celebrant, & ad longe præstantius & sacrificium & munus assumpti sunt, quam illud antiquius fuerit. „ Eucharistia igitur, qua quotidie passionis Christi memoria celebratur, est verum sacrificium, ut docet Eusebius vir profundæ eruditionis, qui tertio sæculo jam erat sacerdos: quod infra sic confirmat: “ Itaque Christus post omnia, quasi mirabilem quamdam victimam, sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit, ejusque rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit. „ Christum esse verum redemptorem propitiationis, qui se in cruce pro anima omnium sacrificium obtulerit, & pro redimendis omnibus pretium solverit, & peccata nostra tulerit, ibidem docet, exponens trium priorum sæculorum doctrinam Catholicam; neque in ea re vel a coætaneis, vel a sequentibus Patribus reprehensus est.

Ibid. l. 2. demonst. Evang.

In secundo libro Gentium vocationem ad Dei veri Fidem atque cultum, adventum Christi Salvatoris, Judæorumque reprobationem, multis ante sæculis a Prophetis fuisse prænuntiata demonstrat. Libri tertii argumentum illud est: Christum non fuisse impostorem, qui deceperit Apostolos; idque ex ipsius vitæ & doctrinæ sanctitate probat, atque ex ejus divinis operibus & resurrectione, quæ ea evidentia coram ipsis gesta sunt, ut nullus omnino locus dubio superesset. Apostolos pariter ostendit minime fuisse deceptores, qui genus humanum induxerint in errorem, quippe qui licet ignobiles & imperiti mundum universum ab idolorum cultu ad veri Dei cognitionem, ab omni scelerum colluvie, & a Patriis legibus ad veram pietatem traduxerint, omnibusque Gentibus Christum Crucifixum esse Deum persuaserint; quod opus non aliter perficere potuerunt, quam diviniori quadam, longeque humanam superante potentia, opeque atque auxilio illius qui dixerat: Docere omnes Gentes in Nomine meo; quod indicant eorum miracula, morum sanctitas, perfecta rerum omnium abnegatio, invicta in gravissimis malis patientia, mors denique pro Christo tolerata fortiter. Eusebii rationes ea claritate, methodo & eloquentia recens author exposuit Gallico idiomate, ut religionis Christianæ veritatem invicte demonstraverit.

L. 4. de monst. Evang. *Christi divinitas.*

In quarto libro exponit admirabilem Christi dispensationem, qui vere homo & Deus est. “ Cum unus sit Pater, inquit, Filium quoque unum, non plures esse oportet; unumque perfectum solum genitum, Deum de Deo, non autem plures. A Patre Filius procedit, & illum generat, at ipse non genitus est: Ille quidem per se ipsum perfectus ac primus tanquam Pater, & qui author sit, ut Filius consistat, nihil a Filio accipiens, quo suam naturam, qua Deus est, compleat:

L. 4. c. 3.

Hic autem tanquam ex causa profectus Filius, alius ab illo, cujus est Filius, existit, quippe qui a Patre ut & sit, & talis sit, acceperit .... Volens Deus Filii Pater existit, & alterum lumen in omnibus sibi ipsi simile substituit. „ Id explicat variis similitudinibus, præsertim luminis atque splendoris, quibus hæc subjicit: “ Quæ autem ad propositam a nobis Theologiam pertinent, cum omnem exempli comparationem exsuperent, nihil tale, quale ex corporibus manat, præ se ferunt, sed cogitationi solertissimæ intuendum, quasi in speculo præbent, docentque esse Filium qui genitus sit; non illum quidem, qui certis temporibus non fuerit, posterius autem natus sit; sed qui sit ante tempora æterna, atque antecat, & tanquam Filius una cum Patre semper degat; neque vero qui non sit genitus, sed ex Patre non genito genitus, qui unicus sit, qui Verbum, qui Deus de Deo, non diremptione aliqua aut sectione, aut divisione de substantia Patris productus sit, sed qui de Patris consilio atque virtute omnem elocutionem omnemque cogitationem superante ab ævo, potius ante ævum essentiam sit nactus, modo quodam, qui neque verbis comprehendi, neque ratione a nobis colligi possit. Hic jam præludit Arianis.

Infra ostendit, omnia per Verbum esse facta & reparata: quod cum factus est homo, permansit in ea natura incorporea, quæ nec pati, nec lædi potest.... Secundum quam in principio apud Deum Deus erat, quemadmodum tum ex veteri, tum ex novo Testamento probat. In reliquis libris postquam Dei veri Prophetarum eorumque oraculorum excellentiam declaravit, singulas eorum Prophetias de Verbi divini præexistentia, Incarnatione, vita & mysteriis & passione accurate proponit & explicat. In his Eusebii libris immensam ejus lectionem, atque in iis, quæ in veterum Philosophorum, Historicorum, Patrum & Scripturæ libris lectissima sunt, excerpendis diligentiam incredibilem nemo non miratur. Multa sunt veterum opera, quorum etiam nomina sæpius ignoraremus, nisi quædam insignia ipsorum fragmenta libris suis inserens Eusebius, ad posteros transmisisset. Sed ipse in veritate non stetit.

Athan. vit. D. Ant. cap. 48. & 49.

LIV. Sanctissimi vitæ monasticæ institutores tunc etiam sanctitate florebant, perfectumque Dei cultum promovebant. Antonius rursus secedens in monasterium statuerat nec istinc egredi, nec apud se quempiam admittere. Multi tamen ad eum confluebant, ut a suis infirmitatibus liberarentur; quibus licet non aperiret januam, extra monasterium dormientes, atque eum sincera fide orantes mundabantur. Veritus ne ex signis, quæ per se Dominus faciebat, aut ipse extolleretur, aut alii de seipso plusquam videbant, æstimarent; re secum deliberata, profectus est, ut se conferret in superiorem Thebaidem, ubi esset incognitus; acceptisque panibus a Fratribus, in ora Nili sedens observabat, num pertransiret navicula, qua præterveheretur. Hæc illo cogitante, vox desuper ad eum facta est: Antoni, quo tendis? quave de causa? Ille nihil turbatus,

utpote

CHRISTI AN. 313. utpote solitus sic sæpe compellari, respondit: Turbæ non sinunt me quiescere, eaque a me postulant, quæ meam excedunt virtutem. Tum vox ad illum ...... Si vere quiescere cupis, vade nunc in interius desertum. Percontanti, quis ignotam viam ostenderet? Vox statim Saracenos indicavit hanc viam ingressuros. Accedens ad eos Antonius in socium viæ recipitur, confectoque cum illis trium dierum & noctium itinere, ad montem pervenit valde excelsum, ad cujus radicem aqua erat limpidissima, & planities extra montem, paucæque palmæ incultæ.

Cap. 50. Antonius hunc locum sibi divinitus ostensum elegit in domum, acceptisque panes a viæ sociis solus in monte remansit. Saraceni videntes ejus fiduciam, huc de industria pertransibant, ut ei panes deferrent, qui pro more regionis per annum conservantur. Modicum etiam solatium ei dabant palmæ. Exinde Fratres agnito loco tanquam ad Patrem filii panes deferendos curabant: sed ne aliqui sui causa sic gravarentur, rogavit ut deferrent sibi ligonem atque securim, parumque frumenti. Quibus allatis, circumiens montem, exiguum, sed aptum culturæ reperit locum, quem coluit. Quod cum quot annis præstaret, habuit inde panem, lætus quod nulli ea de causa molestus foret. Sed cum aliqui ad eum venissent, pauca sævit olera, ut tam gravi itinere defatigatos paululum reficeret. Hanc parvulam ejus messem bestiæ, propter aquas illuc convenientes, aliquando depastæ sunt. Is una placide deprehensa, dixit omnibus: Quid me læditis, nihil a me læsæ? Abite, & in nomine Do-

Cap. 51. mini ne huc appropietis ulterius. Ex eoque tempore quasi mandatum veritæ nunquam ad illum locum accessere .... Fratres ad eum venientes vix precibus extorserunt, ut olivas, legumen & oleum, quæ singulis mensibus deferebant, reciperet. Jam senex erat, sexagenario annis quinque major. Hic quantas sustinuerit pugnas adversus dæmones, ex iis, qui illum adibant, didicimus. Illic enim tumultus audiebant, voces multas, armorumque strepitus, noctuque montem videbant plenum feris, spectabantque ipsum tanquam contra hostes visibiles pugnantem, & flexis genibus orantem. Adeuntibus autem ipsum fiduciam dabat, immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem. Sic ut dæmones fugaret, immanesque feræ pacem cum illo haberent.

Athan. vit. Ant. cap. 54. Rogatus a monachis, ut eos invisere dignaretur, cum eis profectus est, impositis camelo aqua & panibus, quia potabilis aqua per arentem viam non reperiebatur. Verum in medio itinere aqua deficiente, æstus nimius mortem minabatur; camelo dimisso, humi jacentes jam prope defecerant. Movit senem Fratrum commune discrimen: parum ab iis digressus, flexis genibus, expansisque manibus orabat ingemiscens. Et statim fons ibidem ebulliens erupit. Tunc bibentes sese recrearunt, & plenis utribus inventum potant camelum, quem forte funiculus lapidi circumvolutus detinuerat, incolumesque perveniunt ad monasterium. Antonium ut Patrem suum omnes amplexabantur. Ipse vero ceu viaticum ex monte detulisset, verbis suis illos quasi xeniis donabat, gaudebatque conspecta monachorum alacritate, sororemque videns in virginitate consenuisse, aliarumque virginum esse præpositam.

Cap. 55. Elapsis aliquot diebus, in montem remigravit, plurimis ad eum venientibus, ut tum animæ, tum corporis infirmitatibus promptum invenirent remedium. Id eis inter multa documenta maxime commendabat, ut illud Apostoli dictum observarent:

2. ad Cor. 13. *Vos ipsos dijudicate, vos ipsos probate*. Quotidie itaque de nocturnis & diurnis actibus rationem quisque apud se ineat, & si peccaverit, desinat; & si non peccaverit, non glorietur, sed in bono perseveret .... Ad cavenda autem peccata id observetur: opera quisque nostrum sua, & motus animi tanquam aliis nuntiaturus, notet, conscribatque: atque confidite futurum esse, ut cum nos pudeat ab aliis cognosci, peccandi prorsus finem faciemus .... Hæc si nobis forma vivendi sit, corpus subigere valebimus, Domino placere, & calcare inimici insidias. Afflictorum vicem dolebat, & cum illis precabatur, ac sæpe in multis a Domino exauditus fuit, nec tamen inde gloriabatur, nec si non exaudiretur, murmurabat, sed semper Deo gratias referebat.

CHRISTI AN. 313. Palatinus quidam, Fronto nomine, cum gravi morbo laboraret, venit ad eum, cui dixit Antonius: Abi, sanaberis. Ille post aliquot dies, quibus perse-

Cap. 57. veravit morbus, credidit, abiitque, & conspecto solum Ægypto, sanatus est, uti prædixerat Antonius.

Cap. 58. Virgo quædam ex Buside Tripolitana, inauditis ac flebilibus morbis laborabat: hujus parentes cum ad Antonium monachos ire didicissent, rogarunt ut se una cum filia itineris comites admitterent; qui cum nollent eam usque ad Antonium perducere, parentes cum filia extra montem remansere apud Paphnutium Confessorem & Monachum. Monachis ad eum ingressis dixit Antonius: Abite, & invenietis illam, nisi mortua sit, sanatam; mihi enim non convenit ut me miserum hominem adeat, sed Salvatoris est medela, qui in omni loco misericordiam facit iis, qui illum invocant ..... Egressi illi læ-

Cap. 59. tos offenderunt parentes, puellamque sanatam. Alias in monte sedens, compellatis duobus monachis urgens ait: Lagenam aquæ sumite, atque cursu viam Ægypti capessite; cum enim duo accederent, unus exspiravit, alter brevi moriturus est. Profecti monachi mortuum humarunt, alium aqua recreatum adduxerunt ad senem. Alia plura divinitus novit, vel prorsus abdita, vel quæ remotissimis contingerent locis, etiam circa animarum statum.

Cap. 65. Polycratiam virginem Laodiceæ graviter ægrotantem precibus sanavit absentem. Dæmones e multorum corporibus ejecit. Aliquando cum oraturus surrexisset circa horam nonam, raptum se sensit in spiritu, & in sublime deferri: prohibentibus transitum aeris dæmonibus, cœperunt Angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi? cumque peccata ab ejus nativitate commissa commemorare vellent, id Antonii duces prohibuere, dicentes: Culpas ejus omnes a nativitate delevit Dominus; sed ex quo monachus effectus Deo sese consecravit, si quid peccavit, proferre licet. Cum autem accusarent, & probare non possent, liber ei conscensus apertus ...... Antonius ad se reversus, residuum diei, totamque noctem gemendo & precando transegit; reputans secum humanorum hostium multitudinem, & colluctationem tanti exercitus, & laboriosum iter ad cœlum. Hæc invitus renuntiavit; sed cum in orationibus diutius immoraretur, sciscitantibus qui aderant, & moleste instantibus, coactus est declarare quasi pater, qui filiis id celare non posset, ratus relationem illis

Cap. 66. utilem fore, cum discerent, quam bonus esset asceticæ vitæ fructus, laborumque sæpe solatium visiones esse.

Athan. vit. Ant. Cap. 67. Cum tantus ac talis esset Antonius, Ecclesiæ canonem supra modum observabat. Omnem clericum honore sibi præire volebat; non verebatur Episcopis & Presbyteris inclinare caput. Diaconus vero si utilitatis causa accederet, quæ utilia essent, ille loquebatur; quæ orationem vero spectant, ipsis cedebat, neque verebatur ab aliis ediscere. Præsentes frequenter interrogabat; & si quid pium quis utile proferret, utilitati sibi fuisse fatebatur. Magna mirabilisque vultui ejus inerat gratia. Si quis eum antea sibi ignotum videre vellet, dum in monachorum cœtu adesset, statim accedens prætergressus alios ad eum accurreret, illius quasi aspectu attractus. Neque tamen aliis statura præstabat, sed morum compositione atque animæ puritate: namque cum imperturbatam gereret mentem, tranquillos item habuit externos sensus, ita ut ex animi lætitia hilaritas proveniret, & ex corporis motibus ani-

Cap. 68. mæ status sentiretur. Erat prorsus admirabili fide & pietate; cum Meletianis schismaticis nunquam communicavit, nec cum Manichæis unquam, aut aliis quibuslibet hæreticis amice collocutus est, nisi admonendi causa, ut mutata sententia piam sectarentur fidem: ratus eorum amicitiam & colloquia animi damnum atque perniciem esse; quod item alios monebat.

S. Ammonis vita. Zozim. l. 1. hist. cap. 14. vit. Patr. l. 2. c. 30

LV. Per idem tempus Ammon Ægyptius monasticam Philosophiam excoluit. Compellentibus proximis uxorem duxerat, cum ea tamen in perfecta vixit continentia. Nam cum ipse sponsam tanquam sponsus in thalamum duxisset; Nuptiæ quidem nostræ, inquit, o mulier, hactenus celebratæ sunt. Quantum vero bonum sit posse virginem permanere, ex sacris literis eam edocuit, ac seorsum degere tentavit: sed cum mulier sermonem quidem de virginita-

CHRISTI AN. 313.

nitate approbaret, verum sejungi ab illo moleste ferret, ipse seorsum cubans octodecim annis cum ea mansit; nec sic quidem monasticæ abstinentiæ leges negligens. Post illud tempus mulier satius putavit ut separatim viverent, eaque de re maritum interpellavit. Ille Deo gratias agens, Tu quidem, inquit, domum hanc habeto; ego aliud domicilium mihi parabo; profectusque est ad solitudinem quæ est circa montem Nitriæ, ibique duobus & viginti annis vitam agens solitariam, quot annis uxorem suam invisens, quæ pariset effecta est mater multarum virginum. Ipse vero fuit in his partibus institutor monasteriorum.

Athan. vit. D. Anton. cap. 60.

Multa per eum mirabilia contigerunt; hoc unum referam. Teodoro ejus discipulo & ipsi trajiciendus erat Lycus fluvius tunc exundans: ne forte sese mutuo nudos conspicerent, Ammon Theodorum paulisper jussit secedere. Cum vero se ipse quoque nudum videre erubesceret, repente divina virtute sublimis raptus in oppositam ripam transportatus est. Mirabilem eventum socio, quamvis instanter rogaret, non indicavit, nisi postquam ab eo stipulatus est, se superstite, nemini dicturum esse. Porro cum Ammon duobus annis sexagenario major spiritum exhalasset, Antonius, quem sæpius inviserat, ejus animam vidit in cœlum ascendentem, Angelis ei occurrentibus, ac postea eum cantu psalmorum præeuntibus. Tunc loca, in quibus uterque degebat, tredecim dierum itinere distabant a se invicem.

Vita S. Pachomii apud Bolland. 14. Maji.

LVI. Pachomius Tabennensium monachorum parens, & vitæ cœnobiticæ institutor, tunc quoque sanctitate florebat in insula Thebaidis Tabenna. Thebaide in Ægypto natus erat parentibus ethinicis. Vigesimum agens annum . . . . . . abreptus est in militiam. Impositus navi cum aliis tyronibus ad civitatem Thebæorum appulit: vergente in vesperum die, non exigua erga eos commiseratione moti Christiani, cibum miseris & potum, aliaque, quorum indigebant, adjumenta abunde suppeditarunt. Quamobrem non indiligenter in istud hominum genus inquirens Pachomius, certa enarratione accepit, Christianis erga advenas & peregrinos, & omnes plane afflictos immensum esse misericordiæ affectum. Inquirenti, quinam essent Christiani? responsum est; homines esse, qui unigeniti Filii Dei nomine gaudent, & spes omnes in cœli terræque conditore Deo habent repositas. Vehementer his permotus . . . . . . ubi soli esse licuit, protensis in altum manibus sic oravit. Deus meus, cœli ac terræ Creator, si ad me respicere non dedigneris, & ex hac tribulatione me ereptum velis, quandiu in terra hac victurus sum, non aliam, quam tui solius voluntatem venerabunde respiciam . . . . Paulo post dimittuntur tirones.

Ibid.

Pachomius in superiorem Thebaidem properans, ad pagi cujusdam, cui Chenoboseia nomen, ecclesiam devenit, ubi primis Christianæ Fidei elementis sufficienter instructus, sacris undis ablutus est . . . . . Deinde ad Palæmonis Anachoretæ cellam profectus est, ut solitariam cum eo vitam viveret . . . . . Repulsus cum instaret, dait ei senex: Tu prius te experire ad tempus, severo quippe vivendi genere utor. Per æstatem jejuno quotidie, alternis autem diebus vescor in hyeme, pane & sale; oleum autem vel vinum sumendi consuetudinem minime habeo; medias perpetuo noctes, quin & solidas persæpe, quemadmodum sum edoctus, orationi & divinorum sermonum meditationi impendo. Quibus auditis, magis etiam animo confirmatus est adolescens, ut omnes cum eo vitæ solitariæ labores subiret fortiter atque perferret. Aperto tunc cellulæ ostio, eum admisit Palæmon, ac monachorum habitu induit anno Christi trecentesimo decimo tertio, ac proinde tertio sæculo decurrente has sanctas praxes fuisse in usu indicant hæc verba senis Palæmonis, (quemadmodum edoctus sum.)

Ibid.

Monasticis igitur sese pariter exercitationibus & studio orationis addixerunt. Saccos texebant cilicinos, ut eo labore pauperum necessitatibus subvenirent . . . . Animadversa porro insigni in Pachomio obedientia & singulari patientia, non mediocriter animo exultabat senex; salutem ejus in tuto collocatam videns. Lætissimo autem die Paschæ dixit ad Pachomium: Quoniam præcipua hodie agitur festivitas Christianorum, age, prandium nobis præpara. Cui Pachomius obsequens, in salem, quem ante contriverat, olei nonnihil infudit . . . . Palæmon accedens, oleum conspicit sali immixtum, percussaque sibi fronte, non sine gravi gemitu ita loquitur: Dominus Cruci est affixus, & ego oleum comedam? Timide eum rogante Pachomio, via adductus est, ut amotis olei acetique condimentis, de more tandem aliquid cibi, scilicet olusculum sylvestre sumeret . . . . Pachomius longius aliquanto progressus, ad vicum desertum Tabennesim nomine forte pervenit: ubi eum pro ea, qua in Deum ferebatur, charitate, vacaret orationi, eamque protraheret longius, vox ad eum defertur, dicens: Subsiste hic, & monasterium exstrue, plurimi namque monasticæ vitæ amplectendæ avidi huc ad te accedent, quibus ducatum præstabis juxta regulam, quam monstravero tibi. Et protinus ei apparuit Angelus Domini, deferens ei tabulam, in qua erat omnis forma institutionis adscripta, quam postea diu observarunt Tabennesiotæ.

Zozom. l. 3. c. 14.

Illius regulæ Angelo dictante conscriptæ meminit Cyrillus in sua ad Carthaginense Concilium epistola, & Zozomenus. Cœnobitarum igitur institutum, quod adeo laudarunt sancti Patres, primam suam regulam recepit ministerio Angelorum: Hinc qui illud profitentur, sic facile se tueri possunt: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Pachomius reversus, omnem rei seriem Patri suo exposuit, obsecravit ut secum pariter veniret ad locum, quo posset Domini mandata explere; qui precibus ejus illico paruit; ibique monasterium exstruxerunt. Palæmon paulo post in priorem cellulam rediens, acutissimis morbi lienis doloribus patienter toleratis, post mensem sanctissime in Domino obdormiit.

Ibid.

LVII. Joannes Pachomii frater natu major ad eum venit, ejusque vitæ rationem cum vehementer comprobaret, apud fratrem manere constituit . . . Si quid e quotidiano labore supererat, id omne in egenos liberaliter distribuebatur . . . . . . vestitu utebantur vili admodum atque contempto, sic ut lebitonem, quem ferebant, alia numquam veste mutarent, nisi cum is esset lavandus. Lebiton vero vestis est linea instar colobii. At Pachomius ad carnem suam magis edomandam, cilicina ut plurimum veste corpus tegebat . . . . Cum vero defatigatum nimiis orandi causa vigiliis corpusculum somno tantisper recreare vellet, in cellulæ suæ medio super lapidem considens, ne parieti quidem tergum admovebat; quod per quindecim annos observavit. Orans manus in modum Crucis extensas servabat, ut corpus ad vigilandum in oratione duraret. Recordatus divinæ promissionis, cum fratre suo monasterii limites cœpit extendere, ut quicumque ad vitam istic inter monachos capessendam accederent, admitti possent . . . .

Joannes ejus laborem & verbis & factis improbabat . . . . . sed cum esset omni virtutum genere præpotens, incredibili humanitate & mira mansuetudine cum eo cohabitans, cum per omnia sustinebat, qui non post multum temporis, præsentis vitæ cursum implevit. Ejus funus debito curavit honore Pachomius, nam totam noctem super ejus cadaver psalmis egit & hymnis pervigilem, & animam quidem ejus Domino commendavit, cui & ipse crediderat, corpus vero sollicite reddidit sepulturæ. Eo oratio, qua defunctorum animæ Deo commendantur, ac proinde supponit purgatorium. Postea plurimas dæmonum tentationes homo sanctus sustinuit, ut & ipsius fides magis probaretur ...... sed Dei timorem, & judiciorum divinorum memoriam, & ignis æterni cruciatus perpetuo secum cogitabat: itaque cor ejus pravis cogitationibus erat impervium. Cum ergo Dominus vidisset, quanta diligentia sui timorem assequi studeret, ultro ei concessit petitionem ...... Apollo unus e senioribus monachis eum sæpe visitans consolabatur. Hic post aliquantulum temporis paucis cum eo diebus commoratus humanis rebus excessit. Pachomius tantam a Deo Fidem adeptus est, ut serpentes calcaret & scorpiones . . . . Crocodili quoque, si quando necessitas Nilum transire compelleret, eum cum summa subjectione portabant, exponentes eum ad locum quemcunque præcepisset.

Vita S. Hilarionis apud Hieron.

LVIII. Monasticam quoque vitam tunc in Palæstina instituit D. Hilarion, ortus vico Tabatha, qui circiter quinque millia a Gaza urbe Palæstinæ ad

Au-

CHRISTI AN. 313. Austrum situs est. A parentibus idololatris missus Alexandriam, grammatico traditus est, ibique, quantum patiebatur ætas, magna ingenii & morum documenta præbuit; quodque his majus est, credens in Dominum Jesum, non ludis delectabatur, sed tota illi voluntas in Ecclesiæ erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonii, quod per omnes Ægypti populos ferebatur, incensus ejus visendi studio, perrexit ad eremum. Et statim ut eum vidit, mutato pristino habitu, duobus fere mensibus juxta eum mansit, contemplans ordinem vitæ ejus, morumque gravitatem. Quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis Fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, & ut continentiam, cibique ejus asperitatem nulla unquam infirmitas frangeret. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones aut impetus dæmonum concurrebant, ultra non ferens . . . sicque sibi magis incipiendum esse, ut cœpisset Antonius, reversus est cum quibusdam monachis ad patriam, & parentibus jam defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reservans.

Ibid. Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus & armatus in Christo, solitudinem, quæ in septimo milliario a Majomo Gazæ emporio ad lævam flectitur, ingressus est. Cumque essent cruenta latrociniis loca, & propinqui amicique ejus imminens periculum denuntiarent, contempsit mortem, ut mortem evaderet . . . . Sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & paludem vasta solitudine fruebatur, quindecim tantum caricas post solis occasum comedens. Et quia regio latrociniis infamis erat, nunquam in eodem loco habitare consueverat.

Ibid. Titillabat sensus ejus, & pubescenti corpori solita voluptas incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare quod nesciebat . . . Iratus itaque sibi, & pugnis pectus verberans, Ego, inquit, aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam & siti, . . . ut cibum potius, quam lasciviam, cogites. Herbarum ergo succo, & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret, simulque fiscellas junco nectens æmulabatur Ægyptiorum monachorum disciplinam; sic attenuatus & in tantum exeso corpore, ut ossibus vix hæreret, multas & graves tentationes, & diu noctuque varias dæmonum insidias sustinuit & superavit. A sexto decimo usque ad vicesimum ætatis annum æstus & pluvias brevi tuguriolo declinavit, quod junco & carice texerat, exstructa deinceps brevi cellula, latitudine pedum quatuor, altitudine quinque . . .

Latrones, qui a vespere ad solis ortum discurrentes nunquam locum cubilis ejus invenire potuerant, clara luce eo reperto, quasi per jocum interrogant: Quid faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit: nudus latrones non timet. Et illi: certe, ajunt, occidi potes . . . Possum, inquit, & ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum. Tunc admirati constantiam ejus & fidem, confessi sunt noctis errorem, cæcatosque oculos, correctiorem deinceps vitam pollicentes. Capillum semel in anno die Paschæ totondit, super nudam humum & stratum junceum usque ad mortem cubavit, saccum, quo semel fuerat indutus, nunquam lavans, & superfluum esse dicens mundicias in cilicio quærere, nec mutavit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset. Scripturas quoque sanctas memoriter tenens, post orationes & psalmos quasi Deo præsente recitabat. Nunquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in gravissima valetudine solvit jejunium; per annos triginta sex uncias hordeacei panis & coctum modice olus in cibo habuit: sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine, & pumicea quadam scabredine contrahi, adjecit oleum. Sexdecim ultimis vitæ annis pane abstinuit; fiebat autem ei de farina & comminuto olere sorbitiuncula, cibo & potu vix quinque uncias appendentibus.

Hæc in Oriente primordia habuit vita monastica, quam post annos quinquaginta professi sunt Occidentales. Ejus fundamenta sunt, integra rerum omnium temporalium abdicatio, solitudo prorsus ab omni vitæ civilis commercio remota & libera, juge jejunium, summa paupertas, durum & vile manuum opus, assidua diu noctuque oratio, constans corporis & passionum mortificatio. Hac disciplina floruere virtutibus, Angelicamque puritatem in terris imitati sunt tot sanctissimi viri & virgines. CHRISTI AN. 314.

LIX. Alexandriæ cum Achillas Episcopus quinque tantum mensibus suæ ordinationi supervixisset, suscepit sacerdotii principatum in Alexandrina Ecclesia Alexander. Is eo die, quo Petri Episcopi & martyris celebrabatur memoria, prætergrediens vidit pueros ludentes ludum sacrum. Is ludus erat imitatio sacerdotii & collegii sacrorum virorum. In eo Athanasius Episcopi dignitatem sortitus fuerat. Quamdiu scenam illam absque periculo esse animadvertit, delectabatur spectaculo. Postquam vero arcana quoque mysteria exprimere cœperunt, perturbatus est animo. Pueros adduci jussit . . . . . confessi sunt Episcopum fuisse ipsis Athanasium, & quosdam pueros, qui nondum mysteriis initiati fuissent, ab illo esse baptizatos. Hos Alexander accurate interrogat, quidnam ipsis dixisset, & fecisset? . . . . cumque omnia juxta ordinem Ecclesiasticum exacte in illis servata esse deprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel percipere meruissent . . . . . . Nec multo post Athanasium in contubernium suum adscivit, eumque notarium deinceps habuit, ac post duodecim annos successorem in episcopatu. Itaque ut illius facti constet veritas, quæ sola Rufini authoritate nititur, necesse est ut Athanasius annos natus viginti sex consecratus sit Episcopus Alexandrinus; quod repugnat communi historicorum opinioni, qui tradunt eum tunc annum trigesimum attigisse, quemadmodum exigebant canones: ac proinde primo anno Alexandri jam decimum septimum annum agebat.

Socrat. hist. l. 1. cap. 15. Zozom. l. 2. c. 17. edit. Vales. *Athanasius puer baptizaritne socios?*

Synod. Neo-Cæs. can. 11.

LX. Celebratio Synodorum etiam in Oriente instaurata est. Ancyræ Metropolis Galatiæ convenere octodecim Episcopi, quorum præcipui sunt, Vitalis Antiochenus, Agricola Cæsareæ Palestinæ, successor Martyris Agapii, Marcellus Ancyranus, Basilius Amasenus, qui in Liciniana persecutione multa passus est. Canones viginti quinque condidere. Primus & secundus Episcopis & Diaconis, qui sacrificaverint, & postea reluctati sunt, honoris quidem gradum servat, sed adimit sacras functiones. Tertius & sequentes usque ad decimum, pœnitentiæ publicæ tempus & modum lapsis definiunt pro diversitate culparum. Decimus sic habet. " Diaconi quicunque, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere: hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, a ministerio vel Clero cessare debebunt, Laicam tantum recipientes communionem. „ Nunc quoque subdiaconi tacendo ratam habent Episcopi declarationem de perpetua servanda continentia.

CHRISTI AN. 314. *Synodus Ancyr.* tom. 1. concil.

Diaconorum continentia.

Decimus tertius canon, " Chorepiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare. „ Canonis hujus sensum sic clarius explicat canon decimus Antiochenæ Synodi. Chorepiscopi tametsi manus impositionem ab Episcopo susceperunt, & ut Episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctæ synodo eos modum proprium retinere, & gubernare adjacentes sibi civitates, & esse contentos propria sollicitudine & gubernatione, quam susceperunt. Constituere autem his permittitur lectores & subdiaconos & exorcistas: quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse. Non autem presbyterum, non diaconum audeant ordinare præter conscientiam Episcopi civitatis, vel Ecclesiæ, cui adjacens invenitur . . . . Chorepiscopus autem ab Episcopo civitatis vel loci, cui idem adjacet, ordinandus est. Chorepiscopus igitur erat veluti suffraganeus Episcopi, a quo consecrationem Episcopalem recipere teneretur, in signum subjectionis; minores ordines conferre pro arbitrio potuit, non autem duos majores, nisi ab Episcopo ei potestas fieret. Pacificas dare litteras, & præsente Episcopo oblationem facere ei licebat; utrumque autem prohibitum simplici presbytero.

Ibid. *Chorepiscopi erant etiam Episcopi.*

Chore-

CHRISTI AN. 314.

Chorepiſcoporum origo ex his cauſis profluxiſſe videtur. Cum Epiſcopi urbana plebe regenda paſcendaque diſtricti, in agros excurrere, atque eccleſiaſtica munia & ſacramenta ruſticanis hominibus impendere minus poſſent, Vicarios exiguis urbibus Chorepiſcopos allegabant, in quos magnam juris poteſtatiſque ſuæ partem transferrent, nonnullis ſcilicet exceptis, ac ſibi reſervatis, quorum uſus ac functio minus urgeret; quam deinceps poteſtatem Epiſcopi conſtringendam, ac certis conditionibus temperandam putarunt: demum Epiſcopali dignitate privati primum, deinde prorſus abrogati fuerunt. Pagis vero præerant ſimplices presbyteri, ut conſtat ex multis exemplis ſuperius allatis; unde & Parochorum antiquiſſima eſt inſtitutio. Decimus quartus canon ordine ſuo pellit presbyteros & diaconos, qui carnes non comedunt, quia immundas & abominabiles putant; ſed ſi non eas tanquam immundas contemnant, & ab eis ſe abſtinere volunt, habeant poteſtatem. Hac mente fideles certis diebus carnes non comedunt. Decimus ſextus beſtialitati viginti annorum pœnitentiam injungit, priuſquam participent Euchariſtiam; quam adulteris poſt ſeptennium concedit canon vigeſimus: homicidis autem eam tantum in fine vitæ concedit canon vigeſimus ſecundus.

Synodus Neocæſ. Concil. tom. 1.

LXI. Eodem anno Chriſti trecenteſimo decimo quarto celebrata eſt Synodus Neo-Cæſareenſis in Ponto Polemiaco. Tredecim convenere Epiſcopi, quorum Præſes fuit Vitalis Antiochenus. Canones quindecim conſtituere, qui ad diſciplinam pertinent. *Primus* ſic habet: “ Presbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine deponatur; ſi autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi, „ ſcilicet ſemipublicam. *Octavus*. “ Si alicujus uxor, cum eſſet laicus, adulterata fuiſſe convicta fuerit, is non poteſt ad miniſterium accedere. Sin autem etiam poſt ordinationem adultera fuerit, debet eam dimittere. Quod ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exequi. „ *Decimus quintus*. “ Diaconi ſeptem eſſe debent ſecundum regulam, quamvis magna ſit civitas: cui regulæ auctoritas erit liber actuum Apoſtolorum. „ Longinus tunc erat Epiſcopus Neo-Cæſareenſis.

Donatiſtæ provocant ad Imperat.

LXII. Donatiſtæ, qui propter contumaciam ad Imperatoris comitatum perducti fuerant, non modo pœnas effugerunt, ſed partim per ſe, partim per ſuffragatores, quos in palatio habebant, Imperatorem interpellare non deſtiterunt, ut ipſe inter partes judicium ferret. Quod cum initio averſatus eſſet Conſtantinus, tandem continuis Donatiſtarum aditionibus, & adulatorum quorumdam conſiliis ceſſit, utque ſchiſmaticis os prorſus occluderet, de Cæciliani innocentia judicium ferre conſtituit, a ſanctis Antiſtitibus veniam poſtea petiturus, ſi rem Epiſcopali judicio terminatam, ipſe laicus denuo retractaret. Ac primum quidem Cæcilianum ex Africa accerſere decreverat; ſed mutata ad petitionem Donatiſtarum ſententia, Epiſcopos eorum factionis in Africam reverti juſſit, ut illic cauſa omnis, quæ ipſis adverſus Cæcilianum competebat, ab amicis ſeu judicibus, quos elegiſſet, cognoſceretur & finiretur.

Aug. ep. 43. olim 162.

Verum Imperatori paulo poſt in mentem venit timendum eſſe, ne ſi in Africa cauſæ ejus cognitio inſtitueretur, ne Donatiſtæ perturbarent judicium, vel ei non acquieſcerent. Quapropter juſſit, ut ei partes ad agendam cauſam Romam occurrerent, & literas dedit ad Cæcilianum, ut intra certum diem veniret; ſcripſit & ad Donatiſtas, quorum turbulentam pertinaciam poſtquam increpavit, ſubjungit: “ Polliceor autem vobis, quod ſi, præſente ipſo, de uno tantum crimine vel facinore ejus per vosmetipſos aliquid probaveritis, id apud me ſit, ac ſi univerſa quæ intenditis probata eſſe videantur. „ Probiano quoque Africæ Proconſuli præcepit, ut Ingentium decurionem Ziquenſium, qui Cæciliani epiſtolam falſaſſe convictus erat coram Æliano Proconſule ejus prædeceſſore, “ ad comitatum ſuum ſub idonea proſecutione mitteret: ut illis, inquit, qui in præſentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non deſinunt, audientibus & coram aſſiſtentibus apparere & intimari poſſis, fruſtra eos Cæciliano Epiſcopo invidiam comparare, atque adverſus eum violenter inſurgere voluiſſe. Ita enim fiet ut, omiſſis, ſicut oportet, ejuſmodi contentionibus, populus

Conſt. epiſt. ad Epiſc. partis Donat. apud Optat. in fine.

Conſt. epiſt. ad Probian. apud Aug. l. 3. contra Creſc. cap. 70.

ſine diſſenſione aliqua religioni propriæ cum debita veneratione deſerviat. „ Cæcilianus dicta die, neſcio qua de cauſa, Romæ cum non occurriſſet, illius adverſarii interpellant Imperatorem, ut in eum tanquam contumacem ſententiam ferat, qui dilatione data præcepit ut Mediolanum ſequerentur. Tum ſe aliqui eorum ſubtrahere cœperunt; fortaſſis de adventu Ingentii aliquid audierant. Quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab Officialibus cuſtoditos fecit Mediolanum pervenire.

CHRISTI AN. 314. Aug. ep. 43. olim 162.

LXIII. In reliquis Provinciis pax profunda & tranquillitas obtinebat Orbem, & exultatio Fideles, concurrentibus aſſidue omnibus nationibus ad Fidem Chriſti & Baptiſmum, ac patria conquaſſantibus ſimulacra. Verum enim vero ut Imperia difficile concordiam cuſtodiunt: quamvis per Conſtantini ſororem nuptam Licinio connexi eſſent Imperatores, ob diverſos mores vix tamen triennium quievere. Conſtantino prater modum magna erant omnia; Licinio parſimonia, & eadem quidem agreſtis tantummodo inerat. Conſtantinus cunctos hoſtes honore ac fortunis manentibus recepit & rexit, eo pius, ut etiam vetus ſupplicium crucis primus removerit. Licinio vero ne inſontium quidem ac nobilium cruciatus ſervili more adhibiti modum fecere. Hinc Conſtantini ambitio, & zelotypia Licinii. Hic Baſſum, qui conjugem habebat alteram Conſtantini ſororem Anaſtaſiam, in eum armare voluit; ſed in conatu deprehenſus & convictus occiditur. Hinc bellum apertum convenit ambobus. Pugnatum eſt ad Cibalenſem campum in Pannonia octavo Idus Octobris anno trecenteſimo decimo quarto. Cæſis poſt dubium certamen Licinii viginti peditum millibus, & equitum ferratorum, Licinius ipſe cum magna parte equitatus noctis auxilio pervolavit ad Syrmium: ſublata inde uxore ac filio & theſauris tetendit ad Daciam; Valentem ducem limitis fecit Cæſarem. Inde per eum apud Hadrianopolim collecta ingenti multitudine, legatos ad Conſtantinum de pace mittit apud Philippos conſtitutum; quibus fruſtra remiſſis, iterum reparato bello in campo Mardienſe ab utroque concurritur, & poſt dubium ac diuturnum prælium, Licinii partibus inclinatis profuit noctis auxilium. Miſſus deinde Meſtrianus legatus pacem petiit, quæ firmata eſt his conditionibus, ut Valens privatus fieret; ut Conſtantini imperio cederet Græcia & Illyricum, filiique Conſtantini, Criſpus & Conſtantinus nuper in lucem editus, & Licinianus Licinii filius, Cæſares fierent, & ſic concorditer ab utroque regnaretur.

Eutrop. lib. 11. *Conſtantinus victo Licinio dat pacem.* Aurel. Vict. de Conſt.

Valeſ. ex anonym.

Donatiſtæ, qui e comitatu Conſtantini ſe ſubtraxerant, cum in Africam perveniſſent, Imperatore bellis occupato, novos illic tumultus excitarunt. Eorum dux ac ſignifer erat Menalius Epiſcopus in Numidia; is, qui olim ad Cirthenſe Concilium evocatus, timenſque ne thurificaſſe a ſuis civibus argueretur, ſimulato oculorum dolore venire recuſavit: hic ſeditionem excitare paratus erat, ni Domitius Celſus Africæ Vicarius tumultum inhibuiſſet, remque totam detuliſſet ad Imperatorem, qui ſic ei reſcripſit: “ Perſeverere Menalium in ea, quam jam dudum ſuſceperat, inſania, cæteroſque, qui a veritate Dei digreſſi, errori ſe graviſſimo dediderunt, proxima etiam tuæ gravitatis ſcripta teſtata ſunt.... At cum conſtet minime unumquemque propria penitus delicta lucrari, etiamſi pauliſper eorum fuerit coercitio dilata, mandandum gravitati tuæ duxi; ut interim quidem eoſdem omittas, & diſſimulandum ſuper ipſos eſſe cognoſcas: verum lecta hac epiſtola, tam Cæciliano, quam iiſdem palam facies quod cum, favente pietate divina, Africam venero, pleniſſime univerſis, tam Cæciliano, quam his qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio demonſtraturus ſum quæ & qualis divinitati ſummæ ſit adhibenda veneratio, & cujuſmodi cultu delectari videatur.... Eaſdem perſonas, quæ res iſtiuſmodi concitant, faciuntque, ut non cum ea qua oportet veneratione ſummus Deus colatur, perdam atque diſcutiam. „

Optat. lib. 1.

Conſtant. epiſt. ad Domit. Celſum. apud Optat. in fine.

Acceptis his Conſtantini literis, Domitius Celſus Cæcilianum & adverſarios ejus evocavit; quibus literas Principis cum legiſſet, Cæcilianus iram ejus & indignationem ex literarum aſperitate conjiciens, confeſtim ad comitatum perrexit. Cum igitur Mediolanum perveniſſet, Imperator de illius adventu factus certior, cauſam ejus de objectis criminibus

Conſtantin. Cæcilianum declarat innocent. Aug. ep. 43. olim 162. Aug. in brevic. collat. die 3. cap. 19.

ſtatuit

Christi An. 315

Const. ep. ad Eumal. Aug. l. 3. contra Cresc. cap. 71. Aug. in L. post collat. cap. 35.

Constantinus Donatistas tumultuantes lege reprimit.

Aug. ep. 88. olim 68. & l. 2. cont lit. Petil. c. 92.

statuit terminare Imperiali sententia, a qua appellare non auderent ejus adversarii. Ac primum quidem Cæcilianum & accusatores illius sibi exhiberi jussit in Consistorio; auditisque utriusque partis allegationibus, cognitaque causa, qua diligentia, qua cautela, qua provisione, quippe cum acta omnia tam ecclesiastica, quam proconsularia ad eum missa essent, ipse quoque præsto esset Ingentius, remotis arbitris, Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos & calumniosissimos judicavit, ut constat ex ejusdem Constantini literis ad Eumalium Vicarium Africæ, " In quo judicio pervidi, inquit, Cæcilianum virum omni innocentia præditum, ac debita religionis suæ officia servantem, eique ita ut oportuit servientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuisse, eidem apparuit, sicut absenti fuerat adversariorum suorum fraude compositum. „ Hæc epistola ad Eumalium data est quarto Idus Novembris, post biennium ac menses fere octo a purgatione Felicis sub Æliano Proconsule, ac proinde anno Christi trecentesimo decimo quinto.

Donatistas conquiescere jam decebat. Nec tamen, quamvis tot judiciis victi atque oppressi, pervicacissimis contentionibus finem imposuerunt: sed furore quodam obcæcati, Imperatorem ipsum reprehendere cœperunt, quasi gratia corruptus, & ab Hosio Episcopo, qui Cæciliano suffragabatur, concitatus, adversus ipsos judicium protulisset. Quare coactus Constantinus, contra partem Donati legem severissimam tulit, ut cuncta eorum loca, in quibus congregari consueverant, fisco vindicarentur. Sed ista severitate non modo non repressa, sed & accensa est illorum insolentia; tantumque absuit quin ad Ecclesiæ Catholicæ sinum reducerentur, ut e contra in eam acrius ac petulantius sævierint, adeo ut Catholici de eorum injuriis apud magistratus frequentissime quærerentur.

Optat. in fin.

De his certior factus Constantinus, ad universos Episcopos & ad plebem Ecclesiæ Catholicæ per Africam scripsit sequentem epistolam. " Quod fides debuit, quantum prudentia valuit, ... tentasse me per omnia humanitatis & moderationis officia, ut juxta magisteria legis vestræ, pax illa sanctissimæ Fraternitatis, cujus gratiam Deus summus pectoribus famulorum suorum immiscuit, stabilita per omnem concordiam teneretur: sed quia vim illam sceleris infusi, paucorum licet sensibus pervicaciter inhærentem, intentionis nostræ ratio non potuit edomare, favente adhuc sibi hujus nequitiæ patrocinio, ut extorqueri omnino non sinerent, in quo se deliquisse gauderent: exspectandum Nobis est, dum totum hoc, quod per paucos cedit in populum, omnipotentis Dei misericordia mitigetur .... Verum dum cœlestis medicina procedat, hactenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam percolamus; & quidquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantiæ tentat, aut facit, id omne tranquillitatis virtute toleremus, Nihil ex reciproco reponatur injuriæ. „

Donatistarum furor.

Hæc tanta Constantini clementia nihil profecit. E contra illi ex Principis indulgentia majorem sumentes audaciam, gravioribus in dies malis Catholicos oppresserunt. Nam & basilicam Ecclesiæ Catholicæ, quam in civitate Constantina (caput hæc erat Numidiæ, Cirta antea dicta) fabricari jusserat Imperator, per vim invaserunt. Quin etiam Decuriones ac Primores civitatum malignis suggestionibus impulerunt, ut Lectores & Hyppodiaconos, sc ceteros clericos Ecclesiæ Catholicæ ad decurionatum & functiones publicorum munerum revocarent. Quamobrem Episcopi Ecclesiæ Catholicæ per Numidiam ad Imperatorem scribere compulsi sunt, ejusque auxilium implorare. Et quoniam plurimis experimentis compertum habebant, Constantinum lenitate ac patientia unice delectari, idcirco basilicæ suæ jacturam se patienter tolerare testati sunt in suis literis; postularuntque tantum alium locum sibi ex fisco concedi, ubi novam ecclesiam ædificarent. Questi sunt etiam de vexatione clericorum suæ partis, qui contra legem Imperatoris ad publicas functiones revocarentur.

Episcoporum Numidarum hæc epistola desideratur; sed extat rescriptum Imperatoris, qui multis invectus in Donatistarum factionem, & laudata prolixe Catholicorum patientia, sic eorum petitioni annuit. " Accepta epistola sapientiæ & gravitatis vestræ, comperi hæreticos, sive schismaticos eam basilicam Ecclesiæ Catholicæ, quam in Constantina civitate jusseram fabricari, solita improbitate invadendam putasse, & frequenter tam a Nobis, quam a Judicibus nostris ex nostra jussione commonitos, & reddere quod suum non erat, noluisse; vos tamen imitatores patientiæ Dei summi, eorum malitiæ placida mente, ea quæ vestra sunt, relinquentes, & potius locum vobis invicem alium fiscalem scilicet poscere. Quam petitionem, more instituti mei, libenter amplexus sum, & statim ad Rationalem competentes literas dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat, cum omni jure suo, ad Dominium Ecclesiæ Catholicæ, quam prompta liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus jussi. In quo tamen loco sumptu fiscali basilicam erigi præcepi. Ad Consularem quoque scribi mandavi, ut ipse in ejusdem ecclesiæ fabricatione in omnibus sanctimoniam vestram juvaret. Lectores etiam Ecclesiæ Catholicæ & Hyppodiaconos, reliquos quoque, qui instinctu memoratorum ad munera, vel ad Decurionatum vocati sunt, juxta statutum legis meæ ad nullum munus statui evocandos; sed & eos, qui ducti sunt hæreticorum instinctu, jussimus protinus molestiæ perfunctionibus absolvi. „

Christi An. 315. & 320.

Constantini rescript. ad Episc. Numidiæ. apud Opt. in fin.

Constantini leges pro Catholicis.

Cod. Theod. de Jud. lib. 16. tit. 8.

LXIV. Nonnullas alias leges pro religione Catholica tulit Constantinus. Complures Judæi Christi disciplinam sequebantur: quod cum moleste ferrent eorum contribules, eos modis omnibus insequebantur: eorum incolumitati consulens, tulit legem sequentem. " Constantinus Imperator ad Evagrium. Judæis, & majoribus eorum & patriarchis volumus intimari, quod si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus, ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus: si quis vero ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicaverit, cum ipsis meritas pœnas sustinebit. „ Data decimo quinto Kalendas Novembris. Anno sequenti ad Protogenem Episcopum Sardicensem de manumissionibus in Ecclesia celebrandis sic rescripsit: " Jam dudum placuit, ut in Ecclesia Catholica libertatem Domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum Antistitibus id faciant. „ Hac lege jus Prætorium tribuit Episcopis. Hoc privilegium postea in favorem clericorum sic ampliavit. " Clericis amplius concedimus, ut cum suis famulis tribuunt libertatem, non solum in conspectu Ecclesiæ, ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur; verum etiam cum postremo judicio dederint libertates, seu quibuscunque verbis dari præceperint, ita ut ex die publicatæ voluntatis, sine aliquo juris teste vel interprete, competat directa libertas. „

Ibid. l. 4. tit. 13.

Constantinus Episcopis dat jus manumissionis.

Donatistæ traditionis & simoniæ convicti.

LXV. Sylvanus Constantiæ Episcopus, quo præcipuo authore Donatistæ grassabantur adversus Catholicos, tandem divina ipsum insequente justitia, debitas pœnas persolvit. Nundinarium habebat diaconum arcanorum omnium hujus sectæ conscium; quem, cum propter quasdam simultates excommunicasset, & cum eo in gratiam redire noluisset, is iratus palam omnia fecit, ac imprimis Sylvanum fuisse traditorem; pecuniam a Lucilla datam, ut Majorinus ordinaretur Episcopus. Quæ duo cum magni momenti essent, & causæ Donatistarum multum officerent; inde enim sequebatur eos hujus criminis reos esse, cujus Ecclesiam insimulabant; & Majorini ordinationem vitiosam esse constabat; horum probationem gestis publicis, & coram Judice fieri postularunt Catholici. Res demandata est Zenophilo Consulari Numidiæ, & acta Idibus Decembris, Constantino Maximo Augusto, & Constantino juniore nobilissimo Cæsare Consulibus, qui fuit annus Christi trecentesimus vigesimus.

Acta Proconf. de Sylv. trad. apud Baluz. Misc. tom. 2.

Sexto Thaumugadiensi inducto, & applicito Victore Grammatico, adsistente etiam Nundinario diacono, Zenophilus vir clarissimus Consularis ..... post aliquas interrogationes legi jussit acta Munatii Felicis Curatoris Cirtensium, Diocletiano octavum, & Maximiano septimum Consulibus, ex quibus constitit a Sylvano tunc diacono traditas esse lucernam & capitulatam argenteas ..... Postea Nundinarius diaconus legit exemplar libelli, quem ipse tradiderant Episcopis. Testis est Christus & Angeli

ejus

CHRISTI AN. 320.

ejus quoniam tradiderunt quibus communicastis; id est Sylvanus a Cyrta traditor est, & fur rerum pauperum; quod omnes vos Episcopi, presbyteri, diacones, scitis de quadringentis follibus Lucillæ clarissimæ fœminæ, pro quo vos conjurastis, ut Majorinus fieret Episcopus, & inde factum est schisma. Nam & Victor Fullo vestri præsentia & populi dedit folles viginti, ut factus esset presbyter. Quod scit Christus & Angeli ejus.

Ibid. Recitatum est etiam exemplum epistolæ Purpurii Limatensis Episcopi ad Sylvanum: venit ad me Nundinarius diaconus, filius noster, & petiit has literas deprecatorias a me ad te, sanctissime, dirigerem, ut si fieri possit, pax inter te & ipsum sit: hoc enim volo fieri, ut nemo sciat quid inter nos agatur .... Libenter autem commodare noli malis instructoribus, qui nolunt pacem; omnes nos occiditis. Vale. Idem Purpurius ad clerum & populum Cirtensium ea de re scripserat ... Charissimi, quos scio omnem sapientiam cœlestem & spiritalem habere, omni vestra virtute cognoscite quæ sit dissensio hæc. Dicit enim Nundinarius diaconus, quod nihil vos lateat .... Tradidit enim mihi libellum, in quo omnia sunt conscripta .... Bonum quærite remedium, quomodo extinguatur hæc res sine periculo animæ vestræ. Elaborate, nemo sciat quæ sit conjuratio hæc. Vestra sunt quæ libello continentur .... non est bonum. Recitatæ sunt quatuor aliæ epistolæ, Fortis, Sabini, & alterius Sylvani Episcoporum, quarum idem est sensus ac superiorum.

Ibid. His lectis Zenophilus Consularis dixit: Ex actis & literis quæ recitatæ sunt, traditorem constat esse Sylvanum; & Victori dixit: Simpliciter confitere, utrum scias eum aliquid tradidisse. Victor dixit: Tradidit, sed non me præsente .... Nundinarius diaconus ait: Quando ventum est, ut ille factus esset Episcopus, respondit populus, alius fiat, exaudi Deus. Vos seniores clamabatis: Civem nostrum volumus, ille traditor est. Zenophilus Victori dixit: Clamasti ergo cum populo, quod traditor esset Sylvanus, & non deberet fieri Episcopus. Victor dixit: Clamavi & ego, & populus ..... Item inductis & applicitis Victore Samsurici, & Saturnino fossoribus .... Zenophilus dixit Saturnino: Sylvanum scis esse traditorem? Saturninus dixit .... Scio lucernam tradidisse argenteam; aliud nescio. Zenophilus Victori dixit .... Licet jam constiterit ex responsione eorum qui supra sunt interrogati, tamen tu confitere, utrum Sylvanus sit traditor .... Victor dixit: Ex ore ipsius Sylvani Episcopi audivi: Data est mihi lucerna argentea, & capitulata argentea, & hæc tradidi....

Ibid. Zenophilus Consularis Nundinario dixit: Quid aliud putas ex his esse quærendum? Nundinarius dixit: Viginti folles dedit, & factus est presbyter Victor. Zenophilus dixit: Cui dedit? Saturninus dixit: Sylvano Episcopo. Zenophilus dixit: A quo pecunia sublata est? Nundinarius dixit: Ipsi Episcopi diviserunt eam inter se: follis autem centum libris Romanis æquivalet .... Saturninus dixit: Vera dixit Nundinarius .... Zenophilus dixit: Tu quid dicis? Victor dixit: Vera sunt omnia, Domine. Nundinarius dixit: Purpurius Episcopus tulit centum folles diaconis. Castus & Crescentianus interrogati eadem testati sunt, nempe Sylvanum esse traditorem, intrusum, & simoniacum. Affirmarunt quoque Lucillam Majorini ordinatoribus dedisse folles quadringentos; utrum vero hæc pecunia data fuerit pauperibus? Castus respondit: Non vidi aliquem accipere. Crescentianus vero dixit: Nihil inde nemo accepit. Zenophilus Consularis ei dixit: Nihil ergo datum est de quadringentis follibus populo? Crescentianus dixit: Nihil utique: pervenisset aliqua particula ad nos. Quod certum est indicium hanc pecuniam minime datam fuisse pro pauperibus, sed eam inter se diviserunt Numidæ Episcopi. Zenophilus, postulante Nundinario, dixerat: Exhibeatur diaconus Lucianus; qui totum sciebat de follibus, & subdiaconus Januarius, quorum interrogatio non est in actis, quæ proinde imperfecta habemus. Zenophilus relatione missa ad Principem, eum de omnibus fecit certiorem. Quibus permotus Constantinus Sylvanum, cum aliquot ejusdem factionis, qui dissidium in Ecclesia Africana fovere videbantur, exilio mulctavit: quia, inquit D. Augustinus, cum traditor fuisset, permanere etiam hæreticus voluit, ut falsum honorem in ipsa parte Donati haberet qui habere in Ecclesia Catholica nullum posset, tam manifestis traditionis suæ gestis publico judicio reseratis.

Ursatius Comes eodem tempore Donatistarum furori in Africa sese opposuit: hinc eum tanquam primum tempestatis in se concitatæ authore traduxere schismatici. Cum igitur Ursatius eos furere non sineret, & ad Catholicam Ecclesiam compelleret, anno sequenti Donatistæ libellum dederunt Constantino, quo poscebant ut libere ipsos agere, nec invitos ad communionem Cæciliani cogi vellet; adjicientes nullo modo se communicaturos Antistiti isti nebuloni, paratosque esse potius perpeti quidquid eis facere voluisset. Orabant etiam ut Sylvanum & Collegas ab exilio revocaret. Imperator ipsis quæcunque poscebant, eorum injuriis nihil commotus indulsit, rescribens ad Verinum Vicarium Africæ, ut proprio eos dimittat arbitrio, & eorum furorem Deo vindici reservet. Simul in exilium pulsos ad propria redire permisit. Eorum schismatis ramus Romam usque se extendit. Africani non pauci schismatici Romam profecti, cum eis Urbis placuisset commoratio, petierunt a suis, ut aliquis, qui eos colligeret, mitteretur. Missus est Victor Garbiensis: qui inter quadraginta basilicas, locum, ubi suos colligeret, non invenit. Itaque speluncam quamdam foris a civitate cratibus sepserunt Donatistæ, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent: unde Montenses appellati sunt: usque ad Syricii tempore hic perseverarunt eorum Episcopi. Victori successit Bonifacius, Bullitanus; huic Encolpius; illi Macrobius; Macrobio Lucianus; ultimus Claudianus. Donatistæ tamen se Romæ habere Episcopum, cui communicarent, per illud tempus gloriabantur, sed qui a D. Petro per continuam successionem non descenderet, nec ejus cathedram teneret. Aug. in brev. collat. 3. die c. 21. Aug. in Ind. collat. 3 die c. 549. Optat. l. 2. c. 4.

LXVI. Licinius vero, qui antea religionem Christianam coluerat, post cladem acceptam animo mutatus, Christianis supra modum erat infensus, existimans eos id unum optare, ut Constantinum solum haberent Imperatorem. Illius tamen metu primo quidem occulte eis struebat insidias, verbis dissimulans. Quippe lege lata Episcopos ad Gentilium ædes vetuit accedere, ne scilicet Christianorum religio hujusmodi obtentu propagaretur; præcepitque ne Episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius sibi vicini Ecclesiam ventare liceret, & Synodos & Concilia de communibus negotiis habere. Verum illi hæc ad nos vexandos occasio quærebatur; nam, si nostri legem violassent, pœnam subire eos oportebat: sin præcepto paruissent, ecclesiasticas leges convelli. Et quoniam Constantinus famulos Dei in palatium libenter admittebat, Licinius contraria sentiens, cunctos Dei cultores, qui sub imperio suo degebant, palatio expulit; & quos in comitatu suo habebat fidissimos, eos præcipue in exilium relegavit. Quique ob egregia facinora, vel honore aliquo, vel dignitate ab ipso antehac fuerant ornati, hos aliis servire, & famulorum ministeria obire mandavit. Cumque omnium bona tanquam lucrum aliquod sibi oblatum rapuisset, ad extremum mortem quoque minatus est iis qui salutare nomen sibi Christianæ religionis assumerent. Socrat. l. 1. c. 3. Sozom. l. 1. c. 7. *Licinii persecutio.* Euf. l. 1. vit. Const. c. 51. Ib. c. 52.

Cum in omnem libidinem ac lasciviam effusus esset, de communi omnium natura ex suomet ipsius morbo pessime judicans, alteram legem tulit, qua jubebat, ne viri orandi causa in Ecclesiam Dei simul cum mulieribus convenirent. Postremo, ne Episcopi divinæ religionis præcepta mulieribus traderent, sed ut mulieres ad id electæ docendis mulieribus præficerentur. Quæ cum ab omnibus riderentur, aliud quidpiam commentus est ad Ecclesiarum eversionem. Jussit enim ut solemnes populorum conventus extra portas in aperta planitie celebrarentur; asserens, liberum extra portas aerem turbis longe commodiorem esse, quam oratoria intra urbem sita. Verum cum ne in hoc quidem obsequi sibi videret, tandem rejectis ambagibus, decrevit ut milites, qui per singulas urbes apparebant judicibus, nisi dæmonibus sacrificare mallent, ab apparitione Præsidialis officii removerentur. Proinde officia magistratuum per singulas provincias viris piis ac religiosis nudabantur. Prohibuit etiam ne quis homines in vinculis fame contabescentes miseratione Ib. c. 53. Ib. c. 54.

prose-

CHRISTI AN. 320.

prosequeretur ; hoc est, ne quis omnino vir bonus existeret. Quin etiam legi adjecta erat hæc pœna, ut qui inclusis stipem dedissent, pari eum ipsis supplicio plecterentur.

Hier. de script. Eccles. *Lactantii Institutiones.*

LXVII. Dum religionem sic exterminare tentat Licinius, Dei cultum defendit L. Cœlius Firmianus, qui & Lactantius, vir eruditissimus, qui circa idem tempus Institutionum libros septem adversus Gentes Constantino nuncupavit, qui in Gallias acciverat eum, ut filium suum Crispum Cæsarem latinis literis erudiret. " Hoc opus, inquit in proœmio, nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri & cognovisti & honorasti. „ Poetarum & Philosophorum testimonio esse Deum unicum, cujus potestate & providentia regitur mundus universus, probat in primo libro ; simulque falsorum numinum cultum refellit, ostendens eos fuisse homines impios, qui militari gloria, vel ob quædam in hominum genus collata beneficia, vel generis prærogativa, divinos honores consecuti sunt. Mithologiam hic exacte explicat. Observat Belum, quem primum coluere Babylonii & Assyrii ; & Saturnum, qui & Sator omnium deorum a Græcis dictus est, bello Trojano trecentis ac viginti duobus annis esse antiquiores, ac mille & quingentis annis ante Christum esse natus, ac proinde non esse deos.

In secundo libro agit de creatione mundi, cujus vel aspectu Dei Creatoris omnipotentia & sapientia sese manifestat. Adulatio vero quorumdam impia introdusit simulacra, ex quibus dæmonis invidia invecta est idololatria, cujus originem retegit ; hinc ille liber inscriptus est de origine erroris. In tertio libro Philosophorum authoritatem elevat ex perpetua eorum discordia, gravibus erroribus, perversisque moribus ; ostenditque eos ignorasse summum bonum, qualis est solus Deus. Unde concludit a vanitate Philosophorum transeundum ad veram sapientiam, scilicet ad Verbum Dei, in quo solo veritas invenitur, & virtus & beatitudo . . . . Ibidem capite secundo. " Naturam, inquit, hominis hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis, & sapientiæ ; sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia ; aut sapientiæ soli student omissa religione, cum alterum sine altero esse non possit verum. „

Religionem & sapientiam veram apud solos Christianos esse demonstrat liber sequens : In eo tractat de natura Verbi divini, quod ut Deus a Deo Patre procedit per æternam generationem ; ut Homo Mariam Virginem habet Matrem : illius Incarnationem exponit reliquaque mysteria, sed non satis

Hieron. ep. 13. ad Paulin.

accurate, teste D. Hieronymo, qui de eo scripsit: Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. Ethnicam enim superstitionem evertit funditus. Quintus liber inscribitur de Justitia, scilicet Dei, tum adversus Infideles, quos eorum cœcitati traditos reservat æternis suppliciis ; tum erga Fideles, quos ab impiis affligi permittit ad præmium.

Sextus liber, qui inscribitur de vero cultu, duas habet quasi partes, pro diversis Christianæ justitiæ officiis, tum erga Deum, tum erga proximum.

Lact. l. 6. cap. 10.

" Nihil, inquit, sancta & singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam ; quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit. „ Hinc agit de virtutibus, & veras a falsis & apparentibus discernendas docet. Tum subjicit : " Dixi quid debeatur Deo : dicam nunc quid homini tribuendum sit : quamquam idipsum quod homini tribueris, Deo tribuitur, quia homo Dei simulacrum est ; sed tamen primum officium justitiæ est, conjungi cum Deo, secundum cum homine : sed illud primum religio dicitur ; hoc secundum misericordia vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria est justorum & cultorum Dei, quod ea sola vitæ communis in se continet rationem. Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu & periculo tutiora generavit. Hominem vero, quia nudum fragilemque formavit, ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculum est humanitas ; quod qui diripuerit, nefarius & parricida existimandus est. „ Infra varia beneficentiæ genera & effectus explicat, agitque de iis, quæ nos a via virtutis avocant, & præsertim de spectaculis, quæ Christianis esse vetita docet. " Vitanda, inquit, spectacula omnia, non solum ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata & pacifica esse debent ; sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, & a Deo atque bonis operibus avertat. „ Liber septimus est de divino præmio, seu cœlesti gloria, & judicio ultimo, quod præcedent multa prodigia, & Romani Imperii dissipatio. Eorundem epitomem libello comprehendit. Ib. c. 20.

Lactantii liber de ira Dei.

LXVIII. Libellum alium de ira Dei scripsit adversus Philosophos; quorum alii, ut Epicurei, sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam seu beneficentiam putabant. Alii vero, ut Stoici, aliquanto melius de divinitate sentientes, ajebant beneficentiam in Deo esse, iram non esse. Utramque opinionem falsam esse demonstrat, & consequens esse, ut Deus irascatur, quoniam gratia commovetur. Lact. l. de ira Dei cap. 6.

Hæc tuenda nobis, inquit, & asserenda sententia est. In ea enim summa omnis ratio & cardo religionis pietatisque versatur : nam neque honos ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti ; nec ullus metus, si non irascitur non colenti. „ Quod minus exacte dictum est. Hæc est summa totius illius argumentationis. Divina providentia mundus regitur & gubernatur : est ergo religio quæ sit pars illius providentiæ, cujus legibus homines subjacent. Igitur ejusmodi leges dum violant, peccant in Deum, cujus providentia exigit ut sit scelerum ultor. Ergo Deus irascitur.

Disputantem eum audire juvat. " Deus, inquit, sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium. Solus est enim qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera ejus admirari, virtutem potestatemque perspicere. Idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cæteros animantes rectus corpore ac status factus est, ut ad contemplationem Parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem Domini sui possit : postremo idcirco ei cuncta subjecta sunt, ut factori atque artifici Deo esset ipse subjectus. Si Deus ergo hominem suum voluit esse cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur, utique & justissimum est & Deum colere videlicet eum qui tanta præstiterit ; & amare hominem qui sit nobiscum divini juris societate conjunctus. Nec enim fas est cultorem Dei a Dei cultore violari. Unde intelligitur religionis aut justitiæ causa hominem esse figuratum, cujus rei testis est M. Tullius in libris de legibus, ita dicens: Sed omnium, quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos. Quod si est verissimum, Deus ergo vult omnes homines esse justos, id est, Deum & hominem charos habere; Deum scilicet honorare tanquam Patrem, hominem diligere velut fratrem ; in his enim duobus tota justitia consistit. Qui ergo aut Deum non agnoscit, aut homini nocet, injuste, & contra naturam suam vivit ; & hoc modo rumpit institutum, legemque divinam ...... Hæc est Dei voluntas, hæc divina Lex, quam qui sequitur, qui observat, Deo carus est. Necesse est igitur ut ita moveatur adversus eum, qui hanc æternam divinamque Legem aut violaverit, aut spreverit. Quapropter nemo vaniloquentia Philosophorum inductus, ad contemptum se Dei erudiat ; quod est maximum nefas. Debemus hunc omnes & amare, quod Pater est, & vereri, quod Dominus, & honorificare, quod beneficus, & metuere, quod severus ; utraque persona in eo venerabilis. Quis salva pietate non diligat animæ suæ parentem ? aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator habet in omnes veram & æternam potestatem ? Si Patrem consideres, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, subministrat. Per illum vivimus, per illum in hospitium hujus mundi intravimus. Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copiis alit, ille sustentat, in hujus domo habitamus, Ib. c. 14. Cap. 16. Cap. 23.

Christi An. 320.

hujus familiæ sumus, & si minus obsequens quam decebat, minusque officiosa quam Domini & parentis immortalia merita poscebant, tamen plurimum proficit ad veniam consequendam, si cultum ejus notionemque teneamus. „

Lactantii liber de opificio Dei. Cap. 1.

LXIX. Alterius libelli de opificio Dei argumentum sic ipse proponit. " Tentabo corporis & animi rationem, quantum pusillitas intelligentiæ meæ pervidet, explicare......quæ plane obscura non est, quia ex ipsis membrorum officiis & usibus partium singularum, quanta vi providentiæ quisque factus sit, intelligere nobis licet. „ Hunc scripsit ad Demetrianum auditorem suum, quem sic alloquitur: " Ego quidem lætor omnia tibi, quæ pro bonis habentur, prospere fluere, sed ita, si nihil de statu mentis immutent. Vereor enim ne paulatim consuetudo vel jucunditas earum rerum, sicut fieri solet, in animum tuum sensim repat. Ideoque te moneo, repetens iterumque monebo, ne oblectamenta ista terræ pro magnis aut veris bonis habere te credas, quæ sunt non tantum fallacia, quia dubia; verum etiam insidiosa, quia dulcia. Nam & ille colluctatur & adversarius noster scio quam sit astutus, & idem ipse violentus, sicuti nunc videmus. In hæc omnia quæ illicere possunt, pro laqueis habet, & quidem tam subtilibus, ut oculos mentis effugiant, nec possint hominis provisione vitari. Summa ergo prudentia est pedetentim incedere, quoniam utrobique saluti insidet, & offendicula pedibus latenter opponit. Itaque res tuas proprias, in quibus nunc agis, suadeo, ut pro tua virtute, aut contemnas, si potes, aut non magnopere mireris: memento & veri parentis tui, & in qua civitate nomen dederis, & cujus ordinis fueris. Intelligis profecto quid loquar. Hæc quam aliena sunt ab adulatione perniciosa. „ Illius libri de persecutione seu de morte persecutorum meminit D. Hieronymus; ejus præcipua fragmenta supra descripsimus. Alii ejus libri & epistolæ periere.

Hier. de script. Eccles.

Lactantii nævi. Hieron. epist. 41. alias 65. Lactant. Inst. l. 2. c. 15. l. 7. c. 21. & 24. l. 6. cap. 20. l. 4 c. 18.

Lactantius suos nævos habet, & quidem non leves. In epistolis ad Demetrianum, inquit D. Hieronymus, Spiritus sancti omnino negat substantiam: & errore Judaico, dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari. Præterea docuit Angelos mulierum congressibus se coinquinasse, unde nati sunt terreni dæmones. Visionem beatificam sanctis ante judicii diem non esse concedendam; Christum cum Sanctis in terris per annos mille regnaturum, idque post annos ducentos. Pilatum adversus Christum non protulisse sententiam, sed tradidisse Judæis, ut de illo judicarent. Demum militiam & accusationem in causa capitali esse illicitam Christiano. Hinc ejus opera in classem Apocryphorum rejecit Gelasius Pontifex: utrum de Filio Dei recte senserit, ambiguum est. Hunc sibi vindicant Antitrinitarii, quibusdam Catholicis non reclamantibus. Illius quidem plerique textus favent Arianismo, vixque possunt benigniore interpretatione molliri. Alii vero sensum exhibent prorsus Catholicum. Quid enim his ejus verbis magis orthodoxum? " Forsasse quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen asseveremus, Deum Patrem & Deum Filium, quæ asseveratio plerosque in maximum impingit errorem. (Tum respondet) Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni, siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est. „ En Filius Patri consubstantialis affirmatur. Hinc puto quandoque minus exacte locutum, recte tamen sensisse Lactantium, qui securius loquebatur, cum nedum exorta esset Arianorum hæresis.

Lactant. Inst. l. 4. cap. 29. vet. edit.

Sozom. l. 1. c. 9. *Constantini leges pro Christianis.*

LXX. Constantinus etiam edictis suis promovit religionem. Abrogavit legem Papiam, quæ vetabat ne cœlibes ab anno ætatis quinto & vicesimo pari jure essent cum maritis, tum in aliis plurimis rebus, tum in eo, ut nihil ex testamento caperent qui non essent genere proximi. Orbos vero multabat dimidia parte bonorum, quæ ipsis relicta erant. Cum igitur adverteret Imperator eos, qui virginitatem & orbitatem propter amorem Dei consectarentur, ob id pejore loco esse, Sardicæ legem dedit pridie Kalendas Februarii anno Christi trecentesimo vigesimo. " Ut qui jure veteri cœlibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur, sitque omnibus æqua conditio capessendi quod quisque mereatur. Nec vero quisquam orbus habeatur. Proposita huic nomini damna non noceant. „ Quin etiam lege sanxit, ut qui in virginitate & continentia vitam agerent, sive viri, sive fœminæ, licet adhuc impuberes liberam haberent facultatem testamentum faciendi. Anno sequenti nonis Martii edixit: " Ut omnes Judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium otia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ libere licenterque inserviebant. „ Decrevit etiam, ut diem, qui est pridie sabbati, similiter honorarent, in memoriam, ut videtur, earum rerum, quæ a communi omnium Servatore, illis diebus gesta esse perhibentur, nec non etiam ut iis diebus conventus suos pro more liberius agerent Christiani.

Christi An. 320. Cod. Theod. l. 8. c. 1. Sozom. ibid. Cod. l. 3. tit. 22. Eus. vit. Const. l. 4. c. 18. & 19. Ibid.

Porro cum exercitum omnem ad salutaris diei, qui solis appellatur nomine, religiosum cultum institueret, iis quidem, qui fidem divinitus inspiratam amplexi erant, exercendi se ex more institutoque Ecclesiæ Dei tempus atque otium indulsit, quo absque ullo impedimento orationibus vacarent. Reliquis vero, qui divinæ fidei doctrinam nondum susceperant, alia lege præcepit, ut Dominicis diebus in campum purum procederent, & precationem, quam antea didicissent, simul omnes signo dato ad Deum funderent. Ipse porro precationis formam cunctis militibus tradidit, jubens ut latino sermone omnes pronuntiarent in hunc modum. Te solum agnoscimus Deum, te Regem profitemur, te adjutorem invocamus. Tui muneris est, quod victorias retulimus, quod hostes superavimus. Tibi ob præterita jam bona gratias agimus, & futura a te speramus, Tibi omnes supplicamus, utque Imperatorem nostrum Constantinum una cum piissimis ejus liberis incolumem & victorem diutissime nobis serves, rogamus. Infamem magiæ artem proscripsit, pœna in maleficos constituta. Supplicium crucis, quod antea apud Romanos erat usitatum, sustulit.

Ib. c. 20. Cod. Just. l. 9. tit. 18. l. 4.

Beneficiis quoque non parvis affecit Ecclesiam. Legata percipiendi jus ei restituit, hac lege Romæ data quinto nonas Julii. " Habeat unusquisque licentiam sanctissimo Catholico venerabili Concilio decedens, bonorum quod optaverit relinquere, & non sint cassa judicia ejus. Nihil enim est quod magis hominibus debeatur, quam, ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus. „ Denique litigantibus permisit ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent, eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset, utque res ab Episcopo judicatas Rectores provinciarum eorumque officiales executioni mandarent.

Cod. l. 1. tit. 2. Sozom. l. 1. c. 9.

Idololatriam vero adhuc præpotentem & sensim & quasi per partes abolendam ratus, aliquid indulgendo, dum quod gravius est prohibet, decimo sexto Kalendas Januarii Sardicæ dedit hoc rescriptum ad Maximum Præfectum urbis: " Si quid de palatio nostro, aut cæteris operibus publicis devastatum fulgure esse constiterit, retento more veteris observantiæ, quid portendat, ab aruspicibus requiratur, & diligentissime scriptura collecta ad nostram scientiam referatur. Cæteris etiam usurpandæ hujus consuetudini licentia tribuenda, dummodo sacrificiis domesticis abstineat, quæ specialiter prohibita sunt. „

Cod. Theod. lib. 1. de Pagan.

LXXI. Licinius e contra eo furoris processit, ut Episcopos etiam adoriretur, quos cum suis consiliis ac facinoribus adversos esse, utpote summi Dei famulos, existimaret: nondum quidem aperte, metu scilicet Constantini, clam tamen & subdole est aggressus, & ex illis probatissimum quemque structis per Præsides suos insidiis interemit....... Basileus Amasenæ Episcopus, vir illustris, qui & Neocæsariensi & Ancyranæ Synodis interfuerat, gratus Tyranno victima mactatur. Ecclesiæ Dei, aliæ iterum solo æquatæ sunt, aliæ clausæ, ne quisquam eorum, qui eas adire consueverant, eo conveniret, & su-

Eus. hist. l. 10. c. 8. Martyr. Rom. & Hieron. 26. April.

premo

CHRISTI AN. 320.

premo Numini cultum exhiberet .... Præsides quotquot Principis gratiam captabant, cum sceleratissimo Tyranno id placere intelligerent, Episcopos partim iisdem, quibus maleficos homines, pœnis subjiciebant .... Quidam vero novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpora in multa partes frustatim conciso, & post atrox hujusmodi atque horrendum spectaculum, ut piscibus cibum præberent, in altissimum mare projecti.

Ibid.

Post hæc igitur Dei cultores fugam inire denuo cœperunt. Iterum agri, iterum solitudines, iterum montes ac sylvæ famulos Christi suscepere. Quæ cum ad hunc modum impiissimo Tyranno succederent, deinceps persecutionem adversus omnes

Martyres Euseb. l. 1. vit. Const. cap. 1. Niceph. l. 7. c. 44.

Christianos excitare in animum introduxit. Theodorum spectatæ fortitudinis virum, qui Heracleæ in Ponto Mariandynorum genti præerat, etiamsi egregie charum habuerit, multis tamen affecit cruciatibus; nam & in palum eum egit, & subulas in meatus secretiores corporis ejus immisit, postremoque capita truncavit. Sebaste in Armenia, D. Blasius Episcopus, multorum patrator miraculorum, sub Agricolao Præside, post diutinam cæsionem, atque in ligno suspensionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus disruptæ sunt, post teterrimum carcerem, & in lacos demersionem, unde salvus exivit, jubente eodem Judice, una cum duobus pueris capite truncatur. Ante eum vero septem mulieres, quæ guttas sanguinis ejus, dum torqueretur, colligebant, deprehensæ, quod Christianæ essent, post

Theod. l. 1. c. 7.

dira tormenta gladio percussæ sunt. Paulus etiam Episcopus Neocæsareæ, quod castellum est ad ripas Euphratis positum, Licinii rabiem expertus est. Ambabus enim manibus est debilitatus, candente ferro eis admoto; nervisque, quibus articuli moventur, contractis atque erectis, decoris hisce Christi insignibus ornatus Synodo Nicenæ interfuit.

Basil. hom. 20. tom. 1.

Ibidem, eodemque Christi anno trecentesimo vigesimo contigisse putamus celeberrimum quadraginta Christianorum militum martyrium, quod D. Basilius & Gregorius Nyssenus commendarunt posterit.... Præfectus Agricolaus Imperatoris literas eis cum ostendisset, & obedientiam requireret, libera voce, ac fortiter in medium procedentes, sese Christianos esse fassi sunt ...... Præfectus primum quidem ipsos, si quo modo a pietate obstinata posset avertere, dulci aggreditur sermone ..... Post hæc pecuniam pollicebatur atque honores .... Martyres vero: Quid, inquiunt, muneribus tuis nos demulcere studes? Putas ne tantum daturum, quantum eripere contendis? .... Quam Præfectus loquendi libertatem non ferens, mortem eis acerbissimam prolixamque parat. Sæviente hyeme dum Boreas perflaret, frigidissima nocte jussit omnes nudos sub dio congelando mori.... Igitur sancti Dei sub dio pernoctare in stagno quodam jussi sunt, quod præ mœnibus civitatis erat, ac per brumam ita glacie concretum apparebat, ut equis pervium, & accolarum pedibus tritum esset. Martyres ultimum nudati amictum alacriter rejicientes orabant.... Gratias agimus tibi Domine, quod cum isto amictu simul & peccatum exuere licet, quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum vero exuimus .... Exutus est etiam Dominus noster. Quid magnum, si ea quæ passus est Dominus, servus subeat?.. Quadraginta in stadium intravimus, utinam quadraginta, o Domine, coronemur! non desit numero ne unus quidem.....

Unus ex eorum numero cruciatos vi fatiscens animo, relicta statione, atque desertor inconsolabilem dolorem sanctis reliquit: nec propterea Dominus eorum vota inania permisit esse: nam prope aderat cui eorum custodia credita est, in gymnasio quodam e vicino sese calefaciens, rei exitum exspectabat, paratus suscipere, si quis militum perfugeret. Nam & hoc excogitatum fuerat, ut prope balneum esset, quo iis, qui propositum mutarent, promptum foret frigoris levandi remedium. Cum igitur ille eventum observaret, spectaculum vidit inusitatum, virtutes quasdam e cœlis descendentes, & tanquam a Rege magna dona militibus dividentes, quæ aliis quidem omnibus dona distribuebant, uno excepto milite transfuga, qui ubi calidam attigit aquam, statim interiit.... Lictor ut illum defecisse vidit, seipsum in desertoris locum substituit, & abjectis indumentis sese nudis immiscuit, dicens: Christianus sum? & mœstos ob socium amissum sanctos consolatus est ... Cum vero primum illuxit, adhue spirantes igni traditi sunt, ac cineres in fluvium projecti, ut per omnem creaturam eorum transiret certamen.... Melitonis unius illorum mater videns reliquos gelu jam consummatos, suum vero filium, ob vires aliquantulum validiores, adhuc spirantem; & cum lictores ipsum relinquerent, ut qui posset consilium nonnihil mutare, ipsum propriis accepit manibus, ac currui, in quo reliqui jacentes ad pyram ferebantur, imposuit martyris vera mater...... O nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne unus desit illorum choro, ne reliquis serius Domino præsenteris. Die nono Martii eorum memoria celebratur.

Act. sinc. in Janu. Boll.

Ægyptii quoque triginta septem viri fortissimi & athletæ Christi unanimiter accesserunt ad martyrium, in persecutione Licinii, ut plures probabiliter opinantur. Passio quidem certa tum ex actis, tum ex Martyrologiis, sed tempus incertum. Divisi in quatuor turmas circuibant Ægyptum, ut verbum Dei disseminarent ... Hæc audiens Præfectus Ægypti, jussit eos sibi præsentari, præsentatosque cœpit blandis affari verbis, ut diis sacrificarent. Liberate, inquit, vos de morte amarissima, quia lex Imperatorum aut sacrificare, aut mori præcepit. Paulus autem hujus agonis principalior respondens dixit: Nos scimus, quia diis sacrificare perniciosius est quam mori: illud quidem abnuimus ut contrarium; tu vero occide, & ne parcas, nos enim dæmonibus non sacrificabimus. Audiens hæc Judex & exasperatus, jussit eos, qui ad Orientalem partem erant sortiti, igni tradi; Septentrionales vero capita plecti; eos vero, qui erant ad partem Meridianam, igne cremari; & eos, qui ad Occidentalem, crucifigi præcepit. Plurimos alios sub Licinio passos esse testantur Martyrologia; sed eorum acta legitima saltem pura non supersunt.

Anony. Valef.

LXXII. Famulorum suorum protector Deus Constantinum in has partes perduxerat. Thessalonicæ versabatur cum exercitu; Gothi per neglectos Licinii limites eruperunt; sed Constantini terrore & impetu repressi, captivos illi impetrata pace reddiderunt. Licinius hoc contra fidem factum questus est. Deinde cum variasset inter supplicantia & superbe mandata, iram Constantini merito excitavit, qui non amplius dissimulandum esse ratus, Christianis oppressis auxilium ferre properavit. Itaque se-

Vict. de Cæs.

xennio post Cibalensem prælium, ac proinde anno Christi trecentesimo vigesimo, rupta pace, bellum exarsit inter duos Imperatores. Dum paratur, Licinius scelere, avaritia, crudelitate, libidine sæviebat, occisis ob divitias pluribus. Dimissis ad natio-

Zozim. l. 2. c. 22.

nes hinc inde nunciis, idoneas bello naves ducentas & septuaginta collegit: peditum habebat ad centum & quinquaginta prope millia, equitum quindecim millia. Theogenem aliosque juvenes Christianos professam detrectantes militiam jussit interfici. Constantinus quoque vires suas colligens, naves, quæ singulæ triginta remis agerentur, ducentas habuit, & onerarias plures quam bis mille, peditum quoque centum & viginti, & equestrium copiarum ad decem millia. Cœlestium vero virium majora sibi comparavit auxilia; cumque precationibus, si unquam antea, sese tunc maxime indigere intelligeret, sacerdotes Dei secum duxit; eos velut optimos animæ custodes adesse coram, & secum versari debere existimans.

Euf. vita Const. l. 2. c. 4.

Tyrannus cum audisset Constantinum non aliter quam divino auxiliante Numine victoriam de hostibus parare, salutarisque passionis signum ejus exercitum antecedere, hæc impius risu digna censebat. Ipse vero divinos & vates Ægyptiorum, idolorumque sacrificulos sibi adjunxit; deosque placatos sacrificiis, ex iis sciscitabatur belli exitum. Victorem hostium illum fore responderunt. Fallacibus eorum pollicitationibus inflatus, cum ingenti fiducia ad ca-

cap. 5.

stra progressus est. Cum bellum jam orsurus esset, ex protectoribus & honoratoribus amicis lectissimos quosque in quemdam locum, qui ab ipsis sacer habebatur, coegit. Hic plurimæ statuæ deorum sculptæ ex lapide visebantur. His cum cereos accendisset, & solemni ritu sacrificasset, ad circumstantes hujusmodi verba fecit, ut nobis, inquit Eusebius, illi ipsi, qui interfuerant, retulerunt.

Ibid.

Viri amici & commilitones; hi quidem quos colimus, & quos ab ultimis usque majoribus colen-

CHRISTI AN. 320.

dos accepimus, dii sunt patrii. Iste vero, qui adversarum nobis partium copias ducit, moribus institutisque majorum violatis, ad impiam nullos credentium deos opinionem descivit, peregrinum quemdam nescio unde quæsitum temere amplectens Deum. Quin etiam turpissimo ejus signo exercitum suum dehonestat. Eoque confisus, non tam adversus nos, quam adversus ipsos quos violavit deos, armatus procedit. Præsens igitur dies manifeste arguet, uter nostrum cœco errore ducatur? & de diis, qui apud nos, aut qui ab adversarum partium hominibus coluntur, judicium feret. Aut enim concessa nobis victoria deos nostros vere servatores atque auxiliatores esse jure merito declarabit; aut si diis nostris, qui quam plurimi sunt, unus ille Constantini Deus superior extiterit, nemo post hæc in dubium revocet, quisnam colendus sit Deus, sed ad potiorem accedat, eique victoriæ præmium deferat . . . Sin vero nostri superiores extiterint, quod quidem nemini dubium esse potest, post partam hoc loco victoriam, impiis deorum contemptoribus bellum inferre aggrediemur. Constantinus vero & Crispus Cæsar ejus filius, summo omnium Rege ac Servatore Dei Filio ac Deo, duce & adjutore fulti, acie inter se divisa, Deique hostibus undique circumjecta, perfacilem victoriam retulerunt; cum Deus in conflictu cuncta ipsis prona atque expedita ex animi sententia præstitisset. Liciniani ad triginta & quatuor millia ceciderunt.

Eus. hist. l. 10. c. 9. *Constantinus vincit Licinium.*

Illud vero in ea pugna memoria dignissimum. Cum salutare Crucis trophæum Constantini exercitum antecederet, ubicunque hoc signum conspectum fuerat, continuo fuga hostium, victoribus terga illorum prementibus, sequebatur; quo Imperator comperto, sicubi agmen aliquod exercitus sui premi animadverteret, illico salutare trophæum tanquam efficacissimum quoddam ad parandam victoriam amuletum inferri jubebat. Quo facto statim victoria sequebatur; divina utique virtute animos viresque pugnantium confirmante. Aliud quoque prodigium accidit. Constantinus ex Protectorum numero quinquaginta viros fortes & pios elegit, qui Crucis signum alternatim singuli humeris suis gestarent, alii vero satellitio suo custodirent, cum forte inter pugnandum ingens strepitus exercitum conturbasset: is, qui hoc signum ferebat, metu perculsus, alteri gestandum tradidit, ut ipse discrimen evaderet: vix alter signum gestandum susceperat, cum ecce is, qui se subripiens signi custodiam deseruerat, telo in ventre percussus occubuit. At salutare Crucis trophæum ei, qui ipsum sublime gestabat, incolumitatem præstitit; in quem cum tela undique jacerentur, signifer quidem ipse salvus evasit: hasta vero salutaris trophæi missilia excepit. Erat id spectaculum omni miraculo majus, cum cuncta hostium tela in brevissimum illum hastæ ambitum caderent, atque in eam defigerentur, signifer servabatur incolumis, adeo ut nullo unquam telo ferirentur quicunque hoc ministerium obibant. Hæc Imperator, inquit Eusebius, ipse nobis, dum in otio agerec, narravit. Qui Cruces ut idola demoliuntur, vel irrident, his quid opponent?

Zozim. l. 2. c. 23. Eus. vit. Const. l. 2. c. 7. 8. 9. *Vexilli Crucis virtus.*

Licinium Byzantium fuga delatum Constantinus obsedit, navarchis ad ostium Hellesponti adesse jussis. Amandus Licinianæ classis præfectus eos aggreditur, sed infelici exitu; nox prælium diremit. Postridie e portu Ajacis egressus ad secundam navalem pugnam se parabat; sed exortus Auster vehemens Licinii classem ad littus Asiaticum ejectam, partim saxis impegit, partim cum vectoribus demersit; ita quidem ut hominum quinque millia, & naves centum triginta perirent. Licinius inops consilii, deserta civitate, exercitus infirmiore parte relicta, cum maxime idoneis navigio Chalcedonem delatus, adjunctum sibi socium periculi Martianum officiorum magistrum dicit Cæsarem, & cum exercitu Lampsacum mittit, impediturum, quominus hostes e Thracia transirent ad Hellespontum. Ipse copias suas in collibus & faucibus ad Chalcedonem collocat. Constantinus Byzantium ingressus, veritus inaccessas onerariis præsertim navibus oras Bythinici littoris, celoces & cymbas quam citissime construi jussit.

Zozim. l. 2. c. 25.

Interim cum adeunt quidam Philosophi, conquerentes quod non recte Deum coleret, & novum cultum in Rempublicam introduceret contra morem institutumque majorum suorum, & omnium retro Principum. Petebantque, ut de hac doctrina cum Alexandro Episcopo disputarent. Ille vero, licet in hujusmodi certaminibus parum exercitatus, vitæ tamen integritate fretus, certamen subiit, Imperatore ita præcipiente. Itaque cum Philosophi convenissent, ac simul omnes disputare vellent, postulavit Alexander, ut unum ex ipsis, quem vellent, eligerent, reliqui vero sedentes silentium servarent. Cumque unus ex illis disputandi partes suscepisset: In nomine Jesu Christi, inquit Alexander, præcipio tibi ne loquaris. Quo dicto, protinus vir ille frænata lingua obmutuit.

CHRISTI AN. 320. & 321.

Sozom. l. 1. c. 18.

Christianæ religionis veritatem miraculo probat Deus.

Constantinus paucis post diebus ad Promontorium sacrum, quod Chalcedone ducentis stadiis abest, navigat, expositisque ibi copiis, quosdam in colles ascendit. Licinius simulatione utens iterum amicitiam ac fœdera renovari poscebat. Verum occulte militarem apparatum instruebat, & barbarorum auxilia undique conquirebat. Constantinus vero pacem illi sub certis conditionibus indulgere non recusavit: sed Licinii fraude cognita, cum altero prælio sibi opus esse cerneret, Servatoris sui cultui diligenter vacavit; & Crucis quidem tabernaculum fixit extra castra, ubi pure & caste degens, preces ad Deum fundebat, ab omni quidem joco & delicatiori vitæ cultu abstinens; jejuniis vero aliisque hujusmodi exercitationibus corpus fatigans; atque id semper facere consueverat, quoticscunque certamen esset initurus. Porro cum sedulo atque impense Deo supplicaret, semper Deus ei præsentiam suam exhibere dignatus est. Ad pugnam tandem decretoriam ventum, quæ decimo quarto Kalendas Octobris anni trecentesimi vigesimi primi prope Chalcedonem committitur.

Eus. vit. Const. l. 2. c. 11. 12. 13. 24

Licinius Martianum Lampsaco accersit, & Gothis auxiliantibus, occurrit hostibus. Porro cum reipsa didicisset divinam potentiam in salutari trophæo inesse, cujus ope Constantini exercitus victoriam referre consuevisset, milites suos admonuit, ne ex adverso illi congrederentur, neve in illud temere ac fortuito oculos conjicerent. Quippe illud signum incredibili vi pollere, ac sibi privatim infestum adversumque esse ajebat; atque idcirco cavendum esse ne adversus ipsum pugna iniretur. Principio quidem sustinebat Constantinus, parcens interim ferro, ne videretur prior pugnam iniisse; idque ob fœderum, quæ pepigerat, religionem: sed posteaquam hostes obstinato animo peritare, jamque gladios distringere animadvertit, indignatione commotus, minimo temporis momento cunctas hostium copias in fugam vertit, quorum centum millia vel cæsa, vel capta sunt: Licinius cum equitibus contendit Nicomediam. Ibi statim obsessus, rebus desperatis, Constantino supplicare decrevit. Sequenti die Constantia soror Constantini, uxor Licinii, venit ad castra fratris, & marito vitam popolcit & impetravit. Licinius urbe egressus, reddita purpura, Constantinum Dominum & Imperatorem salutat, privatusque factus mittitur Thessalonicam. Martianus paulo post interficitur in Cappadocia.

Licinius debellatus se dedit Constantino. Ib. c. 16. & 17.

Excerp. Valef.

LXXIII. Constantinus Victor Orientem recepit, & Imperium Romanum solidum, sicut olim fuerat, & coadunatum sub suam unius potestatem redegit, ac Dei quidem unius dominationem primus omnibus prædicavit, illumque victoriarum authorem fuisse, non autem seipsum professus est publicis literis. Omnis jam metus malorum, quibus cuncti homines oppressi fuerant, penitus exciderat. Choris & hymnis Deum omnium Regem celebrabant. Tunc etiam in Oriente proposita sunt Imperatoris edicta plena humanitatis, & leges quæ sinceram ac religiosam Dei observantiam spirarent. Ac primum quidem eos, qui propterea quod idolis sacrificare noluissent, a Rectoribus provinciarum relegati, domum revocarunt. Eos deinde qui eandem ob causam curiis addicti fuerant, publicis functionibus liberarunt; & qui facultatibus spoliati fuissent, iis bona sua restitui preceperunt; eademque de causa ad metalla damnati, aut publicis operibus mancipati, his omnibus subito soluti molestiis libertatem adepti sunt. Honore vero militiæ spoliatos sic restituit munificentia Imperatoris, ut vel propria recuperarent officia, & pristino honoris gradu fruerentur; vel si quietam

Eus. vit Const. l. 2. c. 19. *Constantinus victor pacem reddit Ecclesiæ Orientali.* Ib. c. 20.

vitam

Digitized by Google

CHRISTI AN. 322.

vitam degere mallent, ab omnibus deinceps functionibus immunes permanerent. Denique quotquot ignominiæ causa gynæceis mancipati fuerant eos Imperator libertate donavit.

Ecclesiarum primæ possessiones. Ib. c. 21.

Sanctorum etiam martyrum bona, qui in ipsa confessione mortem obiissent, ad proximos eorum devolvi jussit. Quod si nullus genere ipsis conjunctus reperiretur, hæreditatem eorum Ecclesiis deferri. Ecclesiarum igitur primæ possessiones fuit martyrum patrimonium. Bona autem quæ ex fisco, vel per venditionem, vel per donationem ad alios translata fuerant, aut quæ penes fiscum remanserant, Dominis restitui debere, indulgentiæ Imperialis epistola præcipiebat. Martyria pariter seu loca, quæ martyrum reliquiis honorata sunt, & cæmeteria reddi jussit Ecclesiis. Sciant tamen, inquit, qui hæc emerint, nostram benignitatem, quo ad ejus fieri poterit ac decebit, sibi non defuturam. Infidelibus & universis Provinciis multo plura donavit. Et quoniam legum diversitas multarum litium erat occasio, decimo septimo Kalendas Junii, Crispo & Constantino Cæsaribus tertium Consulibus, seu anno trecentesimo vigesimo secundo hoc promulgavit edictum. Remotis Licinii tyranni constitutionibus & legibus, omnes sciant veteris juris, & statutorum nostrorum observari debere sanctionem. Eodem anno ineunte Licinius res novas moliens ejus jussu occisus est, annum dominationis fere post quartum & decimum, vitæ sexagesimum.

Cod. Theod. lib. x. Socrat. l. 2. c. 4.

Eus. vit. Const. l. 2. c. 43. 44. 45. *Præfecti Christiani.* *Prohibita sacrificia.* *Ecclesias ædificare permittit Constant. & sumptus suppeditat.* Cap. 46.

Cæterum ea, quæ lege sancita fuerant, continuo executioni mandata sunt. Imperator post hæc serio manum operi admovit. Ac primum quidem in singulis Provinciis eos Præsides ut plurimum misit, qui salutari fidei dicati essent. Quod si qui eorum Græcæ superstitioni dediti esse viderentur, iis vetitum erat sacrificare. Eadem lex illis etiam imposita est, qui dignitate Præsides anteibant, & Præfecturæ Prætorianæ potestatem obtinebant. Exinde duæ leges uno eodemque tempore sunt emissæ. Altera, quæ detestanda idolorum cultus sacrificia, per urbes olim & per agros passim fieri solita, prohibebat, ita ut nullus deinceps nec statuas deorum erigere, nec divinationes & ejusmodi vanas artes attentare, nec victimas cædere auderet. Altera lex, quæ oratoriorum fabricam in sublime erigi, & Ecclesias Dei tam latitudine, quam longitudine ampliores effici, aut sicubi usus postularent, novas ædificari præcipiebat ..... quæcunque autem necessaria fuerint, inquit in epistola quam ea de re scripsit ad Episcopos, & ipse, & reliqui tuo interventu, tum a Præsidibus Provinciarum petent, tum ab officio Præfecturæ Prætorianæ. His enim per literas præceptum est, ut omni diligentia iis, quæ tua sanctitas dixerit, obsequantur.

Cap. 48.

Edictum quoque de falso cultu multorum deorum misit ad Provinciales. In eo paucis perstringit initia vimque persecutionis adversus Christianos, fatalemque persecutorum exitum. Tum suum gratum erga Deum animum sic profitetur: " Nunc te Deus Optime Maxime oro atque obsecro, sis clemens ac propitius erga tuos Orientales: sis erga cunctos Provinciales diuturnis calamitatibus attritos, iisdemque per me famulum tuum salutem conferre velis. Atque hæc non sine causa a te postulo, omnium Domine & Sanctus Deus. Tuo enim ductu ac auspicio res salutares suscepi atque perfeci .... Tuum signum ubique præferens victorem exercitum duxi. Et quotiescunque publica exigit necessitas, Tuæ virtutis insignia sequens adversus hostes progredior. Has ob causas Tibi animum meum dicavi, amore simul ac timore probe temperatum ...., Sub finem adhortatur omnes, ut religionis causa nemo alteri molestiam facessat; nam licet optet omnes esse Christianos, neminem tamen adigere vult, sed quod cuique libitum fuerit, id agat. Demum in Oriente interdixit gladiatorum spectacula. Intemperantes & dissolutos concubitus antea minime prohibitos coercuit.

Cap. 55. *Constantinus edicto gratum suum animum erga Deum profitetur.* Cap. 60. Cap. 56.

Sozom. hist. l. 1. cap. 9. Theod. hist. l. 1. cap. 2. edit. Vales.

LXXIV. Sublatis de medio impiis Tyrannis Maximino & Licinio, firma deinceps tranquillitate fruebatur Ecclesia, quam illi præstitit Constantinus Imperator. Verum invidus ac pessimus dæmon, cum Ecclesiam tam felici cursu ferri cerneret, pati id non potuit, eamque submergere omni studio connisus est. Videbat patefactum jam esse gentilium errorem, & res quidem creatas a plerisque jam non amplius adorari, sed earum conditorem. Quocirca jam non aperte adversus Deum bellum excitavit, sed homines nactus nomine Christianos, verum ambitioni & inani gloriæ mancipatos, eos malitiæ suæ ministros designavit, efficiens ut opifex & conditor universi eodem cum creaturis ordine conseretur.

CHRISTI AN. 322.

Arii hæresis initia. Eus. vit. Const. l. 2. c. 61. Socr. hist. l. 1. cap. 4. Epiph. hær. 69. *Arii mores & habitus.* Sozom. hist. l. 1. cap. 15.

Hanc tempestatem excitavit Arius Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, cujus hæresim disseminatam post mortem Licinii cum Theodoreto testantur Eusebius, Socrates, Sozomenus. Comparata ita Arii persona fuit, ut facillime hominibus imponeret: fuit proceriore statura, tristiore specie, totaque corporis configuratione subdoli serpentis instar ad fraudem & fallaciam composita, ita ut callido illo externoque habitu facile simplicioribus animis obreperet; nam hemiphorium & colobium indutus in colloquiis ac salutationibus blandus erat imprimis, atque omnium animos adulationibus & illecebris devinctos tenebat. Hic cum rectæ doctrinæ studiosus propugnator initio visus esset, Meletium res novas in Ecclesia molientem adjuvit. Postea vero relictis ejus partibus, a Petro Alexandrinorum Episcopo diaconus est ordinatus. Rursus tamen Ecclesia pulsus ab eodem, propterea quod cum Petrus fautores Meletii excommunicasset, ipse Petri acta reprehendebat, neque ullo modo quiescere sustinebat. Postea vero quam Petrus martyrium pertulisset, Arius ab Achilla veniam precatus, ad diaconi officium rediit, & ad presbyteri dignitatem promotus est. Deinceps quoque Alexander illum in honore habuit, sacrorumque voluminum expositionem ei commisit, atque Baucalis Ecclesiæ administrationem.

Theod. hæret. fab. l. 1. Theod. hist. l. 1. cap. 3. Socrat. l. 1. c. 5.

Verum ille cum magnum Alexandrum in Pontificali cathedra sedentem videret, invidiæ stimulis exagitatus, livoris impetum ferre non potuit, discordiæque causas aucupari cœpit. Et calumnias quidem adversus illum contexere nullas poterat, cum vitam ejus & conversationem omni laude dignam videret; sed ut erat artis dialecticæ minime ignarus, ejus sermones reprehendendi captabat occasionem. Forte igitur quadam die præsentibus suis presbyteris una cum reliquo clero de Sacrosanctæ Trinitatis mysterio disputans, in Trinitate esse docebat unitatem, Filiumque ejusdem esse dignitatis cum Patre, eamdemque cum Deo, qui ipsum genuit, habere substantiam asserebat. Arius ratus Episcopum Sabellii Libyci dogma inducere, iis quæ dixerat, acerbius occurrit, ita disputans: Si Pater genuit Filium, existendi initium habet is qui genitus est. Ex quo manifeste liquet, fuisse aliquando tempus, cum non esset Filius, & necessario conficitur, eumdem ex nihilo subsistere, ac proinde non esse unius cum Patre substantiæ. Hinc Filium Dei creaturam & facturam vocabat, & pro arbitrio suo illum vitii ac virtutis capacem esse dicebat, quod a nemine unquam antea dictum fuerat.

Theod. l. 1. c. 2.

Hæc ille, non in ecclesia solum, verum etiam in externis conventibus ac cœtibus assidue disserebat. Quin etiam domos circumiens, quotquot poterat, in sententiam suam traducebat. Alii quoque presbyteri, qui diversas Alexandriæ regebant Ecclesias, dissensiones in vulgus sparserunt. Et cum in sua quisque Ecclesia aliquid interpretando proponeret, prout in unumquemque favore ac laudatione propensiores erant, alii Colluthianos, Arianos alii se nominabant. Quippe & Colluthus falsa quædam & depravata docuit, scilicet malorum pœnæ authorem non esse Deum; sed ejus secta diuturna non fuit, statimque dissipata est. Adhærebant Ario septem presbyteri, diaconi duodecim, & septingentæ virgines. Quin etiam pestiferum illius virus ad Episcopos usque pervasit.

Epiph. hær. 69

Theod. l. 1. c. 2.

Alexander Apostolicorum dogmatum vindex & patronus primum admonitionibus & consiliis hominem ab instituto revocare conatus est: sed ubi eum insanire & impietatem suam palam prædicare animadvertit, collecto multorum Episcoporum concilio, Arium, & reliquos, qui ejus sententiam amplectebantur, gradu movit, Ecclesiaque expulit, anno trecentesimo vigesimo secundo. Exinde vero etiam populi non exigua pars ad eos se contulit; cum alii quidem de Deo ita sentiendum esse arbitrarentur, alii, ut plerumque evenire solet, eos tanquam injuria affectos, & indicta causa ex Ecclesia ejectos miseratione prosequerentur. Atque ex modica scintilla magnum subito extitit incendium, quod brevi per universam Ægyptum, & Lybiam, ac superiorem Thebaidem pervasit.

Arius cum suis depositur. Socrat. l. 1. c. 6. Prosp. in chron.

CHRISTI An. 322. ad 325.

Theod. hist. l. 1. cap. 3.

LXXV. Ea tempestate Romanam quidem Ecclesiam regebat Sylvester. Antiochiæ vero post Tyrannum, pace Ecclesiis primum restituta, Episcopatum sortitus est Vitalis, qui & in Palæa Ecclesiam, quæ a tyrannis destructa fuerat, instauravit; quem deinceps excipiens Philogonius, & opus residuum fabricæ consummavit, & pro veritatis defensione singulare studium Licinii temporibus declaravit. Hierosolymis vero post Hermonam Macarius Ecclesiam gubernavit, vir nomine suo dignissimus, & omni virtutum genere decoratus. Denique Bizantii Pontificalem sedem tenebat Alexander, vir donis Apostolicis ornatus. Tunc igitur Alexander Alexandrinæ Antistes Ecclesiæ, cum Arium dominandi cupiditate abreptum, eos, quos ad impietatem suam traduxerat, congregare, & privatos conventus agere cerneret, Ecclesiarum Præsidibus blasphemiam illius per literas indicavit. Superest epistola, quam scripsit ad Alexandrum Bizantinum; præcipuas illius partes hic apponemus. " Arius & Achillas nuper conjuratione facta ..... non amplius Ecclesiæ subjacere voluerunt, sed speluncis latronum sibi constructis, sine intermissione conventus in illis agunt, noctu atque interdiu calumnias adversus Christum & adversum nos comminiscentes .... Servatoris nostri deitatem negantes, collectisque omnibus locis, in quibus sermo est de salutari ejus dispensatione, & de abjectione nostri causa ab eo suscepta, impietatis suæ doctrinam eorum authoritate confirmare nituntur: loca, quibus æterna ejus divinitas & inexplicabilis apud Patrem gloria astruitur, aversantes .... Et nunc quidem ad judicum tribunalia nos trahunt per interpellationes mulierum, disciplinam non servantium, quas ipsi in errorem induxerunt... Ac nos quidem cum ea, quæ vitæ ipsorum ac nefariis conatibus competunt, serius propter ipsorum latebras deprehendissemus, communi omnium suffragio ex cœtu Ecclesiæ, qui Christi divinitatem adorat, ejecimus. Ipsi vero .... ad Collegas nostros proficisci instituerunt .... quosdam blandis sermonibus in errorem suum reducere conantes. A quibus etiam verbosiores Epistolas flagitant, ut, eas legentes hominibus quos ipsi deceperunt, eos pertinaciter in errore perseverare faciant absque ullo pœnitentiæ sensu, in impietate obduratos, quasi qui Episcopos idem secum sentientes ac sibi suffragantes habeant. Ea porro, quæ apud nos perperam docuerunt & egerunt, & quorum causa a nobis sunt expulsi, nequaquam illis confitentur; sed vel silentio ista tradunt, vel fictis sermonibus ac libellis conscriptis velantes, fucum faciunt: unde fit, ut nonnulli literis eorum subscribentes in Ecclesiam eos recipiant .... quod Apostolica regula non permittit, & diabolica in ipsis operatio adversus Christum hoc facto validius accenditur. "

Alexander aliis Episcopis denuntiat Arium.

Ibid. c. 4.

Can. Apost. 6.

Arii errores tum refert, & refellit ex capite primo Joannis, atque ex Epistola ad Hebræos. Ex quibus concludit filiationem Servatoris nostri nihil prorsus habere commune cum reliquorum filiatione. " Nam, inquit, quemadmodum inexplicabilem ejus substantiam incomparabili excellentia præstare ostensum est reliquis omnibus, quibus ille essentiam tribuit; sic & ejus filiatio, quæ juxta naturam est Paternæ divinitatis, ineffabili quadam præstantia superat filiationem eorum, qui per ipsum adoptati sunt filii; nam ipse quidem immutabilis est naturæ, undequaque perfectus, nec ullius rei indigens. Quem enim profectum accipere potest Dei sapientia? Quod augmentum accipere potest ipsa veritas, & Deus Verbum? .... Ac germanam quidem, propriam ac naturalem ejus filiationem Paulus declarat dicens de Deo: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis*, non naturalibus, scilicet filiis, *illum tradidit*. Nam, ut illum distingueret ab iis qui non sunt proprie filii, proprium Filium esse eum dixit. Præterea in Psalmis dicitur: *Ex utero ante luciferum genui te*. An non aperte indicat naturalem Paterni partus filiationem, quam non accuratam morum castigatione, non exercitatione virtutum ac profectu, sed naturæ proprietate sortitus est .... Hunc perfectum Filium, Patrisque similem esse dicimus, hoc solo inferiorem Patre, quod ingenitus non est. Sicut Dominus nos docuit, cum ait: *Pater major me est*. Præter autem hanc piam de Patre & Filio sententiam, unum insuper Spiritum sanctum, ut divinæ Scripturæ nos docent, confitemur, qui & sanctos homines Veteris Testamenti, & divinos doctores ejus quod Novum appellatur, innovavit. Unam præterea ac solam Catholicam Apostolicam Ecclesiam, quæ semper quidem inexpugnabilis est, licet universus Orbis eam oppugnet; victrix autem est omnis impiæ factionis hæreticorum, qui adversus ipsam consurgunt. Quippe sponsus illius animos nostros confirmavit his verbis: *Confidite, ego vici mundum*. (Ecclesiæ visibilitas & indefectibilitas hic clare exprimuntur.) Adhæc novimus resurrectionem mortuorum, cujus primitiæ fuit Dominus noster Jesus Christus, qui carnem revera gestavit, non sola specie, sumptam ex Maria Deipara, qui in fine sæculorum, ut peccatum tolleret, ad humanum genus advenit, & Crucifixus ac mortuus est. Nec tamen idcirco divinitatis suæ detrimentum sensit, suscitatus ex mortuis, assumptus in cœlum, sedensque ad dexteram majestatis. Hæc docemus, hæc prædicamus, hæc sunt Apostolicæ Ecclesiæ dogmata, pro quibus mortem quoque libenter oppetimus .... Quibus adversantes Arius & Achillas, & qui cum illis sunt hostes veritatis, Ecclesia expulsi sunt ..... Hos igitur ab universis fratribus anathematizatos nemo vestrum suscipiat; nec ea quæ ab illis aut dicuntur, aut scribuntur, admittat ...., Hos igitur aversantes, charissimi atque unanimes fratres, suffragamini nobis adversus furiosam illorum audaciam, perinde ac collegæ nostri, qui indignati sunt, & nobis Epistolas scripserunt adversus illos, & tomo nostro (seu Epistolæ) subscripserunt. Quæ etiam ad vos misi per filium meum Apionem diaconum, partim ex universa Ægypto ac Thebaide, partim ex Lybia ac Pentapoli. Item ex Syria, Lycia, Phamphilia, Asia, Cappadocia, aliisque finitimis Provinciis. Quorum exemplo a vobis quoque literas me accepturum esse confido. Nam cum multa a me præsidia comparata sint ad sanandos eos, qui læsi sunt, tam illud præcipue remedium excogitatum est ad curandam multitudinem, quæ ab illis decepta est, ut collegarum nostrorum consensui obtemperent, & per hoc ad pœnitentiam redire festinent. Porro hæreticorum, qui anathemate damnati fuerunt, hæc sunt nomina. Ex presbyteris Arius, ex diaconis vero Achillas, Euzojus, Aithalas, Lucius, Sarmates, Julius, Mena, Arius alter & Helladius. " His consona scripsit ad Philogonum Antiochensis Ecclesiæ Antistitem, & ad Eustathium, qui tunc temporis Beroœensem regebat Ecclesiam, & ad alios, quotquot Apostolicæ doctrinæ defensores erant.

Christi divinitas.

Ad Rom. 8.

Ps. 109.

Joan. 14.

CHRISTI An. 325.

Ecclesiæ unitas & indefectibilitas.

Joan. 16.

Maria dicitur Deipara. In græco textu. Θεοτόκος.

Enciclyca fuit igitur hæc Alexandri Epistola, quæ continet ejus fidei professionem, generationis Verbi divini & Incarnationis mysteria diligentius explicat adversus Arium; ostenditque Verbum esse naturalem Dei Filium, æternum, immutabilem, semper existentem, non ex nihilo factum, sed ex Patre genitum ineffabiliter, Deum verum de Deo vero, Patri per omnia similem, nisi quod solus Pater sit ingenitus; Verbum autem caro factum ex Maria Virgine, quam Theotocon vocat. Ario ejusque sequacibus opponit non tantum Scripturæ authoritatem, sed & consensum Episcoporum seu Ecclesiæ, quæ ab Apostolis instituta per totum Orbem semper diffusa perseverabit insuperabilis, nec usquam hæresis adversus illam prævalere potest. Hæc, quibus omnis error funditus convellitur, credit, & semper credidit Romana Ecclesia.

Sed neque Arius quiescere sustinuit. Itaque ipse, & qui cum eo erant, necessarium sibi esse arbitrati, ut cujusque civitatis Episcoporum benevolentiam præriperent, legationem ad eos mittunt, Et conscripta fidei suæ formula, ab eis contendunt, ut siquidem rectæ se habere ipsis videretur istiusmodi de Deo sententia, scriberent Alexandro, ne ipsis succenseret: sin minus, docerent ipsos quemadmodum sentire oporteret. Atque hoc illorum studium non parum ipsis profuit; etenim in omnes fere dispersa hujusmodi opinione, ab universis Episcopis eadem quæstio passim agitari cœpit. Et alii quidem scripserunt Alexandro, ne Arium ejusque sectatores in Ecclesiam admitteret, nisi opinionem suam prius abjecissent. Quidam vero, ne id faceret, obsecrabant. Cum igitur Alexander multos sanctioris vitæ specie venerabiles, & dicendi arte pollentes Arianis favere animadverteret, & maxime Eusebium, qui cum antea Berytiorum fuisset Episcopus, tunc temporis ad Nicomediæ Pontificatum irrepserat, virum magnæ

Sozom. hist. l. 1. cap. 15.

Socrat. hist. l. 1. cap. 6.

in

Digitized by Google

CHRISTI An. 325. in palatio authoritatis. Quæ cum cerneret Alexander, collecto multorum Episcoporum Concilio, Arium ejusque sectatores rursus gradu movit, & Episcopis per singulas urbes constitutis scripsit in hunc modum.

Ibid. "In nostra Parœcia extiterunt nuper homines iniqui, & hostes Christi, docentes defectionem ejusmodi, quam jure quis præviam ac prænuntiam Antichristi appellaverit. Ac volueram equidem hoc, quidquid est, silentio involvere . . . . . sed quoniam Eusebius, is qui nunc est Nicomediæ, res Ecclesiæ ex nutu suo pendere existimans, eo quod, relicta Berytiorum Ecclesia, ad Nicomediensem Episcopatum nullo ulciscente impune transgressus est; horum apostatarum patrocinium suscepit, & literas quaquaversus ausus est scribere, commendans illos, ut imperitos homines ad pessimam Christoque infensam hæresim traducat: necessarium duxi silentium abrumpere . . . . Quo & apostatas ipsos, & infelicissima illius erroris verba cognoscatis. " Tum recensitis iisdem Arii sectatoribus, ut superius, his addit Gajum, & Secundum Ptolemaidis,

Arii errores. & Theonam Marmaricæ Episcopos, & subjicit: "Ea vero, quæ sine ulla scripturarum authoritate commenti temere effutiunt, sunt hujusmodi: Deus, inquiunt, non fuit semper Pater, sed tempus extitit, cum Deus minime esset Pater. Verbum Dei non semper fuit, sed ortum est ex nihilo, Deus enim qui est, illum qui non erat, ex eo quod non est, procreavit; proinde aliquando fuit tempus cum non esset. Quippe filius creatura est opusque, Neque vero similis est Patri secundum substantiam, neque verum ac genuinum Dei Verbum, nec vera ejusdem sapientia; abusive autem dicitur Verbum atque sapientia: quippe cum & ipse extiterit per proprium Dei verbum, & per sapientiam, quæ in Deo est, in qua Deus tum cætera omnia, tum eum ipsum fecit. Quamobrem sua pte natura conversioni obnoxius est ac mutationi, perinde ac reliqua rationalia, Extraneum & alienum est Verbum ac semotum a Dei substantia. Invisibilis & inenarrabilis est Filio Pater, neque enim perfecte & exacte Filius novit Patrem, neque eum perfecte videre potest. Nam nec suam ipsius substantiam novit Filius cujusmodi sit, siquidem propter nos factus est, ut ejus tanquam instrumenti cujusdam opera nos Deus crearet. Nec ipse extitisset unquam, nisi Deus nos creare voluisset. Et cum quidam eos interrogasset, utrumne Dei Verbum mutari posset, sicut mutatus est diabolus? Ipsi non veriti sunt respondere: certe potest, est enim naturæ mutabilis, cum gigni possit & creari.

Ibid. Hæc igitur dicentem Arium & summa cum impudentia affirmantem, nos quidem una cum Ægypti ac Lybiæ Episcopis, prope centum numero, in unum congregatis, tum ipsum, tum eos, qui illi adhæserunt, anathemate perculimus. Eusebius vero eos suscepit, impietatem pietati, & veritati studens miscere mendacium; sed nequaquam prævalebit.

Joan. 1. Quis enim unquam talia audivit? . . . . Quis Joannem audiens dicentem: *In principio erat Verbum*, non condemnet illos qui asserunt, fuit tempus cum non esset? Aut quis audiens hæc verba ex Evangelio, Unigenitus Filius, & per Ipsum facta sunt omnia, istos non oderit, affirmantes Filium esse unum ex creaturis? Etenim vero quomodo potest unus esse ex illis quæ per ipsum facta sunt? . . . . Qua ratione ortus sit ex

Psal. 44. nihilo, cum Pater dicat: *Eructavit cor meum ver-*

Psal. 109. *bum bonum*, & alibi: *Ex utero ante luciferum genui*

ad Heb. 1. *te*. Aut quomodo substantia dissimilis est Patri, cum

Joan. 14. sit *Imago perfecta & splendor Patris*: cum dicat, *Qui videt me, videt & Patrem?* Quod si Filius ratio Patris est ac Sapientia, quomodo fuit tempus cum non esset? Perinde enim ac si dicerent, Deum aliquando rationis & sapientiæ expertem fuisse. Quomodo mutationi & conversioni obnoxius sit, cum

Joan. 14. & 10. de se ipse dicat: *Ego in Patre, & Pater in me*;

ad Hebr. 13. & alibi: *Ego & Pater unum sumus*? Et ut ait Apostolus: *Jesus Christus heri & hodie idem ipse, & in*

ad Hebr. 2. *sæcula*. Quidnam vero eos impulit, ut dicerent illum propter nos factum esse, cum Paulus utique dicat: *Propter quem omnia, & per quem omnia*. De blasphemia vero illa, qua dicunt Patrem non perfecte cognosci a Filio, neminem mirum videri debet. Nam cum semel Christo bellum indixerint, spernunt quo-

Joan. 10. que verba ipsius Domini dicentis: *Ut cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem*. Proinde si ex parte tantum cognoscit Pater, palam est quod & Filius ex parte cognoscit Patrem. Quod si hoc dicere nefas est, & si Pater perfecte novit Filium, perspicuum est, quod quemadmodum Pater Verbum suum cognoscit, ita & Filius novit Patrem, cujus est Verbum. Ac nos quidem hæc dicentes, sæpe numero eos convicimus. Verum illi, tanquam chamæleones, subinde mutati sunt . . . . Quamobrem abdicati sunt ab Ecclesia, & anathemate percussi . . . . Idipsum autem pietati vestræ indicavimus, dilecti & charissimi comministri, ut neque eos, si forte ad vos venire præsumpserint, suscipiatis; neque Eusebio, vel alteri cuiquam, qui illorum causa ad vos scripserit, fidem accommodetis. "

Cotel. Patr. Apostol. tom. 2. *Arii & sociorum depositionis sententia.* Arii depositionis instrumentum antea ineditum e manuscripto Regiæ bibliothecæ descriptum juris publici fecit doctissimus Cotelerius: sic autem habet: "Alexander presbyteris & diaconis Alexandriæ atque Mareotæ præsens præsentibus, dilectis Fratribus in Domino salutem. Licet jam subscripseritis illis quæ ad Arium & Arianos misi, adhortans eos ad negandam impietatem, & ad assentiendum sacræ atque Catholicæ Fidei, rectamque sententiam vestram ostenderitis, necnon in dogmatibus consonantiam cum Ecclesia Catholica, tamen quia & ad omnes ubique terrarum comministros de Ariana secta literas dedi, necessarium censui, ut vos quidem civitatis clericos congregarem; vos vero, qui de Mareota estis, accesserem, præcipue cum ex vobis quoque Chares & Pistus presbyteri, Serapio, Parammon, Zosimus & Irenæus diaconi, Arianos affectati fuerint, atque cum illis deponi voluerint, quo tum, quæ nunc scriptis mandata sunt, cognoscatis, tum vestrum in illis consensum demonstretis, itemque Arii, Pisti, sociorumque depositioni suffragemini. Decet enim vos quæ a me scripta sunt scire, & unumquemque ea, quasi a se essent exarata, corde tenere. " Tum videtur eis recitasse superiorem epistolam, cui subscripsere septemdecim presbyteri & tredecim diaconi Alexandrini, & sexdecim presbyteri, & totidem diaconi Mareotæ.

Epiph. hær. 69. Arius Alexandria fugiens, in Palæstinam abiit. Ibi singulos Episcopos adire, adularique cœpit, quo plures sibi suffragatores adjungeret. Quidam eum receperunt, alii vero repulerunt; quod & ipse testatur in sua ad Eusebium Nicomediensem epistola, qua hominem ambitiosum & factiosum ad suæ doctrinæ patrocinium facile pertraxit. Illius exemplum subjicimus.

Theod. hist. l. 1. cap. 5. *Arii litera.* LXXVI. "Domino desideratissimo, viro Dei, fideli, orthodoxo Eusebio, Arius, qui injuste persecutionem patitur ab Alexandro Papa ob victricem omnium veritatem, quam tu quoque defendis, in Domino salutem . . . . Vehementer nos oppugnat ac persequitur Episcopus, adeo ut nos etiam velut impios urbe expulerit, eo quod non assentiamur ista publice prædicanti: semper Deus, semper est Filius: simul Pater, simul Filius: Filius Deo coexistit ingenite, semper genitus est; ingenite genitus est, nec cogitatione, nec ullo temporis puncto Deus præcedit Filium. Semper Deus, semper Filius, ex ipso Deo existit Filius. " Arius suæ doctrinæ virus satis indicat, dum negat Filium esse ex ipso Deo Patre, eique coæternum. Tum subjicit: "Et quoniam Eusebius frater tuus Episcopus Cæsareæ, & Theodotus Laodiceæ, ac Paulinus Tyri, Athanasius Anabarzi, Gregorius Beryti, Ætius Lyddæ seu Diospolis; omnes denique per Orientem Episcopi asserunt Deum principii omnis expertem existere ante Filium, anathemate damnati sunt, exceptis duntaxat Philogonio, Hellanico & Macario, hominibus hæreticis nec eruditis in fide, qui Filium esse dicunt, alter eructationem, alter projectionem . . . . . Nos vero quid dicamus, & quid sentiamus, & professi jam sumus, & nunc profitemur Filium non esse ingenitum, nec partem ingeniti ullo modo, neque ex aliqua subjecta materie, sed voluntate & consilio substitisse ante omnia tempora & sæcula perfectum Deum, unigenitum, immutabilem, & antequam gigneretur, aut crearetur, aut terminaretur, aut fundaretur, eum non fuisse, Ingenitus enim non erat. Persecutionem patimur, propterea quod diximus, eum esse ex non extantibus. Vale vere Conlucianista. "

Ibid. Hos quidem opinionis suæ fautores habere gloriabatur, seque discipulum esse Luciani martyris: adversarios vero nominat Philogonium Antiochensis Ec-

clesiæ

CHRISTI AN. 325.

clesiæ Antistitem, Hellanicum, Tripoleos, Macarium Hierosolymorum, calumnias adversus eos concinnans, propterea quod Filium æternum esse dixissent, æqualemque & consubstantialem Patri. Alexandrum vero falsos errores sibi imposuisse non conqueritur. Hinc cum Arius ipse dicit Filium immutabilem, intelligit virtute sic esse factum, cum antea mutationi esset obnnxius. Præterea cum aperte dicat eum aliquando non fuisse, evidens est quod pari fraude eum vocet Deum perfectum, scilicet quatenus omnia per ipsum facta sunt, ejusque subjecta imperio, & Pater vult eum ab omnibus adorari, nec jam subjiceat imperfectioni. Eumdem dicit ante omnia tempora & sæcula, quia ante mundi creationem factus est.

Ib. c.6.

Hanc Arii epistolam cum accepisset Eusebius Nicomediensis, ipse quoque impietatem suam evomuit in epistola ad Paulinum Tyriorum Episcopum, illius in eo negotio taciturnitatem reprehendens, Eusebii vero Cæsariensis studium laudans, eumque ad scribendum hac de re adhortatur. Tum quid ipse sentiat, sic exponit: "Unum ingenitum credimus, alterum autem ab eo vere, & non ex ejus substantia factum, nec ullo modo participem naturæ illius, nec a substantia ejus existentem, sed natura & virtute prorsus diversum, ad perfectam tamen similitudinem naturæ virtutisque factoris sui conditum, cujus initium non modo verbis inexplicabile est, sed ne cogitatione quidem, non dicam hominum, sed omnium qui supra homines sunt, comprehendi posse credimus. Atque hæc non ratiocinatione nostra collecta, sed a scripturis edocti dicimus: Creatum ac fundatum esse, & genitum substantia, & immutabili atque ineffabili natura ac similitudine, quam habet ad factorem suum, didicimus ex ipsius Domini verbis, qui ait: *Deus creavit me initio viarum suarum, & ante sæculum fundavit me.* Si vero ex eo quod genitus esse dicatur, subindicari videtur eum ex paterna substantia ortum, eamdem quoque cum Patre substantiam habere, scimus scripturam non de illo solo dicere quod genitus sit, sed etiam de aliis, quæ natura prorsus ab illo discrepant. Nam & de hominibus dicit: *Filios genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* (Et alibi:) Deum qui te genuit, dereliquisti .... non quo naturam ex natura esse declaret, sed ut singula quæ facta sunt, arbitrio & voluntate ejus facta esse declaret; nihil enim ex substantia ejus existit .... Et omnia quidem per ipsum Verbum, a Deo tamen facta sunt; omnia enim ex Deo. Quæ tu cum acceperis, & juxta concessam tibi divinitus gratiam limaveris, fac ut Domino meo Alexandro quamprimum scribas: nam si ad illum scripseris, te illi persuasurum confido."

Filium esse perfectum & similem Patri, non idem est apud Arianos, ac esse ex Patris substantia, vel ejus naturæ participem.

Prov. 8.

Deut. 32.

Athan. de Synod. n. 17.

Arianorum subdolæ variationes.

1. ad Cor. 2.

Ario vero rescripsit: "Cum recte sentias, precare ut omnes ita sentiant. Manifestum enim omnibus est, illud quod factum est, non fuisse, antequam fieret." Fatetur autem Filium esse ex Deo, quod antea negabant Ariani, quos sic reprehendit Georgius ejusdem factionis presbyter: Nec metuere debebitis Filium dicere ex Deo esse. Nam si Apostolus scripsit, *Omnia autem ex Deo*, propalamque est ex non extantibus omnia facta fuisse, estque etiam Filius ex rebus factis, ergo & Filius ex Deo dici poterit, sicut omnia ex Deo dicuntur. Sic locutionibus orthodoxis retentis novos sensus affingunt heterodoxi, quo plures facilius decipiant. Nam Filium esse ex Deo apud Catholicos idem sonat, ac esse ex substantia Dei. Sed illud etiam observandum, Eusebium, qui Arii sectabatur errorem, fateri tamen Filium ad perfectam naturæ Conditoris sui similitudinem esse factum.

Epiph. hær. 69.

Arius quoque quasi se suosque purgandi causa scripsit ad Alexandrum, sed revera blasphemias in Dei Filium sic coacervat: "Fides illa, quam a majoribus accepimus, & a te didicimus, Beatissime Papa, ejusmodi est. Credimus unum Deum, solum ingenitum, solum æternum .... qui unigenitum Filium ante sempiterna tempora genuit: per quem & sæcula & reliqua procreavit omnia. Genuisse porro dicimus reipsa, non specie tenus, ac subsistentem illum suapte voluntate condidisse, ejusmodi, ut neque converti neque mutari possit, perfectam Dei creaturam, sed non tanquam rerum creatarum aliquam: fœtum itidem, sed non tanquam unum de cæteris. Adeo ut illa creatione gloriam ei Pater splendoremque contulerit .... Et quidem Deus, cum rerum omnium causa sit, solus ex omnibus principii est expers; Filius vero sine tempore genitus a Patre, & ante sæcula creatus, ac fundatus, priusquam gigneretur, non fuit; sine tempore & ante omnia genitus solus a solo Patre productus est. Non enim æternus aut coæternus est; ..... principium illius Deus est. Est enim illo prior, ac princeps, utpote Deus ipsius, qui ante ipsum fuerit, a quo etiam ille prodierit. Quod si istiusmodi loquendi rationes: ex utero a Patre exivit; &, venio, quasi consubstantialis partem aut emissionem eum nonnullis accipiamus, compositus erit ac divisibilis Pater, & mutabilis: imo illorum opinione corpus, &, quoad in ipsis est, quæ corpori consentanea sunt, patietur expers corporis Deus. Consubstantialis vocem in eo sensu, quem habet in rebus corporeis, accipiebant Ariani, ut illam rejicerent & impugnarent.

CHRISTI AN. 325.

Ps. 109. Joan. 16.

Consubstantialis vocem quo sensu acciperent Ariani.

Arii capitalis error.

Hoc igitur hæresis Arianæ capitalis est error: Verbum divinum non esse Patri coæternum, sed aliquando non extitisse, productumque tantum creaturam cæteris longe perfectiorem, per quam cætera omnia, quæ in tempore sunt creata, condidit. Qua in re differebat a Paulo Samosateno, qui Christum nulla sui parte B. Virgini Mariæ præextitisse prædicabat. Cum tota veneno tumeret hæc epistola, Alexander impium hominem recipere noluit. Hinc nova discordiarum seges. Arius de opinione sua librum quemdam composuit, quem Thaliam seu convivium inscripsit. Est autem dicendi genus molle ac solutum, Sotadicis carminibus non absimile. Sotades autem Cretensis, a dæmone vexatus, Jamborum scriptor composuit infames Philetas sive Cinædos, egregium Ario exemplum ad imitandum. Hoc in carmine impietates omnes Arius suas congesserat. Illius fragmenta refert Athanasius. Conscripsit etiam cantica nautica, & molcodinaria ac viatoria, quæ certis modulationibus aptavit. Atque ita imperitorum animos suavitate cantus ad impietatem suam sensim abduxit. Ariani ad mulierculas sese insinuantes, verba hæc effœminata loquebantur: Quid? An habebas filium antequam pareres; sed sicuti eum temporis non habebas, itidem quoque non erat Dei Filius antequam gigneretur. Peccat illud argumentum supponens Deum Patrem instar creaturarum aliquando fuisse non generantem. Econtra fides, & recta ratio docent, cognitionem sui ipsius, qua Deus generat, esse ei coæternam, ac proinde Filium per eam genitum esse quoque coæternum. Hinc Arianis illud sophisma frequenter obtrudentibus: Vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem: si primum, ergo non genuit: si secundum, ergo Filius aliquando non extitit: respondet Basilius, quod Pater genuerit Filium semper existentem, siquidem æterna fuit ejus generatio, ut Patri coæternus esset; & quoniam genitus est ab æterno, existens semper est, & coexistens Patri. Quando ergo ad esse a Patre productus est, ex quo Pater fuit? Sed ab æterno est Pater, ab æterno ergo & Filius, per generationem ingenitæ Patris naturæ conjunctus.

Socr. l. 1. c. 9.

Suid.

Ath. or. 2. in Arian.

Arianorum artes & sophismata.

Athan de Synod. num. 17.

Basil. l. 2. adv. Eunom.

Alii quoque Episcopi Alexandro scripsere, ut Ario, cujus doctrinam probabant, reconciliarentur. Eusebius Cæsariensis ad Euphrationem scribens Balaneæ Episcopum non timuit aperte dicere, Christum non esse verum Deum: hinc patet, quo sensu in scriptis suis eum vocet Deum. Hæc Arianorum fuit communis fraus & blasphemia; Christum respectu creaturarum, quas condiderat, Deum confitebantur; comparatum vero cum Patre negabant esse verum Deum, hanc prærogativam soli Patri deferentes. Alexander veritus, ne, si dissimularet, error in dies latius serperet, nihil de sententia remisit. Postquam Eusebius, & qui ab illo stabant, Alexandrum sæpius deprecati, flectere minime potuerunt, tamquam injuria affecti, indignari cœperunt, & ad opinionem Arii stabiliendam promptiores extiterunt. Athanasio quoque diacono succensebant, quod curiose sciscitantes, ipsum frequentissime cum Alexandro versari, & ab ipso in pretio haberi audivissent. Collecta igitur apud Bithyniam Synodo, ad omnes ubique Episcopos rescripsere, ut cum Arii fautoribus tanquam recte sentientibus communicarent: sed cum conatus illorum nequaquam illis ex voto succederet, Alexandro nullatenus cedente Arius legatos mittit ad Paulinum Episcopum Tyri, & ad Eusebium Cæsariensem, & ad Patrophilum

Athan. de Synod. n. 17.

Sozom. l. 1. c. 15.

Ath. Apolog. adv. Arian.

Arianorum 1. Synodus.

Scy-

CHRISTI AN. 325.

Scytopolitanum Antistitem, petitque ut sibi una cum suis concederent, plebem sibi adhærentem in Ecclesia colligere, eumdem, quem prius, presbyterorum obtinentibus gradum. Hunc enim morem esse Alexandriæ, ut sub uno Episcopo, qui omnibus præest, presbyteri segregatim ecclesias obtineant, & populum ad illas convenire solitum colligant. Illi vero una cum aliis Episcopis in Palæstina congregati, Arii petitioni subscripserunt, hortantes ut plebem quidem colligerent, sicuti antea facere consueverant, Alexandro tamen subjecti essent, ac sine intermissione ei supplicarent, ut ejus pace & communione fruerentur. Sic obsequium erga Præpositos simulant hæretici, dum aperte rebellant. Qui Arii hæresim ante debellatum Licinium erupisse volunt, consequens est ut tot contentiones, tot tumultus sæviente persecutione vel bello contigisse fateantur, quod repugnat. Episcopi ne simul convenirent, prohibuerat Licinius.

Theod. l. 1. c. 6. edit. Vales. Socrat. l. 1. c. 6.

LXXVII. Cum per Ægypti & Orientis Ecclesias hunc in modum sparsa essent blasphemiæ semina, in singulis urbibus ac vicis riæ & concertationes de divinis dogmatibus extiterunt. Neque solos Ecclesiarum Antistites verbis inter se gladiantes cernere licebat; verum etiam populi multitudinem duas in partes divisam, aliis ad hos, aliis ad illos sese applicantibus. Denique eo indignitatis res processit, ut publice in ipsis etiam theatris Christiana religio derideretur. Arius cum suis Alexandriam reversus plebem colligebat & docebat, Meletiani ejus partes fovebant. Hæc cum audisset Constantinus Imperator, gravissimo dolore perculsus est, suamque esse ducens hanc calamitatem, eo incubuit, ut excitatum malum quamprimum restingueret. Sequentes literas mittit ad Alexandrum & Arium, per virum spectatæ fidei, Hosium nomine, Episcopum Cordubæ, quæ Hispaniæ civitas est, quem quidem Imperator amabat & colebat plurimum.

Ibid. c. 7. *Constantinus Arianam tempestatem sedare tentat.*

Eus. vit. Const. l. 2. c. 69. *Constantini literæ de pace.*

" Præsentis controversiæ initium hinc extitisse comperi. Cum enim tu Alexander a presbyteris tuis requireres, quid unusquisque eorum de quodam Legis loco sentiret, seu potius de quadam parte inanis quæstionis eos interrogares: Cumque tu Ari, id quod vel nunquam cogitare, vel sane cogitatum silentio premere debueras, imprudenter protulisses, excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est; Sanctissimus autem populus duas in partes discissus a totius corporis unitate discessit. Quo circa uterque vestrum veniam vicissim alteri tribuens, id amplectatur, quod conservus vester vobis justissime suadet. Istiusmodi enim quæstiones, quas nulla Legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit, nec facile in publicos efferre conventus, nec auribus vulgi inconsulte committere debemus. Neque enim de præcipuo & summo Legis nostræ mandato inter vos est orta contentio, neque ullum novum a vobis de Dei cultu introductum est dogma, sed unam eamdemque sententiam ambo tenetis, adeo ut ad communionis societatem ambo coire facile possitis, quamvis invicem de re aliqua minimi momenti dissentiatis . . . . . Reddite igitur mihi tranquillos dies, & noctes curarum expertes. Quod nisi consecutus fuero, ingemiscam necesse est; nam quamdiu populus Dei, conservos meos dico, iniqua ac perniciosa contentione discissus est, qui fieri potest, ut ego deinceps animo consistam?",, Constantinus, qui Nicomediæ tunc commorabatur, ab Eusebio illius urbis Episcopo deceptus videtur, qui nullius momenti quæstionem moveri ei persuasit, ut Ario tota lis adjudicaretur, dum absque ulla retractatione reciperetur in communionem. Inveterata est hæreticorum fraus, initio tolerantiam subripere, si possint, quam postea, secta convalescente, Catholicis denegant. Agebatur autem de fundamento religionis Christianæ, scilicet utrum Dei Filius Incarnatus sit vere & proprie Deus, & idem cum Patre substantia, licet ab eo realiter hypostasi differat. Quotquot hactenus vidimus martyres, pro Dei unius confessione vitam profuderant, qui tamen omnes Christum verum Deum profitebantur.

CHRISTI AN. 325.

Sozom. hist. l. 1. cap. 16.

Hosius Cordubensis, fidei ac vitæ integritate conspicuus, & qui superiori tempore variis confessionum certaminibus pro religionis defensione inclaruerat, cum his literis ab Imperatore mittitur, qui ad concordiam reduceret tum illos qui in Ægypto de doctrina Fidei dissentiebant, tum eos, qui in Orientis partibus de festivitate Paschæ disputabant. Quippe nonnulli hac de re dissentientes, a mutua quidem communione minime discedebant, Judaico tamen more Lunæ decimo quarto diem illum præter morem reliquorum omnium celebrabant, Atque ita cum hi jejuniis & ærumnis sese ipsos attererent, illi otio ac lætitiæ indulgebant. Duabus his contentionibus Ecclesiam liberare studebat Constantinus. Hosius pacis conciliator multos Episcopos convocat. Verum majus erat utrumque negotium, quam ut literis & particulari Synodo sedari posset. E contra contendentium rixa in dies magis aucta est, & in ipsa plebe ingens tumultus & contentio grassabatur. Colluthus quidem, qui schisma fecerat, ad presbyteri gradum rediit, & in eo mortuus est, ambasque ejus manus sine authoritate fuisse declaratum, & omnes quos ordinare præsumpserat, ad Laicorum statum redacti sunt, ex quorum numero erat Ischyrias Mareoticus; sed neque idcirco turbarum finem fecere Collathiani. Hosius præterea collecta Alexandriæ Synodo dum Sabellii dogma studet evertere, de substantia deque hypostasi quæstionem agitavit. Quæ quidem alteri contentioni materiam præbuit. Quapropter re infecta revertitur; sed periculi magnitudinem perniciosissimique erroris authorem haud dubie sibi cognitum manifestavit Imperatori.

Nova controversia de Pascha.

Eus. vit. Const. l. 2. c. 73. Athan. Apolog. 2. adv. Arian. veteris edit. tom. 1. pag. 732. novæ pag. 134. & 191. Socrat. l. 3. c. 7.

LXXVIII. Audiani tunc quoque propter Paschæ celebrationem ritu Judaico schisma conflarunt in Mesopotamia. Eorum dux Audius e Mesopotamia oriundus domi clarus imprimis fuit propter vitæ integritatem, & divinæ Fidei zelum & ardorem, qui cum sæpe nonnulla videret quæ in Ecclesiis perperam geruntur, Episcopos ac Presbyteros coram increpare & redarguere non verebatur tanquam veritatis amans . . . . velut si quem e clericis pecuniarum plus æquo cupidum videret, exprobare non dubitabat; aut si quispiam luxu ac deliciis difflueret, sive ullam Ecclesiastici dogmatis ac disciplinæ partem adulterando corrumperet, patienti nequaquam ferens animo, verbis castigabat. Quod quidem dissolutioris vitæ hominibus molestum erat: unde maximas propterea contumelias sustinuit, infestis omnium vocibus & odiis exagitatus. Qui nihilominus ista sustinens, sed ad veritatem perferendam acrius intentus, studebat interim ab Ecclesiæ Catholicæ conjunctione ac societate minime divelli. Verum cum indigna pateretur, his malis ingemiscens, ... seipsum ab Ecclesia segregavit: atque ita pluribus cum illo desciscentibus, novum ab eo divortium conflatum, ipse tamen cum suis sinceram in omnibus religionem tenuit, adeo ut ipse non modo, sed & qui illi adhæserunt Episcopi, ac reliqui omnes, de manuum suarum labore viverent. Posteaquam vero ab Ecclesia pulsus est, ab Episcopo quodam, qui ob easdem contentiones ab Ecclesia recesserat, Episcopus ordinatus est. Decursu temporis hæc Scripturæ verba: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, imperitiore modo pertinacius interpretati ejus discipuli, præfracte referendum ad corpus existimarunt. Hinc Deum fecere corporeum, unde dicti sunt Anthropomorphitæ, Catholicosque calumniati sunt, quasi paternam in celebrando Paschate consuetudinem reliquissent, ut se ad Constantini nutum accommodarent; contendebantque Paschæ festum cum Judæis quarta decima Luna celebrandum esse. Apostolicarum Constitutionum librum ad alienum sensum per inscitiam traducentes accommodabant ad suum institutum. Audianorum secta præcipue viguit in monasteriis, in quibus nihilominus religiosa vivendi ratio, & virginitas, arctissimaque disciplina floruit. Erroris autem tenaces sic cæteros Catholicos aversabantur, ut cum nemine precarentur, tametsi honestis atque integris moribus esse videretur.

Epiph. hær. 70. *Audianorum schisma.*

Gen. 1.

TEXTUS GRÆCI
LIBRI NONI.

Num. XXXV. Philostorg. Hist. Eccles. l. 2. c. 14. Τὸν μάρτυρα Λουκιανόν φησι μέλλοντα τελευτᾷν, καὶ μήτε τινὸς μήτε θυσιαστηρίου τοῖς τυραννικοῖς βίαις παρεχούσης, ἀλλὰ μηδὲ ἀντικινεῖσθαι τῶν δεσμῶν καὶ πληγῶν συγχωρούντων, ἐν τῷ οἰκείῳ στέρνῳ ἀνακειμένου τὴν φρικτὴν θυσίαν τελεσάμενον, οὕτω τε αὐτὸν μετασχεῖν, καὶ τοῖς ἄλλοις μεταλαβεῖν τοῦ ἀχράντου σώματος ἐπιτρέψαι. ἐπελέσθη δὲ ἡ ἱερουργία ἐν τῇ φρουρᾷ, τοῦ κυκλώσαντος αὐτὸν ἱεροῦ χοροῦ, ὡς ἤδη ἀποθνήσκοντα, Ἐκκλησίας σχῆμα, καὶ ἀσφάλειαν τοῦ μὴ καθορᾶσθαι τὰ δρώμενα παρὰ τῶν ἀσεβούντων ἀναπληροῦντος.

Num. XL. De vita Constant. l. 1. c. 32. Κατὰ δὲ τὸν δηλωθέντα χρόνον, τὴν παράδοξον καταπλαγεὶς ὄψιν, οὐδ' ἕτερον θεὸν ἢ τὸν ὀφθέντα δοκιμάσας σέβειν, τοὺς τῶν αὐτοῦ λόγων μύστας ἀνεκαλεῖτο· καὶ τίς εἴη Θεὸς αὐτὸς ἠρώτα, τίς τε ὁ τῆς ὀφθείσης ὄψεως τοῦ σημείου λόγος. οἱ δὲ τὸν μὲν εἶναι Θεὸν ἔφασαν, Θεοῦ τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου μονογενῆ παῖδα· τὸ δὲ σημεῖον τὸ φανὲν, σύμβολον μὲν ἀθανασίας εἶναι, τρόπαιον δ' ὑπάρχειν τῆς κατὰ τοῦ θανάτου νίκης, ἣν ἐποιήσατό ποτε παρελθὼν ἐπὶ γῆς. ἐδίδασκόν τε τὰς τῆς παρόδου αἰτίας, τὸν ἀκριβῆ λόγον αὐτῷ τῆς κατὰ ἀνθρώπους οἰκονομίας ὑποτιθέμενοι.

Num. XLVIII. Euseb. Hist. l. 10. c. 7. Ἐπειδὴ ἐκ πλειόνων πραγμάτων φαίνεται παρεξουθενηθεῖσαν τὴν θρησκείαν, ἐν ᾗ κορυφαία τῆς ἁγιωτάτης ἐπουρανίου αἰδοῦς φυλάττεται, μεγάλους κινδύνους ἐνηνοχέναι τοῖς δημοσίοις πράγμασι· αὐτήν τε ταύτην ἐνθέσμως ἀναληφθεῖσαν καὶ φυλαττομένην, μεγίστην εὐτυχίαν τῷ ῥωμαϊκῷ ὀνόματι, καὶ σύμπασι τοῖς τῶν ἀνθρώπων πράγμασιν ἐξαίρετον εὐδαιμονίαν παρεσχηκέναι, τῶν θείων εὐεργεσιῶν τοῦτο παρεχουσῶν, ἔδοξεν ἐκείνους τοὺς ἄνδρας τοὺς τῇ ὀφειλομένῃ ἁγιότητι καὶ τῇ τοῦ νόμου τούτου παρεδρείᾳ τὰς ὑπηρεσίας τὰς ἐξ ἑαυτῶν τῇ τῆς θείας θρησκείας θεραπείᾳ παρέχοντας, τῶν καμάτων τῶν ἰδίων τὰ ἔπαθλα κομίσασθαι.

Num. LIII. Euseb. demonstr. Evang. l. 1. c. 10. Ἐπειδὴ τὸ τέλειον παρῆν, τοῖς τῶν προφητῶν ἀκολούθως θεσπίσμασι, πέπαυται τὰ πρῶτα καὶ λέλυται παρελήλυθε διὰ τῆς κρείττονος καὶ ἀληθοῦς ἱερουργίας, αὐτὸς δ' οὖν ὁ Χριστὸς τοῦ Θεοῦ, ἄνωθεν ἐκ παλαιῶν χρόνων ἥξειν εἰς ἀνθρώπους, καὶ προβάτου δίκην ὑπὲρ παντὸς τοῦ ἀνθρώπων γένους σφαγιάσθαι προαγορευόμενος. Ἡ φησι περὶ αὐτοῦ Ἡσαΐας ὁ προφήτης· Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος ἄφωνος. καὶ ἐπιλέγει· αὐτὸς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται· καὶ ἡμεῖς ἐλογισάμεθα αὐτὸν εἶναι ἐν πόνῳ, καὶ ἐν πληγῇ καὶ ἐν κακώσει. αὐτὸς δὲ ἐτραυματίσθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν .... ὅτι τοίνυν κατὰ τὰς τῶν προφητῶν μαρτυρίας, εὕρηται τὸ μέγα καὶ τίμιον λύτρον Ἰουδαίων ὁμοῦ καὶ Ἑλλήνων, τὸ τοῦ παντὸς Κόσμου καθάρσιον, τὸ πάντων ἀνθρώπων ἀντίψυχον, τὸ πάσης κηλῖδος καὶ ἁμαρτίας καθαρὸν ἱερεῖον, ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, τὸ θεοφιλὲς καὶ ἁγνὸν πρόβατον, τὸ προφητευόμενον ἀρνίον, οὗ διὰ τῆς ἐνθέου καὶ μυστικῆς διδασκαλίας πάντες ἡμεῖς οἱ ἐξ ἐθνῶν τὴν ἄφεσιν τῶν προτέρων ἁμαρτημάτων εὑράμεθα, διὸ καὶ Ἰουδαίων οἱ εἰς αὐτὸν ἠλπικότες, ἐλεύθεροι τῆς Μωσέως ἀφίενται κατάρας, εἰκότως τὴν τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος τὴν ὑπόμνησιν ὁσημέραι ἐπιτελοῦντες, καὶ τῆς κρείττονος ἢ κατὰ τὰς παλαιὰς θυσίας τε καὶ ἱερουργίας ἠξιωμένοι.

Num. LXXIV. Theodoret. Hist. l. 1. c. 3. Ἄρειος γὰρ καὶ Ἀχιλλᾶς συνωμοσίαν ἔναγχος ποιησάμενοι .... Οὐκ ἔτι τῆς Ἐκκλησίας ὑποχεῖσθαι μεῖναι ἐκαρτέρησαν· ἀλλ' ἑαυτοῖς σπήλαια λῃστῶν οἰκοδομήσαντες, ἀδιαλείπτως ἐν αὐτοῖς ποιοῦνται συνόδους, νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν ἐν ταῖς κατὰ Χριστοῦ καὶ ἡμῶν διαβολαῖς ἀσκούμενοι. οἱ πάσης τῆς ἀποστολικῆς εὐσεβοῦς δόξης κατηγοροῦντες ..... τὴν θεότητα τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἀρνούμενοι, καὶ τοῖς πᾶσιν ἴσον εἶναι κηρύσσοντες· πᾶσάν τε αὐτοῦ τῆς σωτηρίου οἰκονομίας, καὶ δι' ἡμᾶς ταπεινώσεως φωνὴν ἐκλεξάμενοι. ἐξ αὐτῶν συναγείρειν πειρῶνται τῆς ἀσεβείας ἑαυτῶν τὸ κήρυγμα, τῆς ἀρχῆθεν θεότητος αὐτοῦ καὶ παρὰ τῷ Πατρὶ δόξης ἀλέκτου τοὺς λόγους ἀποστρεφόμενοι .... στάσεις δὲ ἡμῖν καθ' ἡμέραν καὶ διωγμοὺς ἐπεγείροντες, καὶ τοῦτο μὲν δικαστήρια συγκροτοῦντες, δι' ἐντυχίας γυναικαρίων ἀτάκτων ἃ ὑπέβαλον ... ἡμεῖς μὲν οὖν ἂν καὶ τῷ βίῳ αὐτῶν καὶ τῇ ἀνοσίῳ ἐπιχειρήσει, διὰ τὸ λανθάνειν, βραδέως [illegible], πανψηφεὶ τῆς προσκυνούσης Χριστοῦ τὴν θεότητα αὐτοῦ Ἐκκλησίας ἐξηλάσαμεν. ἐπεχείρησαν δὲ περιδρομαῖς χρώμενοι καθ' ἡμῶν, παρασκευάζειν τοὺς ὁμόφρονας συλλειτουργούς .... ὁ τρόπος γὰρ ὁ ἄρρητος αὐτοῦ ὑπόστασις ἀσυγκρίτῳ ὑπεροχῇ ἐδείχθη ὑπερκειμένη, πάντων οἷς αὐτὸς τὸ εἶναι ἐχαρίσατο, ὅπως καὶ ἡ Υἱότης αὐτοῦ κατὰ φύσιν τυγχάνουσα τῆς πατρικῆς θεότητος, ἀλέκτῳ ὑπεροχῇ διαφέρει τῶν δι' αὐτοῦ θέσει υἱοθετηθέντων. ὁ μὲν γὰρ ἀτρέπτου φύσεως τυγχάνει, τέλειος ὢν καὶ διὰ πάντων ἀνενδεής. οἱ δὲ τῇ εἰς ἑκάτερα τροπῇ ὑποκείμενοι, τῆς παρὰ τούτου βοηθείας δέονται. τί γὰρ ἂν καὶ προκόψαι ἔχοι ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία; ἢ τί προσλαβεῖν ἡ αὐτοαλήθεια, ὁ Θεὸς Λόγος; πῶς ἂν ἔχοι βελτιωθῆναι ἡ ζωὴ, ἢ τὸ ἀληθινὸν φῶς; εἰ δὲ τοῦτο, πόσῳ πλέον ἀφύσικον τυγχάνει, μεκτικόν ποτε δεκτικὸν γενέσθαι τὴν σοφίαν, ἢ τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἀσθενείᾳ προσπλακῆναι, ἢ ἀλογίᾳ τὸν Λόγον; .... τὴν μὲν οὖν γνησίαν αὐτοῦ καὶ ἰδιότροπον καὶ φυσικὴν καὶ κατεξαίρετον Υἱότητα ὁ Παῦλος οὕτως ἀπεφήνατο, περὶ Θεοῦ εἰπών· ὅς γε τοῦ ἰδίου Υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν, δηλονότι τῶν μὴ φύσει υἱῶν, παρέδωκεν αὐτόν. πρὸς γὰρ ἀντιδιαστολὴν τῶν οὐκ ἰδίων, αὐτὸν ἴδιον Υἱὸν ἔφησεν εἶναι ...... ἐν δὲ ψαλμοῖς ὁ Σωτήρ φησιν· Κύριος εἶπε πρός με, Υἱός μου εἶ σύ· γνησιότητα ἐμφανίζων, σημαίνει μὴ εἶναι αὐτοῦ γνησίους Υἱοὺς ἄλλους τινὰς παρ' αὐτόν· τί δὲ καὶ τό, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε; οὐχὶ ἄντικρυς τῆς πατρικῆς μαιεύσεως φυσικὴν ἐνδείκνυται Υἱότητα; Οὐ τρόπου ἐπιμελείᾳ καὶ προκοπῇ ἀσκήσει, ἀλλὰ φύσεως ἰδιώματι ταύτην λαχόντος .... ἄτρεπτον τοῦτον καὶ ἀναλλοίωτον, ὡς τὸν Πατέρα, ἀπροσδεῆ καὶ τέλειον Υἱὸν ἐμφερῆ τε τῷ Πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκείνου ...... ὡς αὐτὸς ἐπαίδευσεν ὁ Κύριος, ὁ Πατήρ μου, λέγων, μείζων μου ἐστί ..... πρὸς δὲ τῇ εὐσεβεῖ ταύτῃ περὶ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ δόξῃ, καθὼς ἡμᾶς αἱ γραφαὶ διδάσκουσιν, ἓν Πνεῦμα Ἅγιον ὁμολογοῦμεν, τὸ καινίσαν τούς τε τῆς παλαιᾶς διαθήκης ἁγίους ἀνθρώπους καὶ τοὺς τῆς χρηματιζούσης καινῆς παιδευτὰς θείους· μίαν καὶ μόνην καθολικὴν Ἐκκλησίαν, ἀκαθαίρετον μὲν ἀεὶ, κἂν πᾶς ὁ Κόσμος αὐτῇ πολεμεῖν βούληται, νικηφόρον δὲ πάσης τῆς τῶν ἑτεροδόξων ἀσεβεστάτης ἐπαναστάσεως, εὐθαρσεῖς ἡμᾶς κατασκευάσαντος τοῦ οἰκοδεσπότου αὐτῆς, διὰ τοῦ βοᾷν, θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν Κόσμον.

Ibid. Τίς ἀκούων Ἰωάννου λέγοντος, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, οὐ καταγινώσκει τούτων λεγόντων, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν; ἢ τίς ἀκούων ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, μονογενὴς Υἱὸς, καὶ δι' αὐτοῦ ἐγένετο τὰ πάντα, οὐ μισήσει τούτους φθεγγομένους ὅτι εἷς ἐστι τῶν ποιημάτων ὁ Υἱός. πῶς δὲ δύναται ἴσος εἶναι τῶν δι' αὐτοῦ γενομένων; ἢ πῶς μονογενής, ὁ τοῖς πᾶσι, κατ' ἐκείνους, συναριθμούμενος; πῶς δὲ ἐξ οὐκ ὄντων ἂν εἴη, τοῦ Πατρὸς λέγοντος, ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν· καὶ ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε; ἢ πῶς ἀνόμοιος τῇ οὐσίᾳ τοῦ Πατρὸς, ὁ ὢν εἰκὼν τελεία, καὶ ἀπαύγασμα τοῦ Πατρὸς, καὶ λέγων, ὁ ἐμὲ ἑωρακὼς, ἑώρακε τὸν Πατέρα. πῶς δὲ εἰ λόγος καὶ σοφία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ ὁ Υἱὸς, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν; ἴσον γάρ ἐστιν αὐτοὺς λέγειν, ἄλογον καὶ ἄσοφόν ποτε τὸν Θεόν. πῶς δὲ τρεπτὸς καὶ ἀλλοιωτὸς, ὁ λέγων δι' ἑαυτοῦ, ἐγὼ ἐν τῷ Πατρί, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί· καὶ, ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν ... ἀλλ' ὡς ὁ Ἀπόστολος, Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. τί δὲ ἄρα εἰπεῖν αὐτοὺς ἔπεισεν, ὅτι δι' ἡμᾶς γέγονε, καίτοι τοῦ Παύλου γράφοντος, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα; περὶ μὲν οὖν τοῦ βλασφημεῖν αὐτοὺς, ὅτι οὐκ οἶδε τελείως ὁ Υἱὸς τὸν Πατέρα, οὐ δεῖ θαυμάζειν. ἅπαξ γὰρ προθέμενοι χριστομαχεῖν, παρακρούονται καὶ τὰς φωνὰς αὐτοῦ τοῦ Κυρίου λέγοντος, καθὼς γινώσκει με ὁ Πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν Πατέρα. εἰ μὲν οὖν ἐκ μέρους γινώσκει ὁ Πατὴρ τὸν Υἱὸν, δῆλον ὅτι καὶ ὁ Υἱὸς ἐκ μέρους γινώσκει τὸν Πατέρα. εἰ δὲ τοῦτο λέγειν οὐ θέμις, οἶδε δὲ τελείως ὁ Πατὴρ τὸν Υἱὸν, δῆλον ὅτι καθὼς γινώσκει ὁ Πατὴρ τὸν ἑαυτοῦ Λόγον, οὕτω καὶ ὁ Λόγος γινώσκει τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα, οὗ καί ἐστι Λόγος, καὶ ταῦτα λέγοντες, καὶ ἀναπτύσσοντες τὰς θείας γραφὰς, πολλάκις ἀνετρέψαμεν αὐτοὺς, καὶ πάλιν ὡς χαμαιλέοντες μετεβάλλοντο .... διὸ καὶ ἀποκηρύχθησαν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ ἀναθεματίσθησαν ..... ἐδηλώσαμεν δὲ καὶ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεβείᾳ ἀγαπητοὶ καὶ τιμιώτατοι συλλειτουργοὶ, ἵνα μήτε τινὰς ἐξ αὐτῶν, εἰ προπετεύσαιντο καὶ πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν, μὴ προσδέξησθε, μήτε Εὐσεβίῳ, ἢ ἑτέρῳ τινὶ γράφοντι περὶ αὐτῶν, πείθησθε.

LIBER DECIMUS.

Nicæna Synodus Arianam proscribit hæresim. Constantinus omnes ad ejus obsequium compellit. Constantinopolim spoliis Gentilitatis exornatam Christo dedicat, Gentilesque & Judæos edictis coercet, multaque largitur Ecclesiis. Æthiopibus Frumentius; Iberis viam veritatis mulier captiva demonstrat. Ecclesia tamen suis non caruit tribulationibus. Ariani dissimulando viribus invalescunt. Donatistæ vexant Ecclesiam. Constantinus quandoque hæreticis indulgentior Arium, Eusebium Nicomediensem aliosque revocat ab exilio, qui, facta cum Meletianis conspiratione, ejecere Catholicos Episcopos: Athanasium ipse jussit Treviris exulare: Denique Arium Fidelium communioni restituere voluit; sed perjurus hæresiarcha divinitus percussus interiit. Constantinus tamen paulo ante suam mortem baptizatus semper fidem Nicænam retinuit. Ejus mater S. Helena inventis Passionis Dominicæ sacris monimentis jam in Domino obdormierat. S. Antonius fidem Nicænam confirmat miraculis, pro qua etiam strenue factis & scriptis decertarunt SS. Athanasius, Eustathius, & uterque Alexander. Eusebius Cæsariensis eruditione floret; doctrina & communione Arianus.

CHRISTI AN. 325.

Epiph. hær. 69. *Nicæna Synodus.* Athan. in Epist. ad Episc. Africæ. Eus. vit. Const. l. 3. c. 6. Gelas. l. 2. c. 5. Eus. ib. c. 7. 8. & 9.

I. Onstantinus Imperator Ecclesiæ consulens, cum jam monitionibus & literis nihil apud schismaticos proficeret, œcumenicam Synodum colligit 318. Episcoporum, Imperii sui anno decimo nono vertente, Christi trecentesimo vigesimo quinto, honorificis literis Episcopos invitans, ut quantocyus adessent Nicææ, Bithiniæ olim Metropolis, non procul ab urbe tunc ejus regia Nicomedia. Multum ad hoc opus contulit ejus benignitas. Aliis quidem cursus publici copiam præbuit; aliis vero jumentorum usum abunde subministravit. Statim cuncti summa cum alacritate advolarunt ex omnibus Asiæ, Africæ, & Europæ provinciis. Presbyterorum qui eos comitati sunt, Diaconorum, Acolytorum, aliorumque quamplurium numerus iniri vix potest. Quibus omnibus quotidie annonas copiose præberi Imperator mandaverat.

Theod. l. 1. c. 7. Socrat. l. 1. c. 8. *Legati R. Pontificis eū præsident.* Phot. Cod. 88. Athan. Apolog. de fuga.

Episcopus urbis Romanæ, Sylvester, ob extremam senectutem absuit. Ipse quidem duos presbyteros misit, qui vices ejus implerent, ac proinde præsiderent, quemadmodum in sequentibus Conciliis semper observatum certo constat. Id de Nicæno affirmat Gelasius Cyzicenus Græcus author, cujus narrationem approbat Photius; Ipse etiam Hosius, inquit, ex Hispaniis, nominis & famæ celebritate insignis, qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Presbyteris Vitone & Vincentio, cum aliis multis in consessu illo adfuit. Hosium autem fuisse unum ex Concilii Præsidibus fatentur omnes; cui enim Synodo, inquit D. Athanasius, non præfuit senex ille Hosius? Hunc igitur honoris & authoritatis gradum, ante Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, quorum jura Synodus Nicæna confirmavit, obtinuit ut Sylvestri Papæ Legatus. Ejusdem Pontificis consensu convocatos Episcopos docet sexta Synodus. Arius, inquit, divisor & partitor Trinitatis insurgebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilia magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant. Idem confirmat supra laudatus Gelasius.

Gelas. ib. c. 12.

Insigniores Episcopi Synodi Nic. Socrat. l. 1. c. 8. Theod. l. 1. c. 7. Athan. epist. ad Solit.

Illustriores, quibus hæc sancta corona veluti gemmis ornabatur, Episcopos designare sufficiat. Aderant duo Patriarchæ Orientales, Alexandrinus D. Alexander, qui secum adduxerat D. Athanasium tunc diaconum, cujus consiliis plurimum utebatur. Antiochenus D. Eustathius, vir confessione clarus, religione pius, qui D. Philogonio ad meliorem sortem translato communi consensu Episcoporum & Clericorum & plebis invitus ad illius Ecclesiæ administrationem evectus fuerat, primam a dextera sedem tenebat. Sinistram cum aliis legatis occupabat Hosius; quæ in cœtibus Ecclesiasticis honorificentior est, ut docet vetus ordo Romanus. Alexandrinus & Antiochenus inter Concilii Præsides a quibusdam annumerantur; qui honor satis communiter tribuebatur Episcopis sedium Apostolicarum; sed ut observat D. Leo, B. Petri Apostoli jure atque honore servato. Patriarchis dignitate proximus venit Primas Africæ Cæcilianus Carthaginensis. Donatistæ a totius Orbis communione seclusi nullum ex parte sua miserunt Episcopum.

CHRISTI AN. 325.

Leo epist. 74.

Theod. ibid. & c. 1. hist. Relig.

Aderant præterea plures Episcopi, qui donis Apostolicis refulgerent, nec pauci, qui stigmata Jesu Christi corpori suo impressa circumferrent. S. Jacobus Nisibis in Mesopotamia Episcopus, & mortuos suscitavit, vitæque restituit, & alia plurima fecit miracula. Hic ad solitariam se primum vitam conferens, montium occupatis verticibus, vere, æstate & autumno sylvis utebatur, hyeme vero ascetam antrum excipiebat. Sponte nata, scilicet fructus herbæque sylvestres cedebant in alimentum, asperrimi vero caprarum villi erant indumento, ex quibus tunicam & simplex amiculum sibi conficiebat. Postea profectus in Persidem excitandæ religioni navaturus operam reipsa Joannes Persarum Episcopus inter Nicænos Patres a Gelasio numeratur; neque cibum mutavit neque vestitum: ad oppidum iter facienti forte superveniunt egeni, orantes quæ mortuo socio sepeliendo erant necessaria, quæ statim ille largitus est, Deoque preces offerens tanquam pro mortuo, rogavit ut ei remitteret quæ in vita peccaverat, eumque in justorum cœtum admitteret; quæ cum ab eo dicerentur, evolavit illius anima, qui mortem simulabat. Paululum deinde progresso viro sancto, illum, qui jacebat, surgere jubentes, vident eum non exaudire, & reipsa evenisse quod simulabat. Ad magnum contendunt Jacobum, & ad ejus pedes provoluti fatentur simulandi causam fuisse paupertatem, rogantque ut delictum ipsis condonaret. Preces admisit, & vitam precibus restituit.

Gelas. l. 2. c. 27.

Decus etiam attulit Synodo Paulus Episcopus Neocæsareæ, quod castellum est ad ripas Euphratis situm. Licinii rabiem fuerat expertus; ambabus enim manibus fuerat debilitatus, candente ferro eis admoto, nervisque, quibus articuli moventur, contractis, atque enectis.

Theod. ibid.

Sozom. l. 1. c. 10. Socrat. hist. l. 1. cap. 11.

Illic licebat cernere turbam martyrum in unum collectam: alii dextros oculos habebant effossos, & dextros poplites succisos, quos Maximinus ad opus in metallis faciendum damnaverat, ex quorum numero fuere S. Potamon Heracleæ in Ægypto Episcopus; S. Paphnutius etiam Ægyptius in superiori Thebaide Episcopus: in eo tanta Dei gratia elucebat, ut miracula per eum fierent non minora his, quæ olim ab Apostolis facta sunt; nam dæmones solo verbo fugabat, & ægros plures oratione curabat, sed & cæcis visum tribuebat, & paralyticis

natu-

CHRISTI An. 325.

naturalem firmitatem restituebat, efficiens ut membra sana suis fungerentur officiis. Hunc Imperator summo in honore habuit, & sæpius cum intra palatium evocatum complectebatur, & oculum effossum subinde exosculabatur. Tanta erat apud pium Imperatorem sanctorum virorum authoritas & gratia.

Socrat. lib. 1. c. 12.

Erat etiam inter eos S. Spiridion Cyprius urbis Timithuntis in eadem insula Episcopus. Tanta in eo adhuc ovium pastore inerat vitæ sanctitas, ut dignus habitus sit qui hominum quoque pastor existeret. Verum ob singularem animi modestiam etiam in Episcopatu oves pascere non destitit. Filiam habuit Irenem nomine, quæ ei ministrans virgo vitam omnem castissime egit. Post ejus mortem mercator quidam peregre rediens, rogat senem depositum, quod ejus filiæ crediderat. Spiridion, totius rei inscius, nihilominus totam domum perscrutatur. Cum nihil reperisset, virum monuit, nec se scire quidquam de deposito, nec esse in tota domo. Mercator tunc altius inclamans & lacrymans reposcit hoc ultimæ senectutis suæ subsidium, illaturusque violentas sibi manus videbatur. Spiridion commiseratione commotus cum eo perrexit ad sepulchrum filiæ, inclamatque, Irene, ubi deposuisti quod hic homo tibi credidit? Illa de sepulchro respondens locum patri indicat. Ille domum reversus inventum in eo loco depositum homini reddidit. Multa alia admiranda fecit, quæ omnium ore celebrantur.

Gelas. lib. 2. cap. 11.

Sozom. l. 1. c. 11.

Qualiter autem Spiridion se gesserit in excipiendis hospitibus, hinc licet cognoscere. Instante quadragesima, quidam ex itinere ad eum accessit iis ipsis diebus quibus ille una cum domesticis solebat continuare jejunia, ac certo die comedere, reliquos dies absque ullo traducens cibo. Cum autem Spiridion peregrinum admodum fessum videret, age, inquit, filia, lava hominis pedes, eique cibum appone. Cum virgo respondisset, neo panem domi esse nec farinam: supervacuum enim esse harum rerum apparatum propter jejunium, Spiridion præmissa oratione, & petita venia, præcepit filiæ ut suillas carnes, quas sale conditas habebat, eoqueret; quibus coctis, hospitem una secum sedere jussit, easque secum comedere hortatus est: cumque ille detrectaret, ac se Christianum esse diceret: eo minus, inquit, detrectandum est, omnia enim munda esse mundis sermo divinus edocuit. Quadragesima nondum venerat, sed instabat, quando Spiridion, qui ea devotione continuabat jejunia, comedit carnes suillas, peregrinumque a Judaica superstitione revocatum induxit ut comederet. His adde, in casu necessitatis dispensare potuisse Spiridionem, utpote Episcopum.

Sozom. ibid. *Spiridionis factum non adversatur præcepto jejunii quadragesimal.*

Sequentes etiam Sanctis annumerat Ecclesia. *Prima* Macarium Hierosolymitanum: *secundo* Leontium Cæsareæ Metropolis Cappadociæ Episcopum, multos labores pro fide passum; qui plures, & præsertim D. Gregorium Armeniensem ad martyrium instituit, Gregoriumque Nazianzeni Theologi patrem hoc ipso anno Fidem Christianam edocuit: *tertio* Amphionem Epiphaniæ in Cilicia Antistitem atque Confessorem: *quarto* Alexandrum Byzantinum: *quinto* Meletium Sebastenopolis Episcopum: *sexto* Achillam Latissæum: *septimo* Hypatium Gangrensem, quem postea lapidibus obruerunt Novatiani: *octavo* Nicolaum Myrensem, qui miraculis vivens & post obitum claruit: *nono* Pedorum Heracleæ Metropolitanum ut virum Apostolicum laudat Athanasius. Eutychium Amasensem D. Basilius martyr ob egregia virtutum merita designarat eligendum sibi successorem Episcopum. Omnes autem sic prædicat D. Ambrosius. Trecenti decem & octo sacerdotes tanquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum, toto Orbe subrutis perfidis, extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum, quod eodem numero in conciliis Fidei haberemus oraculum, quo in historia habemus exemplum. Tot ac tales viros mutatæ trium priorum sæculorum Fidei accensant Sociniani. Quis sanæ mentis id perabsurde fingi non intelligat? Vitæ sanctitas, Christi confessio sæviente persecutione, scripturarum scientia, miracula quibus claruerunt, tot sunt demonstrationes, quibus acceptam a majoribus fidem eos clare exposuisse certo constat. Equidem duo & viginti Episcopi partes Arii sequebantur, quorum principes

Martyr. Rom. 14. Nov. Athan. orat. 1. adv. Arian.

Ambr. epist. ad Grat. Aug.

Niceni Episc. priorum sæculorum fidem confirmavere.

erant Eusebius uterque. Eorum autem nullus Christum dixit esse purum hominem. E contra Sociniani dogmatis parens Paulus Samosatenus, ubi primum illud evulgavit, damnatus ab Episcopis depositus est.

CHRISTI An. 325.

Sed & quidam Gentilium Philosophi harum disputationum participes esse voluerunt, ob religionem gentilium, quæ recens aboleri cœperat, Christianis infensi. Ajunt igitur, cum quidam ex illis ob sermonum magnificentiam insolenter sese jactaret, & sacerdotibus illuderet, Spiridionem senem simplicem ex eorum numero, qui in confessionibus inclaruerant, arrogantiam hominis non tulisse. Sed tametsi argutiarum & velitationum expers esset, congrediendi cum eo partes suscepisse. Ea res petulantibus quidem viris, quibus confessor notus erat, risum excitavit; modestis vero metum incussit, sollicitis ne cum viro dicendi peritissimo collatus, ridiculus appareret. Verumtamen cum ei quæ vellet dicere permisissent, Audi, inquit, Philosophe, in nomine Jesu Christi, unus est Deus cœli terræque & visibilium omnium atque invisibilium conditor, qui hæc omnia verbi sui virtute perfecit, & spiritus sanctitate firmavit. Hic igitur sermo, quem nos Dei Filium vocamus, hominum errorem ac ferinam vivendi rationem miseratus, ex muliere nasci voluit, & cum hominibus versari, & pro ipsis mortem oppetere. Iterum vero venturus est Judex eorum, quæ unusquisque gesserit in hac vita. Hæc ita se habere, simpliciter credimus. Noli igitur frustra laborare, eorum quæ fide comprehenduntur, quærens confutationes, modumque investigans, quo ista fieri, aut non fieri potuerint; sed, si credis, interroganti mihi responde. Hoc sermone obstupefactus Philosophus, Credo, inquit; & gratias agens quod victus fuisset, eadem quæ senior, sentire cœpit, & iis qui pari modo quo ipse antea affecti erant, suasit ut ipsi quoque idem sentirent, jurejurando affirmans se non sine Dei Numine mutatum, sed inexplicabili quadam virtute ad Christi Fidem suscipiendam impulsum esse.

Sozom. l. 1. c. 18. *Philosophus ad fidem convertit Spiridion.*

II. Constantinus post triumphales ludos nono Kalendas Junii Nicæam venit, Episcoposque tum verbis, tum muneribus humanissime excepit. Cum dextros oculos quibusdam effossos videret, comperissetque eos ob constantiam fidei illud supplicium pertulisse, labra vulneribus admovit, hinc se benedictionem percepturum esse confidens. Quidam autem jurgiis ac simultatibus dediti, ac proinde, ut probabilius videtur, Ariani, nonnullos Episcoporum accusarunt, & accusationum libellos obtulerunt Imperatori. Eos ille cum ante restitutam concordiam accepisset, in unum fasciculum colligavit, & annulo suo obsignatos servari præcepit. Postea vero cum pacem inter Episcopos constituisset, prolatos in medium libellos coram ipsis exussit, jurejurando affirmans, nihil eorum quæ scripta essent a se lectum fuisse. Nefas enim esse ajebat, ut sacerdotum delicta ad vulgi notitiam pervenirent, ne populus offendiculi occasionem inde arripiens, licentius ad flagitia prorumperet. Illud quoque adjecisse dicitur, se, si Episcopum adulterium perpetrantem oculis suis videret, illegitimum facinus paludamento suo obtecturum esse. Singulorum criminationem cessare jussit: diem etiam constituit, quo ea, quæ in quæstionem venerant, disceptari oporteret.

Theod. l. 1. c. 11. *Constantini pietas & prudentia pro pace conciliandâ.*

Sozom. l. 1. c. 17.

Prisquam vero constituta dies adesset, Episcopi privatim inter se coeuntes Arium accersunt, qui opiniones suas in medium protulit. Has ex ejus Thalia sic exponit D. Athanasius. Non semper Deus fuit Pater ..... non semper fuit Filius, nam cum omnia ex nihilo sint orta, ipsum quoque Dei Verbum ex nihilo factum est, & fuit aliquando cum non esset ...... Item Verbum natura, ut nos omnes, esse mutabile, suoque arbitrio, quo usque volet bonum perseverare. Et quia Deus bonum fore præscivit, idcirco hanc ei gloriam præveniendo donavit, quam homo postea virtute consecutus est: quapropter ex ejus operibus, quæ præscivit Deus, talem illum nasci voluit. Præterea ausus est dicere Verbum non esse verum Deum; nam tametsi dicitur Deus, non tamen verus est Deus, sed gratiæ factus particeps ...... Quemadmodum enim res omnes secundum naturam diversæ & dissimiles Dei sunt, ita & Verbum omnino alienum & dissimile est naturæ proprietatisve Dei Patris, sed ad res factas & creatas pertinet, quarum una ipsum est ....

Athan. contra Arian. edit. nov. pag. 409. Vet. 295. tom. 1. *Arii opiniones examinantur.*

Unde

CHRISTI An. 355.

Unde concludebat: natura diviſat, disjunctas alienaſque eſſe Patris, Filii, & Spiritus Sancti ſubſtantias. Ad quæ verba Nicæni Patres aures obturarunt. Sed & Euſebianis multa hæreſeos veneno condita proferentibus, Epiſcopi placide, & perhumaniter poſtulabant, ut ſuorom dictorum rationes redderent, ſeque non impios demonſtrarent. Qui vix ut loqui cœperunt, digniſſimi viſi ſunt ab omnibus qui condemnarentur, ipſi enim inter ſe altercabantur. Cumque diſputatio, uti fieri ſolet, in varias diſtraheretur quæſtiones, alii quidem ſuadebant, ne præter fidem ab initio traditam quidquam innovaretur, præcipue illi, quos morum ſimplicitas induxerat, ut fidem in Deum ſine curioſa diſcuſſione ſuſciperent. Alii contendebant veterum opiniones ſine ullo examine ſequi non oportere. Porro multi tam ex Epiſcopis quam clericis, qui illos comitabantur, cum acres eſſent in diſputando, & in hujuſmodi ſermonibus exercitati, inclaruerunt. Ex eo tempore Athanaſius maxima pars hujus diſputationis clarus haberi cœpit.

Athan. de Synodis.

Sozom. l. 1. c. 19. Euſ. vit. Conſt. l. 3. c. 10. *Nicænæ Synodi prima ſeſſio.*

III. Ubi dies advenit, quæ finiendis controverſiis fuerat conſtituta, ſcilicet tertio decimo Kalendas Julias, convenerunt in aulam palatii, quæ reliquas omnes amplitudine ſuperare videbatur, plurimis ſedilibus ad utrumque ædis latus ordine diſpoſitis. Poſtquam univerſa Synodus cum decenti modeſtia reſedit, omnes conticuere, Imperatoris proceſſum exſpectantes. Unus ex proximis Imperatoris, deinde alter ac tertius ingreditur. Præcedebant quoque alii, non ut moris eſt, ex militum ac Protectorum numero, ſed ex amicis ii ſoli, qui Fidem Chriſti profitebantur. Cumque, ſigno dato, quo Imperatoris introitus nuntiabatur, omnes aſſurrexiſſent, tandem ipſe medius incedens advenit, purpureæ quidem veſtis fulgore oculos omnium perſtringens, & flammeis quibuſdam radiis collucens, adhæc auri, & lapillorum eximio ſplendore exornatus. Quod vero ad animum ſpectat, ſatis apparebat eum timore Dei ac religione decoratum eſſe. Atque id indicabant oculi dimiſſi, rubor in vultu, & motus corporis, & inceſſus. Corporis proceritate, & formæ decore, & venuſta quadam majeſtate cæteros antecibat; quæ quidem omnia admirabili modeſtia, & Imperatoria lenitate temperabat. Poſtquam Imperator ad caput ſubſelliorum venit, medius ſtetit. Poſita ante eum humili ſella ex auro fabricata, non prius aſſedit, quam Epiſcopi ei annuiſſent. Idem omnes poſt Imperatorem fecere.

Theod. l. 1. c. 7. *Conſtantini oratio.*

Euſtathius Eccleſiæ Antiochenſis Epiſcopus, qui in dextra parte primum locum obtinebat, conſurgens, modica oratione Imperatorem allocutus eſt, propter illum gratias, & laudes perhibens Omnipotenti Deo. Poſtquam ille dicendi finem fecit, Imperator lætis oculis, & placido vultu univerſos intuitus, ac deinde mentem ſuam in ſe colligens, leni, & moderata voce verba fecit, declarans hanc votorum ſuorum fuiſſe ſummam, ut eos in unum congregatos, & conſpirantibus animis unum idemque ſentientes videret; propter eorum diſſenſionem maximo dolore ſe affectum eſſe, " Optans, inquit, ut huic malo mea quoque opere remedium adhiberetur, abſque ulla cunctatione vos omnes accerſivi. Sed me ex voto rem geſſiſſe tunc demum exiſtimabo, cum veſtrum omnium animos inter ſe conjunctos videro .... Date igitur operam, o chariſſimi Dei miniſtri, ut ſublatis quamprimum mutuæ inter vos diſſenſionis cauſis, omnes controverſiarum nodos pacis legibus ſine ulla mora diſſolvatis. Hac enim ratione, & ſummo omnium Deo rem gratiſſimam facturi, & mihi conſervo veſtro ingens beneficium collaturi eſtis. „ Hæc illa cum latino ſermone dixiſſet, alius græce interpretatus eſt. Deinceps Concilii Præſidibus ſermonem conceſſit, Epiſcoporum vero, ut de religionis dogmatibus accuratius diſquirerent, arbitrio poteſtatique permiſit.

Euſ. vit. Conſt. l. 3. c. 12.

Theod. l. 1. c. 8. *Utriuſque Euſebii profeſſio Fidei rejecta.*

IV. Poſtquam de modo Fidei quæri cæptum eſt, libellus Euſebii Nicomedienſis prolatus eſt in medium, Arianæ blaſphemiæ certiſſimum argumentum. Qui cum palam cunctis audientibus recitatus fuiſſet, ſtatim auditoribus quidem immenſum dolorem attulit, ob doctrinæ pravitatem. Ipſamet eſt epiſtola quam ſcripſerat ad Paulum Tyri Epiſcopum; hanc ſupra deſcripſimus. Porro cum Euſebianorum officina jam detecta eſſet, & impius libellus in conſpectu omnium diſcerptus, quidam nihilominus ex compoſito nomen pacis prætendentes, reliquis omnibus, qui optima dicere conſueverant, ſilentium impoſuerunt. Euſebius Cæſarienſis protulit ſequentem Fidei formulam: " Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inviſibilium effectorem, & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Dei Verbum, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Vitam ex Vita, Filium Unigenitum, Primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſæcula ex Patre genitum, per quem & omnia facta ſunt ..... Anathemate inſuper percutimus omnem impiam hæreſim. „ Ambigua eſt hæc Fidei profeſſio, nihilque continet quod Ariani facile non admittant. Nam, ut obſervat Athanaſius, intelligebant Filium rebus cæteris antecellere, & ideo Unigenitum dici, quod ipſe ſolus a ſolo Deo factus ſit, cætera vero omnia a Deo per Filium ſint creata. Hinc etiam dicebant Filium eſſe ex Deo, ſiquidem ſcriptum eſt: Unus Deus, ex quo omnia.

CHRISTI An. 315.

Theod. hiſt. l. 1. cap. 12.

Athan. de decret. Nic. Synod. nov. edit. pag. 214. & 254. & 225. vet. edit. 267. & in ep. ad Afros.

Illorum aſtutia, & impia calliditate perſpecta, Patres clarius explicare coacti ſunt, quid per vocem, ex Deo, intelligendum eſſet. Quocirca ſcripſere Filium eſſe ex Dei ſubſtantia, ut nempe iſtud ex Deo, & rerum factarum commune eſſe non exiſtimaretur, ſed ut crederetur cætera quidem omnia creata eſſe, ſolum autem Verbum eſſe ex Patre. Cum autem Epiſcopi rurſus dicerent ſcribendum eſſe Verbum, virtutem veram, imaginemque Patris eſſe, eique in omnibus ſine ulla prorſus varietate eſſe ſimillimum, denique immutabile, ſemperque eſſe, ac ſine diviſione in ipſo eſſe, denique verum eſſe Deum; Euſebiani his repugnare cum non auderent, utpote quos ſuppudebat convictos, & confutatos fuiſſe, tamen deprehenſi ſunt inter ſe iterum murmurare, oculiſque innuere, iſtas voces: ſimile, ſemper, virtutem, & in ipſo, nobis cum Filio Dei eſſe communes: ac proinde nihil illis moleſtum videri, ſi hæc nos approbaremus. Nam quod ad vocem ſimilis ſpectat, inquiebant, ea quoque nobis attribuitur, quippe cum ſcriptum ſit: *Homo imago, & gloria Dei eſt*, vos ſemper item nobis convenit, nam ſcriptum eſt: *Semper enim nos viventes*. Nec hæc verba, in Ipſo, a nobis aliena ſunt, quia *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*. . Immutabiles quoque dicimur, ubi ſcriptum eſt, *nihil nos ſeparabit a charitate Dei*. Denique nomen virtutis aliis etiam rebus tribuitur, nam eruca, & bruchus virtus, & quidem virtus magna dicuntur. Filium etiam verum Deum ſi vocant, neque illud ægre ferimus. Cum enim factus fuerit, verus exiſtit.

1. ad Cor. 11. 2. ad Cor. 4. Act. 17. Joel. 2.

Athan. inep. ad Afros. *Cur Filium Patri conſubſtantialem dixere Patres Nicæni.*

Epiſcopi illorum ſimulationem animadvertentes, ſententiam ex Scripturis rurſus colligere ſunt coacti, & quæ ante dixerant, eadem clarioribus verbis ſignificare, ac denique ſcribere, Filium Patri eſſe conſubſtantialem, ut ſcilicet ſignificarent Filium non tantum ſimilem, ſed eamdem rem ſimilitudine eſſe ex Patre: atque ut ſimilitudinem, & immutabilitatem Filii aliam omnino eſſe oſtenderent ab ea imitatione, quæ in nobis eſſe dicitur, quam quidem nos propter mandatorum obſervationem conſequimur. Namque quod ſpectat ad corpora, quæ inter ſe ſunt ſimilia, illa certe diſtare, & procul a ſe invicem poſſunt abeſſe, ut accidit hominum liberis erga proprios parentes, quemadmodum de Adam, & Seth, quem ille genuit, ſcriptum eſt, nempe ſimilem illi fuiſſe ſecundum ſpeciem ſuam. Verum cum Filii ex Patre generatio alia plane ſit a natura hominum, nec ſolum ſimilis ille ſit ſubſtantiæ Patris, ſed dividi ab ea non queat; cum item unum ipſe, & Pater ſint, ſemperque Verbum ſit in Patre, & Pater in Verbo, eo modo quo ſplendor ſe habet ad lucem, idcirco Synodus eum eſſe conſubſtantialem recte ſcripſit. Hæc narrat Athanaſius, qui præſens aderat. Ambroſius addit, cum lecta eſſet Euſebii Nicomedienſis epiſtola, in qua ſcripſerat; ſi verum Dei Filium, & increatum dicimus, omouſion eum Patre incipimus confiteri, hoc verbum in tractatu Fidei poſuiſſe Patres, quia id viderunt adverſariis eſſe formidini, ut tanquam evaginato ab ipſis gladio ipſorum nefandæ caput hæreſeos amputarent ..... quia eo verbo, & perſonarum diſtinctio, ac naturæ unitas ſignificatur.

Geneſ. 5.

Joan. 1.

Ambr. de fide l. 3. cap. 15.

Athan. ibid. Theod. cap. 8.

Conſubſtantialis vocem plurimis cavillis, & dicteriis inſectati ſunt Ariani, tum quod in Scripturis non reperiatur; tum quod ab Antiochenis Patribus reprobata ſit; denique quod Deo minus conveniat.

CHRISTI An. 325.

Athan. in epist. ad Afr.

Illud enim esse consubstantiale, dicebant, quod ex alio est, vel partitione, vel fluxu, vel eruptione: eruptione quidem, ut ex radicibus germine; fluxu, ut ex parentibus liberi; partitione vero, ut ex auri massa duæ vel tres phialæ. Nullo porro ex his modo esse Filium Dei. Ejusmodi sophismate facile dissolverunt Patres: *Primo*, quod vox illa in Scripturis non legatur, vanum ex ipsis ennmonstrerunt, cum ipsi verbis non scriptis ad impietatem suam abusi sint; nusquam enim hæc scripta sunt, ex non entibus; fuit tempus cum Verbum non esset. Quomodo ergo ex non scriptis licet pie excogitatis verbis se damnatos queruntur? Episcopi non ex se ipsis hanc vocem excogitarunt, sed Patrum habentes testimonia ita scripserunt. Prisci enim Episcopi, inquiebant Eustathius, & Athanasius, qui ante annos fere centum ac viginti, tum in magna urbe Roma, tum Alexandriæ sederunt, scilicet uterque Dionysius, eos qui Filium Dei facturam esse dicerent, non eumdem Patri consubstantialem reprehenderunt. Demum etiamsi hæ voces, ex substantia Patris, & consubstantialis, in Scripturis non extent, sententiam tamen, quam continent, ex Scripturis haberi probarunt.

Eus. vit. Const. l. 3. c. 13.

Theod. l. 1. c. 12.

Secundo: Patres Antiochenos sensu prorsus diverso, & relative ad errorem Pauli Samosateni vocem homousion reprobasse superius ostendimus. Eadem vox prout de rebus creatis dicitur, cum minime Deo convenire possit, altercationes non leves movit ejus expositio. Multis igitur ex utraque parte propositis, Imperator eucte patientissime auscultans, intento animo propositas quæstiones excepit; & quæ ab utraque parte dicebantur, vicissim astruens atque adjuvans, pertinacius certantes pauletim conciliavit; cumque omnes placide alloqueretur, & græce uteretur lingua, suavissimus ac jucundissimus fuit; dum alios vi rationum adductos in suam sententiam trahit, alios orat, & flectit, eosque qui recte dixissent laudibus afficit, & universos ad concordiam incitat. Orthodoxi vero Patres clare demonstrarunt, teste vel ipsomet Eusebio Cæsariensi, consubstantialem esse Filium Patri, dici non juxta corporum modum, & affectiones, neque instar mortalium animantium accipi debere; nam neque per divisionem substantiæ, neque per abscissionem, nec permutationem Paternæ essentiæ atque virtutis id posse consistere. Ingenitam enim & summe simplicem Patris naturam ab his omnibus alienam esse; sed Filium Patri esse consubstantialem, divinis, & arcanis rationibus esse intelligendum, quemadmodum exposuimus; quamobrem uno omnium Catholicorum Patrum consilio, hanc vocem Fidei formulæ inserendam decretum fuit.

Athan. ad Monach. seu solit.

Theod. l. 1. c. 12.

Nicænum symbolum.

V. Hosius hanc composuit; Hermogenes Leontii diaconus, & postea Cæsareæ in Cappadocia Episcopus hisce verbis scripsit: ...... "Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, genitum ex Patre unicum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo sunt, & in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, Incarnatusque, & Homo factus est, & passus. Qui resurrexit tertia post die, ascendit ad cœlos, venturus est, ut vivos judicet ac mortuos: & in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt, erat aliquando quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, & quia ex iis, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia. Symbolum cum hac fusiori explicatione secundi articuli Nicænum dicitur. Septemdecim Episcopi soli tunc fuisse dicuntur, quibus Arii fides magis placeret. Imperator hanc totius Concilii concordiam divinitus approbatam esse existimans, si quis decretis Synodi refragaretur, eum exilio damnandum esse pronuntiavit, utpote Dei judicium convellere conantem.

Sozom. l. 1. c. 20.

Arianorum perplexitas & inconstantia,

Theod. hist. l. 1. c. 7. & 8.

Plures ex Arianis metuentes ne tot Episcopis in unum congregatis, ipsi Ecclesia ejicerentur, in medium prosilientes, dogma, quod improbatum fuerat, anathemate damnarunt; & libello, qui unanimi omnium consensu conscriptus fuerat, propria manu subscripserunt; sed parum sincere; damnatas enim opiniones postea vel clam, vel aperte defenderunt. Quinque tantum reperti sunt, qui illum amplecti nollent, vocem consubstantialis reprehendentes, Eusebius scilicet Nicomediæ Episcopus, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis. Eusebius autem Pamphili cum aliquantulum hæsitasset, Fidei formulam expendit, suaque sententia comprobavit; sed fraudulenter, ut infra constabit ex ejus epistola. Arius vero, & qui idem cum illo sentiebant, excommunicati sunt e Synodo, interdictumque est Ario, ne Alexandriam ingrederetur; sed & verba, quibus opinionem suam explicabat, & librum de eodem argumento compositum, quem ille Thaliam inscripserat, condemnarunt. Subscriptiones præcipuorum Episcoporum sic refert Socrates: Hosius Episcopus Cordubæ Hispaniæ. Ita credo ut superius scriptum est. Vito, & Vincentius presbyteri urbis Romæ. Ægypti Alexander Episcopus. Magnæ Antiochiæ Eustathius. Hierosolymorum Macarius. Harpocratio Cynopoleos. Et reliqui, quorum nomina in libro Athanasii Episcopi Alexandrini, qui Synodicus inscribitur, plenissime digesta sunt. Sylvestri igitur legati licet presbyteri subscripsere etiam ante Patriarchas Orientales, certissimum eorum præsidentiæ argumentum. Post omnes Episcopos subscripsit Constantinus Imperator.

CHRISTI An. 325.

Socrat. l. 1. c. 8.

Sozom. l. 1. c. 21.

Eusebius Cæsar. fraudulenter subscribit.

Socrat. l. 1. c. 13.

Legati Rom. Pontif. primi subscribunt.

Athan. ad Afr.

Quæstione de Fide composita, aliam de Disciplina Patres ingrediuntur, quæ pacem Ecclesiis eripueret ætate Victoris. Tunc etiam de festivitate temporis Paschalis variabat Ecclesiarum consuetudo. Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, a reliquis Ecclesiis dissentiebant in tempore Paschatis celebrandi, quod eodem die cum Judæis celebrabant, scilicet decimo quarto die Lunæ vernalis Æquinoctii, in quemcunque hebdomadæ diem incidisset; sed cum de sanctissimo Paschæ die quæsitum fuisset, communi omnium sententia decretum est eam festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere, indecorumque visum est iisdem diebus alios jejuniis intentos esse, alios vero convivia celebrare. Itaque communi decreto constitutum est: ut Dominica proxime sequente Lunam decimam quartam post Vernum Æquinoctium illucescentem Pascha celebraretur: Quod & factum est, Syri enim obtemperarunt. Quo facilius suo tempore Pascha perageretur, errorque in Lunari supputatione non irreperet, congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Huic cyclo ordinando suam operam contulit Eusebius Cæsariensis, & librum, quo arcana illius festi ratio erat exposita, nuncupavit Imperatori, qui responsionis suæ honore eum vicissim remuneratus est. Illius cycli primum authorem ante septingentos & quinquaginta annos extitisse ferunt Metonem Atheniensem. Audianis displicuit hæc Nicæna de Paschate constitutio; quapropter Audium eorum ducem in Scythiam relegavit Constantinus.

Eus. de vit. Constant. l. 3. c. 18. & 19.

Decretum de festo Paschæ.

Epist. Synod. Conc. Nic. tom. 2.

Athan. de Synodis.

Cyclus Paschal.

Ambr. epist. ad Episc. Æmil.

Ep. Syn. Nic. Conc. apud Theod. l. 1. c. 9.

Meletiani quibus conditionibus recepti.

Meletii, & eorum qui ab illo ordinati sunt, adhuc reliqua erat controversia. Jam ab annis viginti & quinque schisma fecerant, & favebant Arianis, nec tamen eorum hæresi consentiebant. Placuit igitur, clementius erga Meletium agente Synodo, summo enim jure nullam veniam merebatur, ut in sua civitate, scilicet Lycopoli, maneat; nec ullam habeat aut manus imponendi, aut eligendi facultatem: nec hujus rei causa, aut in vico, ut in urbe ulla compareat, sed nudum honoris sui nomen retineat. Ii vero, qui ab ipso constituti sunt, sanctiore ordinatione confirmati ad communionem admittantur, ea lege, ut honorem quidem ac ministerium retineant, secundo tamen loco sint ab iis omnibus qui in unaquaque parœcia, & Ecclesia versantur a carissimo collega nostro Alexandro prius ordinati, adeo ut his quidem nulla facultas suppetat quos visum fuerit eligendi, aut nomen cujuspiam suggerendi, aut omnino quidquam agendi sine consensu Episcopi Catholicæ Ecclesiæ, qui Alexandro subjectus est. Hæc potissimum intelligenda sunt de viginti octo Episcopis, quos præsertim in superiore Ægypto ordinaret Meletius. Quod si quempiam eorum, qui in Ecclesia censentur, diem suum obire contigerit, tum in defuncti locum, & honorem promoveantur ii qui nuper adsciti sunt, modo digni videantur, & modo populus eos eligat; suffragante nihilominus, plebisque judicium confirmante Alexandrinæ

urbis

Digitized by Google

Christi An. 325.

urbis Epiſcopo : quibus ultimis verbis continetur ſexti canonis expoſitio, de quo inferius. Indulgentius erga Meletianos egiſſe Synodum, poſtea declaravit eventus.

Conſil. tom. 1. *Canones Nicæni.*

VI. Epiſcopi rurſus in unum convenientes de Eccleſiæ diſciplina viginti leges ſeu canones condidere. Primus eſt de Eunuchis. “ Si quis per ægritudinem a medicis ſectus eſt, vel a barbaris caſtratus eſt, iſte permaneat in Clero. Quod ſi quis ſemetipſum ſanus abſcidit, hic etiam etſi eſt in Clero, ceſſare debet, & ex hoc nullum talem oportet ordinari. Si qui vel a barbaris, vel a dominis ſuis Eunuchi facti ſunt, & probabilis vitæ ſunt, tales hos ſuſcipit eccleſiaſtica regula in Clerum. „ Origenis exemplo plures tunc hoc facinus in ſe admiſiſſe hinc colligimus. Reipſa Valeſii trans Jordanem

Epiph. hær. 58.

habitantes univerſi caſtrati erant. Quemcunque vero in ſuam diſciplinam receperint, quamdiu nondum ei exſecta virilia ſunt, ab animatis abſtinet. Poſteaquam autem ſive illi perſuaſerint, ſive violenter exſecuerint, tum demum, quaſi ab omni certamine liber, atque extra periculum omne poſitus, quodcunque ciborum genus ei permittitur. Neque vero ſuos eo modo duntaxat afficiunt, ſed etiam peregrinos ſæpe tranſeuntes.

Secundus canon præcepit, ne ad Presbyteratus vel Epiſcopatus ordinem promoveatur Neophytus. Tertius, qui etiamnum viget, hæc ſtatuit. “ Omnibus modis interdixit ſancta Synodus, neque Epiſcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli clericorum omnino licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi forte mater, aut ſoror, aut avia, aut amita ſit. In his namque perſonis & harum ſimilibus omnis ſuſpicio declinatur. Qui aliter præter hæc agit, periclitabitur de clero ſuo.

Sozom. l. 1. c. 23.

„ Multis placebat legem ferri, ut Epiſcopi, & Presbyteri, Diaconi item ac Subdiaconi non cubarent cum uxoribus, quas priuſquam ſacrarentur, duxiſſent. Paphnutius confeſſor ſurgens contradixit, nuptiaſque honorabiles vocans, & congreſſum viri cum uxore ſua caſtitatem eſſe dicens, conſilium dedit Synodo, ne hujuſmodi legem ferret. Rem enim eſſe toleratu difficilem, ac forte occaſionem incontinentiæ tum ipſis, tum uxoribus ipſorum inde ſubminiſtrandam. Porro veterem Eccleſiæ traditionem hanc eſſe, ut qui cœlibes ad ſacrum ordinem promoti eſſent, uxorem poſthac non ducerent, conjugati vero a ſuis uxoribus minime ſepararentur.

Socrat. l. 1. c. 11.

Et hæc quidem, inquiunt Sozomenus & Socrates, ſuaſit Paphnutius tametſi expers conjugii. Synodus vero conſilium ejus probavit, nec ullam ea de re legem tulit, ſed in cujuſque arbitrio, non autem ex neceſſitate id eſſe voluit. Theodoretus & Rufinus & Epiphanius hujus facti non meminere, & videtur fabula.

Epiph. hær. 54. num. 4. *Clericorum continentia,*

Antiquam ea de re praxim Eccleſiæ ſic refert Epiphanius: Ita profecto ſe res habet, ut poſt Chriſti in Orbem terrarum adventum, eos omnes, qui ſecundus priores nuptias mortua uxore alteri ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina rejiciat. Quin inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi ſit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi aut Hypodiaconi ordinem admittit, ſed eum duntaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus; quod in illis locis præcipue fit, ubi eccleſiaſtici canones accurate ſervantur. Tum ſibi objicit. Nonnullis adhuc in locis Presbyteri & Diaconi liberos ſuſcipiunt: Reſpondeo, inquit, non illud ex canonis authoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere & connivere ſolet ob nimiam populi multitudinem, cum ſcilicet qui ad eas ſe functiones applicent, non

Socrat. l. 5. c. 22.

facile reperiuntur. Orientales in eas exceptione comprehendit Socrates.

Tom. 1. Concil.

VII. Quartus canon ſtatuit, ut Epiſcopus ſaltem ex conſenſu omnium Comprovincialium ordinetur. Confirmatio vero per ſingulas Provincias pertinebit ad Metropolitanum .... Quintus. “ Servetur & iſta ſententia, ut hi, qui ab Epiſcopis ſuis excommunicantur, ab aliis non recipiantur, & ne forte quis injuſte ſit abjectus, per ſingulos annos in ſingulis Provinciis bis in anno Epiſcoporum Concilia fiant, ſcilicet ante dies quadrageſimæ, & circa tempus autumni, ut hujuſmodi quæſtiones examinentur. „ Sex-

Nov. verſio

tus canon, multarum diſputationum occaſio, ſic legendus: “ Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin, ita ut Alexandrinus

R. P. Du Meſnil Doctr. Tom. I.

Christi An. 325.

Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo: ſimiliter autem qui & in Antiochia conſtitutus eſt.

ex græco Gelaſ. *Patriarcharum jura ſtabiliuntur.*

Itaque & in cæteris Provinciis privilegia ſalva ſint Eccleſiarum. Omnino autem manifeſtum ſit hoc, quod ſi quis præter voluntatem Metropolitani fuerit Epiſcopus ordinatus, hunc ſtatuit hæc ſancta Synodus non debere eſſe Epiſcopum. Sane ſi communi omnium conſenſu rationabiliter habito, & ſecundum Eccleſiaſticam facto decreto, duo aliqui aut tres per contentionem ſuam contradixerint, obtineat ſententia plurimorum. „ Quid hic urbicaria & ſuburbicaria ſomniamus, de quibus nec veſtigium eſt in verbis Concilii, inquit Allatius. Reipſa eumdem canonem iiſdem verbis in Synodo Chalcedonenſi legit Paſchaſinus Vicarius Sedis Apoſtolicæ, & poſt eum Ætius Archidiaconus ex Codice Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ.

Allat. l. 1. de conſenſ. Orient. & Occid. Eccl. c. 12. Synod. Chalced. ſeſſ. 16.

Itaque de Patriarcharum juribus hic agit ſancta Synodus. Epiſcoporum ordinationibus canone quarto proſpexerat, eaſque a Metropolitanis confirmari voluerat: reſtabat igitur ut de Metropolitanorum ordinatione ſtatueret. Id autem aperte facit hoc canone ſexto, illos a Patriarchis ordinari jubens, qui ſunt Metropolitani Metropolitanorum. Nam cum Alexandria ſit Metropolis totius Ægypti, & cum Antiochia dicta ſit ab antiquis Metropolis totius Orientis, Epiſcopi illarum civitatum Metropolitani dicebantur, cum Patriarcharum nomen nondum uſurpari cœpiſſet.

Theod. l. 1. c. 4.

Hunc eſſe illius canonis ſenſum multa demonſtrant. Meletius, uti diximus, exercuerat tyrannidem contra prærogativas Sedis Alexandrinæ, ambitioneque, inquit Athanaſius, ut rebus præeſſet, Thebaidis ac vicinæ Ægypti omne jus Patriarchicum invaſerat. Graves ea de re querelas ad Synodum detulit Alexander Patriarcha: ne quis aliquid ſimile deinceps tentaret, hoc canone Patriarchicam poteſtatem ſtabiliunt Patres, ut patet ex eorum ad Ægypti Epiſcopos Synodica, in qua legitur: Nihil fiat præter voluntatem Præſulis Alexandrini, cui ſubjacent Epiſcopi, eorumque electiones confirmabit. Hæc ei jura confirmant exemplo Patriarcharum Occidentis & Orientis, ſcilicet Romani & Antiocheni Epiſcopi, quibus eadem jura competunt in provinciis eorum Patriarchatui ſubditis.

Chalced. Conc. Act. 4.

Ægypti Epiſcopi ita ſemper hunc canonem intellexerunt, quemadmodum diſcimus ex Concilio Chalcedonenſi, ubi Hieratius nomine Epiſcoporum totius Ægypti ſic loquitur: Sciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus exſpectamus ſententiam ſanctiſſimi Archiepiſcopi, & petimus veſtram clementiam exſpectare Præſidis noſtri præſentiam, quia eum in omnibus ſequimur. Nam & ſancti Patres, qui in Nicæa congregati ſunt trecenti octodecim, hanc regulam dederunt, ut ſequatur omnis Ægyptiaca diœceſis Archiepiſcopum magnæ urbis Alexandriæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubjacente Epiſcopo. Paraphraſis Arabica authore Joſepho Ægyptio presbytero conſcripta eundem hujus canonis ſenſum exhibet, ſcilicet ut omnes Ægypti, Libiæ & Pentapolis Epiſcopi Alexandrino in omnibus ſubjiciantur, Epiſcopuſque non fiat ſine juſſu illius. Exinde dictus eſt Archiepiſcopus, ut Sedis ſuæ prærogativam vel ipſo nomine tueretur. Nemo enim ante Athanaſium, qui poſt aliquot menſes ſucceſſit Alexandro, reperitur, qui vocatus ſit Archiepiſcopus.

Ibid.

Septimus canon quartum honoris locum conſervat Hieroſolymorum Epiſcopo. Octavus præſcribit modum ſuſcipiendi Novatianos, nempe ſcripto profiteantur ſe obſervaturos Catholicæ & Apoſtolicæ ſtatuta Eccleſiæ, præſertim circa ſecundas nuptias, lapſorumque reconciliationem; iiſque, qui ſunt in Clero, concedit ut in eo permaneant. Si Epiſcopus ſit ille, qui redit ad Eccleſiam, habeat presbyteri dignitatem, niſi forte placeat Epiſcopo Catholico concedere ei etiam Epiſcopalis nominis honorem. Si vero non placuerit, inveniat ei locum, ut ſit in Parochia Chorepiſcopus, aut Presbyter. Decimus ſtatuit, ut ſi quis lapſus in perſecutione ad Clerum promotus ſit, deponatur. Undecimus eſt de Laicis, qui in Licinii perſecutione etiam ſine periculo prævaricati ſunt, quibus indulgent, ut ſi qui ex animo pœnitentiam agant, tribus annis inter auditores conſtituantur, & ſeptem annis inter pœnitentes ſint, duobus vero annis extra com-

CHRISTI An. 325.

munionem in oratione sola participes fiant populo. Caaon decimus tertius, apud Gelasium duodecimus. "De his qui recedunt ea corpore, antiquæ legis regula observabitur, etiam nunc, ita ut si recedunt ax corpore, ultimo & necessario vitæ suæ viatico non defraudentur. Quod si desperatus aliquis accepta commuoione supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec tempus statutum impleatur." Decimus quintus & decimus sextus prohibent ne Episcopi vel alii de Clero ab una Ecclesia in aliam transeant sub pœna excommunicationis inferendæ, nisi redierint.

Reconciliatio moribundis semper concessa.

Ibid. *Usura clericis interdicitur.* Psal. 14.

Usuram Romanis legibus permissam cum palam improbare non expediret, hanc Clericis sic interdicit canon decimus septimus. "Quoniam multi Clerici avaritiæ causa turpia lucra sectantes, oblitique divini præcepti, quod dicit; *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, fœnerantes, centesimas exigunt; statuit hoc sanctum Concilium: quod si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam in Græcis dimidias centesimas frugum ad sescupulum dare: omnis qui tale aliquid commentus fuerit ad quæstum, decidetur de Clero, & alienus ab Ecclesiastico habebitur gradu." Imperatoriæ leges tunc aliquid ultra sortem in mutuo exigere concedebant, usurasque taxabant; Clericos tamen qui aliquid acceperint plusquam dederant, ut divini præcepti infractores & usurarios condemnat Nicæna Synodus.

Ibid. *Diaconi in multis inferiores presbyteris.*

Diaconorum superbiam jam represserat Arelatensis Synodus. Temporalium bonorum administratione, eleemosynarumque distributione multitudinis benevolentiam sibi demerebantur: hinc in dies majora præsumebant: quapropter eos ad officium reducit canon decimus octavus. "Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & civitatibus Sacramenta a Diaconis dentur, quod neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, Christi Corpus porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam diaconi etiam ante Episcopum Sacramenta contingant. Hæc omnia amputentur, & maneant Diaconi intra propriam mensuram: scientes, quia Episcoporum quidem ministri sunt, presbyteris autem inferiores sunt. Accipiant ergo Eucharistiam post Presbyteros ab Episcopo, vel a Presbytero. Quod si non fuerint in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant & dent, sed nec sedere quidem in medio Presbyterorum liceat Diaconis; si quis autem non vult his esse subjectus, etiam post hanc definitionem, cesset esse Diaconus.

Ex hoc canone quatuor certo colligimus. Primum, Eucharistiæ celebrationem esse verum sacrificium credidisse Nicænos Patres. Secundum, hanc servari solitam, siquidem absentibus sacerdotibus, quibus solis offerendi jus competit, hanc Fidelibus distribuebant diaconi. Tertium, uno eodemque die celebratum unicum sacrificium, cujus particeps erat Clerus universus; non eo quidem modo, quem observamus feria quinta majoris hebdomadæ; sed sacerdotes omnes simul offerebant cum Episcopo, qui ritus apud Græcos etiamnum perseverat. Quartum, Diaconos Presbyteris, utrosque Episcopis esse inferiores ...... Decimus nonus canon tradit formam recipiendi eos, qui ab hæresi Pauli Samosateni redeunt ad Ecclesiam: (si qui confugerint ad Ecclesiam de Paulianistis, statutum sit rebaptizari eos omni modo.) Ejus sectæ clericos, si sint inculpabiles, permittit post acceptum baptismum ordinari ab Episcopis Ecclesiæ Catholicæ. Baptismum sub invocatione Trium Personarum Divinarum non administrabant ejusmodi hæretici.

Innoc. 1. epist. 22.

Canones Arabici. Tom. 1. Concil.

Octoginta quatuor canones Arabici, qui sub titulo Nicæni Concilii evulgarunt posteriores Orientales, a Nicænis Patribus non fuere sanciti, nec tamen omnino sunt suppositirii, sed collecti sunt ex variis Conciliis, quæ recepit Universalis Ecclesia: nam, ut legenti patet, in ea collectione Nicænis Sardicenses, Antiocheni, & alii canones numeris tantum distincti subjiciuntur. Hinc priores Nicæni communem titulum dedere subsequentibus, & dicti sunt Nicæni Arabici. Orientales omnes Ecclesiæ cujuscunque sint ritus, etiam Orthodoxæ, iis utuntur ab annis amplius nongentis, usus que illa etiam in judiciis Ecclesiasticis locum habet. Collectionem hanc a Græcis primum ad Melchitas seu orthodoxos Arabice loquentes translatam, ad reliquas Jacobitarum & Nestorianorum sectas pervenisse verisimillimum est. Translationem hanc & parum accuratam & interpolatam Latina Abrahami Echellensis versio demonstrat. Reipsa præter illos canones Veterum Conciliorum, qui hanc pseudo-Nicænam farraginem constituunt, irrepserunt etiam quorumdam explicationes, quæ in canonum numerum venerunt. Nicænæ quoque Synodo Orientales adscribunt canones, quos vocant Imperatorum, eosque a cæteris distinguunt, & nihil aliud sunt, quam excerpta ex Nomocanonibus Græcis, Digestis, Codice Theodosiano, & Justiniano, Novellis Constitutionibus & Basilicis, ex ordine disposita, ut corpus quoddam juris constituant. Referuntur autem ad Nicænum Concilium, quia quasdam Constitutiones continent, quæ a Constantino Magno editæ sunt circa illius Synodi tempora. Posteriores hos canones cum Syri & Arabes sua lingua interpretarentur, ut accommodarentur ad temporum suorum disciplinam, interpolarunt. Hinc magna exemplarium diversitas. Arabica versio, posterioresque canones, multa continent, quæ dicuntur de Catholico Seleuciæ, qui nonnisi sub Justiniano institutus est; aliaque non pauca probant eam collectionem esse factam post schismatum Jacobitici & Nestoriani media tempora, postquam Arabes Ægyptum occuparunt.

Theod. l. 1. c. 9. hist. trip. & tom. 1. Concil. *Epistola Synod. Nicæni Conc.*

VII. Nicæni Patres priusquam discederent, Synodicam scripserunt Sanctis Dei Ecclesiis: "Quoniam, inquiunt, Dei gratia, & sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex variis provinciis & civitatibus in unum congregavit, magnum sanctumque Concilium Nicææ coactum, quæ ad ecclesiasticam fidem spectant in disceptationem vocavit, eaque literis ad vos perscribere necessarium visum est, ut intelligere possitis .... quæ decreta sancitaque sunt. Primum igitur omnium perquisita sunt impia perversaque Arii dogmata & sectatorum ejus, coram sanctissimo Imperatore nostro Constantino: & placuit Concilio communibus suffragiis anathema denunciare & ei ipsi, & nefariæ ejus opinioni, & verbis sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis onerandum, dicens eum ex iis, quæ non sunt, esse; nec fuisse antequam natus esset: fuisse tempus aliquando, cum non esset: Filium Dei libero suæ voluntatis arbitrio virtutis & vitii capacem esse inquiens, & creaturam esse, quibus omnibus modis sanctum Concilium indicit anathema .... Quem autem exitum consecutæ sint res ejus, omnino vel audistis (obscure sic indicant ejus exilium, ne insultare videantur) ..... Tantum vero invaluit ejus impietas, ut cum eo una perierint Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis Episcopi; nam & illi cum aliis quibusdam eisdem malis, scilicet exilio, affecti sunt, a Constantino relegati in Illyricum." Infra narrant quæ statuerint de Meletio, & celebratione Paschatis. Hortanturque Alexandrinos ut in fide concordes Alexandrum suum Episcopum majore honore & ardentiore charitate complectantur, qui permultum laboris in hac ætate sua susceperat, quo ipsi aliique omnes tranquilliora pace frui possint.

Const. epist. ad Nicom. apud Theod. l. 1. c. 20. *Eusebius Nicomed. jus a facto in sua subscriptione distinguit.* Sozom. l. 1. c. 21. Theod. Ibid.

VIII. Eusebius vero Nicomediensis per diversos egit homines, ne, tanti sceleris convictus, honoris sui gradu depelleretur; ipsumque decepit Imperatorem, fidei subscribens, non autem anathematismo adversus Arium, qua distinctione se usum postea fassus est in libello supplici. Post aliquot menses, Alexandrinos quosdam, qui a fide defecerant, ad se perduci jusserat Imperator, propterea quod eorum opera ac ministerio discordiæ fax excitabatur: Verum Eusebius & Theognius, quos Synodi clementia ad agendam pœnitentiam servaverat, scilicet de pertinacia, qua Ario anathema dicere detrectabant, non solum istos susceperunt, & apud se tuto degere jusserunt, sed etiam malitiæ illorum socios se & participes adjunxerunt. Qua de re cum accusaretur Eusebius, ingenti fiducia dicitur respondisse, si hæc vestis spectante me divisa esset, nunquam dicerem, utramque partem esse ejusdem substantiæ. Imperator hæc acerbissime ferens, ingratos istos in Gallias deportari jussit, hortatusque est eorum Ecclesias, ut orthodoxos Episcopos eis sufficerent.

Si

Christi An. 325.

Si quis vero, inquit, mentionem illarum pestium facere, aut in laudem eorum temere excitari præsumpserit, statim opera famuli Dei, hoc est nostri, audacia ejus comprimetur. Eorum abdicationis meminit Athanasius. Quomodo igitur, inquit, vel ipse Eusebius vel Theognius alium deponere potuerunt, Athan. Apol. 2. cum ipsi depositi fuerint? Probe enim nostis, Amphionem quidem Nicomediæ, Crestum autem Nicææ eorum loco ordinatos esse, tum ob privatam eorum impietatem, tum ob communionem cum Arianis, qui a generali Synodo fuerant reprobati. Gelas. l. 3. Theodoto Laodiceæ Episcopo Constantinus hæc significavit, ut eorum pœna admonitus, si qua perversa istorum admonitio ipsius insideret animo, ea deleta, intemeratam fidem Servatori Deo præbere studeret. Hunc inter præcipuos Arianorum duces recensent Theodoretus & Epiphanius.

Theod. l. 1. c. 5. Epiph. hær. 69. Socrat. l. 1. c. 9. Imperator præterea legem adversus Arium hisce verbis promulgavit: "Victor Constantinus, Maximus, Augustus, Episcopis & populis. Cum malignos & impios Arius sibi imitandos duxerit, par est ut eamdem cum illis ferat ignominiam. Quemadmodum igitur Porphyrius, divinæ pietatis hostis, iniquis de religione compositis libris, condignam reperit mercedem; atque insuper impia ejus abolita sunt scripta: Ita & nunc placitum Nobis est, Arium & suffragatores ejus Porphyrianos quidem nominare, ut quorum imitati sunt mores, eorum quoque obtineant appellationem. Si quod autem scriptum ab Ario compositum reperiatur, igni tradatur, ut non modo improba ejus doctrina tollatur, verum etiam ne monumentum quidem aliquod ejus relinquatur. Illud equidem prædictum volo, si quis libellum aliquem ab Ario conscriptum occultasse deprehensus sit, nec continuo prolatum igne absumpserit, morte mulctabitur; illico namque in crimine tali comprehensus pœnam capitis luet. Deus vos servet, Fratres dilecti."

Constantini lex adversus Arianos.

Theod. l. 1. c. 10. Eus. vit. Constant. l. 3. c. 17. 18. 19. Socrat. l. 1. c. 9. Scripsit etiam ad Episcopos, qui ad Concilium venire non potuerant, de rebus in eo gestis certiores eos faciens, hortaturque omnes ut Synodi decretis assentiantur, "Quia, inquit, quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem." Imperator ad Alexandrinam quoque Ecclesiam sequentes literas dedit: "Maximum a divina providentia beneficium accepimus, ut, omni errore liberati, unam eamdemque fidem agnoscamus.... Unum igitur omnes Deum, & nomine adoramus, & esse credimus. Porro ut id fieret, Deo suggerente, convocavi in urbem Nicæam quamplurimos Episcopos;... Cum igitur trecenti & amplius Episcopi, tum ob modestiam, tum ob solertiam admirandi, unam omnes & eandem fidem, quæ juxta veritatem & examen divinæ Legis, sola fides potest esse, unanimi sententia confirmassent, solus repertus est Arius, diabolica fraude, & machinatione superatus, qui hoc malum primum quidem apud vos, postea vero & apud alios impia mente disseminavit. Nos ergo eam sententiam suscipiamus, quam omnipotens Deus tradidit.... Hoc enim prudentiæ & fidei ac sanctitati vestræ convenit, ut, convicto errore illius, quem constat esse veritatis inimicum, ad divinam gratiam redeatis. Nam quod trecentis placuit Episcopis, nihil aliud existimandum est, quam Dei sententia; præsertim cum in tantorum virorum mentibus insidens Spiritus sanctus, divinam voluntatem aperuit. Quocirca nemo vestrum ambigat, nemo differat, sed omnes alacri animo ad veritatis viam redite." Constantinus a Catholicis Episcopis edoctus Nicænorum Episcoporum judicium appellat Dei judicium; nec dubitat, quin tot ac talium Episcoporum consensio a Spiritu sancto procurata sit.

Constantini epist. ad Alexandrinos.

Synodi generalis sententia est Dei definitio.

Sozom. l. 1. c. 22. Acetium quoque Novatianorum Episcopum evocavit Imperator, Ecclesiarum concordiæ consulens, eique regulam Fidei, & definitionem de festo Paschali ostendit Episcoporum subscriptionibus jam firmatam, ac proinde jam peracto Concilio, interrogavitque, num & ipse iis consentiret. Acesius respondit: Nihil novi definitum esse, siquidem ipse ab initio ita credendum esse accepisset, diemque festum ita celebrandum. Tum Imperator: Cur ergo, cum idem sentias, te a communione sejungis? Acetius ei narravit dissensionem, quæ principatu Decii inter Novatianum & Cornelium contigerat; seque Sacramentorum communione indignos judicare eos, qui peccatum, quod sacræ Scripturæ ad mortem vocant, post baptismum admisissent: hujusmodi enim peccati remissionem ex solius Dei potestate, non ex sacerdotum arbitrio pendere.... Subjecit Imperator: Pone scalam, Aceti, solusque in cœlum ascende. Sozomenus & Socrates ajunt eum adfuisse Synodo, sed falso, ut patet ex contextu. Præterea Patres eum non admisissent, nisi iis conditionibus, quas Novatianis præscribunt octavo canone.

Christi An. 325.

Sozom. l. 1. c. 25. Eus. vit. Const. l. 1. in procem. IX. Eodem anno Christi trecentesimo vigesimo quinto omnibus a Concilio constitutis octavo Kalendas Augusti, quo Constantini primus Vicennalium dies celebrabatur, Eusebius Cæsariensis eum cœtu famulorum Dei circumseptum oratione panegyrica veneratus est. Imperator Dei ministros ad convivium vocavit, & cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens, sacrificium obtulit Deo. Neque ullus Episcoporum ab hoc Imperiali convivio abfuit. Res porro ipsa omnem dicendi copiam superabat. Protectores enim & milites in orbem dispositi strictis gladiis palatii vestibulum custodiebant. Homines autem Dei per medium illorum absque ullo metu transibant, & ad intima usque palatii penetralia ingrediebantur. Ex his alii una cum Imperatore accubuerunt, alii in stipadiis utrimque dispositis discubuere. Celebratis splendidissimo apparatu conviviis, Imperator cunctos liberaliter excipiens, id etiam pro sua magnificentia adjecit, ut unumquemque pro meritis ac dignitate muneribus honoraret: cum vero singuli ad sedes suas regredi jam pararent, convocatis omnibus suasit, ut in Fide concordes essent, pacemque inter se mutuo conservarent. Tandem jussit ut pro se & pro liberis ac pro Imperio sedulo precarentur; & Episcopis quidem, qui tum Nicæam venerant, cum ista dixisset, valedixit; sed & universis populis, tam iis, qui per agros, quam qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim distribui jussit, publicam festivitatem ob vicesimum Imperii sui annum hac ratione concelebrans. Litteras quoque ad provinciarum Rectores dedit, quibus mandabat, ut per singulas civitates virginibus ac viduis, & iis, qui divino ministerio erant consecrati, annona quot annis præberetur, ex sua potius liberalitate, quam ex usu ac necessitate modum annonarum definiens.

Eus. ib. cap. 22. *Ecclesiæ ministris, virginibus & viduis annonam annuam largitur Constant.* Theod. l. 1. c. 12. Tom. 1. Concil.

X. Eusebius Cæsariensis, ut omnem inconstantiæ & prævaricationis suspicionem a se amoveret, ad suos Cæsarienses scripsit epistolam de rebus in Synodo gestis. Et primum quidem exponit Fidei formulam a se propositam, qualem supra retulimus, atque se semper ita sensisse profitetur. Affirmat hanc probasse Imperatorem, qui cunctos hortatus est ut ei subscriberent, una duntaxat voce, Consubstantialis, adjecta. Sed illam ut insufficientem & ambiguam improbasse Patres, patet, tum ex dictis, tum ex eorum fidei definitione, quam ibidem subjiciens sic trahit ad sensum hæreticum. "Id quod, inquit, ab illis dictum erat, ex substantia Patris, & Consubstantialis, non prætermisimus absque examine. Hinc variæ quæstiones ortæ sunt & responsiones; & quænam esset verborum illorum sententia, accurate expendebatur. Et has quidem voces, ex substantia, fassi sunt hoc significare, Filium quidem esse ex Patre, sed non tanquam partem ipsius Patris. Hunc sensum ut nos quoque amplecteremur, æquum omnino videbatur, cum pia doctrina prædicet, Filium ex Patre esse, non tamen partem illius substantiæ." Huic expositioni subscribere potuisset Arius; docebat enim solum Filium ex Patre esse, nec esse partem illius substantiæ, sed negabat esse a Patre per æternam communicationem totius substantiæ, ita ut verus ex Patre natura sit Filius, quem sensum orthodoxum supprimit Eusebius. Eadem ambiguitate utitur in consequentibus. Pergit enim: "Pari ratione has voces approbavimus, genitum, non factum; nam factum esse dicebant commune reliquis omnibus creaturis, quæ per Filium factæ sunt, quibus nihil simile habeat Filius, ac proinde eum non esse facturam, his, quæ per ipsum factæ sunt, similem, sed longe præstantioris, quam reliquas creaturas, esse substantiæ." Arianos vel ante Concilium eadem scripsisse constat ex eorum literis supra recitatis. Patres vero dixere Filium genitum, non factum, ut negarent omnino esse facturam. Subjungit infra: "Sed & anathematismum, qui post Fidei

Eusebius Cæsar. Synodi Nicænæ definitionem corrumpit subdolis explicationibus.

CHRISTI AN 325.

formulam ab illis est promulgatus, haud quaquam moleste suscepimus, eo quod peregrinis & a sancta Scriptura alienis vocibus uti prohibeat, ex quibus omnis fere dissensio ac perturbatio Ecclesiarum exorta est. Cum igitur nulla divinitus inspirata Scriptura istis unquam usa sit vocibus; De non extantibus; Et fuit aliquandu tempus cum non esset, & aliis quæ ibidem subjiciuntur, visum est nullatenus rationi consentaneum esse, ut hæc vel dicerentur, vel docerentur. „ Voces igitur, non sensum, improbat, & de iis tantum fuisse controversum asserit. Impietatem suam postea apertius manifestat. “ Quin & illud, inquit, Priusquam gigneretur, non erat, anathemate damnare haud incongruum duximus, eo quod apud omnes in confesso sit, illum esse Filium Dei, etiam ante corporalem nativitatem. „ Nunquid Verbum corporali suæ nativitati præextitisse confitebatur Arius? Ideone Patres damnarunt hanc propositionem? Minime profecto; sed quod innueret Verbum non esse Patri coæternum. Quam blasphemiam aperte tradit Eusebius hisce verbis;.” Jam veru Imperator ratiocinando astruebat etiam secundum divinam ipsius generationem illum esse ante omnia sæcula. Nam priusquam gigneretur, potentia erat in Patre, ingenita quadam ratione, cum Pater semper sit Pater, Rex item semper, atque Servator, & omnia sit potentia, semperque eodem modo, ac similiter se habeat. „ Ergu, secundum Eusebium, Verbum ab æternu est tantum potentia, ac proinde aliquando nun fuit actu. Ergo Pater est semper Pater, sicut semper & Servator hominum, licet ei non sint coæterni. Quæ duæ propositiones continent totum virus hæresis Arianæ. Hinc cum dixit, Consubstantialem esse Patri, nihil aliud significare, quam Filium Dei nullam cum Creaturis ab ipso factis similitudinem habere, sed solius Patris, a quo genitus est, per omnia similem esse, nec ex alia quadam hypostasi aut substantia, sed ex Patre esse; intellexit Filium non ex alio, sed immediate esse ex solo Patre, cujus similitudinem præ cæteris creaturis longe perfectius exprimit;

7.Synod. Act. 5.

ut in ipsa Nicæna Synodo dixerunt Ariani. Non autem loquitur de similitudine, quæ fundetur in identitate naturæ, qui sensus est Catholicus. Dicamus igitur cum Patribus septimæ Synodi: Quis Fidelium Ecclesiæ, & eorum, qui veram dogmatum scientiam perceperunt, ignorat quod Eusebius Pamphili in reprobum sensum traditus, ejusdem opinionis & sensus fuerit cum his, qui Arii impietatem secuti sunt? Ibidem fatetur Eusebius, vocem, Consubstantialis, a Patribus Nicænis non primum excogitatam; “ Quandoquidem, inquit, nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos scriptores in explicanda Patris ac Filii divinitate, hoc vocabulo, Consubstantialis, usus esse cognovimus.

Athan. Apol. Adv. Arian. vet. edit pag. 788. novæ 587.

XI. Alexandriam ubi primum pervenit Alexander, Meletii exploratam habens calliditatem, catalogum ab eo postulavit eorum Episcoporum, quos se ajebat in Ægypto habere: nec non Presbyterorum & Diaconorum Alexandrinorum, qui e suis essent, aut si quos haberet in Alexandrino agro; quod eo egit consilio, ut ne Meletius, Ecclesiæ potestate confidenter assumpta, multas venderet ordinationes, neve quotidie mendaciis suis novos pro libidine subjiceret. Eorum igitur qui in Ægypto essent a suis, breviarium edidit. Episcopos viginti novem in eo recensebat, quorum primus est ipse Meletius, ultimus Joannes Menphi, jussus ab Imperatore ut adesset Archiepiscopo; Clericos autem octo Alexandriæ habebat, nempe quinque Presbyteros, & tres Diaconos. Hos Meletius coram adductos

Sozom. l.2.c.21.

Alexandrino tradidit Episcopo, simul & Ecclesias, quas contra jus potestati suæ subjecerat, & in urbe Lyco reliquam ætatem transegit. Sed non multo post, cum migraturus esset e vita, contra decretum Synodi Nicænæ, Joannem quemdam ex suis familiaribus in suum locum subrogavit, ac rursus turbarum in Ecclesia author extit. Tumultus novos compescere cum vellet Alexander, illi contra detrectantes primarios e suis delegant ad comitatum:

Epiph. hær. 63. Euf. vit. Const. l.3.c.23. Theod. l.1.c.16.

ex his præcipui erant Joannes eorum Episcopus, Callinicus Pelusii Præsul, Paphnutius Anachoreta, & matris, quæ Christum confessa fuerat, filius. Illos ut Patres omni honore Imperator afficiens, iterum ad se vocavit, sed sententiam quam arbiter dixerat, per epistolam significavit, confirmans & sanciens ea quæ a Synodo decreta fuerant, eosque adhortans, ut concordiæ studerent, nec Ecclesiæ corpus distrahere ac discerpere vellent, sed futurum Dei judicium animo reputarent.

CHRISTI AN. 326.

Athanasius Alexandro succedit in episcopatu. Sozom. l.2.c.17.

XII. Admirabilis Alexander, qui Arii blasphemiam expugnavit, post quinque menses a Synodo Nicæna, cum vivendi finem fecisset decimo septimo Aprilis anni trecentesimi vigesimi sexti, Athanasium successorem reliquit, divinis, ut arbitror, jussionibus ad eum designandum impulsus. Nam cum jam morti vicinus esset, Athanasium absentem nominatim vocare cœpit. Et cum alter ejus nominis, qui illic aderat, vocanti respondisset, isti quidem nihil dixit, quippe quem non vocabat; rursus vero vocare perstitit, cumque sæpius id fieret, prophetico spiritu beatus Alexander ita locutus est: Effugisse te credis, Athanasi: (nam fuga latebras quæsierat) non effugies, significans scilicet eum ad certamen vocari. Diu quæsitus repertus

Gregor. Naz. in ejus encom. Athan. Apol. adv. Arian. vet. edit. pag. 726. novæ pag. 189. Sozom. Ibid.

est. Redux summa omnium lætitia excipitur, omniumque conspiratione, Populi scilicet, Cleri, Episcoporum, ad Marci thronum provehitur, non minus pietatis, quam sedis successor. Ariani ejus rectam doctrinam, nec non ejus adversus impietatem resistendi animum veriti, omnibus modis adversus illum conspirarunt. Itaque sparserunt in vulgus, mortuo Alexandro, tam eos, qui ipsi, quam eos, qui Meletio adhærebant, inter se communicasse, congregatosque ex Thebaide, & ex universa Ægypto quinquaginta quatuor Episcopos, dato sibi invicem jure-jurando statuisse, ut communi suffragio eligeretur is, qui Alexandrinam Ecclesiam administraturus esset; sed septem Episcopos ex eorum numero, violato jurejurando, præter reliquorum omnium voluntatem clam ordinasse Athanasium, eaque de causa multos tum ex plebe, tum ex Clericis Ægypti communionem ejus refugisse.

Athan. Ibid.

Episcopi ex Ægypto, Lybia, Pentapoli postea congregati hanc calumniam sic repulerunt in sua Synodica. Nos autem cum tota civitate & universa provincia testes sumus, totam multitudinem, omnemque Catholicæ Ecclesiæ populum quasi uno corpore, uno animo congregatum exclamasse, vociferatum esse, ac Athanasium suæ Ecclesiæ Episcopum petiisse. Hoc publicis votis Christum rogabant, hoc nos diebus noctibusque plurimis facere adjurabant, nec ipsi Ecclesia, nec nos abire permittentes. Ac nihil quidem mali, ut isti, scilicet Ariani, scripsere, de illo proferebant, sed optima quæque prædicantes, probum, pium, Christianum, ex Ascetis unum, ac verum Episcopum nuncupabant. Quod autem ex nobis quamplurimi sub omnium aspectu, & omnibus piæ plebis acclamantibus ipsum ordinarint, nos testes sumus, qui ordinavimus, & fide quidem digniores iis, qui tunc aberant, jam talia mentiuntur. Utriusque partis relatione perpensa, repudiatis Philostorgii Ariani mendaciis, quibus scatet ejus historia, quis non exclamet cum Sozomenu?

Ibid.

Ego vero hunc virum non absque Dei nutu ad sacerdotium pervenisse existimo, utpote eloquentia simul & intelligentia pollentem, & ad resistendum insidiis adversariorum idoneum, cujusmodi virum illa præcipue tempora requirebant. Fuit certe ad conciones ecclesiasticas, & ad sacerdotii munus obeundum aptissimus, & ab ineunte ætate in hujusmodi rebus αὐτο δίδακτος, ut ita dicam, apparuit.

Cyril. Alex. epist. 1.

Ordinatus est anno trecentesimu vigesimo sexto, mense Junio, elapsis quinque ab Alexandri obitu mensibus. Annos quadraginta sex integros hanc Ecclesiam administravit, multis probatus adversis.

D. Athanas. adv. Gentes.

Primum ejus opus feruntur adversus Gentes libri duo. Sive elegantiam, sive sales, sive vim argumenti, sive multiplicem spectes eruditionem, vix quidquam in eo genere tanta concinnitate elaboratum habemus. In prima parte, idololatriæ originem indicat, ostenditque malitiæ sive peccati principium a libera & mutabili hominis voluntate repetendum esse; ex peccato vero natæ sunt pravæ cupiditates, quæ dum homines semper rapiunt ad deteriora, sensim humanam mentem sic obnubilarant, ut nonnisi terrena & corporalis bona cogitaret, unde inducta est veri Dei ignorantia, cui hominum adulatio, populorum metus, potentiorum ambitio & violentia substituit homines etiam

impios,

Christi An. 326.

impios, effecitque ut tanquam dii colerentur, idque multis confirmat exemplis.

" Talis, inquit, his etiam temporibus Antinous, Adriani Romanorum Imperatoris amasius, quem tametsi hominem fuisse constat, & quidem impurissimum, cum tamen ob metum Imperantis venerantur, quo utique facto insigne adversus universam idololatriam statuit monumentum, quo nempe pateret illam non aliter ab hominibus inventam fuisse, quam vana comminiscentium cupiditate: quod & Dei sapientia his verbis declarat: Initium fornicationis est exquisitio idolorum. Quod quidem ne mireris, neque procul a fide esse existimes velim, quando non ita pridem, sed fortassis etiam hoc tempore, Senatus Romanus, quos ab initio habuit Imperatores, vel omnes, vel saltem quos ipsi placet, & ejusmodi honore dignus censet, inter deos esse decernit, ac tanquam deos coli jubet ...... quasi deos faciendi potestatem ipsi haberent, qui utique homines sunt, & se mortales esse non inficiantur .... Nec vero recens est istiusmodi consuetudo, ... sed diu ante ad fingenda idola inventa est. Illi enim, qui a tanto tempore dii apud Græcos celebrantur, Jupiter, Neptunus, Apollo, & e fœminis Juno, Ceres, Pallas, Diana, edictis Thesei,..... divinitatem sunt consecuti. „

Et infra. " Verum non ex his tantum illorum impietatem discere possumus, sed etiam ex opinionum discordia, quas ipsi quoque de idolis habent. Si enim, ut prædicant, illi vere dii sunt, cuinam, quæso, horum se addicet homo, quosnamve potentiores judicabit, ut vel Deum cum fiducia adoret? nec enim iidem apud omnes nominantur, sed quot fere sunt Gentes, tot etiam dii confinguntur. Quin etiam videre licet unam eamdemque regionem, & civitatem cum se ipsa circa idolorum superstitionem dissidere. Hinc Phœnices deos, quos Ægyptii colunt, ignorant, & vicissim, (quod & aliis Gentibus contigisse demonstrat) ita ut, quem alii tanquam Deum adorant, apud vicinos execrationi sit, & qui apud alios putantur dii, deorum, quos alii colunt, fiant victimæ, & hostiæ; & vicissim aliorum victimæ dii aliorum sint ...... Omnium igitur Gentium, quæ stulte idola colunt, multiplex opinio, & religio est, neque eadem apud omnes reperiuntur. „

Ex his collige in eo tantum consensisse omnes nationes, scilicet aliquem esse Deum rerum omnium Dominum, qui colendus sit; eos autem, quos vero Deo substituit humanus error, non esse deos, evincit dissensus Gentium, quæ deos diversos coluere, ac proinde idololatriam adeo non confirmat consensus omnium Gentium, ut potius ex earumdem dissensione, & diversis circa idola opinionibus, idololatriam esse falsam religionem demonstretur. Demum Gentiles, qui Solem, vel Lunam, vel alias mundi partes esse deos putaverunt, ex eo refellit, quod mutuo auxilio opus habeant ..... " Si vero creatæ naturæ partes in unum corpus coagmentatas Deum appellant, necessario sequitur in seipso esse dissimilem, discordem, & corruptibilem; quod alienum est a majestate Dei, qui incorporeus est. „

In secunda vero parte demonstrat, eum solum esse verum Deum, quem Christiana religio colit, quippe qui adeo mirabili ordine, & consensu mundi partes composuit, conservat, & gubernat, ut ex illis facile cognosci possit. Secundus ejus liber apud antiquos inscribitur de Incarnatione. Christianæ religionis veritatem certo probandam in eo sibi proponit, atque ex lapsu, & corruptione generis humani necessariam evincit Verbi divini Incarnationem, ne opus suum dæmonis fraude depravatum perire sineret, sicque elucet Dei bonitas, & sapientia, qui per Verbum Incarnatum homines reparat, quos per Verbum prius condiderat.

Phot.

Lex 6. Cod. Theod. de Episc. & Cler. lib. 16.

Clericos hæreticos, vel municipes, vel divites muneribus publicis subjicit Constantinus.

XIII. Imperator eodem anno rescriptum dedit ad Ablavium Præfectum Prætorio, quorumdam fraudibus occurrens, qui, ut Cleri privilegiis fruerentur, se in Clericatum obtrudebant. Constantinus Imperator Alavio: Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus sub specie Clericorum a muneribus publicis vacatio deferatur, nec temere, & citra modum populi Clericis connectantur, sed cum defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius eligatur, cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea sit opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare. Ita ut si inter civitatem, & Clericos super alicujus nomine dubitetur, si eum æquitas ad publica trahit obsequia, & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignosceretur, exemptus Clericis civitati tradatur. Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sustentari. „ Constantinus profectus in Italiam mense Julio Romam pervenit celebrandis vicennalibus; quorum proinde primus, & ultimus dies erant percelebres. Cum autem dies apud Paganos festus adpetisset, quo in Capitolium exercitui conscendendum erat, oblatisque sacrificiis, Aruspices consulendi, non sine aliqua Senatus offensione, neglexit. Ibidem Kalendis Septembris legem tulit adversus hæreticos. " Privilegia, inquit, quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicis tantum legis observatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solum ab his privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi, & subjici. „ Aliam quoque constitutionem adversus hæreticos promulgavit hisce verbis: " Victor Constantinus Maximus Augustus, hæreticis ..... Quando hæc vestræ improbitatis pernicies amplius ferri non potest, præsenti lege interdicimus, ne quis vestrum in posterum conventus agere præsumat. Atque idcirco universa loca, in quibus ejusmodi cœtus peragitis, auferri præcepimus, eo usque procurrente majestatis nostræ sollecitudine, ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus ac locis ullis privati juris, superstitiosæ vestræ dementiæ factio congregetur...... Atque ut hujus remedii vis ac virtus necessaria sit, cuncta, uti jam diximus, superstitionis vestræ conciliabula, id est omnium hæreticorum oratoria, sine ulla contradictione ipsis adempta, Catholicæ Ecclesiæ incunctanter tradi præcipimus: reliqua autem loca publico adjudicari; nec ullam deinceps eo conveniendi licentiam vobis relinqui. „

Cod. Theod. l.1. tit.5.

Hæreticorum conventus prohibet Constantinus.

Euf. vit. Const. l.3. c.65.

Arianorum mentionem in ea non facit, nam dogma Arii licet in disputationibus multorum studio ac favore defenderetur, nondum tamen in peculiarem sectam ex authoris nomine distinctum erat, sed cuncti simul collectas agebant atque cum Catholicis communicabant, omnesque ad concordiam rediisse putabat Imperator. Hac autem lege factum est, ut aliarum sectarum memoria magna ex parte intercciderit; nam superiorum Imperatorum temporibus, quicunque Christum colebant, licet opinionibus inter se dissentirent, a Gentilibus tamen pro iisdem habebantur, parique omnes vexabantur modo. Nec ob communes calamitates eis licebat in semetipsos curiosius inquirere. Quam ob causam singuli facile in unum convenientes separatim collectas celebrabant, & assidue secum mutuo colloquentes, tametsi pauci numero essent, nequaquam dissipati sunt. Post hanc vero legem, nec publice collectas agere eis licuit, lege id prohibente, nec clanculo, cum singularum civitatum Episcopi ac Clerici eos sollicite observarent .... Unde factum est, ut plerique eorum metu perculsi, Ecclesiæ Catholicæ sese adjunxerint. Alii vero licet in eadem sententia perseveraverint, adulterinoque sensu in Ecclesiam irrepserint, pro tempore callide dissimulantes, nullis tamen opinionis suæ successoribus post se relictis, ex hac vita migrarunt: Quippe qui nec in unum coire permitterentur, nec opinionis suæ consortes libere ac sine metu docere possent.

Sozom. l.2. c.32.

Novatianis, qui minus erant exosi propter rectam de divinitate sententiam, aliquid postea indulsit Imperator, alia lege data Spoleti nono Kalendas Octobris: " Novatianos, inquit, non comperimus prædamnatos, ut ex iis, quæ petiverunt, crederemus minime largienda. Itaque Ecclesiæ suæ domus, & loca sepulchris apta sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus, ea scilicet, quæ ex diuturno tempore vel exempto habuerunt, vel qualibet quæsierunt ratione: providendum erit, ne quid sibi usurpare conentur ex iis, quæ ante dissidium ad Ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est. „

XIV. Eundem annum Imperii sui vicesimum Basilicarum constructione memorabilem fecit Imperator. Beatissimum Dominicæ resurrectionis locum, qui est Hierosolymis, illustrem ac venerabilem cunctis mortalibus efficere officii sui esse existimavit. Infideles venerandum illud immortalitatis monumen-

Euf. vit. Const. l.3. c.26. & 27. & 29.

tum

Digitized by Google

CHRISTI AN. 326.

In loco resurrectionis magnificum templum exstruit Constantinus.

tum tenebris atque oblivione penitus involvere studuerant, plurimaque humo aliunde adjecta congestaque totum sepulchri Christi locum impleverant, & lapide constraverant, ac desuper templum Veneris exstruxerant, & simulacrum constituerant, eo consilio, ut qui Christum illic adorarent, Venerem colere viderentur; utque successu temporis vera causa cultus illius loci obliteraretur. Constantinus rudetibus, & terra longius exportatis, templum regali magnificentia hic exstrui jubet, Rectoribusque Provinciarum per Orientem præcipit, ut impensis copiose subministratis ingens amplumque, & magnificum opus illud efficerent.

Ib. c. 30.

Macario Hierosolimorum Episcopo scripsit in hunc modum: " Decet prudentiam tuam singula ad opus necessaria ita disponere, & curare, ut non modo basilica ipsa omnium quæ ubique sunt pulcherrima, sed & reliqua membra ejusmodi sint, ut omnes, quantumvis eximiæ singularum urbium fabricæ, ab hac una facile superentur. Ac de parietum quidem substructione, & elegantia, Draciliano amico nostro, agenti vices Præfectorum Prætorio, & Præsidi Provinciæ, scias a me curam esse commissam. Jussit siquidem pietas nostra, ut artifices, & operarii, & quæcunque ad hoc opus necessaria esse ex prudentia tua cognoverint, protinus, instante illorum sollicitudine, dirigantur. De columnis vero, & marmoribus, quæcunque pretiosiora, & utiliora esse ipso aspectu judicaveris, cura ad nos perscribas ut cum ex literis tuis cognoverimus, quot & qualibus opus sit, ea undique possint comparari. Cameram Basilicæ utrum laqueatam, an alio quopiam operis genere faciendam esse censeas, certior a te fieri velim. Nam si laqueata fiat, auro quoque poterit exornari. „

Cap. 32.

Euf. vit. Const. l. 3. c. 47.

Helenæ pietas, sacra loca visitat.

Has literas pertulit Helena mater Imperatoris, qui illam, cum antea Dei cultrix non esset, tam piam ac religiosam præstitit; Regalibus autem honoribus ita eamdem ornavit, ut in omnibus Provinciis, tum a Paganis, tum a militibus Augusta, & Imperatrix nuncuparetur; & aurei nummi ejus imagine signarentur. Quin etiam thesaurorum regalium potestatem ei Constantinus concesserat, quibus, prout libitum esset, uteretur. Pauperibus autem, & omni ope destitutis quam plurima donavit. Illis pecuniam, his vestem suppeditans, alios item vinculis, aut metallorum ærumnis afflictos exsolvit, nonnullos etiam ab exilio revocavit. Civitatibus etiam, & privatis, & militaribus innumera beneficia contulit. Hujusmodi operibus cum magnam sibi gloriam comparasset, pietatem erga Deum minime neglexit. Nam & assidue cunctis videntibus in Ecclesiam ventitabat, & sacras ædes eximiis ornamentis decorabat, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens. Itaque videre erat mulierem prorsus admirabilem, modesto ac decenti habitu una cum reliqua multitudine versantem, suamque erga Deum religionem omni piorum operum genere declarantem. Ipsa senectutis suæ incommoda pro nihilo reputans venit Hierosolymam, orationis faciendæ, & sacrorum illorum visendorum causa. Votis omnibus optabat adorandæ Crucis lignum reperire; ac difficile quidem illud, sed tamen opitulante Deo illud reperit.

Cap. 44.

Cap. 45.

Theod. l. 1. c. 18. Sozom. l. 2. c. 1. Socrat. l. 1. c. 17. Cyril. Hier. ep. ad Const.

Ab Adriani temporibus in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in Crucis rupe statua ex marmore Veneris a Gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis authoribus quod tollerent nobis fidem resurrectionis, & Crucis, si sancta loca per idola polluissent. Bethleem augustissimum Orbis locum lucus inumbrabat Adonidis: & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. His deturbatis, & comminutis, egestaque terra plurima, quæ vallem compleverant, spelunca Resurrectionis seu Christi Sepulchrum apparuit. Alibi vero juxta eumdem locum, tres inventæ sunt Cruces, & alia separatim tabella, in cujus albo verbis ac literis Hebraicis, Græcis, & Latinis hæc scripta erant: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Adhuc tamen erat difficile divinam Crucem quamvis repertam a reliquis distinguere: quippe cum ejus inscriptio ab ipsa divulsa projecta esset, ac simul tres cruces temere disjectæ; ac unam quidem illarum fuisse Crucem Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, reliquas vero duorum latronum, qui una cum illo suffixi fuerant, cuncti pro certo habebant; sed quænam illarum Corpus Domini attigisset, & pretiosi Sanguinis guttis conspersa fuisset, prorsus ignorabant: Verum sapientissimus ille ac plene divinus Macarius, urbis illius Antistes, hac ratione dubitationem omnem dissolvit; nam matronæ cuidam nobili, quæ diuturno morbo laborabat, oratione facta, singulas Cruces admovit. Verum duabus admotis, quæ Dominicæ non erant, mulier in summo vitæ discrimine remansit. Adhibita tertia, Dominicæ Crucis efficaciam deprehendit: hæc enim cum mulierem attigisset, gravem illum morbum protinus depulit, & pristinam salutem mulieri restituit.

Hier. ep. 49. alias 13.

Christi sepulchrum & Crucem reperit Helena.

CHRISTI AN. 326.

Hoc modo cum Imperatoris mater id, quod tantopere cupiebat, didicisset, clavorum quidem partem galeæ Imperatoris inseruit capiti filii sui prospiciens, ut hostium tela ab eo depelleret; partem vero fræno equi illius admiscuit, tutelam præstans Imperatori. Dominicæ autem Crucis partem quidem palatio attribuit, reliquum argentea theca, quam fabricari jusserat, inclusum civitatis Episcopo tradidit, hortata ut salutis nostræ monumentum ad posterorum memoriam diligenter custodiret. Reipsa condita in passionis loco basilica servavit arcano positam sacrario Crucem, quam Episcopus urbis ejus quot annis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promebat. Exemplo præierat Helena, quæ, ut ait Ambrosius, Crucem Domini recognoscens, Regem adoravit, non lignum, quia hic Gentilis est error. Relativus est enim ad prototypon apud Christianos cultus qui sacris reliquiis exhibetur. Hinc hodie consuetudo profluxit, ut die Passionis Dominicæ, singulis annis Crux adoranda proponatur.

Paulin. ad Sever. epist. 2.

Cruci cultus adhibitus.

Ambr. in orat. fun. Theod.

Collectis deinde artificibus, cum omnis generis materiam undique comparasset, amplissimas ac pulcherrimas construxit ecclesias; alteram apud Bethleem, juxta speluncam illam, in qua natus est Christus; alteram in vertice montis olivarum, ex quo in cœlum assumptus est. Et primum quidem Christi sepulchrum eximiis columnis, & maximo cultu decoravit. Orientali illius lateri conjuncta erat Basilica, opus plane admirabile, in immensam altitudinem elatum, & longitudine, & latitudine maxima expansum, cujus interiora versicoloribus marmoris crustis obtegebantur; exterior vero parietum superficies politis lapidibus probe inter se vincta decorata, eximiam quamdam pulchritudinem nihilo inferiorem marmoris specie præferebat. Ad culmen vero, & cameras quod attinet, exteriora quidem tecta plumbo tanquam firmissimo quodam munimento ad hibernos imbres arcendos obvallavit. Interius autem tectum sculptis lacunaribus consertum, & instar vasti cujusdam maris compactis inter se tabulis per totam basilicam dilatatum, totumque auro purissimo coopertum; ad utrumque latus geminæ porticus tam subterraneæ, quam supra terram eminentes totius basilicæ longitudinem æquabant, quarum concamerationes auro perinde variatæ sunt. Ex his, quæ in fronte basilicæ erant, ingentibus columnis fulciebantur; quæ vero interiores, pessis magno cultu extrinsecus ornatis sustinebantur. Portæ tres ad orientem solem apte dispositæ, introeuntium turbam excipiebant. E regione portarum erat hemisphærium, quod totius operis caput est, usque ad culmen illius basilicæ protentum. Cingebatur id duodecim columnis, pro numero Sanctorum Servatoris nostri Apostolorum. Earum capita maximis crateribus argenteis erant ornata, quæ Imperator tanquam pulcherrimum donarium Deo suo dicaverat.

Ibid. ac supra.

Euf. vit. Const. l. 3. c. 35. 36. & seq.

Ecclesiæ in loco resurrectionis exstructæ magnificentia.

Ibid. Cap. 37.

Cap. 38.

Hinc ad eos aditus, qui ante templum sunt progradientibus aream interposuit. Erant autem in eo loco primum atrium, deinde porticus ad utrumque latus, ac postremo portæ atrii; post has totius operis vestibula in ipsa media platea, in qua forum est rerum venalium, ambitioso cultu exornata, iter forinsecus agentibus, aspectum earum rerum quæ intus cernebantur non sine quodam stupore exhibebant. Horum omnium solum lapide splendido constravit. Augustissimum illud ædificium inchoavit Helena, intra sex annos perfecit Imperator; nec dici potest, quot quantisque ornamentis ac donariis, partim ex gemmis, partim ex auro, & argento, illud diversimode venustarit. Hierusalem nova circa illud fabricata est ex adverso Veteris illius celeberrimæ,

Ib. c. 39.

Cap. 33.

CHRISTI AN. 326.

berrimæ, quæ post nefariam Domini cædem ultimam vastitatem ceperat, pro incolarum impietate pœnas persolverat. Hæc ædificia corruptis vel detractis ornamentis post quindecim sæcula nunc permanent.

D. Helenæ humilitas & mors. Theod. l.1.c.18.

XV. Humilitatis Christianæ operibus non minus claruit Helena Augusta religiosissima. In ordine mulierum una cum cæteris orabat. Præterea Hierosolymis commorans, cum puellas omnes, quæ perpetuam virginitatem profitebantur, in unum congregasset, paratisque pluribus stibadiis discumbere jussisset, ipsa ancillæ munus implevit, ministrans, cibosque apponens, & pocula porrigens, & vinum infundens, sed & aquæ manile cum supposita pelvi ferens, aquam abluendis earum manibus affudit. His ac similibus aliis ibi gestis, Romam rediit ad filium. Nec multo post, scilicet Augusto mense anni trecentesimi vigesimi sexti, ad meliorem vitam tranquillo animo migravit octogenaria, cum multa de pia ac religiosa vivendi ratione mandasset filio, eumque extremis omnis generis benedictionibus cumulasset. Constantinus cum filiis præsens aderat, qui omni obsequiorum genere matrem fovit, ejusque cadaver ingenti satellitum numero pervectum Romæ in regali monumento deposuit. Et illa quidem post mortem eum honorem consecuta est, quem par fuit consequi illam, quæ tam studiose tamque ardenti animo Deum coluerat. Hanc inter sanctas 15. Kalendas Septembris veneratur universalis Ecclesia.

Euf. vit. Const. l.3.c.44. & 45.

S. Sylvestri acta subdita.

Ex his liquet acta B. Sylvestri esse supposititia, vel multum corrupta: narrant enim Helenam, adhuc gentilem, a Judæis pene Judæam effectam ad Judæorum religionem invitasse Constantinum suum filium; quapropter Sylvester Romæ jussit fieri Synodum septuaginta quinque Episcoporum, qui coram Imperatore de religione Christiana disputarent cum duodecim Rabinis, quos elegeret Isacbar summus Judæorum sacerdos: quæ narrasse, confutasse est. Nulli fuerunt ab excidio Hierosolymæ Judæorum Pontifices. Helenæ Judaismus toti repugnat antiquitati; Episcoporumque Synodus, qui de religione cum Rabinis disputent, improbabilis est.

Anast. Bibl. in Sylv. *Basilicas Romæ construit Const.*

Basilicas plures Romæ magnifice construxit Constantinus, ingentesque reditus eis in prædiis attribuit: nobilissimam in palatio Faustæ uxoris suæ Lateranensi erexit, dictaque est Constantiniana; sed postea ex imagine D. Joannis Baptistæ, quæ in ejus baptisterio posita erat, D. Joannis Lateranensis nomen sortita est. Septem aliæ ibidem illius sumptibus ædificatæ numerantur; prima sub invocatione D. Petri in templo Apollinis, quod situm erat in monte Vaticano; secunda in loco passionis D. Pauli; tertia in ædibus Sessorii, ubi partem veræ Crucis reposuit, ex eaque nomen accepit; quartam Divæ Agnetis dixere utraque Constantia, filia & soror Imperatoris, quas baptizavit Papa Sylvester, ut communis fert opinio; quinta D. Laurentii via Tiburtina in agro Verano circa ejus sepulcbrum; sexta D. Petri & Marcellini martyrum sub Diocletiano via Lavicana inter duas lauros; in ea fecit mausoleum, ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in sarcophago Porphyritico. Ingentia quoque donaria addidit Ecclesiæ, quam Sylvester tunc Romanus Pontifex in ædibus Æquitii Presbyteri consecrarat ad thermas Diocletianas, qui a sceleratis accusatus apud eumdem Imperatorem causam suam prosecutus, absolutus est. Italiæ plures urbes pariter basilicis exornavit. Usque ad hæc tempora ex oblationibus fidelium Clericis quæ eorum victui erant necessaria providerat Episcopus. His opibus adolevit Ecclesia, atque inter sævientes persecutiones, quas superavit, per universum Orbem longe lateque diffusa est. Gloriam tot tantisque rebus pro Imperio & pro religione gestis crudelitate defloravit Constantinus. Crispum filium suum ex Minervina susceptum, quem ante decem annos Cæsarem creaverat, a Fausta noverca calumniis appetitum, quasi vim ei inferre voluisset, Paulæ in Istria extinxit frigore veneni, Liciniumque juniorem sororis filium crudelissime jussit interfici. Demum uxorem suam Faustam in adulterio deprehensam cum quodam ex cursoribus in balneas ardentes conjectam interemit.

Epist. Synod. Rom. Concil. sub Damaso ad Gratian. Marcel. l.14.c.11. Synod. l.5.ep.8.

XVI. Constantini propensum in Christianam religionem studium, Senatum populumque Romanum adhuc Gentiles non minus offendit, quam contemptus idololatriæ: nec dissimulavere, dicteriis insectantes eum. Eorum convicia non ferens, cogitavit de urbe ædificanda, in quam Imperii sedem transferret: nec sine divino consilio id factum puto, divina providentia jam sic disponente, ut Romanus Pontifex ab omni civili violentia liber, dum scissum est Imperium, tanquam communis Pater res ecclesiasticas administraret. Imperatorum enim Græcorum vel Regum Italiæ si semper potestati subjectus fuisset, quot inde scandala & schismata vastassent Ecclesiam? Constantinus tamen, ejusque successores per plura adhuc sæcula Italiæ & urbis Romæ supremum dominium retinuere, ut manifestum erit ex sequentibus. Imperator igitur mense Septembri anni trecentesimi vigesimi sexti celebrata festivitate publica vicennalium suorum, Roma profectus, cum venisset in Troadem, progressus versus campum, qui est ante Ilium, secus Hellespontum, supra tumulum Ajacis, quo in loco Achivi, qui Trojam oppugnarunt, castra & navale habuisse dicuntur, urbis formam & magnitudinem delineavit, & portas construxit in edito loco, quæ postea diu ex mari videbantur a prætereuntibus.

CHRISTI AN. 326.

Sozom. l.2.c.3.

Profectus Byzantium, ejus urbis situm admiratus, mutato consilio, eam statuit quam maxime amplificandam, & efficiendam idoneam, ut Principis in ea domicilium esset: nam urbs sita in duabus collibus occupat Isthmum, qui a Propontide usque ad pontum Euxinum extenditur, unde facilis est tum in Europam, tum in Asiam trajectus. Byzantium condidit Byzas Rex Thraciæ anno tertio trigesimæ Olympiadis, Romæ fundatæ nonagesimo nono: diu fuit Metropolis. Hanc expugnatam diruit Severus Imperator, vixque remansit tenue oppidum, cujus Episcopus Heraclensis Metropolitani fuit Suffraganeus. Constantinus in loco Veteris portæ, extructo foro rotundo, porticibus bicameratis illud inclusit. Fornices duos e marmore præconesio maximos fecit, oppositos sibi, per quos ire licet in porticus Severi, & urbe Prisca egredi: cumque urbem longe majorem efficere vellet, eam ultra veterem murum decem & quinque stadiis muro novo circumdedit, qui totum Isthmum a mari ad mare complecteretur . . . Itidem Hippodromum ad omnem elegantiam perpolivit, cujus partem fecit Castoris & Pollucis ædem eversam, quarum simulacra in porticibus videre licebat: statuit in alia parte Apollinis Delphici tripodem, ipsius Apollinis & musarum simulacra continentem. Cumque Byzantii forum maximum esset quatuor porticibus inclusum, ad extremitatem unius duas ædes extruxit, collocato in harum altera Rheæ simulacro, quod in monte, qui oppido Cyzico imminet, Argonautæ olim dedicasse perhibentur. Constantinus illud exportari jussit & mutilari, leonibus utrimque sublatis, & manuum figura mutata. Nam cum olim leones tenere videretur, nunc speciem precantis exhibet, urbem inspectans & observans. In altera Fortunæ Romanæ simulacrum posuit, novamque urbem, quam Constantinopolim nominavit, exornavit spoliis gentilitatis, publicumque ejus cultum in ea abrogavit, deorum templis vel solo æquatis, vel in ecclesias consecratis.

Constantinopolim condit Constant. Ibid.

Et quoniam indigenas magnitudini urbis haud quaquam sufficere judicabat, amplissimis domibus sparsim per vicos ædificatis, egregios viros cum familiis suis incolas ac dominos earum esse jussit, quorum alios ex seniore Roma, alios ex aliis provinciis acciverat. Magnam præterea curiam, quam Senatum vocant, æmulam Senatus Romæ constituit, eosdem honores & dies festos illis attribuens, quibus veteres Romani uti consueverant, extructisque fontibus publicis, annonamque frumentariam perpetuam palatii ministris, militibus & civibus constituit. Tantum opus mense Novembri anni trecentesimi vigesimi sexti inchoatum, perfectum est mense Majo anni trecentesimi trigesimi.

Ibid.

XVII. Constantinus interea reversus Nicomediam, hanc pulcherrimæ & magnificentissimæ Ecclesiæ monumento exornavit, erectis proprio sumptu in honorem Servatoris sui eo etiam in loco trophæis victoriæ, quam de hostibus & de adversariis Dei retulerat. In reliquis etiam provinciis præcipuas ac nobilissimas quasque urbes oratoriorum

Euf. vit. Const. l.3.c.50.

magni-

CHRISTI AN. 326.

Antiochena Basilica.

magnificentia illustravit. Antiochiæ Syriæ totius Orientis Metropolis singulare quoddam opus, seu amplitudinem, sea decorem spectes, Deo consecravit, basilicam figura quidem octoedri constructam, plurimis vero circumquaque cubiculis & exhedris, & tam subterraneis locis, quam solariis undique circumdatam. Quam quidem auro plurimo & ære, aliisque pretiosis speciebus exornavit. Gentilium vero errorem superstitiosum omnibus modis studebat convincere.

Ib. c. 54. *Gentilium templa spoliat & diruit Constant.* Sozom. l. 2. c. 5.

Itaque quorumdam in urbibus fanorum vestibula nudabantur, valvis jussu Imperatoris orbata; aliorum tectum corrumpebatur tegulis amotis. Nonnullorum ex ære simulacra Constantinopolim convehenda curavit, adeo ut ad ludibrium & contumeliam spectantium paterent exposita; simulacra vero ex auro fabricata, conflata e medio sustulit. Hæc ut perficeret, militari manu opus non habuit; nam Christiani, qui in palatio erant, cum Imperatoris literis urbes & oppida peragrantes, decreta executioni mandarunt. Qui missi fuerant, abrasa utiliora materia, & in ignem conjecta atque conflata, id quod commodum ac necessarium esse videbatur, sepositum reservabant, & publica pecunia ex iis facta est, & quidem non mediocris, quam cum templorum reditibus & bonis Christianorum, quorum nullus erat hæres, jam pridem Fisco addicta, in hæc opera pietatis insumpsit.

Famosa quædam templa tunc quoque funditus subversa sunt, Æsculapii scilicet in urbe Ciliciæ Ægis, & Veneris apud Aphaca juxta Libanum montem & fluvium Adonin. Hæc duo templa illustrissima erant, & summa religione a veteribus culta; nam Ægeatæ quidem prædicabant, ægros apud se morbis liberari, Deo ipsis apparente noctu, eosque sanante. In Aphacis vero certo die ignis per quamdam invocationem e vertice montis Libani decurrens instar stellæ, in vicinum amnem se immergebat. Atque hunc ignem ajebant esse Uraniam, seu Venerem. Erat illic schola quædam nequitiæ omnibus impuris hominibus, & qui corpus suum omni licentia corruperant, aperta, effœminatique qualibet obscœnitate dæmonem placabant. Illud templum una cum simulacris & donariis funditus eversum est, militibus ad purgandum locum operam suam præstantibus. Cumque Gentiles Serapium esse dicerent, a quo Nilus ad irrigandos Ægypti agros adduceretur, eo quod cubitus Nili ad templum Serapidis portari consueverat, Constantinus ad Ecclesiam Alexandrinorum cubitum illum transferri præcepit. Et cum illi palam jactarent, propter iram Serapidis Nilum ascensurum non esse, nihilominus & sequente anno, & reliquis deinceps annis exundavit Nilus. Increscentia autem Nili quatuordecim cubita hilaritatem Ægypto afferunt; quindecim, securitatem; sedecim, delicias.

Euf. vit. Const. l. 3. c. 45.

Socrat. l. 1. c. 18.

Plin hist. nat.

Ibid.

Heliopolitæ in Phœnicia Veneris cultores, ex lege publica communes uxores habebant. Quam ob causam incerti erant apud eos liberi. Virgines vero hospitibus, qui ad ipsos venerant, constuprandas tradebant. Hoc institutum, quod ab ultima vetustate apud illos obtinuerat, Imperator abolere studit; sublato enim per honestam legem turpissimæ consuetudinis flagitio, id perfecit, ut se ipsos cognoscerent familiæ. Atque his rursus scriptas misit institutiones, exhortans ut ad cognitionem Dei celeriter accederent. Constructaque etiam in eo loco Christiani cultus ingenti Basilica, adeo ut, quod ab ultima usque hominum memoria nullibi fuerat auditum, tunc primum opere ipso completum sit, & civitas hominum superstitioso dæmonum cultui addictorum Ecclesiam Dei & Presbyteros ac Diaconos habere meruerit, & Episcopus summo omnium Deo consecratus ejus loci hominibus præfuerit. Plurima ibidem ad sublevandos pauperes largitus est; hac etiam ratione ad salutarem doctrinam homines alliciens, Gentiles passim, abjique damnatis simulacris, Deum verum agnoverunt, cum errorem suum confutatum oculis suis viderent, & omnium ubique templorum ac simulacrorum vastitatem intuerentur. Alii quidem licet idem facere nollent, majorum tamen ceremonias, utpote vanas atque inanes condemnabant, & quos antea pro diis habuissent, deridebant.

Euf. vit. Const. l. 3. c. 58.

Ib. c. 47.

Ibid.

Quidni ita sentirent, cum sub externa simulacrorum specie tantam intus latentem spurcitiem cernerent? Nam aut cadaverum ossa, aut aridæ calvariæ suberant, impostorum fraude subreptæ: aut sordidi panni turpi immunditia referti, aut denique fœni ac stipulæ acervus. Quæ cum in penetralibus simulacrorum anima carentium congesta aspicerent, & suam & parentum suorum summam dementiam incusabant, maxime cum animadverterent in suis illis adytis, atque in ipsis simulacris nullum esse intus habitantem, non dæmonem oracula fundentem, non Deum prædicentem futura, quemadmodum sibi antea persuaserant; imo ne obscurum quidem ac tenebrosum spectrum. Alii cum doctrinam Christianam attentius examinare cœpissent, signis quibusdam aut somniis, aut Episcoporum & Monachorum colloquiis inducti, consultius arbitrati sunt, Christianam Fidem amplecti. Exinde populi & civitates sua sponte a prioribus institutis descivere. Quo quidem tempore navale urbis Gazæorum, quod Majuma nuncupatur, quodque superstitioni admodum deditum erat, universum repente se ad Fidem Christi transtulit. Imperator vero eorum pietati vicem rependens maximo honore illos affecit, & locum illum, qui antea urbs non erat, civitatem esse jussit, & Constantiam cognominavit, ejus, quem ex filiis charissimum habebat, nomine locum illum cohonestans. Drepanum quoque vicum Bithyniæ fecit civitatem a tributis liberam, atque in suæ matris honorem vocavit Helenopolim.

Socrat. l. 1. c. 17.

Sub idem tempus cum barbari, Sarmatæ scilicet & Gothi, irruptione facta, Romanorum agros vastarent, Imperatoris tamen studium in construendis ecclesiis neutiquam propterea est imminutum, sed utrique negotio competentem curam ac sollicitudinem adhibuit. Nam hos quidem Christi trophæo confisus penitus devicit, adeo ut aurum, quod a priscis Imperatoribus dari consueverat barbaris, scilicet a devicto Decio, in posterum adimeret, & ipsi insperata clade perculsi Christianam religionem, cujus præsidio tutus ubique erat Constantinus, tunc primum amplexi sunt. Eutropia, natione Syra, Faustæ Constantini conjugis mater, voti causa in Palæstinam adveniens, juxta quercum Manbre, sub qua Angelos hospitio excepit Abraham, comperit aras sub eadem quercu positas esse, & Gentilium ritu illic sacrificia peragi. Illic æstatis tempore celebrem quot annis mercatum agunt ejus loci incolæ, aliique multi negotiandi causa eo conveniunt, diesque festus maxima omnium frequentia celebratur, Judæorum quidem, propter Abrahamum suæ Gentis authorem; Gentilium vero, eo quod Angeli illuc advenerint; Christianorum denique, eo quod tunc temporis Abrahæ apparuerit is, qui diu postea ad salutem humani generis natus ex Virgine, cunctis se manifestum exhibuit. Orientalium enim ea est opinio, Filium Dei suæ Incarnationi præludentem cum duobus Angelis contra Sodomitas missis, apparuisse Abrahæ, qui eum Dominum appellavit. Porro singuli pro cultu ac religione sua hunc locum venerantur.

Socrat. l. 1. c. 18. Sozom. l. 1. c. 17.

Dum hæc eo modo a Gentilibus solemni ritu gererentur, Constantini socrus adveniens, rem Imperatori nuntiavit. Quibus ille auditis, Palæstinæ Episcopos non mediocriter objurgavit, quod locum sanctissimum impuris libationibus & sacrificiis inquinari passi essent. "Sciat, inquit, gravitas vestra, mandatum a nobis esse per literas Acacio viro perfectissimo, Comiti & amico nostro, ut sine ulla dilatione, & simulacra omnia, quæ memoratum in loco reperta fuerint, igni tradantur, & ara funditus evertatur, utque omnes, qui post jussionem nostram impium aliquid admittere in eo loco ausi fuerint, debito supplicio afficiantur. Quem quidem locum puro basilicæ ædificio exornari præcepimus, ut idoneus sanctis viris consessus efficiatur. Quod si quid adversus præceptum nostrum geri contigerit, absque mora ad clementiam nostram literis vestris illud referri oportebit: ut quicunque deprehensus fuerit, tanquam violatæ legis reus, extremo supplicio afficiatur." Juxta hanc Imperatoris epistolam, Rectores Provinciæ & Sacerdotes Christi ea, quæ mandata fuerant, opere compleverunt. Aliæ plurimæ urbes eo tempore ad Christianam religionem transierunt, & sua sponte, nihil horum jubente Imperatore, templa ac simulacra sua everterunt, & ecclesias ædificarunt.

l. 1. c. 4. Euf. vit. Const. l. 3. c. 53. *In Palæstina superstitiones abolet Constant.*

XVIII. Erat tunc ex Judæis quidam Josephus. Hic apud suos connumerabatur inter Apostolos, qui totius Gentis Patriarchæ assident tanquam consilia-

Epiph. hær. 30.

CHRISTI An. 326.

Josephi Judæi conversio mirabilis.

filiarii. Patriarchæ tunc nomen erat Ellel, ex genere Gamalielis, qui cum morti vicinus esset, Episcopum urbis Tiberiadis vicinum vocavit, velut peritum medicum, arbitrisque remotis, eum rogavit, ut Christi signaculum ei impertiret. Ille præcepit parari aquam, tanquam balneum ægro necessarium. Patriarcha verecundiam simulans, suos omnes a se removit, atque ita sacro baptismate & divinis mysteriis initiatus est. Josephus per commissuras in foribus introspiciens considerabat quæ gererentur. Patriarcha baptizatus copiam auri non parvam habens in manu dedit Episcopo, dicens: Offer pro me; scriptum est enim, quæcunque Sacerdotes Dei in terris solvunt, aut ligant, ea esse soluta, vel ligata in cœlis. Apertis deinde foribus, amici Patriarchæ interrogabant quomodo ex balneo se haberet? optime habere respondit; etenim norat quod ipse dicebat. Post duos tresve dies, quibus eum sub persona medici frequenter invisebat Episcopus, feliciter in bono proposito obdormiit Ellel; sed prius filium suum nomine Judam adhuc puerum, Patriarchatus tamen successorem tradidit Josepho, & alteri ex amicis viro probo, qui curam illius gererent, ejusque partes supplerent.

Ibid. Erat quædam gazophylacii domus sigillo conclusa diligenter, quam pecuniis plenam dum suspicatur Josephus, clandestine aperuit: pecunias quidem nullas reperit, sed Evangelium D. Joannis, Actaque Apostolorum translata Hebraice, ipsumque Matthæi Hebraicum autographum. Eorum lectione, & memoria eorum quæ viderat in baptismo Patriarchæ, non parum commovebatur. Judas ad vigorem ætatis cum pervenisset, adolescens a malis sociis depravatus est, adeo ut etiam per magicas artes mulieres seducere tentaret. Christianam mulierem aliquando videns ad auram deambulantem, quæ erat eximiæ pulchritudinis, latus suum ad illius latus affricuit; illa in nomine Christi semet obsignat, sicque conatus junioris Patriarchæ factus est irritus. Tentavit alias præstigias, sed incassum. His cognitis, Josephus intellexit non valere vim incantationis, ubi est Christi nomen & signaculum Crucis, non tamen persuasus est ut fieret Christianus.

Ibid. Postea in somnis ei apparuit Christus, dicens: Ego sum Jesus, quem parentes tui crucifixerunt; crede in me: nec sic quidem flexus est. Incidit in morbum gravem & periculosum; Dominus ipsi rursus apparet, jubens ut credat in ipsum, & sanitatem assecuturum esse promittens. Promisit, sed sanus resiliit, atque in duritia permansit. Recidit in morbum, jamque moriturus credebatur..... Josephus in tanto periculo positus obduruit. Dominus benignus tertio per somnii visum ei dixit: Ecce, sano te, crede cum convalueris; sed neque tunc credidit. Dominus ei sano rursus apparens, exprobrat incredulitatem, offertque supernaturale signum, quod in Fidei confirmationem invocato ejus nomine operetur. Erat Tiberiade quidam insanus per urbem nudus oberrans, qui sæpe vestibus indutus eas dilaniabat. Josephus volens experiri visionem, dubitans tamen assumit eum, præclusisque foribus, acceptaque in manum aqua, quam signat signaculo Crucis, insanum respersit, dicens: In Nomine Jesu Nazareni Crucifixi egredere dæmonium ab ipso, & sanus fiat. Insanus clamans & spumans in terram prolapsus diu permansit immobilis, ut mortuum jam esse Josephus crederet, donec interjecto horæ spatio vultum perfricans surrexit. Tum se nudum animadvertens occultare cœpit. Josephus eum veste donavit, qua indutus ad statum modestiæ devenit, ipsique ac Deo magnas gratias egit, sciens quod per ipsum salus sibi contigisset, factumque prædicavit. Judæi ut cognovere signum, dicebant: Josephus gazophilaciis apertis scriptum Dei nomen invenit, eoque lecto mirifica portenta facit. Idem olim de Christo dixerant. Josephus obduratus corde permansit.

Ibid. Patriarcha Judas postquam adolevit, Josepho præmium educationis rependens, confirmavit ejus Apostolatum, epistolisque traditis, eum misit in Ciliciam, ut decimas ac primitias a Judæis, qui in ea provincia commorantur, exigeret. Ac tum casu contigit, ut quadam in urbe in vicina ecclesiæ domo diversaretur. Exinde contracta cum Episcopo familiaritate, clam ab eo Evangeliorum librum postulat ac legit. Et quoniam pro ea quam gerebat Apostoli functione summam in constituenda disciplina severitatem ferebat, ac plerosque Synagogis præfectos & Sacerdotes & Presbyteros, ac Azanitas, quo nomine ministros appellant, homines improbos in ordinem redegerat, ac dignitate privarat, multorum in se convertit odia: qui ut eum ulciscerentur, ejus actiones explorabant. Acutissime tandem subodorati ex improviso impetum in ejus ædes faciunt, atque in ipsa Evangeliorum lectione Josephum opprimunt. Hi libro de manibus erepto hominem corripiunt, maximisque contumeliis vexantes in Synagogam abducunt, virgisque cædunt. Accurrit urbis Episcopus, eumque ex illorum manibus eripit. Alias deinde eum iter agentem offendissent, in Cydnum abjiciunt, atque illum impetu fluminis abreptum periisse rati, magnopere gavisi sunt: sed ia servatus postea cœlesti lavatione dignatus est.

CHRISTI An. 326.

Ibid. Hic ad comitatum profectus ad Constantini Imperatoris amicitiam pervenit, eique quid sibi acciderat, exposuit. Optimus Imperator hoc illi dignitatis, quam inter suos habuerat, præmium contulit, comitemque fecit, jubens insuper, ut quidquid vellet, optaret. Ille hoc unum maximi beneficii loco postulavit, sibi ut in Judæorum pagis omnibus & oppidis exstruendarum in Christi honorem ecclesiarum potestas Imperatoris edicto fieret. Quibus in locis nemo unquam ecclesias ædificare poterat, quod nullus inter eos neque Gentilis, neque Samaritanus, neque Christianus habitaret, præsertimque Tiberiade, Diocæsareæ, Nazareti, Capharnaimi, ubi hoc diligenter observant, nemo ut Gentis alterius domicilium illic habeat.

Ibid. Josephus acceptis cum ea potestate & dignitate literis perrexit Tiberiadem, unaque & diploma secum attulit, quibus impensas e Fisco caperet, cum privatim ipse stipendia ea eodem acciperet. Igitur Tiberiade ecclesiam ædificare cœpit. Erat in eadem urbe templum ingens, quod Adrianus imperfectum reliquerat. Quadrato lapide quaternorum cubitorum certam ad altitudinem erectum invenerat; veteri structuræ novam ecclesiæ molem imponere statuit. Septenas igitur fornaces ad calcem excoquendam extra urbem fieri imperat. Judæi magicis carminibus impedire tentarunt. Initio quidem ignis nihil coquebat. Operis præpositi rem ad Josephum deferunt, statim cœlesti in Dominum ardore succensus extra urbem advolat, aquam postulat: affertur in æneo vase, spectantibus Judæis, Crucis signum super illud digito ducit, ac Jesu nomen invocans, magna voce sic loquitur: In Nomine Jesu Nazareni, quem mei pariter atque horum omnium majores in Crucem egerunt, hæc aqua vim habeto ad magicas artes, maleficiaque omnia restinguenda, quæ isti compararunt, ab eademque vis igni sua restituator, quo Domini domus possit absolvi. His dictis fornacibus singulis aquam aspersit. Ita dissolutis præstigiis coram omnibus ignis efferbuit. Quo miraculo commota turba magnis vocibus exclamavit: unus est Deus, qui Christianos adjuvat. Itaque discessit, ac sæpe alias vexantibus Judæis tandem veteris templi partem exstruxit, in eaque parvam ecclesiam condidit. Post inde discedens Scythopoli consedit. Diocæsareæ aliisque in oppidis postremo ecclesias ædificavit. Hæc, inquit Epiphanius, non aliunde, quam ex ipsomet illius ore didici, cum affecta jam ætate foret, ac septuagesimum plus minus nonum ageret.

Sozom. l. 2. c. 6. *Gentium multarum conversio.*

XIX. Cum ad hunc modum per universum Orbem Romanum amplificaretur Ecclesia, ad ipsos etiam Barbaros religio permanavit. Gentes enim circa Rhenum Christi Fidem jam profitebantur: Celtæ item & Gallorum ultimi, qui ad Oceanum habitabant. Gothi præterea, & quicunque iis olim finitimi erant Danubii accolæ, fide in Christum jam pridem suscepta, mansuetiorem atque humaniorem cultum induerant. In Oriente pariter Armenii jam dudum Christi fidem susceperant. Tiridates Gentis illius regulus occasione cœlestis cujusdam portenti, quod in domo ipsius acciderat, factus est Christianus, & subditis omnibus palam per præconem mandavit, ut eandem religionem colerent. Ex Persia vero eos arbitror primum Christianos esse factos, qui occasione consuetudinis, quam habebant cum Osdroenis & Armeniis, in colloquium, ut verisimile est, venere cum divinis viris, qui illic habitabant, eorumque virtutis experimentum ceperunt.

Ibid. Cap. 8.

Ulterius propagatum est Evangelium. Methrodorus

Digitized by Google

Christi An. 326. Theod. l. 1. c. 23.

dorus Philosophus inspiciendorum locorum, & Orbis perscrutandi gratia, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse; veteres sic vocabant Æthiopiam. Redux Constantino margaritas & gemmas obtulit; Saporem Persarum Regem multo pretiosiora abstulisse conquestus. Ejus exemplo invitatus Meropius, Tyrius Philosophus, simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus disciplinis utpote propinquos instituebat; Junior Ædesius, alter Frumentius vocabatur. Pervisis & in notitiam captis his, quibus animus pascebatur, cum Philosophus redire cœpisset, aquæ vel cæterorum necessariorum causa ad portum quemdam navis, qua vehebatur, applicuit. Moris est inibi barbarorum, ut si quando fœdus sibi cum Romanis turbatum vicinæ Gentes nuntiaverint, omnes, qui apud eos ex Romanis inventi fuerint, jugulentur. Invaditur navis Philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur. Pueruli reperti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes, barbarorum miseratione servati ducuntur ad Regem. Horum ille alterum, id est, Ædesium, sibi Pincernam fecit; Frumentio vero, quem quasi perspicacem deprehenderat & prudentem, rationes suas scriniaque committit, scilicet postquam adolevit uterque: ex quo & in honore magno apud Regem habiti, & in amore. Rex postmodum moriens uxorem cum parvulo filio regni dereliquit hæredem; adolescentibus autem quid vellent agendi liberam dedit facultatem, quos tamen Regina suppliciter exorat, tanquam quæ nihil haberet in toto regno fidelius, ut secum, usquequo adolesceret filius, regendi regni sollicitudinem partirentur; & præcipue Frumentium, cujus prudentia ad moderandum sufficeret regnum.

Ibid.

Id cum agerent, & regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus & animum instigante, requirere sollicitus cœpit, si qui inter negotiatores Romanos essent Christiani, & ipsis potestatem maximam dare, ac monere ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent, sed & ipse multo magis eadem facere & cæteros exhortari, favore & beneficiis invitare, præstare quidquid opportunum fuisset, loca ædificiis, aliaque necessaria præbere, ut Christianum ibi semen exurgeret. Sed cum regius puer adolevisset, qui procuratorem regni gerebat, expletis omnibus & ex fide traditis, multum licet detinentibus & rogantibus ut manerent Regina vel filio, ad patriam revertuntur. Ædesio festinante Tyrum parentes propinquosque revisere, Frumentius Alexandriam pergit, dicens æquum non esse, opus occultare Dominicum. Igitur rem omnem, ut gesta est, exponit Episcopo, ac monet ut provideat aliquem virum dignum, quem congregatis jam plurimis Christianis & ecclesiis constructis in barbarico loco Episcopum mittat.

Ibid.

Athanasius attentius & propensius Frumentii dicta gestaque considerans, in concilio Sacerdotum ait: Et quem alium inveniemus virum talem in quo sit Spiritus Dei, sicut in te, qui hæc possit implere? & tradito ei Sacerdotio, redire eum cum Domini gratia, unde venerat, jubet. Qui cum Episcopus perrexisset ad Indiam, tanta ei data esse a Deo virtutum gratia dicitur, ut signa per eum Apostolica fierent, & infinitus barbarorum numerus converteretur ad fidem. Hæc Rufinus ab Ædesio, qui & ipse Tyri Presbyter postmodum factus est, se accepisse narrat. D. Frumentium inter Sanctos retulit Orientalis & Occidentalis Ecclesia. Dicitur

Martyr. Roman. 27. Octo. Græc. Menol. 30. Nov.

Episcopus Auxumeon metropolis Æthiopiæ, quæ sub Ægypto est, pertingitque ad littus maris rubri, totoque cœlo ab India Gangetica distat: ipsa tamen ab antiquis dicta est India. Cosmographiam hanc confirmant literæ, quas ad Auxumetarum Principes postea scripsit Constantius, ut Frumentium in Ægyptum remitterent.

Theod. l. 1. c. 24. Ruf. l. 1. cap. 10. *Iberorum conversio.*

Iberis Colchidis populis per idem tempus captiva mulier viam ad veritatem monstravit. Cum fidelem ac sobriam duceret vitam, totisque diebus ac noctibus obsecrationes Deo pervigiles exhiberet, in admiratione esse ipsa rei novitas barbaris cœpit; & quid hoc sibi velit, curiosius perquirebant. Illa ut res erat, simpliciter Christum se Deum hoc ritu colere fatebatur. Nihil ex hoc amplius barbari præter novitatem nominis mirabantur. Verum ipsa perseverantia curiositatem quamdam mulierculis inferebat, si quid emolumenti ex tanta devotione caperetur. Moris apud eos esse dicitur, ut si parvulus ægrotet, circumferatur a matre per singulas domos, quo scilicet si quis aliquid experti remedii noverit, conferat laboranti. Cumque mulier quædam parvulum suum per omnes circumtulisset ex more, nec aliquid remedii reperisset, venit ad captivam, ut si quid sciret, ostenderet. Illa se humani quidem remedii nihil scire testatur: Deum tamen suum Christum, quem colebat, dare ei desperatam ab hominibus salutem posse confirmat; cumque cilicio suo parvulum superposuisset, atque ita desuper orationem fudisset ad Dominum, sanum matri reddidit infantem.

Ibid.

Exinde admirabilis mulier omnium sermone celebrata est, adeo ut ad ipsam quoque Regis uxorem graviter ægrotantem ejus rei fama pervenerit. Captivam ad se vocat. Illa ire abnuit, ne præsumere amplius aliquid, quam sexus sineret, videretur. Ipsam se Regina deferri ad captivæ cellulam jubet, quam similiter supra cilicium suum positam, invocato Christi nomine, continuo post precem, sanam & alacrem facit exurgere, Christumque esse Deum, Dei summi Filium, qui salutem hanc contulerit, docet; eumque, quem sibi authorem suæ sciret esse incolumitatis & vitæ, commonet invocandum. Illa domum regressa, marito percontanti causam tam subitæ salutis aperuit. Ille cum lætus mulieri munera deferri juberet, Regina dixit: O Rex, nihil eorum captiva dignatur, aurum despicit, argentum respuit, jejunio quasi cibo pascitur: hoc solum muneris ei dabimus, si eum, qui me illa invocante sanavit, Christum Deum colamus. Rex distulit, sæpius licet ab uxore commonitus, donec accidit quadam die, venante eo in sylva cum comitibus suis, obscurari densissimis tenebris diem, alius alio diversis ex comitibus oberrat, ipse solus densissima obscuritate circumdatus, quid ageret, quo se verteret, nesciebat: cum repente animos salutis desperatione animos cogitatio talis ascendit: Si vere Deus est Christus, ille, quem uxori suæ captiva prædixerat, nunc se de his tenebris liberet, ut ipsum ex hoc, omissis omnibus coleret. Illico ut hæc sola mente voverat, reddita mundo dies Regem ad urbem perducit incolumem. Reginæ rem protinus, ut gesta est, pandit. Evocari jamque captivam, & colendi ritum sibi tradat, exposcit: neque se ultra aliam Deum, quam Christum, veneraturum esse confirmat. Adest captiva, edocet Deum Christum supplicandi ritum, venerandique modum, in quantum de his aperire fas erat, pandit; fabricari tamen ecclesiam monet, formamque describit.

Ibid.

Rex totius Gentis populo convocato, quæ erga se & Reginam gesta sint, exponit, fidemque edocet, & nondum sacris initiatus fit suæ Gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, fœminæ per Reginam, cunctisque idem volentibus, ecclesia extruitur instanter, & elevato jam perniciter murorum ambitu, tempus erat, quo columnæ collocari deberent: cum, erectis duabus primis, ventum fuisset ad tertiam, consumptis omnibus machinis, & boum hominumque viribus, cum media jam in obliquum fuisset erecta, & pars reliqua nullis machinis erigeretur, admiratio erat totius populi, Regis animositas hebescebat, quid fieri deberet, omnes simul latebat. Sed cum interventu noctis omnes abscessissent, captiva sola in oratione pernoctans mansit intrinsecus. Cum ecce matutinus & anxius cum suis omnibus ingrediens Rex videt columnam, quam tot machinæ & tot populi movere non potuerant, erectam, & super basim suam librate suspensam, nec tamen superpositam, sed quantum unius pedis spatio, in aere pendentem. Tunc vero omnes populi corruentes & magnificantes Deum, veram esse Regis fidem, & captivæ religionem præsentis miraculi testimonio perhibebant. Et ecce jam mirantibus adhuc & stupentibus cunctis, in oculis eorum sensim supra basim suam, nullo contingente, columna deposita summa cum libratione consedit. Post hoc reliquus columnarum numerus tanta facilitate suspensus est, ut omnes quæ superfuerant, ipsa die locarentur. Ecclesia magnifice constructa, captivæ monitis ad Imperatorem Constantinum totius Gentis legatio mittitur, quæ exoraret Sacerdotes, qui cœptum erga se Dei munus implerent. Quibus ille cum omni gaudio & honore transmissis, multo amplius ex

hoc

CHRISTI AN. 326.

hoc lætatus est, quam si incognitas Romano Imperio Gentes & regna ignota junaisset. Hæc nobis, inquis Rufinus, ita gesta fidelissimus vir Bacurius Gentis ipsius Rex, & apud Romanos domesticorum comes, cui summa erat cura & religionis, & veritatis, exposuit, eum nobiscum Palæstini hinc limitis dux Jerololymis satis unanimiter degeres.

Euseb. Chronic.

XX. Eusebius jam ante biennium absolverat suum Chronicon, cujus partem non exiguam ab Africano mutuatus cætera suppleverat: illius argumentum sic ipse proponit: " Diligenter indicavimus, quandonam incipiuns tempora totius sæculi, Regesque Gentium omnium; quibus locis, quibusve temporibus in suis Provinciis, & quantum regnaverunt, vel si quid memoria dignum per generationes, nativitates, & regna, & ducatus, & per omnem actum Judicum & omnium Regum Judææ, & aliorum, qui non ex eadem tribu regnaverunt, & per regna Assyriorum, cæterarumque Gentium, & tempora Dictatorum eum Consulibus ordinariis; sed & tempora Imperatorum & Cæsarum, & quibus temporibus historiographi fuisse dixerunt, sed & successiones eorumdem. Quorum universa tempora, gesta, sive apud Hebræos, vel apud Græcos, vel apud Romanos, sive apud barbaros cæterasque Gentes, quæ gesserunt, vel constituerunt, per historias in hoc libro plenissime demonstrantur. Quod & in libro Hygini historiæ singulæ conscriptæ declarant. Deorum generationem, vel singolorum progeniem, & tempora Olympiacorum, ex qoo primus agon gymnicus constitutus est, quod Græci appellant Olympias, & quo sempore fuit adventus Salvatoris nostri Jesu Christi, sive passio ejus, simulque & nomina Episcoporum Ecclesiarum numero quatuor, hoc est, Romanorum, Alexandriæ, Jerosolymorum & Antiochiæ, qui per easdem civitates Metropoles Provinciarum Episcopi: quantum semporis singuli sederunt, vel qui eorum Episcopatus sui tempore martyrio coronatus sit: sive tempora persecutionum, quibus temporibus Ecclesiæ dissipatæ sunt: sed & tempora Regum Macedonum, Alexandri, & quoto agone Olympicorum, vel quibus consulibus finem fecerit Judæis Vespasianus, & tributa eis constituit: „ Ac proinde temporum rationem resque memorabiliores suis annis distributas in eo digessis a mundo condito usque ad annum Christi trecentesimum vigesimum quintum.

Joseph Scalig. in Prolog.

Adjuravis merito " per Christum, quicunqoe illud descripseris, ut conferant quod scripserint, & emendent ad exemplaria, „ nam, ut observat Scaliger, nullus liber tot mendorum monstris desormasus, tos vitiis oblitus, quam illi Codices Chronici, sam editi, quam scripti. Hic eos emendare rentavit, sed emendatorem in multis correxit doctissimus Petavius. D. Hieronymus e Græco in Latinum sermonem eos transtulit, & simul interpolavit, quemadmodum aperte fatetur. Itaque, inquit, a Nino & Abraham usque ad Trojæ captivitatem pura Græca sranslatio est; a Troja usque ad vigesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima; quæ de Tranquillo & cæteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus. A Constantioi ausem supra dicto anno usque ad Consulatum Valentis sexies, & Valentiniani iterum, totum meum est. Hinc non mirum, si Chronicon Eusebii cum ejus historia ecclesiastica sæpe non consonat. Illa est posterius scripta, ot monet in ejus prologo. Res in Ecclesia gestas decem libris complexus, principatu Constantini historiam suam terminavis; quo tempore persecutio Diocletiani adversus Christianos finem accepit. Eusebii profundam antiquitatis notitiam & eruditionem laudant veteres. Duorum summorum Pontificum judicium hic referre sufficiat. Gelasius in decreto de libris Apocryphis sic habet: Item Chronica Eusebii Cæsariensis, & ejusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & postea in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos. Pelagius vero Papa secundus sic paucis absolvit ejus elogium: Quid in historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? multa veterum monumenta in ea nobis conservavis.

Socr. l. 1. hist. Eccl. *Eusebii historiæ Critirium.*

Pelag. 2. epist. 3. ad Episc. Istriæ.

R. P. Du Mesnil Doctr. Tom. I.

CHRISTI AN. 326.

XXI. Constantinus cum civitatem nominis sui ad summam gloriam tollere instituisset, pluribus eam oratoriis exornavit, amplissimisque martyriis, partim in suburbiis, partim in ipsa civitate constructis. Scripsit ad Eusebium de conficiendis sacris Codicibus: " Visum est, inquit, id significare prudentiæ tuæ, ut quinquaginta Codices divinarum scripturarum, quarum apparatum & usum maxime necessarium Ecclesiæ esse intelligis, in membranis probe apparatis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi facias, qui & legi facile, & ad omnem usum circumferri possint. Literæ porro a nostra clementia missæ sunt ad Rationalem Diœcesis, ut cuncta ad eorum codicum confectionem necessaria præberi curet. Tuæ erit diligentiæ, ut scripti codices quantocyus apparentur. „ Ejus dicta, inquit Eusebius, continuo opus ipsum excepit, cum nos in voluminibus magnifice exornatis terniones & quaterniones ad eum misissemus. Porro in ultima quaternionis pagina ejus numeros notabatur. Imperator noverat Eusebium haberi virom suæ ætatis eruditissimom, qui cum Pamphili martyris Bibliothecam haberes, injunctum opus optime exequeretur.

Eus. vit. Const. l. 3. c. 48. l. 4. c. 36.

Constantinus sacros codices postulat Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

D. Hieronymus refert, qood Constantinus Augustus, cum Cæsaream fuisset ingressus, & diceres Eusebio, ut pereret aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profutura; respondisse Eusebium, opibus suis Ecclesiam ditatam, nulla petendi beneficia necessitate compelli: sibi tamen desiderium immobile extitisse, ut quidquid in Republica Romana gestum sit erga Sanctos Dei per Judices, Judicibus succedentes in universo Orbe Romano, sollicita perscrutatione perquirerent, atque Martyrum monumenta publica discutiendo, a quo Judice, in qua Provincia vel civitare, qua die, quave perseverantia, passionis suæ obtinuerint palmam, de ipsis archiviis sublata, ipsi Regio jussu dirigerent: Unde factum est, ut idoneus relator existens, & ecclesiasticam historiam rexeret, & omnium pene martyrum Provinciarum omnium Romanarum trophæa diligens historiographus declararet. Inde factum puto ut acta Sanctorum legitima tam pauca nunc habeamus, præsertim cum perierit illud ultimum Eusebii opus, scilices collectio actorum omnium Martyrum, cujus sæpe meminit, solaque supersint acta Martyrum Palæstinæ.

Hier. ep. ad Chromat.

Martyrii quod in memoriam Apostolorum Constantinopoli tunc Constantinus ædificavit, magnificentiam sic describis Eusebius: Cum templum omne in immensam altitudinem exsulisset, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens. Porro cameram lacunaribus minutissimi operis obducens, totam auro imbracteavit, & supra quidem æs tegolarum loco impositum, universo ædificio muoimentum adversus imbres præbebat. Quod itidem auro plurimo superfusum resplendebat, adeo ut procul spectantium oculos fulgore perstringeret, solis radiis æris objectu repercussis. Totum vero solarium reticulatis quibusdam anaglyphis ex ære & auro fabrefactis erat circumdatum. Circa ipsum templum ingens erat area, libero ac desuper patente cœlo, cujus ad quatuor latera porticus erant sibi invicem conjunctæ, quæ aream in medio sitam cum ipso templo circumcingebant. Præterea, basilicæ, lavacra, diversoria & alia plurima habitacula ad usum eorum, qui locum custodiebant, porticibus applicita, earum longitudinem æquabant. Hæc omnia dedicavit Imperator eo consilio, ut Apostolorum Servatoris nostri memoriam posteris in perpetuum commendaret: sed etiam hunc sibi locum post mortem designaverat, incredibili fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem sortiretur, quo scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem ac memoriam Apostolici collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrimque Apostolorom capsas dispositas habebat. His ille diu antea sagaci mente dispositis, ædem Apostolis consecravit, pro certo sibi persuadens, horum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam. En basilica sub invocatione Apostolorum consecrata; Sanctorum invocatio, fideliumque suffragia, quibus defunctorum animæ juvantur.

Eus. vit. Const. l. 4 c. 58. 59.

Ib. c. 60.

Preces pro mortuis.

CHRISTI AN. 328.

Hæc igitur male quaſi nova & ſuperſtitioſa redarguuntur.

Greg. Nazianz. orat. 19. *Gregorii ſenioris baptiſmus & vita.*

XXII. Anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo octavo, ut communis fert opinio, Gregorius Theologi Pater conſecratus eſt Epiſcopus Nazianzenus. Id aliquando futurum in ejus baptiſmo divina gratia præſignarat. Egreſſum ex aqua lux & gloria, eo animi affectu cum quo ad fidei donum acceſſit digna, circumſulſit; ei autem qui baptiſtæ & initiatoris munere fungebatur, ita clara & perſpicua, ut ne myſterium quidem pectore clauſum tenere potuerit; ſed eum, quem inungebat, ſibi in Epiſcopatu ſucceſſorem palam publiceque clamaverit. Quamvis jam ſenex ſacris literis animum adjecerit, haud mediocrem eorum ſcientiam brevi comparavit, adeo ut cum agreſtem accepiſſet Eccleſiam, & in vepres redactam, primum ferinos hominum mores haud magno negotio mitigavit; deinde in fide ſic erudivit atque confirmavit, ut inter ſequentes Arianorum procellas, ab eorum erroribus puram præſtiterit. Centum ferme annos vixit, ex iiſque in ſacerdotio quinque & quadraginta exegit, ita demum in bona ſenectute vitam claudens.

Gregorius Naz. natus ante patris epiſcopatum. Greg. Naz. vit. pag. 9.

Pluribus annis ante Epiſcopatum ex ſancta Nonna conjuge genuerat filiam nomine Gorgoniam, & duos filios; ſcilicet Gregorium & Cæſarium. Hos aliqui recentiores contendunt natos ex patre jam Epiſcopo, probantque ex his ejus verbis ad filium: nondum tot ſunt anni tui, quot jam in ſacris mihi ſunt peracti victimis. Nec advertunt hæc dicta per emphaſim deſignare tantum quamdam ætatis ſupereminentiam, quæ loquendi formulæ ſunt ſenibus uſitatæ; vel recte intelligi de ejus baptiſmo. Gregorius Theologus in carmine teſtatur, matrem ſuam Nonnam marito fuiſſe coætaneam; Gregorius autem ſenior anno vitæ quinto & quinquageſimo factus eſt Epiſcopus, ut modo demonſtravimus. Cæſarius vero ſecundus ejus filius biennio poſt Gregorium natus eſt. Quis igitur ſibi perſuadeat Nonnam peperiſſe prope ſexagenariam? Gregorius Theologus præterea narrat ſe Athenis Julianum vidiſſe Philoſophiæ ſtudentem, ſcilicet anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo quarto, ibidemque ſubjungit: Eratque is annus mihi fere trigeſimus. Si vitæ; ipſe igitur anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo quarto natus eſt, quinque annis ante patris Epiſcopatum. Si ſtudiorum; quæ non paucorum eſt opinio, quamque in ejus vita ſecutus eſt Gregorius presbyter; adoleverat, priuſquam pater eſſet Epiſcopus.

Cod. Theod. lib. 7. de Epiſc.

XXIII. Eccleſiam tranquilla pace florentem graviter affixerunt domeſticæ diſcordiæ. Donatiſtæ Catholicis infenſiſſimi minores Clericos litibus fatigabant, atque ad munia publica revocabant. Vexationem hanc prohibere placuit Imperatori. Itaque reſcripſit Valentino Numidiæ præfecto conſulari: "Lectores divinorum apicum, & Hipodiaconi, cæterique Clerici, qui per injuriam hæreticorum ad curiam devocati ſunt, abſolvantur. Et de cætero ad ſimilitudinem Orientis, minime ad curias devocentur, ſed immunitate pleniſſima potiantur. Datum pridie nonas Februarias Sardicæ, Gallicano & Symmacho conſulibus:" Juſſit etiam Judæorum Patriarchas & Sacerdotes ab omnibus tam perſonalibus, quam civilibus muneribus immunes eſſe. Majorino Donatiſtarum Epiſcopo defuncto anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo nono ſucceſſit alter Donatus, qui eloquentia ſua confirmavit hanc hæreſim: tantæ fuit apud ſuos authoritatis & venerationis, ut de eo iſta jactarent: Donatus oravit, & reſpondit ei Deus de cœlo. Hominis ſuperbiam ſic depingit Optatus: Hoc modo exaltatum eſt cor ejus, ut ſibi jam non homo, ſed Deus fuiſſe videretur. In ore populi raro eſt appellatus Epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis dicebatur. Magiſtratus adeo contempſit, ut ad Gregorium Comitem ſic ſcribere minime dubitarit: Gregori, macula Senatus, & dedecus præfectorum.

Hier. in Chron. Aug. in Joan. tr. 3. Optat. l. 3.

Aug. ep. novæ edit. 93. veteris 48. *Donatiſtarum pſeudo-Synodus.*

Eodem ſedente celebratum videtur Carthagine Concilium, de quo hæc memoriæ prodit Auguſtinus. Scribit Tyconius, homo, ut dixi, veſtræ communionis, a ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris Concilium Carthagine celebratum, in quo Concilio per ſeptuaginta & quinque dies poſtpoſitis omnibus præteritis, limatam eſſe ſententiam, atque decretum, ut traditoribus immenſi criminis reis, ſi baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium autem Macrianenſem Epiſcopum communionis veſtræ dicit traditorum plebem congregatam Eccleſiæ miſcuiſſe, & ſecundum ſtatuta illius Concilii a 270. Epiſcopis veſtris facti, fuiſſe eum traditoribus unitatem, eique Deuterio poſt hoc factum jugiter communicaſſe. Donatum, nec ſolum huic Deuterio, ſed etiam univerſis Maurorum Epiſcopis per quadraginta annos, quos dicit uſque ad perſecutionem per Macarium factam, traditoribus ſine baptiſmo communicaſſe. Non ſine divina providentia factum, ut ſuo facto ſceleris, & ſchiſmatis convincerentur Donatiſtæ. Conſtabat enim ex traditoribus coaluiſſe eorum eccleſiam, qui tamen ſe jactabant puriſſimos, nolebantque communicare cum reliquo Orbe Chriſtiano, ne eorum communione, quos falſo traditionis inſimulabant, polluerentur.

Circumcelliones. Aug. in Pſ. 132. Opt. l. 3. n. 4.

Præterea peſſimis furioſorum hominum, qui Donati ex partibus erant, ſceleribus infamis fuit ejus Epiſcopatus. Circumcelliones dicti ſunt, quia circum cellas vagabantur. Nefariis duo farinæ hujuſmodi homines præficiebantur, Aſidus & Faſir, qui ab ipſis Sanctorum duces appellabantur. Nulli licebat ſecurum eſſe in poſſeſſionibus ſuis; debitorum chirographa amiſerant vires. Nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem; terrebantur omnes literis eorum, qui ſe Sanctorum duces fuiſſe jactabant; & ſi in obtemperando eorum juſſionibus tardaretur, advolabat ſtatim multitudo inſana, & creditores metu mortis humiles impellebantur in preces, feſtinabatque unuſquiſque debita etiam maxima perdere, & lucrum computabatur evaſiſſe ab eorum injuriis. Etiam itinera non poterant eſſe tutiſſima; quot domini de vehiculis ſuis excuſſi ante mancipia ſua, dominorum locis ſedentia ſerviliter cucurrerunt! Hoc genus hominum agreſte, inquit D. Auguſtinus, & famoſiſſimæ audaciæ, non ſolum in alios immania facinora perpetrando; ſed nec ſibi inſana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maxime præcipitiorum & aquarum, & ignium, ſeipſos necare conſueverunt, & in iſtum furorem alios, quos potuerint utriuſque ſexus ſeducere; aliquando ut occidantur ab aliis, mortem, niſi fecerint, comminantes. Unde cum Donati partis Epiſcopis tunc invidia fieret, Taurino tunc comiti ſcripſiſſe dicuntur, hujuſmodi homines corrigi in Eccleſia non poſſe, mandaverunt ut ab eo acciperent diſciplinam. Taurinus ad eorum literas ire militem armatum juſſit per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari conſueverat. In loco Octavienſi occiſi ſunt plurimi, quos Donatiſtæ pro martyribus habuerunt, extructis aris ſuper eorum tumulis.

Aug. de hær. c. 69.

Optat. lib. 3.

XXIV. Ariani prudentiores rati diſſimulandum vivente Conſtantino, qui decreta Nicæni ſalva vellet, nec quiſquam aperte refragari impune patiebatur: itaque clandeſtinis conſiliis errores ſuos propagare ſtuduerunt. Et primo quidem diſſimulatæ quæſtioni juris facti quæſtionem ſubſtituere, dixeruntque Arium nuſquam docuiſſe hæreſes in Concilio damnatas. Secundo rixas movere de voce Conſubſtantialis, contenduntque, ea omiſſa, fidem Scripturæ verbis exponendam eſſe. Iiſque artibus inſtaurarunt impiam hæreſim, quæ tandem in Oriente diu prævaluit. Rem totam ex veterum monumentis breviter exponemus.

Rufin. l. 1. c. 11. *Arium contra Nicænam fidem non ſentire, & male intellectum jactitant Ariani.*

Defuncta Helena, Conſtantia Licinii relicta, Auguſti ſolatiis utebatur. Huic accidit, Presbyterum quemdam venire in ejus notitiam latenter partibus Arii faventem: is ab Euſebio & reliquis ejuſdem factionis impulſus, ubi multa familiaritas copiam tribuit, paulatim ſermonem interſeruit de Ario, dicens illum injuria affectum a Synodo; nec ita ſentire, ut rumore vulgi ferebatur, ſed pro ſimultatibus privatis Epiſcopum ſuum tam contentioſe exagitaviſſe, æmulationis ſtudio confixum, quod Arius apud plebem ſatis charus haberetur. Hæc, atque alia hujuſmodi frequentius ſuggerens, Conſtantiæ facile perſuaſit; ſed Imperatori dicere minime auſa eſt: ex quo patet quam ſincere affectus eſſet circa fidem Conſtantinus. Accidit ut Conſtantia in gravem morbum incideret: eam Imperator ægrotantem aſſidue viſitabat: jam moritura extremam dicitur ab eo gratiam popoſciſſe, ut Presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ ſibi ab eo pro ſpe & ſalute ſuggererentur, audiret; ſe quidem jam ex hac luce diſcedentem nihil

Christi An. 328

hil curare, pro fratris vero statu esse sollicitam, ne forte pro innocentium pœnis regni sui pateretur exeidium. Quibus ille monitis a sorore susceptis, ea mortua, Presbyterum inter familiares recepit, qoi paulatim majorem nactus authoritatem, eumdem de Ario sermonem suggerit Imperatori, Arium affirmans non aliud sentire, quam quod a Synodo decretum fuisset; & si in conspectum ipsius admitteretur, Synndi decretis consensurum esse. Hæe oova atque admiranda Imperatori visa suot: quapropter respondit: Si Arius decretis Synodi subscribit, eum in conspectum meum admittam libens, & cum honore remittam Alexandriam. Statimque literis datis ante quintum Kalcodarum Decembrium anni trecentesimi vigesimi octavi eum revocavit ab exilio.

Arius ab exilio revocatus fallit Imperatorem. *Ibid. Sozom. l. 2. c. 27.*

Arius, acceptis Imperatoris literis, haud multo post Constantinopolim veoit: erat eum illo etiam Enzojus, quem Alexander Diaconatus honore eauerat. Eos Imperatoe ad conspectum suum admisit, interrogatque utrum fidei consentirent. Illis protinus assentientibus, Imperator libellum fidei suæ tradere eos jubet. Arius novitatem verburum, quæ prius excogitaverat, devitans, aliam expositionem contexuit, verbis simplicioribus, & quæ sacræ Scripturæ familiaria sunt. Sie autem se babet expositio.

Arii fallax fidei professio.

" Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in Domioum nostrum Jesum Christum, Filium ejus, qui ex eo geoitus est aote omnia sæeula, Deum Verbum, per quem omnia facta sunt. Qui descendit, & Incarnatus est . . . . Nisi autem ita credimus, & nisi vere suscipimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, sicut omois Catholiea Ecclesia, & Scripturæ docent, quibus per omnia credimos; Judex noster sit Deus nunc & in futuro judicio. „ Haoc fidei expositionem callide conscriptam esse nemo ooo vider, omissa voce, Consubstanrialis: nullam quidem exprimit hæresim, sed eam in suum sensum facile trahere poterant Ariani, negando Dei Filium esse verum Deum, qui Patri sit coæternus; licet sit aote omnia sæcula, scilicet ante mundum ab ipso conditum.

Sozom. l. 2. c. 27. *Arium recipiunt plures Episcopi.*

Imperator Arium & Euzojum idem cum episcopis, qui Nicæam convenerant, sentire arbitratus, maximam ex ea re cepit voluptatem; neque tamen id sibi arrogavit, ut eos ipse in commuoionem susciperet ante examen ac judicium Episcoporum, quorum id jus Pontificiumque erat juxta Ecclesiæ legem. Eos igitur mittit ad Episcopos, qui tum Jerosolymis erant congregati, Basilicæque Salvatoris seu Resurrectionis encœnia celebrabant; scribitqoe ut fidem ab illis expositam examinarent, & benignam de illis sententiam ferrent; sive recte sentiee, & per invidiam oppressi fuisse viderentue: sive nihil habentes, quod de prolato in se judicio conquererentur, resipuissent. Itaque occasionem nacti hi, qui jam pridem ista machinabentur, prætextu Imperatoris literarum, in commuoionem eos susceperunt. Quo facto, literas scripsere, tum ad ipsum Imperatorem, tum ad Alexaodrinam Ecclesiam, & ad omoes Episcopos & Clericos per Ægyptum, hortantes ut libentibus animis illos reciperent, cum & Imperator rectam esse illorum fidem testatus fuisset; quam quidem epistolæ suæ subjeceruot, & universa Synodus judicium Imperatoris comprobasset.

Socrat. l. 1. c. 14. Sozom. l. 2. c. 16. *Eusebius & Theognis jus & factum distinguunt.*

XXV. Eusebius Nicomediensis, & Theognis, his auditis, ad eosdem Episcopos mittunt sequentem libellum supplicem: " Nos a pietate vestra dudum indicta caosa condemnati, judicium sanctitatis vestræ placide & cum silentio ferre debuimus: sed quoniam absurdum est, argumentum calumniæ adversus semetipsum silentio suo præbere, idcirco significamus vobis, oos & in fide unanimes coospirasse, & notione Coosobstantialis diligenter examinata, omni studio in pacem incubuisse, nullam unquam hæresim secutos. Comque ob securitatem & tranquillitatem Ecclesiarum ea suggessissemus quæ nobis in mentem veniebent, & eos, quibus a nobis satisfieri oportebat, confirmassemus, fidei quidem subscripsisse, anathematismo vero noluisse subscribere; non quod fidem reprehenderemus, sed quia minime eredebamus, illum, qui accusatus fuerat, scilicet Arium, ejusmodi esse; com partim ex iis quæ ad nos pec literas scripserat, partim ex ejus sermonibus in conspectu nostro habitis compertum haberemus illum talem non esse. Qood si sanctissimo Concilio vestro satisfactum est, non repugnantes, sed consentientes iis, quæ a vobis decreta sunt, etiam hoc libello consensum confirmamus, non quidem tædio exilii, sed ut suspicioonem vitemus hæreseos. Nam, si in conspectum vestrum nos venire patimini, invenietis nos in omnibus concordes, & decretis vestris mordicus inhærentes, quando & eum ipsum, qui ob ista accusabatur, placoit Reverenriæ Vestræ humaniter tractare, & ab exilio revocare. Vos ergo, sicut Reverentiam Vestram Christi amaotissimam decet, Imperatorem Deo carissimum admonere dignemini, eique preces nostras offerre, & in nostra causa ea, quæ vobis coogruunt, mature decernere. „ Subscriptionem suam cum distinctiooe juris & facti certo norant fore gratissimam Episcopis, qui cum Ario sentiebant. Reipsa supplicum precibus annuerunt, Imperatoremque permoverunt, ut expulsis pœnam condonaret. Sic post triennium ab exilio revocantur; Eusebiusque Nicomedieosis, pulso Amphione qui io ejus locum fuerat ordinatus, & Theognius Nicænus, ejecto similiter Chresto, sedes suas recuperarunt. Quibusdam receotioribus placet in dubium revocara hunc Eusebii & Theogoii libellum, quem Socrates & Sozomeous referunt, quibus suffragatue Philostorgius Arianus.

Philostorg. l. 2. c. 9.

XXVI. Athanasius vero Arium recipere noluit, prohibuitque ingredi Alexandriam. Quapropter Eusebius Arianæ hæreseos Patronus mittit ad Meletianus, quos magnis sibi pollicitatiooibus devincit, initaque cum illis clanculum amicitia, negotium sibi constituit, opportuno tempore gerendum. Principio quidem missis ad Athaoasium literis cohortabatur ut reciperet Arium, ita tamen, ut verbis minaretur, scripto rogaret: sed cum ille noo cederet, responderetque non esse suscipiendos hæreseos inveotores ac veritati infensos homines, anathemateque damoatos ab œcumenica Synodo, Constaotino persuasit ut ei rescriberet, exiliumque comminaretur, oi reciperet Arianos. Imperatoris epistolam attulerunt Palatioi Syncletius & Gaudentius. Hæc in ea præcipua suot: " Cum igitue voluntatem meam compertam habeas, omnibus, qui in Ecclesiam admitti expetunt, absque impedimento ingressum præbeto. Si quos autem Ecclesiæ sociari cupientes te prohibuisse, aut illis aditum interclusisse didicero, mittam quamprimum qui te jussu meo abdicet, & e sedibus transferat tuis. „

Athan. Apol. adv. Arian. nov. edit. pag. 178. & seq. Vet. ed. pag. 778. *Athanasius rejicit Arium.*

Athanasius Imperatoris minis non cessit; imo rescripsit, nullam esse debere hæresi Christo adversanti cum Catholica Ecelesia communionem. Eusebius tempus, quod cum Meletianis constituerat, obvenisse ratus, ipsis mandat ut scelera de Athanasio ubique locorum spargerent: sed eum plurima captantibus nihil reperiretur, Eusebii consilio priorem, Isioois, Eudemonis, & Galliniei Meletianorum Episeoporum opera, confinguot criminationem de vestibus lineis, quasi Athaoasius Ægyptios ejusmodi vestes Alesaodrinæ Ecclesiæ pendere jussisset; sed eam Alypius & Macarius Presbyteri Alexandrini, qui tum forte Nicomediæ versabaotur, statim restrinxere, Imperatorem doceotes falsa esse quæ contra Athanasium dicereotur. Quamobrem Constantinus accusatores pec literas reprehendit, Athanasium vero ad se veoire præcepit: Cumque adveoisset, Macarium denuo de confracto calice insimulaot, Athaoasioque omnium gravissimam imponunt calumniam, quasi adversus Priocipem conspirans, loculum auro plenum misisset cuidam Philumeno. Sed cum Impecator ipse de hoc erimine cognovisset Psamathiæ, quod est suburbium Nicomediæ, iooocentemque Athanasium comperisset, honorifice eum dimisit, datis ad Alexaodrioorum Ecclesiam literis, quibus testabatur ipsorum Episcopum falso in crimen vocatum esse; authoresque dissensionis graviter redarguit. In his hæc notatu dignissima sunt. " Ego Athanasium vestrum Episcopum excepi perhumaniter, eumque sic sum allocutus, ut qui illum hominem Dei esse persuasum haberem. Vestrum hæc intelligere, nec meum est ea de re ferre judicium. Mcam autem salutationem ut ipse Revecendissimus Athanasius vobis renuotiaret, consentaneum duxi; æquitatis illius sedulitatem animo perpendens, quæ modo pacificæ Fidei meæ non indigno, in salutaris doctrinæ bono semper cootinetur, quæque ad vos de officio admonendos erit comparata. Deus vos conservet, dilecti Fratres. „ His ita gestis, aliquanto tempore quievere Meletiani.

Ibid. *Athanasium calumniantur Meletiani.* *Socrat. l. 1. c. 27. Athan. ib. pag. seq.* *Athanasium innocentem declarat Constant.*

CHRISTI AN. 328.

Socrat. l. 3. c. 23. Sozom. l. 2. c. 18. *Ariani quæstionem juris de Trinitate instaurant.* Greg. Naz. orat. 35. Athan. ad solit. nov. edit. pag. 346. vet. 812.

XXVII. In quæstione facti dum se causam obtinuisse putant Ariani, redeunt ad Juris quæstionem. Sabellii ac Montani discipulorum dogma ab iis, qui vocem Consubstantialis tuebantur, induci criminabantur, atque idcirco impios illos vocabant, utpote qui Filii Dei existentiam tollerent. Contra, qui Consubstantialis vocem tuebantur, cum multorum deorum cultum adversarios introducere censerent, eos tanquam superstitionem Gentilium invehentes aversabantur. In his porro altercationibus præcipue se exercuerunt Eusebius Pamphili, & Eustathius Antiochenus. Uterque quidem fatebatur Filium Dei propriam habere subsistentiam; sed Ariani, dum Dei monarchiam cum ejus œconomia, seu Unitatem Dei cum Trinitate Personarum conciliare tentant, Trinitatis larvam efformant, constantem tribus Personis inæqualibus. Concedentibusque Catholicis, ut observat Gregorius Nazianzenus, Patrem esse majorem qualitate principii, continuo colligebant Ariani esse natura majorem; quod non satis intellexerunt Socrates, & Sozomenus. Hinc Eustathius confessor ac fide pius, cum veritatem summo studio tueretur, effetque Arianæ hæresi infensissimus, ejusque sectatores non admitteret, Eusebium insimulabat, quod ea, quæ Nicææ decreta fuerant, innovaret. Eusebius vero ea quidem se approbare dicebat, sed Eustathio opinionem exprobrabat Sabellii. Eustathius non tantum Eusebium Pamphili, sed Paulinum Tyri, & Patrophilum Scytopoles Episcopum, quorum sententiam omnes Orientis Episcopi, seu Orientalis Diœcesis sectabantur, tanquam Arianos aversabatur, & palam accusabat.

Theod. hist. l. 1, cap. 21.

XXVIII. Eusebius Nicomediensis cum Imperatorem adiret de proximo, & ex crebrioribus cum eodem colloquiis fiduciam sumpsisset, adversus veritatis propugnatores insidias machinatus est. Ac primum quidem desiderio visendi Hierosolymam flagrare se simulans, Imperatore hac ratione decepto, tanquam ad celeberrimum fabricæ illius opus spectandum, maximo cum honore illic profectus est, cum Imperator vehicula, & reliquum apparatum ei subministrasset. Profectus est una cum illo Theognius Episcopus Nicææ, pessimorum ejus consiliorum socius, & particeps; qui cum Antiochiam venissent, amicitiæ speciem præferentes, summo cultu atque honore excepti sunt. Veritatis enim defensor, magnus ille Eustathius omnem illis fraternam charitatem exhibuit. Inde cum ad sacra loca pervenissent, & eos, qui idem cum ipsis sentiebant vidissent, Eusebium videlicet Cæsariensem, Patrophilum Scytopolitanum, Ætium Lyddæ, Theodotum Laodiceæ, & alios Ariana labe contaminatos, consilium suum eis aperiunt, & una cum illis Antiochiam contendunt, conductaque muliercula, quæ ex corporis sui pulchritudine quæstum faciebat, cum ipsi persuasissent, ut linguæ suæ ministerium ipsis locaret, ad Concilium conveniunt.

Eustathius per fraudem dejicitur.

Ibid.

Deinde omnibus aliis exire jussis, miseram illam mulierem introducunt. Illa infantem uberibus suis admotum ostendens, illum ex Eustathii concubitu concepisse se dicit: Eustathius, qui hanc calumniam adversus se concinnatam esse evidentissime sciret, mulierem, si quem haberet hujus facinoris conscium, in medium proferre jubet; cumque illa neminem objecti criminis testem habere se diceret, Judices jusjurandum ei detulerunt; idque quamvis lex diserta clamet: ea quæ dicuntur, duorum aut trium testimonio confirmare oportere; & Apostolus aperte pronuntiet, ne quidem contra presbyterum admittendam esse accusationem absque duobus aut tribus testibus. Verum isti contemptis divinis Legibus, contra tantum virum accusationem sine ullo teste admiserunt. Itaque cum mulier dicta sua addito juramento confirmasset, clamans infantem revera Eustathii esse, statim Judices tanquam adversus adulterum sententiam tulerunt, & deposuere tanquam Sabelliano dogmati faventem. Solebant enim probris onerare quos deponebant; sed impietatis causas non exponebant.

Deut. 14.

1. Tim. 5.

Sozom. l. 2. c. 19.

Sed cum alii Episcopi aperte contradicerent, vetarentque ne Eustathius huic sententiæ acquiesceret, ingensque seditio ob ejus depositionem esset excitata Antiochiæ, adeo ut parum abfuerit, quin plebs arma corriperet, totaque civitas in gravissimum discrimen adduceretur, quod Eustathio præcipue nocuit apud Imperatorem, qui eum seditionis authorem fuisse suspicatus est; Eusebius Nicomediensis, & Theognis statim perrexerunt ad Imperatorem, ut illi persuaderent verum esse illud crimen, & æquam esse depositionis sententiam. Alii vero, qui erant Antiochiæ congregati, cum apud se reputassent, si ex opinionis suæ sectatoribus aliquem Imperatori probe cognitum, & eloquentiæ, & doctrinæ laude florentem Antiochenæ Sedi præficerent, reliquos deinceps facile sibi assensuros esse. Quapropter datis ad Imperatorem literis proposuerunt Eusebium Cæsariensem, significantes id plebi esse gratissimum. Hoc enim postulaverant quotquot tum ex Clero, tum ex plebe infensi erant Eustathio. Verum Eusebius sedem illam recusavit. Imperator detrectationem ejus laudans, lege enim ecclesiastica vetitum erat, ne is qui unius Ecclesiæ Episcopus jam fuerat constitutus, ad alium Episcopatum transiret, scripsit ad Eusebium, & consilium ejus probavit. Scripsit etiam ad plebem Antiochensis Ecclesiæ de concordia, & quod alterius urbis Episcopus appetendus non esset. Strategiumque comitem misit, atque in mandatis dedit, ut plebi metum incuteret, & sine tumultu ac detrimento seditionem comprimeret. Privatim scripsit ad Synodum, Eusebium laudans, quod hunc Episcopatum recusasset. Deinde subjungit: " Relatum est ad Nos Euphronium presbyterum civem Cæsareæ, quæ est in Cappadocia, & Georgium Arethusiorum civem, & presbyterum, quem Alexander ad hunc ordinem in urbe Alexandrina promovit, viros esse in doctrina fidei probatissimos: Placuit itaque significare prudentiæ vestræ, ut hos viros, & alios, quos ad Episcopatum idoneos judicaveritis, in medium proferentes, ea decernatis quæ Apostolorum traditioni consentiunt. " Manifestum est Constantinum Arianorum artibus, & calumniis fuisse circumventum; ambo enim erant Ariani.

CHRISTI AN. 328.

Eus. vit. Const. l. 3. c. 60. 61. 62.

Ariani invadunt sedem Antioch. Eus. in lib. adv. Marcel. cap. 4. Sozom. ibid. Athan. ad Solit. ut sup. Eus. ibid. cap. 63. Hier. script. Eccl. Martyr. Rom. 26. Jul. Theod. l. 5. c. 22.

Acceptis Imperatoris literis, Paulinum Tyri Episcopum Antiochiam transtulerunt, cui post sex menses mortuo substitutus est Eulalius, qui vix aliquot menses sedit. Denique Euphronium Antiochenis Ecclesiæ Episcopum ordinarunt; cui post annum & paucos menses mortuo suffectus est Flacillus. Hi omnes Ariani vastarunt hanc Ecclesiam. Eustathius cum multa Presbyterorum Diaconorumque turma extorris factus est. Proficiscitur ad Imperatorem, apud quem etiam insimulatur, quod matri ejus contumeliam fecisset, & seditionis esset author. Itaque nihil obtinuit, sed pulsus in exilium Trajanopolim Thraciarum, ibique postea conditus est. Calumniam illam moderate tulit, satius id esse arbitratus, vir tum in aliis rebus egregius, tum eloquentiæ, tum sanctitatis causa merito admirandus. Adversus Arianorum dogma multa scripsit, & de anima, & engastrimytho adversus Originem. Ex eo testimonia laudat Theodoretus in suis dialogis, ostendens quomodo de Domini Incarnatione docuerit. Ejus nomen in Sanctorum catalogum relatum est. Antiochiæ multi tum ex Clericis, tum ex plebe, quibus religio cordi erat, conventus ecclesiasticos declinantes, seorsum collectas agebant, qui vulgo ab omnibus dicebantur Eustathiani. Cæterum misera muliercula, quæ eum accusarat, cum in gravissimum morbum incidisset, insidias detexit, & scenam omnem aperuit plurimis sacerdotibus; fassa est enim se mercede conductam Eustathio eam calumniam imponere ansam fuisse; nec tamen prorsus falsum esse jusjurandum suum, Eustathium enim quemdam fabrum ærarium infantis patrem fuisse.

Arianorum calumnia detegitur. Athan. ad Sol. supr.

XXIX. Arianis crevit audacia. Eutropius Adrianopolitanus Episcopus, vir bonus, ac ex omni parte perfectus, quod pluries Eusebium coarguisset, & illac transeuntibus author fuisset, ne impiis Eusebii verbis obtemperarent, civitate Ecclesiaque sua pellitur. Basilina enim Julii Constantii uxor, & mater Juliani, contra illum summopere urgebat, Eusebio Nicomediensi propter affinitatem favens. Asclepas Gazæ pariter depositus est, aliosque impios in eorum Ecclesiis constituere, eosque præ cæteris, quos impietatis causa in Clerum non admiserat Eustathius, non solum in Ecclesiam introduxere, sed plerosque ex illis ordinarunt Episcopos, ex quorum numero est Leontius castratus, & Stephanus, ambo postea Antiochiæ Episcopi, Georgius Laodiceæ, Tripoli Theodosius, Eudo-

Ariani Episcopi.

CHRISTI AN. 330.

Eudoxius Germanicæ, Sebastes Eustathius, ut eos suæ pro impietate conjurationis socios haberent. Hoc exultans successu animisque Eusebius Nicomediensis, majora molitur, occultisque artibus Athanasium fidei propugnatorem de solio deturbare conatur, quæ maxima fuit ejus cura, ex quo ad Episcopatum rediit. Quibus fraudibus destinatum scelus perfecerit, narrantem ipsum audiamus Athanasium.

Epiph. hær. 64.

XXX. Meletiani denuo concitantur: Ischiras quidam non Clericus, sed & moribus improbus, in Mareotide sui pagi incolas in errorem impellere conabatur, dum sese jactitaret esse Clericum. Locorum presbyter Athanasio Ecclesias perlustranti rem denuntiat, qui Macarium Presbyterum una cum illo misit ad Ischiram accersendum: hunc ægrum in cubiculo decumbentem cum reperissent, patri ejus injunxere, ut filium a tali facinore prohiberet. Ille morbo levatus confugit ad Meletianos, qui inita cum Eusebianis societate, hanc una omnes confinxere criminationem, calicem confregisse Macarium. Arsenium Meletianæ factionis Episcopum occultarunt, ut qui nusquam compareret, crederetur interfectus. Truncam item manum circumferebant, quasi is fuisset membratim concisus. Ischiras non multo post a suis objurgatus ad Athanasium collacrymans accessit, nihil tale inquiens a Macario commissum, quale illi pervulgarant, sed se subornatum a Meletianis fuisse, & verberibus coactum ad illam criminationem comminiscendam; idque etiam scripto testatus est.

Athan. Apol. adv. Ari. nov.edit. pag.181. vet. 781. *Meletianorum novæ calumniæ adversus Athanas. deteguntur.*

Hoc ubi rescriptum dedisset Ischiras, nihilo tamen minus eam denuo ubique pervulgant criminationem, unaque cum cæde Arsenii deferunt ad Imperatorem, qui literas Antiochiam ad fratrem suum Dalmatium Censorem misit, eique homicidii causam audiendam committebat. Censor scripto significavit Athanasio, ut se compararet ad eam depellendam criminationem. Illius acceptis literis Athanasius, qui initio nihil curarat hanc accusationem, suæ sibi conscius innocentiæ scripsit ad Ægypti Episcopos, Diaconumque misit, ut certior fieret de Arsenio, quem a quinque vel sex annis non viderat. Compertum est eum latere in monasterio Ptemencyrcos. Illius loci Superior Pinnes Presbyter in literis suis rem totam sic significabat Joanni Arcaph hujus tragœdiæ authori: "Scire te volo, Athanasium in Thebaidem Diaconum misisse suum, qui omnia Arsenii conquerendi causa scrutaretur. Ii vero, quos primum offendit, Pecypius Presbyter, Sylvanus Heliæ frater, Tapenacerameus & Paulus Hypseles monachus apud nos Arsenium esse confessi sunt; nos autem re comperta, illum in naviculam conjici curavimus, ut ad inferiores partes una cum Helia monacho aveheretur. Post hæc Diaconus cum quibusdam reversus, derepente in monasterium nostrum quærendi Arsenii causa se immisit; quem quia in inferiores partes transmiseram, nequaquam invenit; me autem cum Helia monacho, qui illum secum assumpserat, Alexandriam deportatum duci obtulere. Ibi cum nulla negandi esset facultas, confessus sum illum vivere, ac minime fuisse peremptum; quod item confessus est monachus, qui Arsenium avehendum susceperat. Hæc te monitum volui, ne Athanasium accusare aggrediaris; dixi enim illum vivere, & apud nos delituisse. Res tota in Ægypto percrebuit, ut ne ultra celari queat." Hanc quoque epistolam intercepit Athanasius.

Athan. ib. p. seq.

Arsenius profectus Tyrum clam eo advenit. Forte accidit ut famuli Archelai consularis in taberna quosdam audirent dicentes: Arsenium, qui occisus esse diceretur, in ædibus cujusdam civis delitescere. His auditis, cum eos, qui illa dixerant, notassent, rem omnem ad Dominum referunt. Ille e vestigio nihil cunctatus, hominem perquirit atque invenit, inventumque sub diligenti custodia servari jubet. Post hæc Athanasio significat ut bono animo sit; Arsenium enim incolumem præsto esse. Comprehensus porro Arsenius, initio quidem negabat se Arsenium esse, donec in jus vocatus, a Paulo tunc Tyri Episcopo, qui jam dudum eum noverat, convinceretur. Athanasius Imperatori literis indicavit repertum esse Arsenium, in memoriamque revocavit quæ de Macario Presbytero ipse Psammathiæ audiisset. Judicio ille Censoris inhibito, literas misit, quibus damnata Meletianorum sycophantia, Eusebium Nicomediensem, & asseclas in Orientem, ut Athanasii damnationem promoverent, properantes retrogredi jussit. Honorifice vero scripsit ad Athanasium, execratusque Meletianorum impudentem malitiam & calumnias, sic concludit: "Postremo illud quoque adjiciendum, velle nos plerumque a tua prudentia hæc palam legi, ut hinc notum sit omnibus, ac potissimum hujusmodi facinorum motuumque authoribus, quæ nos ad æquitatis normam eloquimur, ab ipsa veritate declarari. Tanta ergo cum sit in hoc negotio indignitas, certo sciant me ita judicasse, & hujus esse sententiæ: si quid hujusmodi ultra moverint, non juxta ecclesiasticas, sed secundum publicas leges, meipsum meamet opera causam auditurum, quo futurum est, ut deprehendam eos non solum generis humani, sed divinæ quoque doctrinæ deprædatores esse."

Socrat. l. 1. c. 29.

Athan. Ibid.

CHRISTI AN. 330.

Athanasium absolvit Constant.

XXXI. Meletiani, ut placarent Imperatorem, quem noverant pacis studiosissimum, humiles ad Athanasium dedere literas, quibus se ei subjicientes, ejus communionem deprecabantur. Arsenius civitatis Hypselitarum Episcopus sui & Cleri nomine sic scripsit. "Nos quoque pacem amplectentes societatemque cum Catholica Ecclesia, cui tu, Dei gratia, præfectus es, exoptantesque ecclesiastico canoni juxta veterem formam subjici, literas tibi, dilecte Pater, mittimus, pollicemurque in nomine Domini, nos deinceps minime communicaturos cum iis qui sunt etiamnum schismatici, & qui nondum cum Ecclesia Catholica pacem habent, sive Episcopis, sive Presbyteris vel Diaconis, neque cum illis consensuros, si quidpiam velint in Synodo statuere, neque pacis literas vel missuros vel accepturos ab illis, nec rursum citra tuam Metropolitani Episcopi sententiam decretum ullum edicturos; vel Episcopos spectans, vel dogma quodpiam commune ecclesiasticum, sed cessuros omnibus ante statutis canonibus." Ex his tria clarescunt: primo Patriarchas tunc dictos fuisse Metropolitanos; secundo Episcoporum judicium fuisse reservatum Patriarchis, vel Exarchis, vel Primatibus, qui dicebantur Metropolitani. Hinc Patres Africani in sua ad Cœlestinum Papam epistola, decreta Nicæna, inquiunt, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Episcopus quidem de certis criminibus accusatus condemnabatur ab omnibus Episcopis Provinciæ, sed non citra Metropolitani sententiam. Tertio ejusdem Metropolitani judicium fuisse pariter necessarium, ut dogma commune statueretur. Joannes Meletianorum Coryphæus iisdem legibus cum Athanasio rediit in concordiam. Imperator hæc adeo gratanter accepit, ut Joanni Meletianorum primario Episcopo datis literis permiserit, ut eum conscenso publico vehiculo ad exercitum conveniret, palam ipsi gratulaturus. Hic ille fuit hujus conspirationis exitus: quo peracto, quievere Meletiani.

Athan. ib. p. seq. *Meletiani se cum Athanasio ficte reconciliant.*

Concil. Antioch. can. 15.

XXXII. Constantinus Byzantium, quod magnificentissimis ecclesiis & ædificiis spoliisque Gentilitatis exornarat, hoc anno Christi trecentesimo trigesimo dedicavit, Constantinopolimque ex suo nomine dici lege præcepit, statuamque suam ex ære factam in medio foro posuit supra columnam Porphyriticam; manu dextera continebat ingens malum aureum, cui veneranda Crux affigebatur cum hac inscriptione: Tibi, Christe Deus, urbem hanc commendo. Præcipua ejus cura fuit religio; urbem hanc omni idolorum cultu usque adeo vacuam esse voluit, ut nusquam in illa falsorum numinum simulacra in templis colerentur, nec aræ quidem victimarum cruore contaminatæ, nec hostiæ igne consumptæ cernerentur, nec dæmonum festivitates, nec quidquam eorum, quæ apud superstitiosos vulgata sunt, ibidem ageretur: vidisses igitur in fontibus, qui sunt in medio foro, boni Pastoris imagines, divinorum oraculorum peritis notissimas, Danielis item effigiem una cum leonibus ære expressam, & auri bracteis refulgentem; sed & in eminentissimo totius palatii cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expansa est, signum Dominicæ Passionis ex auro pretiosisque lapidibus elaboratum infixit tanquam præsidium Imperii ac tutelam.

Niceph. l. 7. c. 4. *Constantinopolim dedicat Constant. abolito in ea omni cultu Gentilium.* Eus. vit. Const. l. 3. c. 48. & 49.

CHRISTI AN. 330.
Athan. ib. p. seq.

XXXIII. Publicam lætitiam excepit ingens clades Ecclesiæ. Ariani concitatis iterum Meletianis, Athanasium accusant apud Imperatorem, vociferantes eum multa infanda perpetrasse, ac ne simplici quidem auditu ferenda; persuadentque Principi, ut Cæsareæ in Palæstina Synodum cogat, ubi plures erant infensi Athanasio, ibique causam illius jubeat judicari. Imperator illis fidem habens ut Sacerdotibus, fraudulenta enim eorum consilia penitus ignorabat, id fieri præcepit. Ad hanc Synodum vocatur Athanasius; non paruit, utriusque Eusebii, aliorumque, qui cum illis erant, fraudulentiam veritus. Et quamvis venire compelleretur, triginta circiter mensium spatio profectionem suam distulit,

Anton. vit. apud Athan. num. 69. *Antonius publice damnat Arianos*

Circa idem tempus cum mentientes Ariani dicerent secum sentire Antonium, ille rem indigne ferens, hortantibus Episcopis & Fratribus, descendit de monte, atque ingressus Alexandriam, Arianos publico sermone condemnavit: aiens postremam omnium esse eam hæresim & Anti-Christi prodromum, docebatque populum, Filium Dei non esse creaturam, neque ex non extantibus factum esse, sed æternum esse Patris substantiæ Verbum & Sapientiam. Quare, inquit, nullam cum impiis Arianis habete communionem; Vos quippe pie sentientes Christiani estis. Illi autem cum dicant eum, qui ex Patre est, Filium Dei & Verbum esse creaturam, nihil differunt ab ethnicis, qui creaturæ potius serviunt, quam Creatori Deo ...... Lætabatur populus omnis audiens a tanto viro anathemate damnatam inimicam Christo hæresim, eiusque omnes Antonii videndi desiderio accurrebant. Gentiles ipsi, imo eorum Sacerdotes ad Dominicum accedentes ajebant: Rogamus, ut hominem Dei videre nobis liceat, omnes quippe ita eum appellabant. Multos ejus opera mundavit Dominus a dæmonibus, alios mente captos liberavit ...... Ex illis certe tot, paucis his diebus, Christiani effecti sunt, quot alias per annum visi fuerint. Proficiscentem cum honoris causa comitaretur Athanasius, ut ad portam pervenerunt, retro mulier clamabat: Exspecta, homo Dei, filia mea graviter a dæmone vexatur: Exspecta, obsecro, ne & ego currens inteream. His senex auditis, Athanasio rogante libens substitit. Ut appropinquavit mulier, puella humi jactata est. Antonio autem precante, atque Christum nominante, puella, egresso impuro spiritu, sana surrexit. Tum mater Deo benedixit, cunctique gratias egere. Gaudebat ille, dum in montem quasi in propriam sibi domum remigraret.

Athanasium apud Constantinum accusant Ariani. Pseudo-Synodus Tyriensis. Eus. vit. Const. l. 4. c. 41. & 42.

XXXIV. Ariani, supra modum exacerbati, Principis indignationem tanquam ministram ad propositi sui assecutionem assumunt. Præter alia crimina, tyrannidis etiam & contumaciæ coram Imperatore eum insimulant, quod ad Synodum venire jussus refragaretur. Constantinus aliquando mollior adversus hæreticos, hic nimis credulus tot calumniarum architectis, Tyrum transfert Synodum, & scripsit ad Athanasium iram suam satis prodens, atque ut Tyrum pergeret, mandavit. Satagebat Imperator ut rursus quamplurimos Episcopos cogeret, tum ad dirimendam controversiam, tum ad dedicationem Basilicæ martyrii seu passionis, quam in monte Calvariæ magnificentissime consecraverat; sed Episcopos convocavit ex arbitrio Eusebianorum, quibus dedit militare præsidium, simulque misit comitem Dionysium Consularem Phœnices, cujus metropolis est Tyrus. Hæc constant ex ipsiusmet Imperatoris literis ad Synodum. " Cuncta, inquit, quæ literis vestris significastis, a me impleta sunt. Scripsi ad quos voluistis Episcopos, ut venientes communi vobiscum cura ac sollicitudine fungerentur. Misi etiam Dionysium ex Consulari, qui & Episcopos illos, qui vobiscum adesse debent, commoneat, & omnium quæ gerentur, maxime vero modestiæ, inspector sit. Si quis vero, quod minime arbitramur, præceptum nostrum etiamnum violare præsumens adesse renuerit, mittetur quam primum a nobis aliquis, qui Imperiali authoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minime esse repugnandum. Quod superest, vestræ sanctitatis erit providere, ut nec odio, nec gratia, sed juxta ecclesiasticas & apostolicas regulas delictis & iis, quæ per errorem contigerunt, conveniens remedium exquiratis. ,,

CHRISTI AN. 335.
Athan. Apol. adv. Ari. nov. edit. pag. 131. vet. 728.

XXXV. Sexaginta Episcopi ex variis Provinciis Tyrum convenere, mense Majo, anni trecentesimi trigesimi quinti: eorum plerique erant Ariani; notissimi sunt uterque Eusebius, Flacillus Antiochenus, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theodorus Heracleæ, qui elegantis apertique sermonis & magis historicæ intelligentiæ edidit commentarios in Matthæum & in Joannem, & in Apostolum, & in Psalterium; Ursacius a Singiduno, Valens a Mursa, Macedonius Mopsuestenos, Georgius Laodicenus. Athanasius licet invitus istuc cum 49. Episcopis Ægyptiis se contulit. Macarius vero ejus Presbyter vinctus sub militum custodia adducitur. Aderant alii Catholici Episcopi, quorum præcipui sunt Maximus Hierosolymitanus, qui Macario successerat, Alexander Thessalonicensis. Synodus celebrata est ipsis Imperatoris tricennalibus. Speculator aderat, & Commentariis vice Diaconorum Ecclesiæ in eam introducebat Episcopos.

Epiph. hær. 68. num. 7. *Eusebius Cæsar. in persecutione prævaricator,*

Potamon, Heracleæ in Ægypto Episcopus & Confessor, Eusebium Cæsariensem sedentem & judicantem, stantem vero Athanasium conspicatus, dolore confectus & illacrymans, magna voce adversus Eusebium invectus est. Tene, inquit, Eusebi, sedere, & innocentem Athanasium a te judicari? Quis ista sustinere possit? Dic, sodes, nonne mecum persecutionis tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi, tu nulla corporis parte mutilatus es, sed vivus integerque consistis. Quanam ratione e custodia evolasti, nisi quod persecutoribus nostris nefarium facinus admissurum te esse recepisti, vel etiam admisisti? Hæc Eusebius audiens magnopere doluit, & repente surgens Concilium dimisit sic locutus: si huc accedentes tantopere nobis contradicere audetis, verum est profecto quod vestri accusatores objiciunt. Nam cum in huc loco tyrannidem quamdam exerceatis, multo magis in patria vestra facitis. Paphnutius etiam Confessor, cum vidisset Maximum Hierosolymitanum Episcopum, qui una

Rufin. l. 1. c. 7. *Maximus Hierosol. exit e Synodo.*

secum effosso oculo & poplite succiso Confessor extiterat; verum præ nimia simplicitate nihil de Sacerdotum scelere suspicantem consedisse cum aliis, quos factionis macula sociaverat, medium consessum adire non veritus, te, inquit, Maxime, cum quo mihi unum atque idem confessionis insigne est, ... te, inquam, non patiar sedere in Concilio malignantium. Injectaque manu elevans de medio eorum, ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione sociavit. Athanasius aliique Ægyptii utrumque Eusebium eorumque socios supra memoratos in ea causa Judices recusarunt, omnibus enim notum erat eos apertos Athanasii esse inimicos; eorum exceptionis nullam habuere rationem Eusebiani.

Sozom. l. 2. c. 25. & 27. *Meletianorum criminationes adversus Athanasium.*

XXXVI. Meletiani & Ariani insidias inter se dividunt, ita ut illi accusandi, hi judicandi partes sibi vindicent. Et primo quidem objectabant, quod quorumdam perjurio ad Episcopatum pervenisset, ut dictum est superius, atque confutatum ..... Callinicus & alii quinque Episcopi partis Joannis eum rursus accusant, quod mysticum poculum confregisset, Episcopalem cathedram subvertisset, sacros codices igni tradidisset, quodque Ischirionem Presbyterum sæpenumero in vinculis detinuisset, eumque calumniatus apud Hyginum Præfectum Ægypti, quod Imperatoris imagines saxis appeteret, in carcerem trudi fecisset. Illum vero Callinicum Ecclesiæ Catholicæ Episcopum apud Pelusium, qui cum Alexandro collectas celebraverat, deposuisset, eo quod communicare cum ipso recusaverat; & Marco cuidam, qui Presbyterii dignitate exutus fuerat, Ecclesiam Pelusii regendam commisisset. Callinicum vero militarem custodiam & tormenta & judicia subire fecisset. Eum demum omnes de verberibus illatis accusabant. Confracti poculi accusationem facile dissolvit Athanasius; Ischyram enim, quo cele-

Athan. Apol. 1. nov. edit. pag. 187. vet. pag. 726.

brante crimen admissum mentiebantur, nunquam fuisse sacerdotem constabat ex Breviario quod Alexandro dederat Meletius; qui nec illius, nec alterius Clerici suæ communionis in Mareote meminerat. Accusationem hanc esse falsam dato libello confessus erat Ischiras. Vicit igitur Dei gratia, Macariumque confracti calicis convincere non potuerunt.

XXXVII.

CHRISTI AN. 335.

Athan. ibid. & pag. seq. *Eusebianorum fraudes adv. Athanasiū.*

XXXVII. Eusebiani rem ægre ferentes, authores sunt Dionysio Comiti, qui ex eorum partibus stabat, ut quosdam in Mareotem mitteret sciscitaturos, si quid criminis adversus hunc presbyterum deprehenderent. Athanasius Ægyptiique Episcopi affirmabant supervacaneum esse in Mareotem proficisci, nec adversariis simulandum esse, quasi quæ a tribus annis meditati fuerant, nondum satis declarassent ...... Addebant, quod si legatione in Mareotem opus esset, ne saltem suspecti viri eo mitterentur. Suspectos quod attinet annuebat Dionysius. Eusebiani e contrario omnia egere; quos recusaverat Athanasius, clam convenientes delegant. Mittuntur igitur Diognius, Maris, Theodorus, Macedonius, Ursacius, & Valens. Meletiani, qui Tyri versabantur, quatuor diebus antequam decretum legationis conderetur, nonnullos e suis sub vesperam misere per duos veredarios, qui Meletianos ex Ægypto in Mareotem, ubi ne unus quidem eorum aderat, cogerent, ex aliisque locis Colluthianos & Ariomanitas convocarent, quos de calumniis adversus Athanasium proferendis ante instruerent: Eusebiani tum circumeuntes, a singulis Episcopis Tyri congregatis subscriptiones postulabant, ut omnium consensu res gesta videretur.

Ib. pag. 195.

Ib. pag. 194. *Ægyptiorum contestatio.*

Hæc cum comperissent Ægyptii Episcopi, de Eusebianorum fraudibus, calumniis, & violentia sic contestati sunt apud Patres Synodi: " Rogamus in Dei timore in mente suscepto improbantes, quod clam nobis, quos libuerit, miserint, non subscribatis, ne quæ illi inter se machinantur, hæc quasi a vobis gesta prædicent ...... Par erat, siquidem legati in Mareotem fuere mittendi, nos etiam interesse huic negotio, ut inimicos Ecclesiæ confutare, extraneosque indicare possemus, ac eo modo sincere causæ disquisitio haberetur. Scitis enim Eusebianos dolo usos epistolam tradidisse quasi a Colluthianis, Meletianis, & Arianis adversum nos scriptam. Palamque est illos, utpote Catholicæ Ecclesiæ hostes, nihil vere de nobis, sed omnia adversa deferre. Lex autem Dei inimicum vetat vel testem esse, vel Judicem. Reliquum est ut tanquam in die judicii rationem reddituri, hoc accepto testimonio, agnitaque conspiratione in nos conflata, quantumvis rogati, quidvis contra nos agere caveatis. " Protestationem alteram huic non absimilem obtulere comiti Dionysio: utrique subscripsere quadraginta novem Episcopi, quorum primus est Adamantius.

Ib.p.197. *Alexandri Thessal. epistola de conspiratione adver. Athanas.*

Eidem de hac conspiratione & juris perturbatione sic scripsit Alexander Thessalonicensis: " Aperte video contra Athanasium conflatam conspirationem: quos enim ille recusavit, hos omnes nescio quo consilio, illi re nobis non indicata, legarunt: tametsi decretum erat, ut in unum coacti deliberaremus, quinam essent eo mittendi? Consule igitur, & cave, ne quid temere fiat ...... Nosti Colluthianos Ecclesiæ hostes, Arianos item Meletianosque, qui omnes in eamdem convenere sententiam, ingentia posse mala perpetrare. Perpendas velim quid e re fuerit, ne nobis crimini detur, ut qui secundum justitiam non judicaverimus ...... " Eorum iniquitatem agnoscens Comes Dionysius sic scripsit Eusebianis: " Hæc ipsa erant, quæ nuper dicebam Domino meo Flacillo, Athanasius insurget, conquereturque, quod ii ipsi legati fuerint quos recusarat, dicetque se injuria affectum circumveniri. Hæc eadem Dominus animæ meæ Alexander per epistolam mihi suam indicavit ...... Cavete igitur ne quæ gesta sunt accusationi sint obnoxia. Existimo autem non levem fore culpandi nos occasionem, si Dominus meus Alexander rebus gestis non consentire videatur. "

Ibid.pag. 189.

Nihilominus legati proficiscuntur cum militari præsidio, acceptisque ad Præfectum Ægypti Philagrium literis; quodque admirandum est, Macario, qui accusabatur, militum custodiæ derelicto, accusatorem secum abducere.

Theod. l.1.c.30.

XXXVIII. Accusationes multæ interim Tyri struuntur Athanasio. Ac primo quidem introducta est quædam impuræ vitæ muliercula. Hæc impudenter vociferari cœpit, se quidem virginitatem Deo vovisse, Athanasium vero, quem hospitio exceperat, vim sibi intulisse, & invitam violasse. Præmonitus introducitur Athanasius cum Timotheo Presbytero, cumque Judices eum objecto crimini respondere jussissent, ipse quidem conticuit, perinde ac si non esset Athanasius. Timotheus vero, uti convenerat, mulierem alloquens: Ego enim tecum aliquando confabulatus sum mulier, aut in ædes tuas unquam ingressus? Tum illa multo impudentius clamare cœpit, contendens adversus Timotheum, & manum exerens, eumque digito demonstrans. Tu, inquit, virginitatem mihi eripuisti, simul tempus & locum addens, in quo compressa fuerat, non sine risu astantium, & pudore confusis iis, qui fabulam composuerant; erubescentibus quoque judicibus, qui conscii erant. Dimissa est mulier; Athanasius eam non dimittendam esse dixit, sed inquirendum, quis ista concinnasset. Illi vero clamarunt alia superesse crimina longe graviora; quæ nulla arte ac solertia dissolvi possent; prohibueruntque ne adeo turpis & ridicula accusatio gestis Synodalibus inscriberetur. Sed suspecta non paucis videtur hæc sycophantia, illius quippe non meminit Athanasius in sua Apologia, quamvis res ibi contra se gestas referat diligenter, atque confutet.

Sozom. hist. l. 2. cap. 25.

XXXIX. Athanasium tribus annis ante Tyrium Conciliabulum de cæde Arsenii accusarant Meletiani. Imperator autem jam diu eum vivere certis testibus compererat; Orientis enim Præfectus Arsenium viventem & Tyri latentem deprehenderat, quemadmodum constat ex laudato superius Athanasii testimonio. Verisimile igitur non videtur hanc accusationem iterum in Synodo esse ventilatam; probabiliusque puto Athanasium hanc falsam criminationem exprobrasse suis accusatoribus, qui, ut refert Sozomenus, ad defensionem suam satis esse existimarunt, quod dicerent Plusianum quemdam, unum ex Episcopis qui erant sub Athanasio, jussu ipsius incendisse domum Arsenii, ipsumque columnæ alligatum loris verberasse, & in cellulam inclusisse, Arsenium vero per fenestram aufugisse. Et quoniam perquirebatur, aliquamdiu delituisse; cumque nusquam compareret, non sine causa pro mortuo habitum esse.

Sozom. l.2.c.25.

XL. Hæc cum apud se reputaret Athanasius, metu percellebatur, simul etiam suspicabatur, ne insidiatores opportunitatem nacti, ipsum clam interficerent. Ii etiam, qui ex Imperatoris mandato ad servandam disciplinam Concilio intererant, veriti, ne, sicut in seditione fieri solet, cuncti facto in eum impetu manus violentas ei inferrent, clam ex judicio eum subduxerunt ...... Ille Tyro secedens Constantinopolim profectus est. Ægyptii vero Episcopi provocarunt ad Imperatorem, & scriptis ad Dionysium Comitem literis postularunt, ut ejus causæ cognitio Constantino reservaretur: nec tamen a cœptis destitere Ariani.

Ibid.

Athan. Apolog. pag.198.

Legati Tyrienses Alexandriam ingressi, assumptoque uno Philagrio Ægypti Præfecto apostata, ethnicisque militibus admissis, ad ea disquirenda, quæ ne Catechumenos quidem conspicere decuit, in Mareotem se contulere, atque illic soli pro sua libidine inquisitionem fecere cum Ischira, ipsumque domus ejusdem, mensæque consortem habuere, neque permisere ut Presbyteri illic interessent, licet id illi impense rogarent: ut submissos ab Ischira testes convincerent, quinam, & undenam essent. Sed coram ethnicis, de Ecclesia, de calice, de mensa, de sacris rebus inquisitionem fecerunt; &, quod iniquius est, ethnicos in testes advocarunt ...... Nec puduit ab Athanasio de medio sublatos dicere eos quorum cogebantur testimoniis uti. Ægypti Præfectus aderat cum militari manu, qui ecclesiasticos terreret, nec ullum de veritate ferri testimonium permitteret. Attamen ex ipsis adeo perversæ inquisitionis monumentis hæc tria constabant, nullos codices fuisse combustos: Ischiram in cellula ægrum decubuisse cum advenit Macarius, eamque diem non fuisse Dominicam, ac proinde tunc Ischiram non celebrasse sacram liturgiam, ac consequenter fractum non esse mysticum poculum.

Athan. Apol. adv. Ari. nov.edit. pag.135. & 189. vet. pag. 746. & 790.

Ibid.pag. 147.

XLI. Sed ne ista quidem latere potuerunt. Presbyteri enim urbis Alexandriæ & Mareotæ, animadversa illorum malignitate, ad hunc modum hæc contestati sunt. " Episcopis, qui Tyro venere, Presbyteri & Diaconi Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ sub Reverendissimo Episcopo Athanasio: Accedentes huc vos, accusatoremque vobiscum adducentes, consentaneum esset & Macarium adduxisse Presbyterum.

Ibid.pag. 189.

CHRISTI An. 335.

rum. Judicia quippe ex Scripturis sacris sic constituenda, ut accusator coram accusato sistatur ...... Rogavimus ut nobis saltem judicio interesse vestro licitum esset, quo præsentibus nobis tuta foret perquisitio, nobisque rei veritas innotesceret. Verum quia te nobis denegata, soli cum Præfecto Ægypti & cum accusatore rem arbitratu vestro gessistis, profitemur nos certam hoc in negotio male suspicandi causam cernere, animadvertereque ingressum vestrum, conspirationem & insidias duntaxat esse. Quapropter hanc vobis tradimus epistolam, in vera Synodo testimonio futuram, ut compertum sit omnibus, vos altera absente parte pro libidine rem gessisse, unumque vobis conflandæ in nos conspirationis fuisse propositum. Horum exemplaria, ne celaretis, Palladio quoque Augusti curioso tradidimus. „ Curiosi vero inquirebant de criminibus, reosque deferebant ad Imperatorem. Huic protestationi subscripsere Presbyteri sexdecim, & quinque Diaconi.

Ibid.

Mareotici Clerici, quibus explorati erant accusatoris mores, pari modo per suas literas contestati sunt apud Synodum. Ischiras, inquiunt, cum sese jam pridem jactitaret Colluthi esse Presbyterum, cognatis exceptis, ejus verbis nemo fidem adhibuit; sed tamen cum talem sibi titulum vendicasset, in Synodo Alexandriæ congregata præsente Patre nostro Hosio depositus, ad Laicorum communionem redactus est ...... Athanasium Mareotem perlustrantem omnes comitamur: neque enim solus unquam est ...., Quapropter nos ut ejus comites testamur, nec fractum poculum, nec mensam esse subversam, sed hæc omnia mentitum Ischiram, quod & ipse antea rescripto propria manu dato testatus est ...... Hæc quasi præsente Deo testificamur ...... Subscripsere quindecim Presbyteri, & totidem Diaconi. Iidem Philagrio, & Palladio ducenario Palatino Curioso, & Antonio commeatuum Præfecto simile dedere testimonium, adjurantes per omnipotentem Deum, ut Imperatori hujusce rei notitiam præbeant. Legati his neglectis Alexandriam reversi vexant Catholicos. Flagella honorabilibus corporibus apud Deum incussa, ita ut vi plagarum, pedibus claudicarent ...... flagitia adversus virgines commissa: ausi sunt ethnici ipsas nudare, verberare, petulanter adversus illas agere, idolorum aras ac sacrificia minitari, adeo ut petulans quidam vir, quasi potestatem a præfecto in gratiam Episcoporum accepisset, virginem manu arreptam ad altare pertraxerit, vim olim ad sacrificandum illatam imitatus. Inter hæc facinora virgines fugiebant, ethnici Ecclesiam irridebant. Cum interim Episcopi intus essent, & in illa ipsa domo, in qua hæc perpetrabantur, habitarent. Et hæc illæ jejunii tempore, ab iis qui cum Episcopis epulabantur, sunt perpessæ.

Athan. Apolog. adv. Ari. nov.edit. pag. 136. vet. 734.

Socrat. l. 1. c. 32. Sozom. l. 2. c. 25. *Synodi Tyr. sententia adv. Athanas.*

XLII. Athanasio nihil sua profuit innocentia: postquam acta in Mareote confecta Tyrum delata sunt, depositionis sententiam adversus eum tulit Synodus, interdixitque ei ne posthac Alexandriæ habitaret, ne forte tumultus ac seditiones illic agens excitaret: Joannem vero aliosque Meletianos tanquam injuste vexatos, in communionem recepit, suumque in Clero gradum singulis restituit. Deinde gesta Imperatori significant, & ad omnes ubique Episcopos scribunt, ne communione jungantur cum Athanasio, neve ad eum literas scribant, aut ab eo scriptas accipiant, utpote qui criminum, de quibus ipsi cognoverant, convictus fuisset, & per fugam suam aliorum quoque criminum, quibus non respondit, reus esset deprehensus. Multi tamen ex sacerdotibus, qui aderant, minime rectum existimarunt. Arsenius, quem antea dixerunt occisum, ab illis susceptus est, & depositioni Athanasii subscripsit. Ischiræ quoque suæ sycophantiæ concessa merces, cum quamprimum Episcopum nominari curarunt, & posthæc authores fuerunt Imperatori, ut literis ad Catholicum missis juberet ecclesiam Ischiræ ædificari in Mareote, ubi nunquam fuerat Episcopus vel Chor-episcopus, sed universæ illius regionis Ecclesiæ parent Alexandrino Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos. Vicus autem ubi habitabat Ischiras, omnium est minimus, & paucorum hominum, adeo ut non istic, sed in proximo pago extet ecclesia.

Athan. Apolog. adv. Ari. nov.edit. pag. 200. vet. 802.

CHRISTI An. 335.

Euf. vit. Const. l. 4. c. 43. *Ecclesiæ Hierosolymitanæ dedicatio.*

XLIII. Ultimus supererat actus tragœdiæ, scilicet ut reciperetur Arius: dum paratur, Marianus Imperatoris Notarius ab eo nuntius supervenit, qui oblatis Imperialibus literis Synodum hortatus est, ut, nulla interposita mora, omnes quamprimum Hierosolymam properarent, ecclesiamque magni martyrii dedicarent. Cuncti igitur Tyro digredientes, publico cursu contendere eo quo jussum erat. Insignes quoque ex aliis provinciis Episcopi hic in unum congregati sunt, quos innumerabilis hominum multitudo sequebatur. Aderant ex Imperii palatio missi spectatæ probitatis viri, qui sumptibus ab Imperatore subministratis festivitatem illustrarent. His præerat Marianus, qui tyrannicis temporibus pro pietatis defensione multis confessionibus inclaruit. Hic Episcoporum cœtum singulari comitate, & magnificentissimis epulis atque conviviis honorifice excepit. Egentibus vero & nudis & pauperum utriusque sexus infinitæ multitudini magnam pecuniæ vim & plurimas vestes distribuit. Postremo basilicam omnem regalibus donariis magnifice exornavit. At sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant. Alii sacræ Theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spiritale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificiis & mysticis immolationibus Deum placabant pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore tot bonorum authore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes. Hoc modo dedicationis solemnitas ipsis Imperatoris tricennalibus summa cum hilaritate celebrata est. Ex eo tempore solemnem quot annis festivitatem admodum splendide Hierosolymitana celebrat Ecclesia, adeo ut baptismi quoque Sacramenta eo die tradantur, & per continuos septem dies collectæ fiant, multique ex omni fere terrarum Orbe conveniant, qui hujus festivitatis tempore ad sacra loca perlustranda undique accurrunt.

Ibid. cap. 44.

Ibid. cap. 45.

Sozom. l. 2. c. 26.

Ibid. cap. 27. *Eusebiani Arium cum suis recipiunt.* Athan. Apolog. adv. Ari. nov.edit. pag. 199. & l. de Syn. nov. ed p. 734. vet. 890.

XLIV. Episcopi fautores Arii quod jam pridem machinabantur, hanc nacti occasionem, perficiunt. Ariumque cum suis in communionem recipiunt, sequentemque epistolam scripsere Ecclesiæ Alexandrinæ: " Imperator suis nos literis ad officium hortatus est (ejecto ab Ecclesia odio quocumque, omnique invidia, per quam Dei membra antehac dissidebant, procul abacta) ut simplici ac pacato animo Arianos ad communionem admitteremus; ..... literisque suis sanam eorum fidei formulam subjunxit, quam nos omnes rectam & ecclesiasticam esse agnovimus. Credimus vobis ipsis, utpote propria vestri corporis membra recuperantibus, magnum fore gaudium, dum vestra viscera, vestros Fratres & Patres agnoscitis & recipitis: quippe non solum Presbyteri Arii sequaces, sed omnis populus & universa multitudo vobis restituitur, quæ supra dictorum virorum occasione jam diu a vobis dissidebat. Et revera decet vos, iis compertis quæ hic acta sunt .... illos libentissime amplecti. " Loquuntur de literis, quas Ario concesserat Imperator, cum eum ab exilio revocatum in communionem recepere Palæstini Episcopi, & rejecit Athanasius; quæ duo cum septem annorum intervallo distincta sint, minime confundenda sunt. Marcellus Ancyranus Tyri Synodi decretis, & iis, quæ Hierosolymis de Ario constituta fuerant, non consenserat, nec dedicationi magni martyrii interfuerat, Arianorum communionem devitans. Hanc injuriam ut ulciscantur, eum erroris accusant, evocant ad judicium: scripserat librum adversus Asterium Sophistam Arii patronum, sed lite pendente, Imperatoris jussu dissolutum est Concilium.

Sozom. l. 2. c. 33.

Athan. Apol. adv. Ari. nov.edit. pag 201. vet. pag. 804.

XLV. Athanasius Imperatorem adiens, injurias ab Eusebianis illatas ipsi renuntiat. Totius rei gestæ seriem Constantinus sic describit in suis ad Episcopos, qui Tyri convenerant, literis: " Equidem ignoro quænam sint a vestra Synodo turbulenter ac tumultuose judicata. Veritas quippe tumultu ac contentione quadam oppressa videtur, vobis scilicet ob mutuam contentionem, quam invictam vultis, quæ Deo placent minime spectantibus ...... Quocirca vos omnes quam primum pietatem nostram convenire volo, rerum a vobis gestarum

rum

CHRISTI AN. 336.

Athanasium ad se provocantem recipit Constantinus.

rum accurate rationem coram reddituros. Porro quæ causa mihi fuerit hæc ad vos scribendi, vosque per literas meas accersendi, ex sequentibus cognoscetis. Ingredienti mihi cognominem & felicissimam patriam meam Constantinopolim, & equo tum insidenti, de repense Ashanasius Episcopus media in via cum nonnullis aliis se comitantibus, ita inexspectatus occurrit, ut stuporem attulerit. Testis est mihi omnium spectator Deus, me primo aspectu non agnovisse hominem, sed e nostris quidam, & vir quis esset, & quibus affectus esset injuriis, nobis sciscitantibus, ut fieri solet, indicarunt. Tunc temporis igitur hominem non sum allocutus, nec vel minimum cum eo sermonem feci. Rogante autem illo ut sibi aurem præberem, meque e converso id abnuente, ac propemodum jubente amoveri virum, majore cum fiducia ille nihil se postulare dixit, quam ut vos huc concedere juberem, quo præsentibus vobis de illatis sibi injuriis posset conqueri: quod cum mihi æquum temporique congruum visum sit, hæc libenti animo ad vos scribenda jussi, ut quotquot Tyri congregatam Synodum composuistis, quam maturrime ad exercitum meæ clementiæ properatis, sinceritatem integritatemque judicii vestri ex operibus ipsis comprobaturi, coram me scilicet, quem sincerum esse Dei famulum ne vos quidem ipsi inficias ire potestis. „

Ib. p. seq.

His acceptis, Eusebiani, conscii suorum facinorum, cœteris Episcopis quominus Imperatorem adirent prohibitis, ipsi soli, Eusebius scilicet, Theognius, Patrophilus, alter Eusebius, Ursacius & Valens eum advenisseat, omissis aliis accusationibus, aliud crimen ipsum spectans Imperatorem commenti, ajebant: Athanasius minatus est se impediturum, quominus solitum frumentum Alexandria in patriam tuam transvehatur. Hoc audiere qui tum aderant, Adamantius, Anubion, Agathamnon, Arbethion, & Petrus Episcopi. Cum Athanasius de tanta calumnia ingemisceret, & falsam illam esse affirmaret; qui enim vir privatus & inops tanta facere potuisset? Eusebius, ne palam quidem calumniari recusans, juravit Athanasium potentem, divitem, & ad omnia idoneum esse ...... ut hinc Athanasius illa dixisse putaretur. Constantinus amori suo erga Constantinopolim eo subsidio egentem plus tribuens, quam concederet æquitas, hac audita calumnia, statim excandnit, Athanasiique non exspectata defensione, eum relegavis Treviros in Gallis. Constantinum excusat Athanasios, quasi sic ejus adversariorom furori subtrahere voluisset.

Ib. pag. 203. & 132.

Constantinus Athanasium mittit Treviros.

Ib. p. 138. & 158. Ath. ad Monac. nov. edit. 375. vet. 844.

Eusebiani pariter conspirarunt in Aphtonium, & Athanasinm Capitonis filinm, Paulum & Plutianum Presbyteros Alexandrinos. Qui qnanquam Tyrum non venerant, missi sunt in exilium. At nequaqnam iisdem morem gessit Imperator, neque misit qnem illi Episcopum in locum Athanasii mittere peroptabant; imo id volentes coercuit, atque rem aggressos gravibus minis deterrnit.

XLVI. Eusebius Cæsariensis, perseverante tricennalium Imperatoris festivitate, coram eo recitavit orationem de ejus laudibus. In ethnicorum idololatriam atque superstitionem, quæ deos ex hominibus fecit, invectns, Deo suam unitatem vindicat & Monarchiam, Christum vero vocat Deum, ejus divinitatem divinamque potentiam sæpius Constantinum expertum esse dicit, sicque sermonem temperat, ut quamvis Semiarianis non præjudicet, recte sentire videatur: quædam enim sunt, quæ si de Verbo divino accipiantor, erronea sunt; si vero de Christo seu de Homine-Deo, rectam habeot intelligentiam. E multis, quæ de Constantino prædicat, id unum annotabimus: "Cœlestis regni omnibus copiam fora annuntiavit Dei Filius, & cunctos vocavit, hortatusque est, ut ad illam in cœlum profectionem prompti ac parati essent, vestemque ea vocatione dignam sibi compararent. Et inexplicabili quadam virtute universum terrarum Orbem, qui solis radiis illustratur, prædicatione sua implevit, terreni regni similitudine exprimens regnum cœlorum, ad quod ipse universum genus humanum incitat atque impellit, hac fiducia bonaque spe omnibus ostentatu. Cujus quidem spei noster hic Deo carus Imperator etiam in hac vita fit particeps, quippe qui innatis virtutibus a Deo exornatus sit, & cœlestes effluxus ex

Euf. orat. in laud. Const.

illo fonte in animum derivaverit. Etenim rationalis quidem est ex illa universali ratione: Sapiens vero participatione divinæ Sapientiæ: bonus bonitatis illius communione: & justus quidem illius participatione justitiæ: temperatus ex illo temperantiæ exemplari: fortis vero divinæ virtutis beneficio. Hic ergo jure optimo Imperator vocabitur qui animum suum omnibus virtutum coloribus ac lineamentis ad cœlestis Imperii similitudinem effinxit. Qui vero ab his alienus extiterit, & qui hujus universi Regem abnegaverit ...... & vitiis mancipatus fuerit, is, licet tyrannica violentia dominari interdum videatur, revera tamen Imperator nunquam merito dicetur. Quo enim modo cœlestis monarchiæ similitudinem exprimeret? „

Oratinnem hanc, quæ Dei & Christi laudes magna ex parte complectitur, cum audiret Imperator, gestire præ gaudio videbatur. Atque id ipse finita oratione confessus est, cum Episcopos, qui aderant, convivio exciperet; omnique eos genere honoris afficeret. Sed eadem perfecit Eusebius, ut eos de Filio Dei recte sentire persuasum haberet Constantinus, qui solidæ laudis amans, adulationes respuebat. Quidam ex numero sacerdotum illum coram beatum pronunriare non est veritus, quippe qui tum in hac vita summum totius Orbis Romani Imperium consequi meruisset, tum in futuro ævo una cum Filio Dei esset regnaturus. At ille hujusmodi voces ægre admodum passus, hominem admonuit, ne his verbis uti præsumeret, sed potius supplex Deo vota faceret, ut tam in hac, quam in futura vita censeri inter famulos Dei mereretur.

Euf. vit. Const. l. 4. c. 46.

Ib. c. 48.

XLVII. Athanasius ineunte anno trecentesimo trigesimo sexto pervenit Augustam Trevirorum, ubi tunc erat Regia Cæsarum. Illustrem hanc Ecclesiam tunc administrabat D. Maximinus in Pictaviensi natus provincia: ipse & fratres ejus Maxentius & Jovinus divinis bene eruditi sunt legibus, eorumque soror dicitur S. Maxima. Maxentius in Pictaviensi electus est urbe Pontifex. Maximinus vero pertexis Treviros, quia audierat opinionem B. Agricii Episcopi, ibique Clericatus accepit onua. Posteaquam S. Agricius migravit a seculo, omnis uno animo plebs arripuit eum, & in cathedra Antecessoris sui elevavit, anno Christi trecentesimo trigesimo secundo, & deinceps spem suam viriliter agens in Domino, Arianæ hæresi contradixit. Hic perhumaniter exulem excepit Athanasium. Treviris tunc versabatur Constantinus Junior, a quo pariter honorifice habitus est, omnibusque ad victum honestumque cultum necessariis abunde instructus fuit.

Hier. in Chron. vit. D. Maxim. apud Boll. 29. Mart.

Ath. ib. pag. 203.

Athanasius non scripsit symbolum.

Hic eum scripsisse symbolum, quod illius nomine inscriptum in officio ecclesiastico recitatur, multorum est opinio; sed nullum habet in antiquitate fundamentum. In antiquis manuscriptis operum ejus codicibus non reperitur. Nullus author ei tribuit ante septimum sæculum, scilicet ante Synodum Augustodunensem sub Leodegario Episcopo, anno sexcentesimo septuagesimo. Præterea in eo desideratur vox Consubstantialis, cujus ut tesseræ Catholicitatis acerrimus erat defensor Athanasius, adeo ut vel ex ejus omissione quasdam fidei formulas improbaret. In Isauria, inquit, scripserunt, se omousion, & omojousion, hoc est Consubstantialem & similem substantia rejicere, ut vocabula aliena a sacris literis, & nomen substantiæ tollere, ut quod in Scripturis non reperiatur. Quis igitur posthac eos Christianos reputaverit? Aut quemadmodum fides apud eos, apud quos nulla nec verba, nec scripta robur habens, sed omnia pro tempore mutantur? Ariani ejusdem vocis omissionem postulabant, eo quod multis esset offendiculo, eosque conturbaret, quos ibidem pariter reprehendit Athanasius, qui omnes profecto statim er regessissent, illam eorum œconomiam comprobasse exemplo suo, quippe qui vel in symbolo suo vocem Consubstantialis omittendam ipsemet judicasset. Demum qui novum fidei symbolum condidisset Athanasius? qui Patres Sardicenses laudat, quod sanciverint ut nullum ultra de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Patribus Nicææ promulgata; statuerintque ne altera ederetur fidei professio, ne quæ Nicææ conscripta fuerat, imperfecta reputaretur, neve occasio iis daretur, qui sæpe numero de fide scribere ac definire volunt. Si aliam fidei professionem edidisset, nunquid aperte sibi contrarius

Ath. de Synod. Arim. & Seleuc.

Ibid.

Athan. tom. ad Antioch. nov. edit. pag. 772. vet. 576.

trarius

CHRISTI AN. 336.

trarius convinceretur? His & aliis rationibus illud Athanasio symbolum abjudicant plures periti critici; quorum alii volunt opus esse Vigilii Tapsensis, qui sua adversus hæreticos scripta, Patrum, & præsertim Athanasii nominibus inscripsit, eoque vivebat tempore, quo Nestoriana hæresis & Eutychiana grassabantur. Earum autem condemnatio in eo symbolo aperte continetur. Alii ex styli similitudine illud tribuunt Vincentio Lyrinensi, qui fidei expositionem promiserat. His adde antiquissimum illius symboli manuscriptum, Treviris, ubi natus est & educatus, repertum fuisse: sed quisquis illius symboli fuerit author, parum interest: authoritatem quippe suam accipit ab Ecclesis, quæ illud comprobavit. Eodem anno Christi trecentesimo trigesimo quinto S. Sylvester anno Pontificatus sui vigesimo tertio ad superos transiis. Marcus post eum Romanæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus.

Hier. in Chron.

Sozom. l. 2. c. 29. Socrat. l. 1. c. 36. *Asterius Arianus sophista.*

XLVIII. Interea Eusebiani Ariique fautores separatim de industria convenientes Constantinopoli, licet repugnante Alexandro illius urbis Episcopo, Synodum celebrant, Marcellumque Ancyranum tali de causa deponunt. Asterius, Sophista quidam in Cappadocia artem Rhetoricam docens, ea relicta, Christianam religionem profiteri cœpit. Libros etiam scribere aggressus est, quibus Arii dogma asserebat, Christum dicens esse virtutem Dei eodem modo quo locusta & bruchus apud Moysem virtus Dei esse dicitur, aliaque his similia. Versabatur assidue cum Episcopis, ac præsertim cum illis qui opinionem Arii minime rejiciebant. Quin etiam ad Synodos frequens veniebat, ad Episcopatum cujuspiam civitatis studens adrepere. Verum ille sacerdotium minime assecutus est, eo quod persecutionis tempore sacrificasset. Urbes autem Syriæ peragrans, libros, quos composuerat, publice recitabat. Hoc comperto, Marcellus adversus eum scripsit librum de subjectione Christi, qui postea multarum fuit materia disputationum. Asterius de hæresi reprehensus, hæreseos Sabellii & Pauli Samosateni recriminationem pro talione illi vicissim impegit.

Athan. in ep. ad Monac. nov. edit. pag. 347. vet. 629. Sozom. l. 2. c. 33. *Marcellus Ancyr. damnatur. ab Arian.*

Eusebius Cæsariensis postea quinque libris Marcellum confutans, eosdem errores coarguit: cumque librum suum comburere recusaret, illum deposuerunt, exturbaruntque Ecclesia, & Basilio, viro facundiæ & eruditionis causa celeberrimo, Galatarum Ecclesiam regendam commiserunt: scripserunt præterea ad Ecclesias regionis illius, ut Marcelli librum perquirerent, & exemplaria ejus abolerent: quædamque loca ex illo libro excerpta epistolæ suæ inseruerunt, ex quibus illum ita sentire convincerent. Denique scriptis de eodem literis ad Imperatorem, ista quoque criminati sunt, quasi & Imperator ab illo contumelia affectus fuisset, quippe qui Basilicæ Hierosolymis constructæ dedicationem præsentia sua cohonestare detrectasset. Hinc mulierum commendatione, qua plurimum apud Imperatorem valebant, omnibusque formidini erant, Marcellus ejectus est in exilium. Sub idem tempus Eusebius Nicomediæ Episcopus, & Theognius Nicææ expositionem fidei ab iis, qui Nicææ convenerant, promulgatam scriptis innovare cœperunt. Et aperte quidem caput illud rejicere non audebant, quo Filius Patri Consubstantialis asserisur. Norant enim Imperatorem in ea esse sententia. Aliam vero fidei formulam avulgantes, significarunt Orientalibus Episcopis verba Nicæni Concilii additis quibusdam interpretationibus suscepta esse. Qua quidem ex voce, atque sententia, prior quæstio, quæ jam sopita esse videbatur, in disceptationem vocata, ac denuo excitata est.

Eusebius Nicomed. suis explicationibus corrumpit fidem Nicænam. Sozom. ib. c. 32.

Ath. ep. ad Serap. nov. edit. pag. 340. vet. 670. Idem ep. ad Afros.

XLIX. Dum hæc geruntur, Arius una cum sectatoribus erroris sui Alexandriam reversus, totam denuo civitatem perturbavit, cum Alexandrinorum populus & Arii reditum cum sociis, & Episcopi sui Athanasii exilium moleste ferret. Imperator his auditis, Eusebianorum opera Constantinopolim Arium evocat, ingressumque interrogat, num Ecclesiæ Catholicæ fidem servaret? Is vero se recte credere jurejurando affirmavit, ac rescriptum fidei suæ tradidit, quo iis occultatis quorum causa ab Alexandro Episcopo Ecclesia pulsus fuerat, scripturarum verba dolose proferebat. Cum jurasset itaque se non eam tenuisse sententiam, cujus causa ab Alexandro exactus fuerat, illum Imperator dimittens, si recta, ait, est fides tua, bene jurasti; sin impia, & tamen jurasti, Deus ex juramento causam tuam judicet. Illum igitur ab Imperatore ita digressum, Eusebiani introducere in Ecclesiam voluerunt.

CHRISTI AN. 336.

Alexander Episcop. fortiter resistit Arianis.

Obsistebat Constantinopolitanus Episcopus beatæ vir memoriæ Alexander, non debere, ajens, hæresis authorem in Ecclesiam recipi. Eusebiani verbis Alexandrum flectere cum non potuissent, adhibitis minis, affirmant se ipsi adempturos sacerdotium, nisi Arium & socios in communionem reciperet. Alexander, non tam sollicitus de abdicatione sua, quam de doctrina fidei, quam illi subvertere omni studio conabantur, Nicænæ Synodi decretorum custodem se ac patronum esse ducens, totus in id incumbebat, ne res in illa Synodo judicatæ ullatenus labefactarentur. Quapropter, ex consilio D. Jacobi Nisibensis, hortatur Catholicos, ut tantæ calamitatis declinandæ causa jejuniis & precibus vacarent. Vocatus ab Imperatore, qui Ario pœnitenti subveniendum dicebat, cum ejus animum flectere non potuisset, sed potius ei graviter comminaretur, tacuit & abscessit. Egredienti occurrunt Eusebiani, eaque denuntiant, quemadmodum, repugnantibus vobis, obtinuimus ut illum Imperator accerseret; sic die crastina, scilicet Dominica, etiamsi id non e sententia sit tua, Arius in hac ecclesia nobiscum synaxi aderit.

Libell. Marcell. & Faust. pag. 18. Ath. ib.

Ibid.

Episcopus Alexander, magno mærore perfusus, in ecclesiam Irenem ingressus est, extensisque ad Deum manibus, collacrymans in vultum procidit in sacrario, humique jacens orabat. Aderat Macarius presbyter, a quo narrante rem se didicisse testatur Athanasius, orantisque vocem audivit: alterutrum his verbis enixe rogabat Episcopos: si Arius crastina die ad conventum accedet, me servum tuum ex hac vita demitte, & ne pium cum impio perdideris: sin Ecclesiæ tuæ miserearis, misereberis autem, hoc bene novi, respice in Eusebianorum verba, & ne dederis in exitium & in opprobrium hæreditatem tuam, ac tolle Arium, ne, ingrediente illo in Ecclesiam, hæresis cum illo introire videatur, neve deinceps impietas pro pietate habeatur. Hæc precatus Episcopus, multum anxius recessit, & res mira incredibilisque contigit.

Arii funesta mors. Ibid.

Arius Eusebianis fretus, eadem die multa nugatus, sub vesperam iisdem concomitantibus, cum venisset juxta Constantini forum, ingressus in latrinas publicas, quasi alvi exonerandi causa, derepente pronus factus crepuit medius, prolapsusque statim exspiravit, utroque simul, vita scilicet & communione privatus; cumque elapso jam longo temporis spatio non rediret, quidam eorum, qui foris eum præstolabantur, introgressi, hominem mortuum in cella jacentem deprehendunt, effusis cum excrementis intestinis. Eusebiani ingenti pudore suffusi, conjurationis suæ socium sepeliere, famaque hujus rei, non per totam modo civitatem, sed per universum, ut ita dicam, Orbem terrarum dispersa est. Beatæ vero memoriæ vir Alexander, gaudente Ecclesia, synaxim cum pietate, & sana fide celebravit, precesque fudit pro Fratribus omnibus, ac Deum magnopere glorificavit; non quod gauderet de illius interitu, absit; sed quod ea res humana judicia visa fuerit superare: Ipse namque Dominus inter Eusebianorum minas & Alexandri preces judicem sese constituens, hæresim damnavit Arianam, declaravitque esse illam Ecclesiæ communionem indignam. Imperator vero Christianæ religioni eo magis adhæsit, cum Nicænæ fidei veritatem Dei ipsius testimonio confirmatam intelligeret, Ariumque convictum esse perjurii. Plerique eorum, qui antea circumventi fuerant, sententiam mutarunt. Exinde etiam posteris abominabilis hic locus factus est. Arii sectatores illum maleficis artibus necatum esse evulgarunt. Aliquanto post Arianus quidam opulentus ac potens data opera eum locum emit a Fisco, & commutata priore forma, domum illic ædificavit, ut res paulatim in oblivionem veniret.

Athan. Ant. vit. num. 73.

L. Antonius tum in monte se vitæ studiis exercebat Asceticæ. Aliquando cum adiere Græci Philosophi, illudendi, ut sperabant, causa, quod literarum esset imperitus; sed cum prudentia esset singulari, acrique & sagaci ingenio, eis loquens per interpretem, quantum idololatriæ præstet

Chri-

Christi An. 336.

Christiana religio facile demonstrat, sermonemque sic concludit: Dicite ergo ubinam sunt oracula vestra? Ubi Ægyptiorum incsntationes? Ubi magorum phantasiæ? Quomodo hæc omnis cessavere, viresque amisere, nisi Cruce Christi apparente? Num risu dignus ille est, an potius quæ ab ipso abolita, & imbecillitatis convicta sunt? Etenim hoc quoque est admiratione dignum: nemo unquam vestra persecutus est, imo per urbes ills ab hominibus honorantur: Christisni vero persecutionibus vexantur, & tamen nostra plus, quam vestra, florent, augenturque. Vestra celebrata, & laudata labesfactantur; Christi vero fides & doctrina, quam vos irrideris, ab Imperatoribus plerumque passa persecutionem, replevit Orbem terrarum. Quandonam Dei cognitio ita resulsit? Quando temperantia & virginitatis virtus apparuit? Quando mors despectui habita est, nisi cum Christi Crux exorta est? Nemo de hac re ambigit, cum martyres cernit propter Christum mortem despicientes, videtque Ecclesiæ virgines propter Christum corpora pura & incorrupta servare. Certe vos jam fidem nullam habetis, dum argumenta perquiritis. Nos quidem non in persuasibilibus Græcæ sapientiæ verbis argumenta proferimus, sed fide suademus, quæ verborum antevertit apparatum. Ecce hic quidam sdsunt a dæmonibus vexati, accesserant quippe ad eum quidam dæmoniaci, quos in medium adducens, ait: aut vestris argumentis, aut qua volueritis arte, vestra invocantes idola, hos mundate: sin non valetis, nobiscum pugnandi finem facite, videbitisque virtutem Crucis Christi. His dictis, Christum invocavit, & dæmoniacos bis terque sigillo Crucis signavit, moxque steterunt incolumes mentisque compotes, gratias agentes Domino. Philosophi illius sapientiam virtutemque in eo facto admirabantur. Aotonius vero ait: Cur miramini? Non nos hæc agimus, sed Christus per eos, qui in se credunt, hæc operatur. Credite itaque vos ipsi, videbitisque nostra non verborum artificium esse, sed fidem quæ per dilectionem in Christum operatur: quam si nacti fueritis, non ulterius argumenta verborum perquiretis, sed fidem in Christum sufficere vobis existimabitis. Illi senem amplexati discessere, seque ex eo utilitatem cepisse fassi sunt.

Ib. n. 79.

Dæmoniaci Crucis signo liberantur.

Ibid.

LI. Antonii fama ad Imperatores usque pervenit. Hæc enim cum didicisset Constantinus Augustus, ejusque filii, illi tanquam Patri scripsere, literas mutuo ab illo accipere peroptantes. At ille nequaquam magni faciebat illas literas, neque his acceptis gavisus est; sed talis erat, qualis antea; accitisque monachis, ajebat: Ne miremini, si ad nos scribat Imperator, homo cum sit; sed miramini potius quod legem hominibus scripserit Deus, & per proprium Filium locutus sit nobiscum. Et vero nolebat literas illas accipere, ajens se nescire hujusmodi literis rescribere: sed hortantibus monachis, ajentibusque Christianos esse Imperatores, periculumque fore ne se ita sperni indigne ferrent, concessit ut eæ legerentur, atque rescripsit, laudans ipsos, quod Christum adorarent; dabatque monita salutem spectantia: monebat, ne præsentia magni facerent, sed potius diei judicii recordarentur, scirentque Christum solum & æternum esse Imperatorem. Rogabat ut humanitati studerent, ac curam justitiæ pauperumque gererent; quibus illi acceptis lætabantur.

Sozom. l. 2. c. 1.

Sozomenus refert Aotonium alias ad Constantinum de reditu Athanasii scripsisse literas, rogans ne Meletianis fidem haberet, sed eorum accusationes calumniarum loco duceret. Imperator tamen flecti non potuit, Antonioque rescripsit, se adduci non posse ut sententiam Synodi despiceret. Quamvis pauci quidam per odium, aut gratiam judicaverint, haud quaquam credibile esse tantam prudentium ac bonorum Episcoporum multitudinem pari modo affectam fuisse; Athanasium contumeliosum & arrogantem esse, discordiæque & seditionis authorem. Quippe adversarii hæc potissimum crimina ei objiciebant, eo quod Imperator hujusmodi homines mirum in modum aversaretur. Denique cum populus Alexandriæ assidue vociferaretur, Deumque in supplicationibus publicis oraret pro reditu Athanasii, ad eos scribens Imperator, dementiam illis & levitatem exprobravit. Clericis vero & sacris virginibus præcepit, ut quiescerent, affirmans se nequaquam mutaturum sententiam, nec revocaturum esse Athanasium, utpote seditiosum, ecclesiasticoque judicio condemnatum. Auditoque Ecclesiam hanc in duas partes esse divisam; & alios quidem Athanasium, alios vero Joannem fovere; gravissime indignatus est, & Joannem multavit exilio: Hic est Joannes, qui Meletio successerat, nec decreta Tyrensis Concilii quidquam ei profuere, nulla enim prece aut excusatione flecti poterat Princeps erga eum, quem Christianorum plebem ad discordiam ac seditionem impellere suspicio erat.

Christi An. 336.

Cod. Theod. l. 5. de Judæis.

Constantini leges pro religione Christiana.

Eus. vit. Const. l. 4. c. 23. & c. 27.

Sozom. l. 2. c. 20.

Hier. in Chron.

LII. Judæorum proterviam adversus Christianos legibus compescuit: in primis sic statuit. Eum, qui ex Judæo Christianus factus est, inquietare Judæos non liceat, vel aliqua pulsare injuria, pro qualitate commissi, & hujusmodi contumelis punienda. In secunda vetat ne Christianus ullus Judæis serviat. Quod si quis Christianæ religionis servus deprehenderetur, illum quidem libertate donari; Judæum vero mulctari pecunia jussit. Cæterum cunctis sub Romano Imperio degentibus, tam plebeis, quam militibus, occlusæ erant fores cultus simulacrorum, & quodvis sacrificiorum genus interdictum. Missa quoque lex est ad Præsides provinciarum, ut diem Dominicum ipsi venerentur: item festos martyrum dies jussu Principis observabant, ac proinde Sanctorum memoria publica festivitate honorabatur. Romæ, mortuo Marco, qui per octo menses Pontificatum obtinuit, Julius Romanam Sedem obtinuit, anno Christi trecentesimo trigesimo sexto. De eo sancto Pontifice hæc cecinit Damasus Papa, quæ multas laudes paucis complectuntur: Hic Marcus, Marci vita, fide, nomine consors, & meritis.

Eus. vit. Const. l. 4. c. 53. & 56.

LIII. Constantinus quintum & sexagesimum licet ingressus annum, corpus servabat aspectu decorum, cum ad quidvis agendum viribus pollens, adeo ut militaribus exercitationibus proluderet, equitaret, ambularet, dimicaret. Itaque cum de motu Persarum nuntius allatus esset, hanc adhuc de illis victoriam sibi superesse testatus, Persis bellum inferre statuit. Quod cum facere decrevisset, militares copias undique excivit, & cum Episcopis, quos circa se habebat, de profectione consilium communicavit, provida mente prospiciens viros ad divinum cultum necessarios secum assidue versari oportere. Illi vero lubenti animo secuturos se esse affirmarunt, nec ab illo discessuros, sed continuis apud Deum supplicationibus militaturos, una & cum illo pugnaturos. Quo ille nuncio vehementer delectatus, viam illis, qua proficiscerentur, descripsit. Deinde tabernaculum in speciem ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum victoriæ authorem una cum Episcopis fundere decreverat.

Ib. c. 47.

Interea Persæ cum Imperatorem bellum comparare comperissent, & cum illo congredi vehementer reformidarent, missis legatis, pacem ab eo postularunt: Imperator pacis amantissimus, Persarum legatione benigne suscepta, pacem & amicitiam cum iis libenter pepigit, & literas dedit ad Saporem, sic ei commendans Christianos: " Quanta porro me affici voluptate censes, cum audio, id quod maxime mihi in votis est, Christianorum multitudine nobilissima quæque Persidis loca longe lateque esse decorata. Opto igitur ut & tuæ res & illorum sint quam florentissimæ. Hoc enim modo summum omnium Dominum benignum & propitium ac placatum habiturus es. Hos itaque, quandoquidem talis tantusque es, tibi commendo. Hos quandoquidem pietate excellis, tibi in manum trado. Hos pro tua humanitate complectere; sic enim & tibi ipsi, & nobis hac tua fide immensum beneficium præstabis. "

Sapori Christianos commendat Constantinus.

Theod. l. 1. c. 25.

Eus. vit. Const. l. 1. c. 22. & 47.

LIV. Aderat Paschalis festi solemnitas, in qua Imperator Deo vota persolvens, una cum cæteris pernoctavit, & ipse quidem aliis præibat: sacram autem vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis per eos, quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accensæ cuncta passim loca illustrabant, adeo ut hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur: simul vero ac dies illuxerat, Servatoris nostri beneficentiam imitari studens, universis gentibus ac provinciis largam manum porrigebat, opulentissima donans omnibus munera. Solemnitate vix peracta, principio quidem inæqualis corporis intemperies, post hæc morbus eum invasit. Itaque ad aquas

Ib. c. 61.

calidas

CHRISTI An. 336.

calidas civitatis ſuæ progreſſus, inde Halenopolim delatus eſt, ibique in templo martyrum diu commoratus ſupplicationes & preces obtulit Deo; cumque extremum vitæ diem ſibi jam imminere ſentiret, tempus tandem adeſſe exiſtimavit, quo totius vitæ delicta expiaret, firmiſſime credens, quæcunque humanitus peccaviſſet, arcanorum verborum efficacia & ſalutari lavacro penitus eſſe delenda; ac proinde primi fideles vim ineſſe Sacramentis & efficaciam ad delenda peccata credebant. Hæc cum apud ſe reputaſſet, genuflexus humi procumbens, veniam a Deo ſupplex popoſcit, peccata ſua confitens in ipſo martyrio, quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primum meruit accipere, ſicque factus eſt Catechumenus.

Conſtantinus fit catechumenus.

Ib. c. 62. *Conſtantini baptiſmus.*

Hinc ad ſuburbana Nicomediæ digreſſus, convocatis Epiſcopis, ſic ad eos verba fecit. Hoc erat tempus, quod jam dudum ſperabam, cum incredibili cupiditate arderem, votiſque omnibus deſiderarem ſalutem in Deo conſequi. Jam tempus eſt, ut ſignum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus. Equidem olim ſtatueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipſe ad exemplum noſtrum lavacrum ſuſcepiſſe memoratur. Sed Deus, qui optime novit ea quæ nobis utilia ſunt, hoc in loco nobis idipſum adhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam ſiquidem Deus, vitæ mortiſque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit, idque ſemel decretum eſt, ut in poſterum una cum populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam, eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe ſpondeo, quæ ſint Deo dignæ.

Ibid.

Hæc cum dixiſſet, illi ſolemni ritu divinas ceremonias peregerunt, injunctiſque ei quæcunque neceſſaria erant, ſacrorum myſteriorum participem fecere, extremoque vitæ ſuæ tempore, inquit D. Hieronymus, ab Euſebio Nicomedienſi baptizatur. Nullus quippe alius hoc officium uſurpare potuiſſet in ſuburbio civitatis, cujus ipſe erat Epiſcopus. Idem teſtantur veteres hiſtorici Socrates & Sozomenus; & Theodoretus, Imperator, inquit, Nicomediæ degens morbo corripitur; cumque incertum eſſe vitæ exitum animadverteret, divini lavacri gratiam ſuſcepit. Idem affirmant SS. Patres, primo D. Hieronymus mox laudatus. Secundo D. Ambroſius in oratione de funere Theodoſii, quando, inquit, Conſtantino adhæreret, cui licet baptiſmatis gratia in ultimo conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit. Tertio Patres orthodoxi Concilii Ariminenſis in ſua ad Conſtantium epiſtola, quam refert & laudat D. Athanaſius. Cum ſciamus, inquiunt, etiam Conſtantinum, poſt mortem quoque memoria dignum, conſcriptam cum omni diligentia deliberationem atque fidem expoſuiſſe, atque adeo abſurdum fore, poſtquam ille migraturus baptizatus eſt, & ad debitam ſibi requiem tranſiit, innovare quidpiam. Eorum plures virilem ætatem attigerant, cum obiit Conſtantinus, qui nec ideo in dogma Arianum declinaſſe dici poteſt; ſed ei non innotuere epiſcopi, qui malitiam ſuam tegebant, & alioqui clari & illuſtres erant, Nicænæque fidei, licet ficte, ſubſcripſerant, tumque in publica totius Eccleſiæ communione vivebant. Sinceræ fidei & pietati Conſtantini egregium teſtimonium præbet Epheſina Synodus in ſua ad Theodoſium epiſtola; fides a 318. ſanctiſſimis Patribus in metropoli Nicæa a ſanctæ memoriæ congregatis expoſita, cujus Conſtantini rectam fidem veſtra majeſtas illuſtriorem reddit. Conſtantinus igitur, ut ait Epiphanius, ſinceram ex animo fidem conſtanter retinuit.

Hier. in Chron. Theod. hiſt. l. 1. cap. 32.

Athan. lib. de Synod. nov. ed. p. 723. ex octo cod. Mſſ.

Conſtantini ſincera fides.

Lab. Concil. tom. 3. Epiph. hær. 69.

LV. Solus igitur ex omnibus qui unquam fuerant Imperatoribus Conſtantinus in Chriſti martyris renatus & conſummatus eſt, & divino donatus ſignaculo, exultavit, ſpiritu renovatuſque eſt, ac divina luce repletus. Et animo quidem maximam capiebat voluptatem ob fidei excellentiam. Evidentiſſimam autem divinæ omnipotentiæ magnitudinem attonitus mirabatur. Poſtquam omnia rite impleta ſunt, candidis ac regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus eſt amictus, & candidiſſimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit. Poſt hæc ſublata altius voce, precabundus gratias egit Deo, & finita precatione hæc ſubjecit. Nunc me revera beatum eſſe, nunc immortali vita dignum, nunc divinæ compotem lucis factum eſſe cognoſco: miſeros quoque & infelices eſſe ajebat, qui tantis bonis privarentur. Cumque tribuni ac duces militarium turbarum ingreſſi, vicem ſuam dolerent, quod orbos ipſos relinqueret, & longiorem ipſi vitam comprecarentur, his reſpondens, nunc demum veram ſe vitam adeptum eſſe dixit, ſeque unum optime noſſe, quantorum bonorum particeps factus fuiſſet; proinde properare ſe, & profectionem ad Deum ſuum nulla tergiverſatione differre.

Theod. l. 1. c. 33. Euſ. vit. Conſt. l. 4. c. 62. & 63. & ſeq.

Conſtantini mors ſancta.

CHRISTI An. 336.

LVI. Præcipuos ritus, quos in ſolemni baptiſmo tunc obſervabat Eccleſia, hic recenſere monet tanti Imperatoris initiatio, præſertim cum celebres ſint inter antiquitates eccleſiaſticas. Hos ſic paucis comprehendit Concilium primum Conſtantinopolitanum. Prima die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, tertio exorcizamus, & curamus ut longo tempore verſentur in eccleſiis, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus. Itaque, ut habent libri Sacramentorum, gentilem hominem cum ſuſceperis, imprimis catechizas eum divinis ſermonibus, & das ei monita, quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Statuta vero die genibus flexis adeſt præ foribus eccleſiæ, ſacerdos exſufflat in faciem ejus, facit ei crucem in fronte, imponenſque manum ſuper caput ejus dicit: Accipe ſignum crucis tam in fronte, quam in corde; ſume fidem cœleſtium præceptorum; talis eſto moribus, ut templum Dei jam eſſe poſſis; ingreſſuſque Eccleſiam Dei, evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce. Horreſce idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui vivit cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum.

Baptiſmi ſolemnis ritus. Conc. 1. Conſt. cap. 7. Ordo Rom. Eucolog. Græc.

His dictis, inquit Auguſtinus, interrogandus eſt, an hæc credat, atque obſervare deſideret. Quod cum reſponderit, ſolemniter utique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus. Sequenti die admittebatur in eccleſiam, in cujus medio genua flectenti dicebat ſacerdos: Eccleſiæ fit conſors ſervus Dei N; & cum precibus myſticis iterum ſigno crucis ſaltem in fronte eum conſignabat, exſufflabatque diabolum, & nares & aures ejus ſputo vel oleo ſancto tangebat, ſalemque in os immittebat, eique manus imponens benedicebat. Catechumenos, inquit idem Auguſtinus, ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum crucis & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari. Tertio die fiebant exorciſmi, qui ſunt ſermones increpationis contra immundum ſpiritum, quos comitatur in diabolum exſufflatio tum miniſtri, tum Catechumeni. Sacerdos, ut habet Græcum Euchologium, inſufflat ter in faciem Catechumeni, & iterum poſt tertium exorciſmum inſufflat in os, frontem & pectus Catechumeni, & poſt abrenuntiationem jubet eum inſufflare, & conſpuere ſatanam. Latini in ſolam faciem ter inſufflabant, adjectiſque exorciſmorum orationibus, rurſus ſigno crucis munitum a ſe dimittebat ſacerdos, erudiendumque tradebat Catechiſtæ, qui dicebatur Doctor audientium, ſeu Catechumenorum. Ad id autem munus viri pietate, ingenio, & doctrina præſtantes deligabantur. Et certe cum eis non infrequenter res eſſet cum Philoſophis, aliiſque profanæ ſcientiæ eruditis viris, non levem Eccleſia paſſa eſſet injuriam, ſi ſubtilioribus eorum ſophiſmatis reſpondere, vel fidei ſuæ rationem reddere non potuiſſent. Quapropter non ſemper ordinis aut dignitatis hac in re habebatur ratio, nam aliquando laici in privatis ædibus docere permittebantur, ut de Origene conſtat; communiter tamen id officium committebatur diacono.

Aug. l. de Catech. rud. c. 26.

Sev. Sulp. de virt. D. Martin. c. 5. & D. Chryſol. ſerm. 52. Aug. l. 2. de pecc. mer. c. 26. Dionyſ. de Eccl. Hierarc. Eucol. Græc. Nicet. Choniat. l. 2. orth. fid.

Hic eos inſtruebat de immortalitate animæ, & de vita futura, & de æternitate pœnarum in malos, & præmiorum in bonos, de quibus peccatis pœnas cum diabolo peccator patiatur æternas, & pro quibus bonis & beneficiis gloria æterna cum Chriſto juſtus fruatur. De exiſtentia unius Dei, cujus providentia cuncta gubernantur, de mundi creatione, de Domini Jeſu Chriſti adventu in hunc mundum pro ſalute humani generis, & de myſterio Paſſionis illius, & veritate Reſurrectionis, & gloria Aſcenſionis in cœlos, & futuro ejus adventu ad judicandas omnes gentes, & de reſurrectione noſtrorum corporum. Profundiora myſteria eis tradere in aliud tempus differebant.

Aug. l. de Catech. rud. Alcuin. epiſt. ad Carol. M. Auguſt. ſerm. 8. nov. ed. & 49. vet. Greg.

Præ-

CHRISTI AN. 336.

Præterea in ecclesia libere admittebantur ut audirent Psalmos, & Lectiones ex Scripturis, Episcopique homiliam, qua recitatum Evangelium exponebat: sed ea finita fiebat missa seu dimissio Catechumenorum, solique fideles manebant; Diaconus post brevem orationem clamabat: Ite Catechumeni in pace, nimirum ne sacra mysteria contemplarentur, imo ad baptisterium nunquam admittebantur, divinaque mysteria eis diligenter occultabantur. Hinc Julius Papa sic objurgat quosdam Orientales: Quis non exeeretur sub æterno judice, præsentibusque Catechumenis .... quæstionem de Corpore, & Sanguine Christi haberi. D. autem Augustinus sic scribit ad Honoratum: Hinc gratias agimus Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in Sacrificio novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies. Idem expresse testatur Cyrillus: Fueras, inquit, & tu aliquando Catechumenus, neque proposita tibi mysteria enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant.

Niss. in orat. de non differendo bapt. Jul. Papa epist. ad Orient. Aug. ep. ad Honorat. nov.edit. 540. Cyril. in præf. Catech.

LVII. Longo tempore durabat hæc probatio: ita tamen ut totum Episcoporum prudentiæ permitteret Ecclesia, ut sicut varia Catechumenorum conditio, varia ingenia, varia morum integritas, vel baptismi necessitas, sic quibusdam celerius, aliis tardius, præsertim Judæis, & idolorum sacrificulis concederetur. Catechumeni quandoque baptisma differebant usque ad annum vitæ tricesimum, quia Christus ea ætate baptizatus est. Alii ultimam senectutem, vel vitæ exitum exspectabant, ut Constantinus, ejusque filius Constantius. Hanc dilationem graviter reprehendunt Patres, multisque suisse mortiferam declaravit eorum infelix exitus, qui morte oppressi sunt priusquam eis per baptismum subveniretur. Peracto eo tyrocinio, qui baptismalis gratiæ participes esse cupiebant, dabant nomen suum, quod scribebat Acolythus, & dicebantur Competentes, quasi simul petentes baptismum. Orationibus, jejuniis, vini, & carnis abstinentia, aliisque pietatis operibus ad recipiendam novæ nativitatis gratiam sese parabant.

Eucol. Græc. Ordo Rom. Eucol. Græc. Concil. Catech. 4. c. 85.

Initio quadragesimæ apud Græcos, & apud Latinos feria secunda tertiæ hebdomadæ quadragesimæ, qui nullo prohibebantur impedimento, admittebantur, & dicebantur Electi; sicque denuntiabantur scrutinia, seu probationes, & preparationes ad baptismum recipiendum: Scrutinii diem, dilectissimi Fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite; ideoque sollicita devotione sobsequente feria, circa horam diei sextam convenire dignemini, ut cœleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruetur, & janua regni cœlestis aperitur, inculpabili, Deo juvante, ministerio peragere valeamus. Feria quarta, & sexta trium ultimarum hebdomadarum quadragesimæ, eadem hora conveniebant, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus, virginalis conventus inter eas primum locum tenebat. Tum assidentes viri librum utilem habebant, alius legebat, alius audiebat, alius orabat. Iisdem vacabant mulieres, sed voce submissa. Demum vultus omnium velabantur; tunc manuum impositione, fidei confessione, exsufflationibus, & renunciatione diaboli, & exorcismis eorum corda probabant, & disponebant presbyteri. Quapropter sic eos adhortabatur Augustinus: Quod in vobis adjurato vestri Redemptoris nomine facimus, hoc vestri cordis scrutatione, & contribulatione complete. Nos precibus ad Deum, & increpationibus inveterati hostis dolis resistimus. Vos votis, & vestri cordis contritione persistite, ut emamini de potestate tenebrarum. Et vos quidem eum scrutaremini, atque ipsius fugæ ac desertionis persuasor in Trinitatis omnipotentia debite increparetur, non estis induti cilicio, sed tantum vestri pedes nudi in eo constiterunt. Conjugati toto illo tempore abstinebant ab usu matrimonii, demum omnes coram Clero peccata sua confitebantur, ut aperte sic docet D. Gregorius Nazianzenus: ne dedigneris tuum prodere peccatum, cum scias quemadmodum Joannes baptizabat, ut confusione præsenti futuram evadere possis.

Ordo Rom. Ordo Rom. Cyril. Catech. 1. Aug. ser. 216. nov.edit. Greg. Naz. orat. in S. lavacr. Concil. Constantinop. sub Menna act. 5. Ordo Rom.

LVIII. Feria quarta hebdomadæ quartæ quadragesimæ sic eis tradebatur symbolum memoriter ediscendum, Apostolicum quidem tribus prioribus sæculis, Nicænum sequentibus. Præmissis exorcismis, lectisque initiis quatuor Evangeliorum, symbolum ipsis recitabatur, primum Græce, deinde Latine, addita præfatione parenætica, & subjecta appendice. Iisdem post octo dies tradebatur oratio Dominica, quæ prius legebatur in Evangelio. Tenete, inquit Augustinus eos alloquens, hanc orationem, quam reddituri estis publice ad octo dies. Quicunque autem vestrum symbolum non bene reddiderunt, habent spatium, teneant, quia die Sabbati sancti, audientibus omnibus qui aderunt, reddituri, seu recitaturi estis, quo die baptizandi estis. Dominica in Palmis, & diebus sequentibus, articulos symboli aliaque fidei mysteria bis explicabat Episcopus dimissis Catechumenis. Feria quinta majoris hebdomadæ post redditum seu recitatum symbolum baptizandi lavabantur ne corpora per observationem quadragesimæ sordidata cum offensione sensus tractarentur.

CHRISTI AN. 336. Aug. ser. 59. & 51. nov.edit. Concil. Agath. cap. 13. Ambr. ep. 33. ad Marcel. sor. August. epist. 54. nov.edit. Concil. Laodic. cap. 46

LIX. In vigilia Paschæ septimum habebatur scrutinium, scilicet renovabantur ea omnia quæ circa competentes in aliis scrutiniis peracta fuerant, nempe consignatio per signum crucis, manus impositio, sputi, exorcismi, & abrenuntiatio. His peractis, clamabat primus Diaconorum: Catechumeni recedant, omnes Catechumeni exeant foris. Tunc baptizandi ex loco editiore coram fidelibus contenta voce recitabant symbolum, quos postea sic dimittebat Diaconus: Filii charissimi revertimini in locos vestros, exspectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari. Hora diei octava revertebantur ad ecclesiam, viri in dextra, mulieres in sinistra parte consistebant, Cerei fiebat benedictio, lectiones in gratiam Catechumenorum ex veteri Testamento recitabantur. Dimissis Catechumenis Episcopus alba veste indutus cum Clero procedebat ad baptisterium, quod erat in æde basilicæ addita, figuræ ut plurimum rotundæ instar testudinis, in cujus medio fons sacer depingi solebat imaginibus baptismorum in novo Testamento celebrium, scilicet Christi a Joanne, Eunuchi a Philippo.

Ambr. l. 1. de sac. Eucol. Græc. Ordo Rom. Aug. 18. conf. c. 2.

Viri, & mulieres separatim stantes, & conversi ad Occidentem, suis vestibus exuebantur, hi a Diaconis, illæ a Diaconissis. Tunc clamabat Episcopus: Abrenuntias satanæ? & singuli protensa manu respondebant: Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? Resp. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? Resp. Abrenuntio. Et omni cultui ejus? Resp. Abrenuntio. Hunc ritum a traditione Apostolica derivatum esse scribit Sanctus Basilius. Post tertiam abrenuntiationem dicebat Episcopus. Insuffla igitur, & expue in illum. Quod ubi fecissent, convertebantur ad Orientem. Qui enim, inquit Ambrosius, renuntiat diabolo, ad Christum convertitur. Deinde ter interrogabat Episcopus. Conjunctus es Christo? & singuli respondebant: Conjunctus sum. Post Tyranni abnegationem, inquit Theodoretus, & Regia confessionem, veluti sigillum quoddam recipiunt spiritualis unguenti chrisma, recipientes gratiam invisibilem Sancti Spiritus unguento tanquam in typo. Episcopus enim oleo exorcizato eos ungebat in fronte, in pectore, & inter scapulas, efformando signum crucis. Eodem oleo Diaconi viros, & Diaconissæ fœminas a summis capillis ad infimos usque pedes perungebant.

Eucol. Græc. Cyril. Catech. mystag. Basil. l. de Spir. S. c. 27. Amb. l. de myst. c. 2. Theod. in Cant.

LX. Episcopus interea precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii, & Spiritus Sancti. Nam, inquit Augustinus post Cyprianum, salutis aqua non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis Sanguinem fudit, Cruce ipsius aqua signatur. Hinc patet antiquitas aquæ benedictæ, quam Cyprianus aliique Patres ab antiquo usu baptismo necessariam putabant. Tum viri priores descendebant in fontem ut baptizarentur, quos sic ter interrogabat Episcopus: Credis in Deum Patrem? & unusquisque respondebat: Credo. Credis in Dominum Jesum Christum, & in Crucem ejus? Resp. Credo. Credis in Spiritum Sanctum? Resp. Credo. Denique singulos a Diaconis sibi oblatos ter mergens, & educens ex aqua, in enuntiatione uniuscujusque Personæ divinæ; in Latina Ecclesia baptizabat sub hac forma: Ego te baptizo in Nomine

Cyril. Catec. 2. mystag. Amb. l. 2. de Sacr. cap. 5. Cypr. ep. 70. ad Januar. Aug. l. 6. de bapt. & serm. 353. Amb. l. 2. de Sacr. cap. 2.

[CHRISTI AN. 336. Ordo Rom. Hieron. adv. Lucif. Eucol. Græc. Tert. l. de bapt. c. 19. Leo epist. 4. Gelas. epist. 9.]

Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Græci Sacramenti formam sic enuntiant: Baptizatur servus Dei N. in Nomine Patris amen & Filii amen & Spiritus sancti amen; nunc & semper, & in sæcula sæculorum amen: mulieres seorsim iisdem ritibus initiabantur. Diaconissæ singulas Episcopo præsentabant baptizandas, qui potius eas audiebat quam videbat, namque noctis tempore administrabatur solemnis baptismus in solie Paschæ, & Pentecostes pervigiliis, etiamque Epiphaniæ apud Orientales; solus Paschalis cereus in angulo fontis collocatus illucescebat. Qui vero mortis urgebantur periculo, ne in æternum perirent, in lectulo baptizabantur per aspersionem, sed erant irregulares.

[Amb. l. de myst. cap. 7. Eucol. Græc. *Confirmationis Sacramentum.* Eucol. Græc. Ordo Roman. Gregor. Sacram. Tert. l. de bapt. c. 7. & 8. Cypr. ep. 72. ad Januar. & ep. 73.]

LXI. Egredientes ex aqua in vertice chrismate tingebant Presbyteri: apud Græcos hæc unctio non fuit in usu, eisque tradebant alba vestimenta. Interea chorus cantabat Psalmum: Beati quorum remisse sunt iniquitates. Baptismatis vestibus depositis Episcopus eas assumebat, quæ sacrificio inserviunt, baptizatisque Confirmationis Sacramentum conferebat, ut testantur vetera Latinorum & Græcorum ritualia, & Patres antiquiores. Tertullianus: Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. Dehinc manus imponitur per benedictionem invocaos Spiritum sanctum ...... Cyprianus: Ungi necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unitus Deo, & habere in se gratiam Christi possit. Idem in epistola ad Jubajanum: Qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Domini confirmentur. D. Hieronymus: An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus?

[Hieron. adv. Lucif. Eucol. Græc. Justin. in Apol. 1. Amb. l. de myst. cap. 8. Hieron. adv. Lucif. Tert. l. de coro. milit. August. ser. 226. nov. ed. Ordo Roman.]

Clerus his peractis ad ecclesiam revertebatur, sequentibus recens baptizatis, qui sacro-sanctis Corporis & Sanguinis Christi mysteriis reficiebantur. His abluta plebs, inquit Ambrosius, dives insignibus ad Christi contendit altaria, dicens: Introibo ad altare Dei .... & cœleste illud festinat adire convivium. Postea lac & mel saltem in Occidentali Ecclesia Neophytis porrigebantur, ad infantiæ spiritualis significationem, iisdemque legebatur initium Evangelii secundum Joannem, ut ex eo caperent altitudinem divinæ gratiæ, qua Filius Dei factus homo regeneratos homines fecit Dei Filios. Hioc per totam octavem ab epulis lautioribus, & spectaculis, & etiam a conjugibus abstinebant, separatique ab omni profano hominum commercio, singulis diebus aderant sacrificio, quod pro ipsis offerebatur, & Corporis & Sanguinis Domini fiebant participes, & mysteria Trinitatis & Incarnationis minutatim & familiariter eis exponebaot Episcopi, ut constat es multis Patrum homiliis.

[August. ser. 227. Concil. Carth. 4. c. 86. Basil. l. de Spir. S. c. 27.]

LXII. Eorum sacrorum rituum mysticas significationes Patres tradidere in iis operibus, quæ scripsere pro Neophytis, imprimis D. Cyrillus, & D. Ambrosius. Eorumdem originem sic commendat D. Basilius: Consecramus aquam baptismatis & oleum unctionis, præter ipsum, qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonoe a tacita secretaque traditione? Ipsam quoque olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ sunt in baptismo, velut renuntiare satanæ & angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Noone ex minime publicata & arcana traditione? Noone ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? Pulchre quidem illi nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari: nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitos circumferri scripto .... Qui a primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriie suam servare dignitatem. Hinc patet quam veneranda sit ejusmodi ceremoniarum antiquitas.

[Eus. vit. Const. l. 4. c. 66. *Constantini mors & funus.*]

LXIII. Constantinus in Christo regeneratus ipsa die venerandæ & sacratissimæ Pentecostes circa meridiem migravit ad Dominum anno Imperii 31. ætatis suæ 65. Christi trecentesimo trigesimo septimo. Hunc omnes luxere ut parentem. Militee sublatum e lecto corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea obtectam veste Constantinopolim deportarunt, atque in præcipuo Imperialis palatii cubiculo sublimem collocaverunt. Dehinc aurea super candelabra luminibus undique accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebatur. Quippe in medio conclavi regalis palatii, corpus Imperatoris in arca aurea sublime jacens, regiis insignibus, purpura scilicet ac diademate exornatum multi circumdantes noctu atque interdiu vigiles custodiebant. Totius exercitus Duces, Comites quoque, & reliqui Judices ac Magistratus, qui etiam antea Imperatorem adorare soliti erant, pristini moris observantiem nullatenus mutantes, statis horis ingrediebantur, & Imperatorem in arca depositum perinde ac vivum genuflexo salutabant.

[CHRISTI AN. 337. Ib. c. 67.]

[Ib. c. 68. Socrat. l. 1. c. 39. Theod. l. 1. c. 32. Sozom. l. 2. c. 34. Rufin. l. 1. c. 11.]

Interea tribuni lectos quosdam ex militaribus numeris, qui fidei ac benevolentiæ causa olim Principi accepti fuissent, ad Cæsares mittunt, cuncta eis quæ gesta erant nuntiaturos. Testamentum condiderat Constantinus in quo tres liberos Imperii hæredes instituit, suam cuique partem, prout vivus fecerat, assignans. Constantinus natu major habuit Galliam, Hispaniam, Britanniem, & partem Africæ. Constans natu minor Africam reliquam, Italiam, Illyricum, Græciam, Macedoniam, & Ponto Euxino finitima: Constantius Thraciam, Asiam, Orientem, & Ægyptum. Athanasium magnum Alexandriam redire jusserat, idque præsente Eusebio; & ne hoc fieret, magnopere dissuadente. Romæ & Constantinopoli reliquit quadam privilegia. Testamentum tradidit presbytero illi laudetori Arii, quem ut virum bonum soror ipsius Constantia moriens ei commendaverat, additoque jurejurando mandavit, ut simul atque Constanrius advenisset, ei traderet, morti enim ejus nullus ex filiis interfuit; ille fidem servavit. Cujus beneficii gratia Constanrius regni cupidus ita ei devinctus est, ut qui imperare cunctis ambierit, ab illo sibi imperari æquanimiter pateretur. Donationem Ecclesiæ Romanæ factam, quam Constantino supposuit falsarum decretalium author, nunc omnes ut falsam rejiciunt post Baronium, evidentiaque sunt suppositionis indicia.

[Eus. vit. Const. l. 4. c. 70. Ib. c. 72.]

LXIV. Constantius ex Oriente, cui præerat, advolans, Patris funus duxit magnificentissimum. Præibant per catervas & agmina dispositi numeri militares, pone sequebatur innumerabilis hominum multitudo, Hastati vero & scutarii ipsum Imperatorie corpus medii cingebant. Postquam ad Apostolorum Servatoris nostri ecclesiam perventum est, arcam illic deposuerunt. Ubi vero ille cum militaribus abscessit, ministri Dei cum turbis & tota fidelium plebe, in medio prodiere, & divini cultus cæremonias præcationibus peregerunt. Ac beatus quidem Princeps alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lacrymis, pro Imperatorie anima preces offerebant Deo, gratissimum pio Principi officium exhibenres. Atque ita, quod maxime ambierat, locum juxta Apostolorum memoriam Deus ei concessit, ut scilicet beatissimæ illius animæ tabernaculum Apostolici nominis atque honoris consortio frueretur, & populo Dei in Ecclesia sociaretur, divinisque cæremoniis ac mystico sacrificio, & cunctatum precum communione poriri mereretur. Hæc totidem verbis refert Eusebius, qui præsens aderat.

[Ib. c. 69. Euseb. ib. c. 75.]

Ejus nomen in suo menologio sic inscripsit Græca Ecclesia vigesimo primo Maji: Sanctorum & magnorum Imperatorum & parium Apostolie, Constantini & Helenæ. Romæ Senatus populusque Romanus comperta ejus morte, gravissimum hunc nuntium, & quavis calamitate acerbiorem rati, nullum luctui modum fecere. Quippe balnea, & fora rerum venalium clausa, publica item spectacula, & quæcunque alia vitæ oblectamenta homines consectari solent, remota sunt. Constantinus primus ex Romanis Imperatoribus Deum omnium Regem excellente quadam pietate coluit, primus doctrinam Christi universis ore libero prædicavit. Cumque Ecclesiam Dei honore & gloria io tantum auxisset, quantum antea nemo, & errorem hominum plures colentium deos primus evertisset, omnesque hujus superstitionis ritus ac modos confutasset, solus quoque tum in hac vita, tum post mortem ea consequi meruit, qualia nullus Princeps

antea

CHRISTI AN. 337. antea nec apud Græcos, nec apud Romanos vel barbaros adeptus esse perhibetur.

Cap. 54. Illius nimiam indulgentiam multi reprehendunt, ob exuberantem malitiam improborum, qui nequitiam suam adscribebant Imperatoris patientiæ. Hæc duo vitia ejus temporibus maxime invaluere, violentia scilicet pessimorum hominum & insatiabili cupiditate flagrantium, qui universos fere mortales infestabant; & fraudulenta simulatio eorum qui callide in Ecclesiam irrepebant, & Christianorum nomen falso ac specie tenus præferebant. Verum insita Imperatori humanitas ac bonitas, & fidei morumque sinceritas, eo ipsum adduxit, ut crederet fictæ in speciem pietati hominum illorum, qui pro Christianis habebantur, & qui sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant; quibus ille cum semetipsum credidisset, interdum in ea, quæ parum decora essent, impegit. Homines suæ factionis, etiam nolens, coloribus suis depingit Eusebius, cui Constantinum reprehendenti, sicut Zozimo laudanti certam fidem habere debemus.

Phot. Bibl. cod. 172. Constantini Imperatoris vitam quatuor libris Panegyrice complexus est idem Eusebius. Est autem, inquit Photius, in hoc etiam opere plane sui similis in dicendo: nisi quod nonnihil ad splendorem adsurgit ejus oratio, & verbis interdum elegantioribus utitur. Venustatis quidem & gratiæ non multum apparet in hoc opere, sicut nec in cæteris ejus libris. De Ariana hæresi nihil aperte commemorat, nec utrum ipse ei aliquando adhæserit, nec quod eam abjecerit, sed neque, rectene, an secus senserit Arius, nusquam refert, tametsi hæc necessario commemoranda essent. Quippe cum Nicæna Synodus inter res a Constantino gestas præcipuum locum obtineat, & alioqui exactissimam totius negotii narrationem ipsa suo quodam jure flagitare videatur. Verum illa dissensionem quidem inter Alexandrum & Arium exortam commemorat; sic enim hæresim callide ac dissimulanter appellat, atque ob hunc tumultum gravissimo dolore affectum esse religiosissimum Principem, & tum per Epistolam, & CHRISTI AN. 337. tum per Hosium Cordubensem Episcopum laborasse, ut partes inter se dissidentes ad pacem & concordiam reduceret; sed cum persuadere eis non potuisset, Synodum undique convocasse, & sopito tumultu pacem restituisse. Verum hæc ab illo non satis accurate & aperte traduntur. Prorsus enim tanquam pudore suffusus, nec Arii impietatem traducere cupiens, tum Synodi sententiam adversus Arium prolatam, tum eorum, qui impietatis illius socii, & in exilium simul expulsi fuerant, justissimam ultionem; illud denique cœlitus inflictum Ario exitium, quod omnium conspectui subjectum fuit, sciens prætermisit; nec historiam Synodi, resque in ea gestas commemoravit. Hinc etiam est quod cum ea, quæ divino Eustathio contigerunt, vellet describere, ne nomen quidem ejus retulit, nec quæcumque adversus illum nefarie excogitata sunt ac perpetrata; sed seditionem ac tumultum Antiochiæ extitisse postquam dixit, mox tranquillitatem restitutam esse subdit, Episcopis Imperatoris opera ac studio illuc convenientibus, per quos turba omnis ac seditio in tranquillissimam pacem est commutata. Similiter ubi narrationem instituit de iis, quæ adversus fortissimum Athanasium improbe comparata sunt, seditione quidem ac tumultu impletam iterum Alexandriam refert, sed eam Episcoporum præsentia, & Imperatoris auxilio sedatam fuisse. Neque interim quis seditionem concitaverit, aut quænam illa seditio fuerit, neque quo pacto sedata ab Episcopis fuerit, ullatenus exponit. Ac fere quotiescunque Episcoporum mutuas inter se dissensiones de fidei capitibus, aut de aliis rebus contentiones ac discordiæ extiterunt, eundem ille in narrando servat dissimulandi modum: sed Deus providit alios scriptores Ecclesiasticos, qui hæc sincera narrarent; qui tamen Eusebii historiam in iis, Hieron. quæ gesta sunt ante Arianam hæresim, non repre- epist. 83. hendunt. Juvencus presbyter sub eodem Imperatore alias 14. historiam Domini Salvatoris versibus explicavit.



TEXTUS GRÆCI

LIBRI DECIMI.

NUm. V. Theodoret. Hist. l. 1. c. 12. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ Οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα· παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ· ἀνελθόντα εἰς τοὺς Οὐρανοὺς, ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ Ἅγιον Πνεῦμα. Τοὺς δὲ λέγοντας ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀναθεματίζει ἡ Ἁγία, καθολικὴ, καὶ Ἀποστολικὴ Ἐκκλησία.

Ibid. Socrates Hist. l. 1. c. 13. Ὅσιος ἐπίσκοπος Κορδύβης Ἱσπανίας, ὥσπερ ἔφην προγέγραπται. Ῥώμης Βίτων καὶ Βικεντῖνος πρεσβύτεροι. Αἰγύπτου Ἀλέξανδρος. Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης Εὐστάθιος. Ἱεροσολύμων Μακάριος. Ἁρποκρατίων Κυνῶν. καὶ τῶν λοιπῶν, ὧν εἰς πλῆρες τὰ ὀνόματα κεῖται ἐν τῷ Συνοδικῷ Ἀθανασίου τοῦ Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπου.

Num. VII. Harduinus Conc. Tom. 1. p. 436. Ἦλθεν εἰς τὴν Ἁγίαν καὶ μεγάλην Σύνοδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν. ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν Ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται. ταῦτα μὲν οὖν πάντα περιῃρήσθω, καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν Ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσὶ, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι, λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τάξιν τὴν εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ Ἐπισκόπου αὐτοῖς διδόντος ἢ τοῦ πρεσβυτέρου. ἀλλὰ μήτε καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις. παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον. εἰ δέ τις μὴ θέλοι πειθαρχεῖν καὶ μετὰ τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας.

Num. XIII. Socr. Hist. l. 1. c. 9. Ex Epistola Constantini ad Ecclesiam Alexandr. Ἀναδεξώμεθα τοιγαροῦν ἣν ὁ παντοκράτωρ παρέσχε γνώμην ...... τοῦτο γὰρ καὶ τῇ ἀγχινοίᾳ καὶ τῇ πίστει καὶ τῇ ὁσιότητι τῇ ὑμετέρᾳ πρέπει, ἵνα τῆς πλάνης ἐλεγχθείσης ἐκείνης, ἣν ἀληθῶς εἶναι ἐχθρὸν συνέστησεν, πρὸς τὴν θείαν ἐπανέλθητε χάριν· ὃ γὰρ τοῖς τριακοσίοις ἤρεσεν Ἐπισκόποις, οὐδέν ἐστιν ἕτερον ἢ τοῦ Θεοῦ γνώμη, μάλιστά γε ὅπου τὸ Ἅγιον Πνεῦμα τοιούτων καὶ τηλικούτων ἀνδρῶν ταῖς διανοίαις ἐγκείμενον τὴν θείαν βούλησιν ἐξεφώτισεν. διὸ μηδεὶς ἀμφιβαλλέτω, μηδεὶς ὑπερτιθέσθω· ἀλλὰ προθύμως πάντες εἰς τὴν ἀληθεστάτην ὁδὸν ἐπάνιτε.

Num. XXXII. D. Athan. in vita S. Antonii num. 69. Καὶ ψευσαμένων δέ ποτε τῶν Ἀρειανῶν ὡς ἐκείνου τὰ αὐτὰ φρονοῦντος, ἠγανάκτει καὶ ὠργίζετο κατ' ἐκείνων, ὅτε παρακληθεὶς παρά τε τῶν Ἐπισκόπων καὶ τῶν ἀδελφῶν πάντων, κατῆλθεν ἀπὸ τοῦ ὄρους, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν, τοὺς Ἀρειανοὺς ἀπεκήρυξεν. αἵρεσιν ἐσχάτην λέγων εἶναι ταύτην καὶ πρόδρομον τοῦ Ἀντιχρίστου, ἐδίδασκέ τε τὸν λαὸν μὴ εἶναι κτίσμα τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, μηδὲ ἐξ οὐκ ὄντων γεγενῆσθαι, ἀλλ' ὅτι ἀΐδιός ἐστι τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας Λόγος καὶ σοφία. διὸ καὶ ἀσεβές ἐστι λέγειν, ἦν ὅτε οὐκ ἦν, ἦν γὰρ ἀεὶ ὁ Λόγος συνυπάρχων τῷ Πατρί. ὅθεν μηδεμίαν ἔχετε κοινωνίαν πρὸς τοὺς ἀσεβεστάτους Ἀρειανούς. οὐδεμία γὰρ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος. ὑμεῖς γὰρ εὐσεβοῦντες, Χριστιανοί ἐστε. ἐκεῖνοι δὲ κτίσμα λέγοντες τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς Υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ Λόγον, οὐδὲν διαφέρουσιν ἐθνικῶν, λατρεύοντες τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα Θεόν.

Num. LXIII. Euseb. vitæ Const. l. 4. c. 70. & 71. Ὡς δὲ ἐπὶ τὸν τῶν Ἀποστόλων τοῦ Σωτῆρος νεὼν παρῆσαν, ἐνταυθοῖ τὴν λάρνακα διετίθεσαν ...... ἐπεὶ δ' ὑπεχώρει (Κωνστάντιος) σὺν τοῖς στρατιωτικοῖς στίφεσι, μόνοι δὲ παρῆσαν οἱ τοῦ Θεοῦ λειτουργοὶ σὺν αὐτοῖς πλήθεσι, πανδήμῳ τε θεοσεβεῖ λαῷ, αὐτὸ τοῖς εὐθὺς λαβεῖν δὲ εὐχῶν ἀνεπλήρουν. εὐθὺ δὲ ὁ μακάριος ἄνω κείμενος ἐφ' ὑψηλῆς κρηπῖδος ἐδοξάζετο. λαὸς δὲ παμπληθὴς σὺν τοῖς τῷ Θεῷ ἱερωμένοις, οὐ δακρύων ἐκτὸς, σὺν κλαυθμῷ δὲ πλείονι τὰς εὐχὰς ὑπὲρ τῆς βασιλέως ψυχῆς ἀπεδίδοσαν τῷ Θεῷ, τὰ καταθύμια τῷ θεοφιλεῖ πληροῦντες· κἀν τούτῳ τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸν αὐτοῦ θεράποντα ἀμείνονα ἐνδεικνυμένου, ὅτι δὲ καὶ μετὰ τέλος αὐτοῦ τοῖς ἀγαπητοῖς καὶ γνησίοις Υἱοῖς τὴν βασιλείαν ἐδωρεῖτο, καὶ τὰ ποθούμενα αὐτῷ σὺν τῇ τῶν Ἀποστόλων κατηξίου μνήμῃ, ὡς τὸ τρισμακαρίου ψυχῆς σκῆνος τῷ τῶν Ἀποστόλων προσρήματι συνδοξαζόμενον, καὶ τῷ τοῦ Θεοῦ λαῷ συναγελαζόμενον, θεσμῶν τε θείων καὶ μυστικῆς λειτουργίας ἀξιούμενον, καὶ κοινωνίας ὁσίων ἀπολαῦον εὐχῶν.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus Librum, secundus paragraphum indicat.

A



Bsolutionem sacramentalem moribundis eam petentibus numquam negavit Ecclesia. 9 3
S. Achatius M. 6 51
Acta Apostolorum. 2 84
Adamitæ hæretici. 4 54
Adolescentem furtis, homicidiis, aliisque gravibus sceleribus infamem reconciliat D. Joannes. 3 15
Adrianus Imperator. 3. 36. Æliam urbem juxta Jerosolymæ ruinas ædificet. 39. Ejus rescriptum pro Christianis. 38. Persequitur Christianos. 44. Adoptat Antoninum, & moritur. 48
SS. Adrianus & Eubulus MM. 9 40
Adulteram absolvit Christus, & quomodo? 1. 33. Adultera mulier dimittende, & quaodnam? 3 9
Ægyptus inferior serius habuit Episcopos. 2. 89. Ægyptiorum Episcoporum contestatio adversus Arianos. 10. 37. Et adversus Legatos synodi Tyriensis. 41
Æmilianus Imperator. Ejus mors. 7 25
Æneam paralyticum sanat D. Petrus. 2 17
S. Afra cum sociis, M. 8 41
Africani epistola de Genealogia Christi. 6 10
Afflictiones hujus vitæ non sunt semper alicujus peccati pœna. 4 58
Agabus propheta prædicit famem. 2. 30. D. Paulo prædicit captivitatem. 70
Agapæ erant sanctæ. 2 69
SS. Agapius & Thecla MM. 9 4
S. Agatha Virgo M. 6 52
S. Agathon cum sociis, M. 8 34
Agbari Regis historiæ veritas. 2. 22. Ejus epistola ad Christum. 23
SS. Agnes & Soteris MM. 8 19
Agnoitæ hæretici. 1 44
Agnum paschalem cum discipulis Christus manducat, ejusque Cœnæ situs. 1 51
SS. Agricola & Vitalis, MM. 8 30
Agrippa rex Judææ. 2. 15. Alexandrini ei proterve illudunt. 18. Ejus literæ ad Caligulam. 28. Persequitur Christianos. Ejus mors funesta. 39
S. Albanus M. 8 7
Alcibiadis Martyrium. 4 17
Aleatum ludus quantopere ab Ecclesia prohibitus. 9 3
Alexander Papa. 3 37
SS. Alexander & Epipodius MM. 4 18
S. Alexander aliis Episcopis denuntiat Arium. 9 75
Alexandri Thessalonicensis Epistola de conspiratione Arianorum adversus Athanasium. 10 37
S. Alexander Carbonarius fit Episcopus. 6. 17. Ejus Martyrium. 50
Alexander Imperator. Ejus virtutes. 5. 67. Non fuit Christianus. 68. Vincit Persas. 69. Ejus mors. 6 1
Alexandrinorum cædes. 5 64
Alexandrinorum duodecim presbyterorum jus ad instituendum Episcopum Alexandrinum. 2 89
Alexandrina Ecclesia ab initio habuit Episcopos. Ibid.
Altare unum in qualibet Ecclesia. 1 61
Ambrosius vir pius & nobilis Origeni sumptus suppeditat ad scribendum. 5. 70. Fit Confessor. 6 2
Amicitia divina rebus omnibus anteponenda. 1 36
S. Ammonis vita. 9. 55. Ejus miracula. Ibid.
Amor proximi. 9 38
Anacletus Papa idem cum Cleto. 3 10
Ananiæ & Saphiræ mors, ejusque causa. 2 5
Ananus Pontifex insurgit adversus seditiosos, sed infelici exitu. 3 1
Ancyrana synodus. 9 60
Andreæ & Simonis prima vocatio. 1. 4. D. Andreæ passio. 3 18
Angelus custos. 2. 31. & 3. 9. Angeli quid egerint in resurrectione Christi. 57
Anicetus Papa. 3. 55. Polycarpum de die Paschæ dissidentem honorifice suscipit. 56
Animam rationalem esse corpoream credidit Tertullianus. 5 43
Annianus D. Marci successor in sede Alexandrina. 2 89
Antheros Papa. 6 8
Anthimus Papa Martyr. 9 34
Antichristus qualis futurus. 2 52
Antiochia terræ motu subruitur. 3 32
Antiochena Ecclesia cur Metropolis Orientis? 2. 30. Antiochena synodus prima & secunda adversus Paulum Samosatenum. 7, 99. Quo sensu vocem *Consubstantialis* repudiarit. Ibid. Ejus synodica. 100
Antoninus Imperator. 3. 40. Ejus lex de adulteria. 57. Moritur, & Marcus Aurelius ei succedit. Ibid.
S. Antoninus cum sociis, M. 9 13
S. Antonii Eremitæ initia. 7. 91. In desertum montem secedit. 8. 3. Recipit discipulos. 9. 4. Monasteria instituit. Ibid. Nilum crocodilis plenum cum sociis illæsus pertransit. Ibid. Martyres palam adjuvat. 38. Ejus soror virgo & virginum præposita. 54. Multa divinitus noscit. Ibid. Ejus vita ratio, & miracula. Ibid. Publice damnat Arianos. 10. 33. Dæmones fugat signo S. Crucis. 50. Constantino rescribit. 51
Anti-Trinitarii Eusebii testimonio de divinitate Christi damnati. 9 44
Apelles. Ejus errores. 3. 52. Est Tolerantium patronus. 4. 11 A Rhodone confunditus. Ibid.
Apertio lateris Christi. 1 58
Apocalypsis D. Joannis. 3 14
Apollo, quis? Christum prædicat. 2 55
S. Apollonia M. 6 38
S. Apollonius cum sociis, M. 4 37. & 9 32
Apollonius Thyanæus, magus. Ejus vita fabulosa. 2. 65. Nullos reliquit discipulos. Ibid.
Apostoli prudenter credunt Christo. 1. 11. Eorum electio. 14. Eis apparet Christus, & dat Spiritum S. 62. Loquuntur linguis variis. 2. 2. Missi in carcerem, divinitus liberantur. 3. & 6. Eorum divisio per varias mundi provincias. 33. Quo anno contigerit? 35. Qualis fuerit eorum vita. 58. Eis revelatæ fuit omnes fidei veritates. 5. a 7. ad 10
Appellationes ad sedem Apostolicam. 7 12
Aqua sola in calice consecrando non sufficit. 7 22
Aquilas gentilis fit Christianus, deficit ad Judæos, & novam Veteris Testamenti versionem adornat. 3 41
Arabes hæretici. 6 32
S. Arcadius M. 9 22
Archidiaconorum officium. 8 24
Archippus quis? Paulus eum reprehendit. 2 87
Archontici hæretici. 4 7
Arelatensis synodus damnat Donatistas; Ejus canones & synodica. 9 51
Arii errores. 9. 75. Ejus damnatio & depositio. Ibid. Ejusdem literæ ad Eusebium Nicomediensem. 76. Et ad S. Alexandrum. Ibid. Ejus errores examinantur Nicææ. 10. 2. Relegatur cum Theona & Secundo Episcopis. 7. Revocatus. 24. Ejus fidei professio subdola. Ibid. Eum recipiunt multi Episcopi. Ibid. Athanasius eum rejicit. 26. Ejus mors funesta. 49
Arianæ hæresis initia. 9. 74. Arianorum mutationes. 76. Eorum prima synodus. 76. Eos sedare tentat Constantinus. 77. Eorum confusio in Nicæna synodo. 10. 2. Eorum fraudes. 24. Quæstionem juris instaurant. 27. Invadunt sedem Antiochenam. 28
Arnobius scribit pro religione Christiana. 8. 26. Fuit Lactantii præceptor. Ibid.
Articulorum fidei divisio in fundamentales, & non fundamentales, impie. 2 93
Asclepius Marcionistarum Episcopus Pseudo-Martyr. 9 14
Asterius Sophista Arianus. 10 48
SS. Asturius & Marinus MM. 7 93
S. Athanasius puer non baptizavit alios pueros. 9. 59. Alexandro succedit in Episcopatu. 10. 12. Scribit adversus gentes. Ibid. Rejicit Arium. 26. Eum calumniantur Meletiani. Ibid. Innocentem declarat Constantinus. Ibid. Accusatur apud Constantinum. 34. Ad eum provocat. 45. Exulat Treviris. Ibid. Nullum conscripsit symbolum. 49
Athenagoræ Apologia. 4 4
Audianorum schisma, 9. 78. Antropomorphitæ dicti. Ibid.
Aurelianus Imperator. 7. 103. Favet Christianis & vincit Zenobiam. Ibid. Ejus persecutio & mors. Ibid.
Avaritiam & amorem temporalium reprehendit Christus. 1 36
Avilius Episcopus Alexandrinus. 3 10
Azymo pane usus est Christus in institutione Eucharistiæ. 1 51

B

S. BAbylas Antiochenus Episcopus. 6. 19. Ejus Martyrium. 45
Bagaudæ latrones. 8 4
Baptismus Joannis non conferebat gratiam; hanc confert Christi baptismus. 1. 3. & 2. 55. Baptismus Christi conferendus sub distincta trium personarum divinarum invocatione. 1. 63. Omnibus est necessarius ad salutem, etiam parvulis. 1. 5. & 4. 32. Unus est, nec iterari potest. 2. 90. Totam peccatorum pœnam remittit; non item pœnitentia. 4. 52. Baptismi virtus & necessitas. 5. 3. Baptismus per aspersionem datus, est validus. 7. 37. Baptismi solemnis ritus. 10. 56. Baptismo præmissæ interrogationes. 5. 41. & 8. 30. Tribus prioribus sæculis per trinam immersionem collatus. 5. 41. Baptismum ab hæreticis datum reprobat S. Cyprianus. 7. 37. 38. 40. Episcoporum dissensio circa eundem. 38. Illum approbat Ecclesia. 42

Barbarorum incurſionibus in Imperium Romanum fides propagata. 7 97
Bardeſanis errores & opera. 4 22
Barcochebas dux Judæus Chriſtianos multos interficit. 3 30
S. Barlaam M. 9 5
S. Barnabas primus vendit ſuas poſſeſſiones, & pretium affert Apoſtolis. 2. 5. Antiochenam Eccleſiam confirmat & amplificat. 30. Ejus Apoſtolatus. 2. 37. Ejus cum Paulo conſecratio, & prædicatio in Cypro. Ibid. Ejus mors. 47. Ejus epiſtola apocrypha. 3. 18
Baſilicæ & imagines necdum in uſu publico erant tertio ſæculo. 5 59
Baſilides & Saturninus hæreſiarchæ. 3 37
Baſilidis & Martialis Epiſcoporum cauſa. 7 31
SS. Baſiliſcus & Lucianus MM. 9 34
Baſſus Judæam perdomat. 3 6
Bero hæreticus unam in Chriſto admiſit voluntatem. 5 73
Beroeenſes Evangelium avide recipiunt: quid, & quare examineut? 2 48
Bethſaidæ deſertum petit Chriſtus; cur? 2 30
Bigami excluſi a ſacris Ordinibus. 2 93
Blaſphemiæ peccatum quale? cur non remittatur? 2 13
D. Boniſacius M. 9 5
Bonorum Eccleſiæ adminiſtratio penes Epiſcopum, qui ea diſpenſet, eorumque ſit particeps, quantum indiget. 3 55
Britonum converſio. 4 85

C

CÆlibatus ſacerdotum. 2 93
Cæſareenſis ſynodus. 4 41
Cajanorum hæreſis. 4 7
Cajus Papa. 7 103
Caldonius de lapſis conſulit Cyprianum; Ejus reſponſio. 6 70
Caligula Imperator. 2. 15. Statuam ſuam in templo Hieroſolymitano collocari jubet. 26. Interficitur. 20
Calliſtus Papa. 5. 64. Mors. 68
Canones Apoſtolici qui, & quot ſint recepti. 3. 67. Canones Arabici. 10 6
Canones pœnitentiales Petri Alexandrini. 8 47
Caracalla ſedat perſecutionem, 5. 53. Papinianum ſecuri percuti jubet. 54. Ejus mors. 63
Carpocrates, Ejus imagines ſuperſtitioſæ, & errores. 3 37
Carus Imperat. 7 107
S. Caſſianus M. 8. 33. & 43
Catechumenorum triplex ordo. 6 37
S. Catharina M. 9 15
Catholicarum Epiſtolarum ſcopus. 3 84
Catholici ab antiquis hæreticis *Pſychici* per ludibrium dicti. 5 42
Celerinus quid egerit pro lapſis? 6 56
Cenſus Cæſari ſolvendus. 2 48
Centurionis humilis & efficax fides. 2 17
Cerdonis errores. 3 43
Cerinthi errores. 2. 87. Author fuit ſectæ Millenariorum. Ibid.
Charitas operit multitudinem peccatorum. 2. 37. Quomodo expellat timorem? 4. 52. Charitas fidelium tempore peſtis. 7 92
Chorepiſcopi erant ordine Epiſcopi. 9. 60. Eorum origo. Ibid.
Chriſti Baptiſmus, qua ætate? 2. 1. Ejus jejunium & tentatio. 2. primum miraculum. 4. Chriſtus docet e navicula Petri. 7. Se probat Meſſiam. 11. Chriſti ſermo in monte. 15. Solis Judæis prædicat. 16. & 23. Frequenter locutus in Parabolis. 18. & 28. Ejus transfiguratio. 26. Sanat cæcum a nativitate. 34. Ejus regnum quale & ejus leges. 39. Ejus ſolemnis ingreſſus in Jeroſolymam. 45. Prædicit excidium templi & urbis Hieroſolymitanæ. 49. Quomodo filius David? 48. Lavat pedes diſcipulorum. 51. Ejus poſtremus ſermo. 53. Prædicit Apoſtolis, quanta paſſuri ſint. Ibid. Deſcendit ad inferos, & juſtos liberat. 55. Reſurgens apparet Magdalenæ & aliis piis mulieribus. 57. Apparet omnibus diſcipulis. 60. Aſcendit in cœlum. 63. Ejus epiſtola ad Agbarum. 2. 34. Non omnes Chriſtiani ſalvantur propter quos Chriſtus mortuus eſt. 60. Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus. 64. Chriſti excellentia. 87. Ejus ſacerdotium. 90. Chriſtus omnium Redemptor. 93. Deus eſt & homo. 4. 33. 44. Ejus divinitas. 5. 46. & 6. 29. Non eſt impoſtor. 6 25
Chriſtianorum dignitas. 2. 37. Eorum innocentia. 5. 15. Calumniam patiuntur ex pravis hæreticorum moribus. 5. 16. Soli vere philoſophi. 40. Orant pro Imperatoribus ethnicis. 5. 18. & 19. Jurabant per ſalutem Cæſaris, ſed non per ejus genium. Ibid. Eorum fidelitas & patientia. 19. Reipublicæ utiles. 21. Quid recipiant in Euchariſtia. 6. 31. Quomodo erudiebantur. 37. Multorum mores corrupti; hinc eorum lapſus in perſecutione. 46. Divina in aliquos ultio. Ibid. Eorum poteſtas in dæmones. 5. 17. 2. 20. Eorundem charitas. 7. 17. 9. 38. Chriſtiani *Sarmentitii* & *Semaxii* per ludibrium appellati. 5. 23. Chriſtiani ſub Principibus Ethnicis carebant templis. 5 79
Chriſtiana religio in cruce fundata. 2. 58. Ejus veritas. 5. 15. 6. 25. Ejus propagatio admirabilis. 5 57
Chronicon Euſebii. 10 20
Ciborum delectus quis bonus, & quis reprehendendus? 2. 93. Cibus ſit menſis & communis. 4 48
Circumcelliones. Eorum furor. 10 33
Circumciſionem recipiunt aliqui fideles, ut ſe ſubtrahant perſecutionibus. 2 57
Cirtenſis ſynodus. 8 45
Claudius Hermianus Chriſtianorum perſecutor vivus ebullit vermibus. 5. 47. Peſte conſumitur. 55
Claudius Imperator. 2. 37. Ejus mors. 56. Alter Claudius Imperator. 7. 103. Alemannos & Gotthos debellat. Ibid. Peſte moritur. Ibid.
S. Claudius cum ſociis, M. 10 13
Clemens I. Papa. 3. 10. Ejus prima ad Corinthios epiſtola. 12. Ejuſdem. 2da ad eoſdem epiſtola, aliaque ejus opera, Ibid. Ejus mors. 89
Clemens Alexandrinus. Ejus initia. 4. 47. Ejus libri adverſus gentes. Ibid. Pædagogus. 48. Stromata. 49. & 55. Ejus nævi. Ibid.
Clerici primis ſæculis artes exercebant. 2. 50. Honeſta ſuſtentatio eis debita jure divino, & qualis? 50. Ante ſæculum tertium carebant certo habitu. 5. 61. Eorum veſtes ſæculo tertio. 7. 64. Clerici non debent eſſe tutores. 7. 20. Eorum reditus ſunt oblationes fidelium. 7. 30. Clerici apoſtatæ depoſiti ſine ſpe reſtitutionis. 38. Non ſubjacebant pœnitentiæ publicæ. 8. 47. Clericis cum mulieribus habitare non licet. 10. 6. Clericos divites, vel municipes, vel hæreticos publicis muneribus ſubjicit Conſtantinus. 12. Continentiam ſervare debent. 9. 3. 9 11
Clerus Romanus. 6 82
Cœnaculum poſt aſcenſionem Chriſti repetunt ejus diſcipuli. 2 63
Collectæ pro pauperibus. 2. 61 64
Commodus Imperator. Ejus mores. 4. 16. Mors. 39
Communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, eſt realis in Euchariſtia. 2 60
Communio Paſchalis. 6 31
Communio ſub una ſpecie. 6. 46. 7. 4. Communio domeſtica. 6 46
Concilium Apoſtolicum Hieroſolymis de legalibus; Ejus decretum, illiusque explicatio. 2 45 46
Concilium Carthaginenſe primum de lapſis. 6. 85. Secundum de iiſdem. 2 8
Concilium Eliberitanum. Ejus Canones. 8 3
Confeſſio ſacramentalis nunquam publica facta ex aliqua lege. 5. 4. Confeſſio peccatorum occultorum. 6 61
Confeſſoribus plurimis oculorum alter effoditur, & pedes ſubnervantur. 9 12
Confirmationis ſacramentum. 2. 11. 5. 3. 7. 40. 10 63
Conjugatorum vita qualis eſſe debeat. 4. 51. 5. 6. 9 3
Conſtantinus Imperator. 9. 2. Ejus labarum. 30. Arcus triumphalis eidem erectus. Ibid. Chriſtianæ religionis myſteria diſcit ab Epiſcopis. 40. Ejus edictum pro Chriſtianis. 41. Liberalitas erga Eccleſias. 47. Immunitates Clero concedit. 48. Ejus encyclica ad Epiſcopos Occidentis. 50. Punit Donatiſtas. 51. Ejus epiſtola ad Epiſcopo concilii Arelat. Ibid. Ejus epiſtola ad Epiſcopos Donatiſtas. 62. Ad Probianum. Ibid. Ad Celſum. 63. Ad Epiſcopos Numidiæ. Ibid. Licinio victo dat pacem. 63. Cæcilianum abſolvit. Ibid. Ejus leges adverſus Donatiſtas, quibus tamen pœnam remittit. Ibid. Ejus lex adverſus Judæos. 64. Manumiſſionis jus concedit Eccleſiæ. Ibid. Leges pro Chriſtianis. 70. Iterum vincit Licinium. 72. Sacrificia prohibet. 73. Edicto gratum animum erga Deum profitetur. Ibid. Ejus literæ de pace. 77. Ejus pietas. 10. 2. Ejus oratio ad Nicænam ſynodum. 3. Subſcribit decretis Nicænis. 5. Ejus lex adverſus Arianos. 8. Ejus epiſtola ad Alexandrinos. Ibid. Virginibus & viduis aſſignat annonam. 9. Templum magnificum ædificat in loco reſurrectionis dominicæ. 14. Romæ plures baſilicas ædificat. 15. Conſtantinopolim condit. 16. Nicomediæ & Antiochiæ magnificas Eccleſias extruit. 17. Gentilium templa ſpoliat, & turpiora ſubvertit. Ibid. In Palæſtina ſuperſtitiones abolet. Ibid. Conſtantinopolitanæ baſilicæ deſcriptio. 31. Conſtantinopolim dedicat, & in ea idololatriam abolet. 32. Ejus epiſtola ad ſynodum Tyrienſem. 34. Athanaſium relegat. 45. Joannem Meletianorum ducem ejicit in exilium. 51. Ejus leges pro religione Chriſtiana. 52. Sapori commendat Perſas Chriſtianos. 53. Fit Catechumenus. 54. Ejus baptiſmus. Ibid. Ejus ſincera fides. Ibid. Ejus mors ſancta. 55. 63. Ejus mores & ſepultura. 63 & 64
Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus Cæſares. 8 8
Conſtitutionum liber eſt incerti authoris. 3 21
Continentia Chriſtianorum conjugum. 4 51
Continentia ſemper floruit in Eccleſia. 6. 30. Non conſiſtit cum cultu corporis. 7 66
Corinthii fidem ſuſcipiunt. 2 50
Cornelii centurionis miraculis vocatio. 2 20
Cornelius Papa. Ejus mores. 6. 80. Ordinationem ſuam notam facit eccleſiis. 80. Novatianum excommunicat in ſynodo. 90. Concilii Carthaginenſis ſtatuta de lapſis confirmat. Ibid. Confeſſores, qui Novatiano adhæſerant, recipit. 6. 96. Exul pro fide. 7. 14. Ejus mors. 15
Correctio fraterna. 2 27
SS. Coſmas & Damianus MM. 8 2
Credulitas ſine inquiſitione multitudini eſt neceſſaria. 6 25
S. Criſpina cum ſociis, M. 8 38
Criſpinus & Criſpinianus Martyres. 8 6
Crucis vis & efficacia. 8. 3. 9 78
Cultus Sanctorum antiquitas. 4. 5. Cultus Martyrum Religioſus. 6 59
Cyclus paſchalis. 10 9
S. Cyprianus. Ejus converſio. 6. 34. Fit presbyter. 35. Fit Epiſcopus. 36. Ejus mores. 37. Perſecutio futura ei divinitus revelatur. 40. & 41. Perſecutionis tempore ſecedit, proſcribitur. 48. Scribit ad Clerum ſuum, & ad Martyres. 49. Scribit ad Clerum Romanum. 54. Confeſſores conſolatur; perſecutionis finis ei revelatur. 55. Confeſſores hortatur ad humilitatem & concordiam. 59. Libellorum pacis formam eis præſcribit. Ibid. Excuſat receſſum ſuum. 59. Cum lapſis communicantes excommunicat. 74. Confeſſores Romanos conſolatur. 75. Schiſmaticos excommunicat. 77. Eccleſiis Africæ ſcribit pro Cornelio Papa. 88. Novatiani legatos rejicit. 87. Gratulatur confeſſoribus qui defecerant a Novatiano. 7. 1. Ejus liber de unitate Eccleſiæ. 2. Novatiani ſchiſmatis progreſſum moratur. 3. Scribit ad Fortunatum. 7. Thibaritanos hortatur ad Martyrium. 10. Ejus liber de mortalitate. 18. Adverſus Demetrianum 19. De opere & Eleemoſynis. 36. Fatetur unum eſſe baptiſmum. 38. De bono patientiæ. 40. Ejus opinio de decreto Stephani Papæ. 45. Servat pacem cum Stephano. Ibid.

Exul

Digitized by Google

Exul pro fide. 54. Divinitus novit futuram suam passionem. 55. Consolatur episcopos & alios ad metalla damnatos. 56. Se præparat ad Martyrium. 60. Ejus Martyrium 61. Ædes sacræ ejus memoriæ consecratæ. 62. Ejus errorem quomodo excuset Augustinus. 64. Ejus scripta. 65. Liber adversus Judæos. Ibid. De vestitu virginum. 66. De oratione Dominica. 67. Quædam ejus opuscula Gelasius Papa declaravit apocrypha, 68

S. Cyrillus puer M. 7 84

D

DÆmonibus silentium imponit Christus. 1. 8. Dæmoniorum legionem ejicit Christus. 9

Dæmonum fraudes pro propaganda idololatria. 5. 2. Dæmones subditi Christianis. 17

Dæmon multos seducit per mulierem. 6 6

Decius Imperator. Ejus persecutionis atrocitas. 6. 41. Ejus mors. 98

Decretales Romanorum Pontificum usque ad Syricium Papam sunt suppositiæ, paucis exceptis. 3 33

Dedicationis templi festus dies. 1 41

Demetrius Ephesi seditionem movet adversus D. Paulum. 2 62

Demetrius Alexandrinus Origenem excommunicat & ejicit Alexandria. 5 74

Demetrius Antiochenus damnat Novatianum, 7 5

S. Demetrius M. 8 35

Descensus Spiritus sancti in discipulos. 2 2

Deus vult omnium salutem. 2. 93. 4. 54. In nullo, nisi in solo Deo gloriandum, 58. Unus est in tribus personis. 4. 33. Est author pœnæ, non peccati. 5. 46. & 6. 29. Ejus providentia erga fideles in publicis calamitatibus. 7 20

Diaconorum institutio; eorum ordo est sacer. 2. 7. Subsunt sacerdotibus. 3. 85. Diaconis sacramentaliter absolvere non permisit S. Cyprianus. 6. 68. Diaconorum continentia. 9. 60. Presbyteris sunt inferiores. 10 7

Diaconissarum institutio. 2 93

Dianæ Ephesinæ templum. 2 62

Didius Julianus Imperator. 4 40

Dii Gentium vel fuere homines scelerati & mortui, vel dæmones. 5 14

Diocletianus Imperator favet Christianis. 8. 1. Movet persecutionem; cur? 9. Ejus primum edictum adversus Christianos, & ejus causæ. 16. Secundum ejus edictum 18. Incidit in amentiam; abdicat Imperium. 44. Seipsum fama enecat. 9 39

Dionysii Areopagitæ conversio. 2. 40. Ejus opera. 4 82

Dionysius Corinthiorum episcopus, & author ecclesiasticus. 4. 12. Ejus epistola ad Romanos. Ibid

S. Dionysia cum sociis, M. 6 63

S. Dionysius Alexandrinus pro fide exul. 6. 44. Ejus epistola ad Novatianum. 89. Ad Fabium Antiochenum. 7. 4 Ad Stephanum Papam. 44. Iterum exul: quanto pro fide passus sit. 50. Scribit adversus Sabellium. 51. Ejus epistola de baptismo hæreticorum. 52. Adversus Novatianum. 53. Ab hæreticis baptizatos non rebaptizabat. Ibid. Ejus recta fides circa Trinitatem; Filium Patri consubstantialem confitetur. 94. Ejus epistola Canonica. 96. Confutat errores Nepotis. Ibid. Non scripsit ad Paulum Samosatanum. 99

S. Dionysius Parisiensis episcopus. 6. 96. Ejus Martyrium. 7 81

S. Dionysii Papæ epistola adversus hæreticos, qui negabant Trinitatem. 7. 95 Ejus mors. 100

Disciplina secundi & tertii sæculi in recipiendis Neophytis ad baptismum, & lapsis ad pœnitentiam. 6. 27. Ejus severitas. 72

Disciplina Ecclesiæ in recipiendis apostatis, & hæreticis ex nativitate fuit diversa. 7 53

Discipulorum septuaginta electio. 1. 85. Discipulis suis, eorumque successoribus in Episcopatu, Christus perpetuam promittit assistentiam, ut bene doceant. 62

Discipulorum Christi fortitudo est argumentum veritatis evangelicæ. 6 25

Divinarum personarum circuminsessio. 2. 53. Earum realis distinctio. 5 50

Divinitas Christi. 1. 10. 11. 14. 33. 41. 48. & 2. 85. 87. 90. & 3. 8. 16. 24. & 4. 6. 7. 33. 43. 48

Divisio bonorum ecclesiasticorum. 6 40

Divitiæ, salutis impedimenta. 2 31

Docetas hæreticos confutat D. Ignatius. 3 25

Doctrina Christi cœlestis. 2. 5 & 30

Dominicus dies successit Sabbatho, cur? 2. 2. Dominica die celebrare conventus sacros est institutio Apostolica. 69

Dominis non tantum modestis, sed etiam asperis obediendum. 2 27

Domitianus Imperator. Ejus persecutio. 3. 13. Ejus mores & mors. Ibid.

Domitilla, neptis Domitiani relegatur propter fidem. Ibid. Ejus martyrium. 14 & 19

SS. Donatianus & Rogatianus. 8 19

Donatistæ. Eorum schismatis initia. 9. 33. Judices postulant adversus Cæcilium. 40. Non acquiescunt judicio synodi. Ibid. Novum judicium petunt. 50. In synodo Arelatensi damnantur. 51. Damnati provocant ad Constantinum. 62. Eorum furor. 63. Traditionis & simoniæ rei agnoscuntur. 65. Eorum pseudo-synodus. 10 23

E

EBionis hæresis. 3 7

Ecclesia bonos & malos complectitur. 1. 18. Ecclesiæ docentis infallibilitas. 62. Ejus incrementa. 2. 2. Ecclesiæ præceptis obediendum. 47. Est semper audienda. 3. 16. Est columna veritatis. Ibid. Ecclesiarum Orientalium status exeunte primo sæculo. 73. Ecclesiarum traditioni nemo fidelis resistit. 4. 31. Est magistra veritatis. 33. Ecclesia Romana fons & origo traditionis apostolicæ. Ibid. Ejus disciplina circa excommunicatos. 42. Ejus unitas, hierarchia, perpetuitas & amplitudo. 53. Ecclesiæ Romanæ antiquitas. 54. Ecclesiæ veritas. 5. 7. Ejus Authoritas. 8. Ecclesia calumniam patitur ex improbis hæreticorum moribus. 13. Ecclesiæ quondam pendebant tributum pro conventibus quiete celebrandis. 51. Ejus amplitudo tertio sæculo. 52. Ejus plena pax sub Gallo. 6. 98. & 7. 26. Fundatur super Cathedram Petri. 7. 2. Extra eam non est salus. Ibid. Ex suis reditibus semper aluit pauperes. 35. Ecclesiæ florens status sub Diocletiano. 8. 1. Sub Constantino 9. 45. 73. Ecclesiæ prima possessio sunt bona martyrum. Ibid. Ecclesiarum constructionem permittit Constantinus. Ibid. Ecclesiæ unitas & indefectibilitas. 75. Ecclesiæ Hierosolymitanæ dedicatio. 10 42

Educatio filiorum negligens punienda. 3 60

Eleazarus occupat tyrannidem; ejus crudelitas. 2. 97. Ejus furiosum facinus. 3 6

Electio patriarchæ Alexandrini. 2. 80. Electio episcopi est regula successionis ab Apostolis tradita. 3 71

Eleutherii Papæ mors. 5 33

Eliberitana synodus. 9 3

Elymas resistit Paulo; ejus punitio. 2 40

Epaphras, quis? 2 87

Epephroditus Philippensium episcopus. 2 85

Ephesi biennio docet Paulus. 2 55

Ephesinum Dianæ templum. 2 62

Episcopus assignatur cuilibet civitati; qua occasione? 2. 61. Superior est presbyteris. 93. & 4. 8. Ejus officia. Ibid. Episcoporum institutio est a Christo. 4. 7. 28. Eis obediendum. 42. Episcopi missi in Gallias. 6. 98. Sunt divinæ institutionis. 7. 28. Episcopis lapsis in pristinum gradum restitutio non concedebatur. 30. Nec aliis clericis. 32. Electio episcopi quænam Canonica? Ibid. Episcopi multi recedunt ab errore Cypriani. 68. Episcoporum successiones. 107. Episcopi insigniores Nicænæ synodi. 10 2

Epistola prima D. Petri. 2. 37. Epistola Pauli prima ad Thessalonicenses. 51. Secunda ad Thessalonicenses. 52. Epistola ad Galatas. 57. Epistola prima ad Corinthios. 58. Secunda ad Corinthios. 64. Epistola ad Romanos. 66. Ad Philippenses. 85. Ad Philemonem. 86. Epistola ad Laodicenses ficta. 87. Epistola ad Colossenses. Ibid. Ad Ephesios. Ibid. Ad Hebræos. 90. Epistola prima ad Timotheum. 93. Ad Titum. Ibid. Epistola secunda D. Petri. 98. Epistola secunda ad Timotheum 95. Epistola D. Jacobi. 91. Epistola prima D. Joannis. 3. 16. Secunda & tertia Joannis. Ibid. Epistola D. Judæ. 3. 17. Epistolarum Canonicarum scopus. Ibid.

Essenii quinam? 2 4

Evangelii propagatio. 2. 2. Evangelium apud se tardius propagatum nulla gens juste conqueri potest. 33

Evangelistæ quatuor. 2. 18. 4 33

Evaristus Papa. 3 33

Evodius primus episcopus Antiochenus à D. Petro constitutus. 2. 71. Ejus martyrium. 3 4

Eucharistiæ promissio; in ea est vere & substantialiter corpus & sanguis Christi; ejus utilitas & necessitas. 1. 28. Ejus institutio: est vere sacramentum & sacrificium. 58. Item 2. 90. & 3. 26. 28. 55. Item 4. 8. A Jejunis sumenda ex institutione Apostolica. 2 69. Est verum sacrificium a Malachia prædictum. 4. 34. Item 6. 6. 46. Parvulis sub una vini specie dabatur; majores vero hanc domi sumebant sub sola specie panis. 6. 47. Fideles quotidie illius erant participes tempore persecutionis. 7. 10. A Melchisedech præfiguratum. 22. Ejus frequens usus. 67

S. Eulalia M. 8 40

Eunuchi conversio. 2 13

S. Euplius M. 8 43

Eusebii Alexandrini & Anatolii Episcopi laus. 7 100

Eusebius Papa. 8. 26. Ejus mors. 9 17

Eusebius Nicomediæ, Arianorum antesignanus. Ejus impiæ literæ. 9. 76. Nicænæ definitioni cum quatuor aliis resistit. 10. 5. Relegatur cum Theogni. 8. Utriusque libellus supplex; recipiunt suas sedes. 25. Explicationibus suis corrumpit Nicænam fidem. 48

Eusebius Cæsariensis. Ejus libri de præparatione evangelica. 9. 55 De demonstratione evangelica. 52. Ejus epistola ad Cæsarienses hæretica. 10 10. Ejus historiæ criterium. 10. Fuit in persecutione prævaricator. 25. Fuit Arianus; alii ejus libri. 64

Eusebii utriusque professio fidei rejecta est Nicææ. 10 4

Eutychianus Papa. 7 103

Eutychum mortuum suscitat Paulus. 2 69

Excommunicatio quantum timenda. 2. 59. 5 40

Excommunicatus ab uno episcopo, nequidem a Romano Pontifice recipiebatur sine consensu illius episcopi. 3 50

F

S. FAbianus Papa. 6. 8. Ejus martyrium. 51

Factiones Jerosolymis. 3 5

Fames Jerosolymitana. 2. 5. Fames & pestis sub Maximino. 9 38

S. Faustus M. 8 40

S. Faustini & sociorum martyrium. 3 47

Felix Papa. 7 103

S. Felix cum sociis M. 8 23

Felix Aptungensis declaratur Innocens. 9 52

S. Felicis Nolensis passiones & mors eleganti carmine a Prudentio descripta. 7 82

Felicissimi & Novati schisma; eos excommunicat S. Cyprianus. 6 77

Felix tremefactus disputante Paulo, & ejus mores. 2 77

D. Felicitatis & ejus filiorum martyrium. 3. 54

Feria quarta jejunant Orientales. 1 50

Festivitates Martyrum celebratæ. 4 18

Festus Paulum vinctum mittit Romam. 2. 78 81

Fidei in Christum necessitas. 1. 5. 52. Fidei & charitati remissionem peccatorum tribuit Christus. 17. Fides Petri quomodo non deficiat. 52. Quænam fides justificet, & quomodo? 2. 57. 67. Item 3. 13. Fidei integritas. 93. Fides, qua credimus Christum esse mortuum pro salute nostra, est fundamentum spei Christianæ. 3. 10. Fides sola non sufficit ad salutem. 13. 17. Fidem ejurat qui vel unum articulum ab Ecclesia definitum rejicit. 16. Fides in unum Deum remuneratorem, quem amemus, non sufficit ad salutem. 18. Fidei & charitatis necessitas. 4. 21. Ejus veritas petenda ab Ecclesia. 33. Fides justificans sine operibus, Valentini figmentum. 42. Fides scientiis anteponenda. 50. Fidei necessitas & utilitas. 6 25
Fidelium primi & secundi sæculi fides circa Eucharistiam. 1 51
Fideles primi bona abdicant, sed sine voto paupertatis. 2. 4 Fideles secundo Sæculo singulis Dominicis communicabant. 3. 55. Fideles prioribus sæculis frequenter communicabant. 7 67
D. Fidicula M. 3 18
Filius Dei Patri coæternus. 1. 33. Filium Dei se probat Christus. 41. Filius Dei est Patri consubstantialis. 10 4
Firmilianus Origenis amicus. 5. 76. Adhæret errori Cypriani. 7. 46. Ejus epistola ad Cyprianum est supposititia. Ibid.
Flaviæ, Domitillæ, & aliorum martyrium. 3 87
S. Flavianus M. 7 78
Florus, quis? 2 57
S. Florianus cum sociis Martyr. 8 12
Fortunati schisma. 7 9
S. Fructuosus cum sociis M. 7 76
Fugiendum tempore persecutionis. 1. 20. & 4 33

G

GAlba Imperator. Ejus mors. 3 3
Galerii Imperatoris crudelitas. 8. 48. Divina in eum justitia. 9. 23. Ejus edictum pro Christianis. 26. Mors. 27
Gallus oppugnat Jerusalem, & fugatur. 2 57
Gallus Imperator. 6. 98. Ejus persecutio. 7. 13. Mors. 24
Gamaliel Apostolorum causam agit. 2 6
S. Genesius M. 8 29
Gentilium falsa miracula. 3 4
Gentilium cæremonias ut superstitiosas irrisere philosophi. 5 20
Gentiles caput asini depingebant cum hac inscriptione: Deus Christianorum. 5 57
Gentilitatis eversio. 10 17
Gentium vocatio est fructus passionis Christi. 1 46
Gentium multarum conversio. 10 19
S. Germanicus M. 4 5
SS. Gervasius & Protasius MM. 8 31
Getham interficit Caracalla. 5 53
Gnosticorum doli ac superbia. 4 33
S. Gordius M. 9 5
Gordianus senior Imperator. Ejus mors. 6 7
Gordianus junior imperat cum Pupieno & Balbino, qui interficiuntur. Ibid. Vincit Persas. 6. 19. Ejus mors. 20
Gothorum conversio. 10 19
Gratiæ necessitas & efficacia; liberum arbitrium non adimit. 1. 21. Gratiæ necessitas. 21. 53. Item 6. 30. Item 7. 67. Gratiam Christi multi negligunt, vel respuunt. 1. 37. Gentilibus nunquam penitus defuit. 2. 42. Gratiarum actiones pro beneficiis suis exigit Deus. 78. Gratiæ libere cooperamur. 4 54
S. Gregorius Thaumaturgus. Ejus conversio. Origenis discipulus, eum publice laudat. 5. 70. Miraculo declaratur ejus castitas. Fit episcopus. Fidei symbolum ei tradit S. Joannes. 6. 13. Ejus miracula, infideliumque conversiones. 14. In persecutione fugit cum suis; divinitus servatur. 50. Ejus epistola canonica. 7 27
S. Gregorii Senioris sive Nazianzeni baptismus, & vita. 10. 22. Natus ante patris episcopatum. Ibid.

H

HÆreseon utilitas. 6. 27. Cur eas permittat Deus. 7 2
Hæretici fugiendi. 3. 17. Hæreticorum mores. 4. 33. Hæretici negantes resurrectionem carnis. 5. 64. Hæreticorum libri non sunt legendi. 7. 52. Eorum fraudes, ut tolerantiam subripiant. 9 77
Hegesippus author ecclesiasticus. 3 50
Helcesaitarum hæresis. 6 38
Helena regina famis tempore Judæos alit. 2 30
S. Helena Imperatrix reperit Christi Crucem & sepulchrum. 10. 14. Crucem veneratur: quomodo? duas ecclesias ædificat. Ibid. Ejus pietas & mors. 15
Heliogabalus Imperator. Ejus mores & mors. 5 65
Helvius pertinax Imperator. Ejus mores & mors. 4 40
Hemorrhoissa sanata Christo ponit statuam, ad cujus pedes crescens herba morbos depellit. 1 11
Heraclas confirmat Demetrii sententiam adversus Origenem. 6 80
Hermæ liber. 3 9
Hermogenis errores. Ejus discipuli rejiciunt baptismum. 4 30
Herodis, qui Christum irriserat, funesta mors. 2 15
SS. Hesperus & Zoe MM. cum filiis. 3 8
Hieracis hæresis. 8 17
Hierarchia ecclesiastica. 2. 25. 4 53
Hieronymi Apologia contra Ruffinum. 5 78
S. Hilarionis vita. 9 58
S. Hyppolytus episcopus & M. Ejus statua, & ejus opera. 5. 21. Ejus doctrina de Trinitate & Incarnatione. 23
S. Hyppolytus cum sociis M. 7 14
Histrionibus neganda communio. 7 35
Honor parentibus debitus. 1 43
Hosius Alexandriam missus, ut pacis sequester. 9 77
Huetii origeniana. 6 23
Humilitas commendatur. 2. 32. Item 3 2
S. Hyacinthus M. 4 22
Hyginus Papa. 3. 49. Ei succedit Pius. 50
Hymenæi error. 2. 93. Ejus punitio. Ibid.

I

JAcobi & Joannis fratrum vocatio ad Apostolatum. 1 7
Jacobus frater Domini, primus Hierosolymorum episcopus. Ejus sanctitas. 2 6
Jacobi fratris Joannis Martyrium. 2 32
Jacobi epistola canonica. 2. 91. Ejus liturgia & martyrium. Ibid.
SS. Jacobus & Martianus cum sociis. MM. 7 73
S. Jacobus Nisibita. 10 5
Jairi filiam Christus a mortuis suscitat. 1 11
Iberorum conversio per mulierem captivam. 10 19
Iconiensis & Synadensis synodus rejiciunt baptismum hæreticorum. 7 46
Idololatris, mœchis & homicidis pœnitentiam nunquam negavit Ecclesia. 5 42
Idololatriæ non patrocinatur gentium consensus. 10 12
Idolothyta quomodo prohibita. 2 60
Jejunium quadragesimale. Ejus origo. 1. 5. Jejunia in Ecclesia sua futura denuntiat Christus. 11. Institutio jejunii. 3. 49. Jejunii diversitas in majori hebdomada. 4. 42. Cur quædam olim dicta sint stationes. 6. 5. Jejunium feriæ quartæ & sextæ. Ibid. Jejunia præcipere possunt episcopi. Ibid.
Jerosolymæ multa hominum millia pereunt. 2. 43. Illius desolationis præsagia. 91. 97. Ejus excidium. 3 5
Jesu viri plebei lamentationes per septem annos adversus Jerusalem. 2 91
S. Ignatii ardor patiendi. 3. 23. Damnatus ad bestias, Romam mittitur. Ibid. Ejus epistola prima ad Ephesios. 24. Secunda ad Magnesianos. 25. Tertia ad Trallianos. Ibid. Quarta ad Romanos. 26. Quinta ad Philadelphios. 27. Sexta ad Smyrnæos. 28. Septima ad Polycarpum. 29. Ejus martyrium, virtutes, epistolæ supposititiæ, vel interpolatæ. 30
Ignis verus in inferno 1. 40. Æterna reproborum supplicia. Ibid.
Imaginum varius fuit usus. 4. 47. 5. 59. Imagines solas quæ inserviebant idololatriæ, probibet Tertullianus. 5. 30. Imago boni Pastoris sculta in calicibus. 6. 5. Imagines quænam prohibitæ, & cur? 9 3
Impostores & latrones in Judæa. 2 76
Incarnatio & divinitas Verbi. 4 47 48
Incendium urbis Romæ in Christianos derivat Nero. 2 98
Incestuosum excommunicat Paulus. 2 59
Indorum Gymnosophistæ se temere in ignem conjiciunt. 4 52
Indulgentiarum primum indicium. 2. 64. Certum earum exemplum. 5 31
Infantes recens nati, indigent baptismo. 7 27
Ingressus Christi solemnis in Jerusalem. 1 45
Injuriæ statim, & semper condonandæ. 1 16
Invocatio Sanctorum. 4 15
Joannes Baptista prædicat, & Christum baptizat. 1. 1. Ejus vita. 3. Ejus de Christo testimonium. 4. Legatos mittit ad Christum. 11. Ejus carcer, mors, elogium. 12
Joannes Apostolus missus in oleum fervens, evadit incolumis, & in Patmum relegatur. 3. 13. Scribit septem episcopis Asiæ. 14. Ephesum redit, & clarescit miraculis. 15. Ejus evangelium. Ibid. Mors. 6
Jonathas Pontifex a sicariis occisus. 2 76
Jonathas alter author rebellionis vivus exuritur. 3 6
Josephi testimonium de Christo. 3. 5. Ejus libri septem de captivitate Judaica, & viginti Antiquitatum. Ibid.
Josephi Judæi mirabilis conversio. 10 18
D. Irenæus venit in Gallias. 4. 5. Confutat hæreses Florini & Blasti. 21. Traditionem & authoritatem Ecclesiæ opponit hæreticis. 31. Victorem Papam hortatur, ut mitius agat cum Asiaticis. 41. Ejus martyrium. 5 33
Ismael Judæorum Pontifex. 2 76
Judas Christum vendit. 1 50
Judæ Apostoli nepotibus parcit Domitianus. 3 14
Judæorum sectæ. 1. 24. Consilium adversus Christum. 43. Judæi quare credere non potuerint? 46. Eorum improbitatem confundit Christus. 48. Eorum terribilis clades Alexandriæ. 2. 18. D. Paulum volunt occidere. 72. Offendunt Agrippam & Festum. 80. Eis Romæ prædicat Paulus; quo successu? 83. Persequuntur Christianos. 91. Rebellant adversus Romanos. 97. Eorum cædes. 3. 1. Captivi abducuntur. 5. Internecione delentur a Romanis. 35. Judæorum obstinatio probat veritatem Evangelii. 6 26
Judicii extremi diem non ignorat Filius Dei. 1 49
Juliana virgo Origenem toto biennio celat & fovet. 6 2
S. Julianus M. 7 78
S. Julitta cum filio Cyriaco M. 8 38
S. Julitta M. 9 5
S. Julius M. 8 11
Julii Africani epistola de historia Susannæ. 6. 9. Ejusdem epistola de Genealogia Christi, in qua conciliat Evangelistas. 10. Chronicon. Ibid.
D. Justini conversio. 3. 53. Ejus apologia. 55. Ejus dialogus cum Tryphone. 4. 8. Ejus secunda apologia. 9. Ejus martyrium cum sex aliis. 10. Ejus adhortatio ad Gentes, & liber de Monarchia. Ibid.
Justificatio & vocatio ad fidem sunt dona Dei gratuita. 2 67 87
Justitiæ divinæ œconomia in hominum electione pro sua bona voluntate. 1 67
Justis cadentibus gratia Dei non deest. 2 60
Justi spiritu Dei aguntur, quomodo? 2. 67. Multas patiuntur afflictiones. 1. 53. 4 52

Justus

Digitized by Google

Justus Episcopus Hierosolymitanus. 3 20
D. Justus Viennensis Episcopus & M. 4 17

L

LActantii liber de Christianorum persecutoribus. 9. 44. Ejus institutiones. 66. Liber de ira Dei, 68. Ejus liber de opificio Dei, & ejus navi. 69
Lapsis in extremo vitæ periculo dabatur communio. 6. 65. 71. Quid eis indulgebant Martyres. 68
S. Laurentius M. 7 59
Lazarum a mortuis suscitat Christus. 1 43
Legales leges sensim abolent Apostoli. 2 45 57
Legalia quædam servet Paulus. 2 72
Legati Sylvestri P. præsunt synodo Nicænæ, 10. 3. Primi subscribunt decretis. 5
Legem Mosaicam adimplevit Christus, quomodo? 1 16
Leges Ecclesiæ non negligendæ sub prætextu charitatis. 7 35
S. Leo M. 7 90
S. Leonides M. 5 9
Leprosos mundat Christus. 1 30
Lex, qua Senatus Romanus prohibuerat, ne quis coleret Deos, nisi publice receptos, multarum persecutionum occasio. 2 48
Lex Mosaica utilis quidem, sed insufficiens ad salutem. 2 57
Lex Marci Aurelii adversus Adulteros. 4 65
Lex vetus adimpleta est in Evangelio. 6 30
Libellatici, quales? 6 47
Libelli pacis, quos lapsis concedebant Martyres, sunt Indicium Indulgentiarum. 5. 31 Libelli pacis, quos sub nova forma dederunt Martyres, turbarunt Ecclesiam. 6 67
Liberationem suam divinitus prædicit Paulus. 3 2
Libertas arbitrii. 3. 55. 4. 34., 40. & 5 46
Librorum hæreticorum lectio est periculosa. 7 58
Libros sacros in Ecclesia legere, est institutionis Apostolicæ. 2 51
Licinius Imperator. 9. 6. Vincit Maximinum. 43. Ejus edictum pro Cristianis. 44. Instaurat persecutionem. 66. Victus & captus. 72
D. Linus succedit Petro. 2. 99. Ejus mors. 3 10
Literæ communicatoriæ. 7 99
Literæ formatæ. 9 3
Literæ tractatoriæ. 9 50
Lites improbat Apostolus. 2 59
Liturgia D. Jacobi apocrypha. 2. 91. Liturgia D. Clementis. 3 12
D. Lucas scribit Evangelium. 2. 54. Item acta Apostolorum. 84
S. Luciani Martyris vita. 9 34
SS. Lucianus & Martianus MM. 9 60
Lucianus Samosatenus derisor omnis religionis. 4 30
Lucianus inducens novam formam libellorum pacis, turbat Ecclesiam. 6. 57. 58. 71
Lucii Veri mores & mors. 4 14
Lucius Britanniæ rex cum suis popularibus fit Christianus. 4 25
Lucii Charini errores. 4 44
Lucius Papa Martyr. 7 57
Lugdunensis Ecclesiæ Epistola de suis Martyribus. 4 37
Lunaticum sanat Christus. Cur Apostoli eum sanare non potuerint? 1 37
Lydiæ conversio. 2 47
Lystrenses Paulo volunt sacrificare; cur? mox eum lapidant, servatur divinitus. 2 43

M

MAchabæorum libri sunt canonici. 6 2
Macrinus Imperator. 5. 63. Ejus mors. 65
Mahumetanismus in Apocalypsi præsignatus. 3 14
Mandatorum observatio veræ charitatis certum est indicium. 1. 52. Et necessaria ad vitam æternam. 1 34
Mandata Dei sunt possibilia. 3 9
Mandata Apostolorum & seniorum debent observari. 2 47
Mandimus Judæus dux rebellionis occiditur. 2 97
Manes, ejus initia & errores. 7. 105. Eum in disputatione vincit Archelaus. 106
Manichæorum mores & disciplina. 7 Ibid.
S. Mappalicus cum sociis M. 6 55
S. Marcellinus Papa. 8. 6. Ejus lapsus fictitius. 15
S. Marcellus M. 8 15
Marcellus Papa. 8 26
Marcellus Ancyranus damnatus ab Arianis. 10 48
Marcionis apostasia. 3. 50. Ejus errores. 51. Ejus sectatores inter se diffident. 52
Marcosiani hæretici. 4 7
D. Marcus scribit Evangelium. 2. 38. A D. Petro missus fundat Ecclesiam Alexandrinam. 71. 88. Ejus martyrium. 89
Marcus Papa. 10 52
Marcus primus ex gentilibus Hierosolymorum Episcopus. 4 33
Marcus Aurelius Imperator. Ejus superstitio & odium adversus Christianos. 4. 1. Christianorum precibus impetrata pluvia vincit hostes, eosque accusare vetat. 14. Ejus epistola pro Christianis. 16. Mors. 26
Marcus Aurelius Probus Imperator. 7 104
B. Mariæ V. obitus Hierosolymæ. Ejus encomium & assumptio in cœlum. 2. 35. Dicitur Deipara. 9 75
Maria Magdalena, quæ Christi pedes unxit in domo Simonis, eadem est cum sorore Lazari, & muliere peccatrice. 1. 44. Non venit in Galliam cum fratre suo Lazaro & Martha sorore. 2 10
S. Marini martyrium. 7 93
Martianus Arelatensis depositus, cur? 7 33
Martyres sub Nerone. 2. 99. Sub Domitiano. 4. 14. Sub Trajano. 22. Sub Adriano. 47. Sub Decio. 6. 42. Sub Maximiano in Galliis. 8. 5., & 6. Sub Diocletiano. 22. 27. Martyres in Galatia. 28. Sub Maximino. 49. 51. Martyres Ægyptii. 9. 24. Sub Licinio. 71
Martyres quid peccaverint in suis pacis libellis. 6. 60. Quid indulserint lapsis. 61
Martyres ad metalla damnantur. 9 22
Martyres trecenti Uticæ. 7 69
Martyrium perfectum semper habet adjunctam charitatem. 4 52
Martyrum anniversarii dies celebres in Ecclesia; Eorum memoria fit in sacrificio Altaris. 6. 59. Eorum multitudo. 64
Martyrum natalem in cœlo diem semper celebravit Ecclesia. 8 24
Martyrium est Christianorum semen. 5. 22. Ejus utilitas. 32
Martyrium nullum est extra Ecclesiam. 7 2
Martyrologium suum habuere insigniores Ecclesiæ. 9 50
D. Mathias electus Apostolus. 1 64
Matrimonium etiam in casu adulterii est indissolubile quoad vinculum. 1. 30. item 4. 50. Est sacramentum. 2. 86. Matrimonio præferenda continentia. 4 51
D. Matthæi vocatio ad Apostolatum. 1. 25. Ejus Evangelium. 2. 34. Reperitur in Insula Cypro. 3 86
S. Maturus Martyr. 4 17
S. Mauritius cum sociis M. 8 4
Maxentius bellum infert Constantino. 9. 39. Victus, in fuga undis mergitur. Ibid.
S. Maximilianus M. 8 10
Maximianus fit Cæsar. 8. 1. Abdicat Imperium. 44. Moritur. 9 10
Maximinus fit Cæsar. 8. 44. Ejus mores. 9. 15. Renovat persecutionem. 28. Pilati acta de Christo supposita divulgat. 30. Ejus edictum adversus Christianos. 31. Mors. 44
S. Maximinus Trevirensis Episcopus. 10 47
Maximus Hierosolymitanus discedit a synodo Tyriensi. 10 35
S. Maximus M. 6 92
Maximus Pupienus & Clodius Balbinus Impp. 6. 7. Mors. Ibid.
Melchiedes Papa. 9. 17. Ejus mors. 49
S. Meletii eruditio & sanctitas. 7 107
Meletianorum schisma. 8 46
Meletianos qua conditione recipiat Nicæna synodus. 10. 15. Calumniantur Athanasium. 25. Tertio eundem accusant. 31
Melitam appellit D. Paulus, & Publii patrem cum multis aliis sanat. 2 32
Melito scribit Apologiam pro Christianis. 4 15
Menandri hæresis. 3 7
S. Menas cum sociis M. 8 32
Mensurii Episcopi fortitudo. 8 33
Mercatores e templo ejicit Christus. 1 5
Messiam se probat Christus. 1 17. Messias venit. 5 52
S. Methodius M. Ejus opera. 9 36
Metropolitanorum dignitatis & authoritatis origo. 2 71
SS. Milites quadraginta MM. 9 70
Ministri Christi quales esse debeant. 1. 36. Jure divino eis debetur honesta sustentatio. 2 59
Minutii Felicis dialogus. 4. 47. 5 57
Miraculorum potestatem Christus dat Apostolis. 1. 13. Ejus usum vult esse gratuitum. 16. Perseverant in Ecclesia Catholica. 4 38
Miracula Christi qualia? Multi credunt in eum. 1. 5. 8. 11. 17. 20. 39. 43. Eorum veritas & sanctitas. 33. Quantum differant ab impostorum præstigiis. 4 32
Misitheus Gordiani Imp. socer a Romanis quadrigis & titulis honestatus. 6 19
Missa cur sic dicta. 1 52
Missio prima discipulorum. 1. 16. Eorum secunda missio. 20
Missi a D. Petro dicti sunt, quos R. Pontifices delegarunt ad fundandas Ecclesias. 3 38
Monasteriorum institutio. 9 4
Montani errores, & mors. 4 23
Moribundis reconciliationem semper concessit Ecclesia. 9. 3. 10 7
Mors Christi pro omnibus hominibus. 1 64
Mortuorum resurrectio. 1. 61. 4. 35. 5. 59. 6. 28. Mortuorum resurrectio, & animarum immortalitas. 2. 43. 4 7
Mos cremandi cadavera a Romanis abolitus. 9 38
Moyses vetustior omnibus gentilium philosophis. 4. 49. Etiam ipsis eorum Diis. 5 15
Mulieris peccatricis conversio. 1. 17. Mulieres viris sint subditæ. 2. 37. Earum vestitus & cultus debet esse modestus. Ibidem, & 4. 48. 5. 40. Mulierum ab hæreticis deceptarum publica scelerum, quæ in eorum societate commiserant, declaratio, non fuit confessio sacramentalis. 4. 41. Mulieres subintroductæ. 7 100
Multiplicatio panum. 1. 20. 24

N

S. NAbor & Felix MM. 8 30
Naim Christus viduæ filium suscitat a mortuis. 1 17
Narcissi Episcopi sanctitatem Deus declarat. 5 1
Natalis pœnitentia. 5 45
Nathanael quis? cur non vocetur ad Apostolatum? 1 4
Nazaræorum purificationis ritus. 2 72
Nazareth docens Christus cur pauca ediderit miracula? Cives eum agere præcipitem volunt. 1 19
Neocæsariensium conversio miraculosa. 7. 16. Neocæsariensis synodus. 9 61
Nero Imperator. 2. 96. Ejus crudelitas. 89. Romam incendit. 92. Christianos persequitur. Ibid. Moritur. 3 2
Nepotis errores confutat Dionysius. 7. 96. Non scripsit ad Paulum Samosatenum. 9
Nerva Imperator. 3. 15. Trajanum adoptat, & moritur. 19
Nicæna synodus. 10. 2. Insigniores ejus Episcopi. Ibid. Legati R. Pontificis eidem præsident. Ibid. Ejus prima sessio. 3. Ejus fidei definitio. 5. Ejus decretum de festo Paschæ. Ibid. Ejus canones. 6. Ejus Epistola synodica. 7

Nicæni

Nicæni Patres Majorum fidem non mutarunt. 10. 8 50
SS. Nicander & Martianus MM. 8 13
S. Nicephorus M. 7 87
Nicodemus venit ad Christum. 1 5
Nicolaitarum hæresis. Quis ejus author? 3 98
Noeti hæresis. 5 73
Nomina Sanctorum imponenda Christianis infantibus. 7 96
Novatianus. Ejus mores. 6. 81. Fit primus Antipapa. 82. Ejus errores. 83. Ejus artes ad promovendum schisma. 84. Rejicitur a S. Cypriano. 87. Ubique damnatur. 90
Novatus schismatis author. 6 77 81
Numidicus Confessor. 6 76

O

Obediendum superioribus etiam malis. 1 48
Oblationes pro defunctis, aliasque preces in traditione fundatas laudat Tertullianus. 5 41
Oblationes fidelium in tres partes divisæ. 6 40
Odenatus vincit Persas. 7. 81. Fit Imperator. 92
Onesimus a D. Paulo baptizatur, & ad dominum suum remittitur. 2 86
Operum bonorum necessitas; unde eorum valor? 1. 40. Ea Deus remuneratur in cœlo. 48. Sunt meritoria salutis. 3. 71. Opera pœnalia sunt satisfactoria. 9. Operum bonorum vis & merces. 7 30
Ophitæ hæretici. 7 46
Oraculorum silentium. 7 78
Oratio Dominica. Orationis conditiones. 1. 35. Orat in Christ pro iis, qui futuri erant reprobi. 54. Oratio qualis esse debeat. 3. 9. Ejus vis & necessitas. 4 54
Ordinatio sacra ut fiat præmissis jejuniis & tempore sacrificii, est institutionis apostolicæ. 2 36
Ordo est Sacramentum. 2. 93. Ordines septem in Ecclesia. 6 82
Origenes. Ejus initia. 5. 9. Alexandrinæ scholæ præficitur; ejus zelus. 24. Ejus discipuli Martyres. 35. Se mutilat. 45. Ejus studia. 61. Ejus commentarii in S. Scripturam. 70. Cæsareæ presbyter ordinatur, quod ægre fert Demetrius. 74. Ejus apologia. 75. Ejus pœnitentia. 76. Ejus errorum causa. 77. Agnoscit errores suos, nec ab iis excusari potest; eos retractasse probabile est. 78 72
Origenes Ambrosium hortatur ad martyrium, ipse fugit & latet. 6. 2. Ejus Hexapla. Ibid. Ejus Epistola ad Africanum de veritate historiæ Susannæ. 9. Ejus Tetrapla & Hexapla. 11. 12. Alia ejus opera. 23. Ejus libri adversus Celsum. 24. Multa pro Christo patitur; ejus lapsus fictitius; S. Dionysius ad eum scribit. 45
Origenis mors, & Vincentii Lyrinensis de eo judicium. 7 23
Origenes alter sub Gallieno. 7 23
Originale peccatum. 2. 67. 4. 36. 6. 30. 7 27
Origo peccati, liberum arbitrium, sine quo nemo pœnam vel præmium meretur. 5 46
Otho Imperator seipsum interficit. 3 3

P

S. Pachomii conversio. 9 57
S. Pamphilus cum sociis M. 9. 18. Non scripsit apologiam Origenis. Ibid.
S. Pancratius M. 8 20
Panes Christus multiplicat. 1 26 24
Panes in Ægypto per annum conservantur. 9 54
Pantenus Indis prædicat; Alexandriæ docet. 4 38
Papæ nomen prioribus sæculis erat commune omnibus Episcopis. 6 9
S. Paphnutius. 10. 1. Non sensit, quod majores Clerici possent post ordinationem retinere suas uxores. 6
Papias author innocens hæresis Millenariorum. 3 34
Parabolas Christus proponit; quis earum sensus? 1 18
Paralyticus sanatus a Christo. 1. 20 24
S. Paregorius M. 7 90
Parthicum regnum transit ad Persas. 5 69
Pascha Christi primum. 1. 5. Secundum. 22. Tertium. 43. Quo die celebrandum. 4 41
Passiones futuras discipulis prænuntians Christus, suam eis promittit assistentiam. 1. 20. Passionem suam prædicit Christus. 30. 39. 50. Passio Christi. 54
Pastores legitimi sunt audiendi. 1. 16. Eis obediendum. 47. Eorum officia. 3. 18. Pastoris liber. 60 63
Pati, salutis necessarium. 1 37
Patientia in rebus adversis. 2. 37. Saluti necessaria. 7 18
Patriarchalium Ecclesiarum dignitas a Petro derivata. 3 71
Patriarcha Judæorum in Ægypto. 3 40
S. Patricius M. 9 23
S. Patroclus M. 7 80
S. Pauli conversio. 2. 14. Ejus persecutiones. 36. 42. 42. 48. 53. 64. Paulus confert cum D. Petro. 45. Syriæ & Ciliciæ Ecclesias visitat. 47. Virgis cæditur Philippis, ubi missus in carcerem, custodem cum familia baptizat. 48. Pythonem ejicit e puella. Ibid. In Areopago prædicat Christum. 49. Victum sibi comparat ex labore manuum. 50. Ephesiis prædicat. 55. Ephesi convocatos Episcopos docet officia veri pastoris. 60. Paulus in vinculis. 72. Causam suam agit coram Judæis. 73. Et coram Felice. 75. Et coram rege Agrippa. 79. Ejus periculosa navigatio; divinitus servatur cum omnibus vectoribus, quorum vitam ei donarat Christus. 81. Ex viperæ morsu nihil patitur mali. 82. Ægros sanat sola manuum impositione. Ibid. Liber dimissus visitat Ecclesias. 90. Ejus martyrium. 99
S. Pauli Eremitæ initia. 6 65
S. Paulus cum sociis M. 9 12
Pauli Proconsulis conversio. 2 40
Paulus Samosatensis. Ejus errores & damnatio. 7 99

Paupertas Evangelica commendatur. 1. 19. In pauperibus Christo benefit. 7 21
Pax reddita Africanæ Ecclesiæ. 9. 27. Ecclesiæ Orientali. 73
Peccatrici mulieri peccata condonat Christus. 1 17
Peccatum originale. 2. 67. Peccata gravia, quæ non imputantur electis, Valentini figmentum. 4. 43. Sunt causæ calamitatum omnium. 7 19
S. Pelagia V. Martyr. 9 16
Peregrini inconstantia, fraudes & mors. 4 2
SS. Perpetua & Felicitas MM. 5 34
Persecutio prima adversus Christianos, qui dispersi per regiones prædicant Christum. 2. 3. Secunda persecutio. 10. Persecutionum adversus Christianos popularium origo. 57. Persecutio localis sub Trajano sævit Hierosolymis. 3. 33. Persecutiones populares sedat Adrianus. 38. Renovantur. 4 3
Persecutio in Galliis. 8. 4. Generalis fit gravior. 10. 48. Cessat in Occidente. 9. 38. Persecutio in Ægypto. 10 37
Personarum divinarum realis distinctio. 5 50
Pertinax Imperator. Ejus mores & mors. 4 40
Petri & Andreæ secunda vocatio. 1. 14. Petrus Apostolorum princeps. Ibid. & 25. Ambulat super aquas. 20. Christum confitetur Dei Filium, & ligandi solvendique pontificium ei promittit Christus. 25. Ejus præsumptio. 53. Christum videt redivivum a mortuis. 57. Primatum jurisdictionis, qui transeat ad ejus successores, accipit a Christo. 61. Christum prædicat, & primus cogit Ecclesiam. 2. 2. Claudum sanat, & mittitur in carcerem. 3. Ejus umbra sanat ægros. 5. Primus docet Gentes. Ejus visio mirabilis. Cornelium baptizat. 20. Rationem reddit, cur prædicarit gentibus. 21. Missus in carcerem, liberatur ab Angelo. 32. Romam advenit, ibique fundat Ecclesiam omnium matrem, quam viginti quinque annis administrat. 34. Ejus dissimulatio circa Legalia reprehenditur a Paulo. 44. Sex annis regit Antiochenam Ecclesiam. 47. Romam secundo redit. 71. Petri Cathedræ prærogativa & indefectibilitas. Ibid. Ejus martyrium. 98
S. Petri primatus. 3. 7. 7. 2. 39. Est fundamentum unitatis Ecclesiasticæ. 6 78
S. Petrus cum aliis, M. 6 63
S. Petri Alexandrini Canones pœnitentiæ. 8. 47. Ejus martyrium & opera. 9 35
Pharisæorum calumnias confutat Christus. 1 13
Philadelphensium divisiones. 3. 87. Philadelphenses Martyres. 4 5
S. Phileas M. Ejus Epistola de Martyribus. 8 50
Philemon, quis? 2 86
Philippensium liberalitas erga D. Paulum. 2 84
Philippus Cortinensis scribit adversus Marcionem. 4 11
D. Philippus Samaritanos adducit ad fidem. 2 16
S. Philippus M. 8 36
Philippus Imperator. 6. 21. Non fuit Christianus. 22. Moritur. 39
Philo, quis? Ejus legatio ad Caligulam. 2 29
Philosophi defendunt idololatriam. 3. 8. Ex Moyse multa desumpserunt. 4. 40. 5. 3. Eorum variæ opiniones de matrimonio. 46. Scribunt adversus religionem Christianam. 8 20
S. Phocas M. 9 24
S. Photinus Episcopus Lugdunensis. Ejus martyrium. 4 17
Pierii presbyteri doctrina & recta fides. 7 107
Pii Papæ mors. 3 55
Pilati mors funesta. 2. 15. Ejus quædam acta de Christo suppositia. 9 30
S. Pionii martyrium. 4 6
Piscatio prima mirabilis, facta ab Apostolis. 1. 2. Secunda, in qua Christus eis apparet. 60
Plinii literæ de Christianis. 3 22
Plotinus philosophus. 7 98
Pœnæ satisfactoriæ pro peccatis impositæ. 6 101
Pœnitentiæ necessitas. 1. 34. Non est differenda. 37. Pœnitentia laboriosa necessaria. 5. 4. Hanc exigit D. Joannes. 13. Frequens & absque emendatione, est falsa. 4 59
Pœnitentiæ sacramentum instituit Christus. 1 25
Pœnitentia secunda concessa hæresiarchis relapsis. 3 43
Pœnitentia publica semel tantum eidem peccatori concessa. Ejus ritus. 5. 4. Inducebat irregularitatem. 6. 7. Ejus leges. 92. Personæ & peccata ei subjecta, & tempus absolutionis. 93. Ordines varii pœnitentium. 94. Ejus leges severæ, cur? 7 22
Pœnitentia semipublica. 6 95
Pœnitentibus facilius, vel celerius, vel indulgentius concessa venia est perniciosa. 6 72
S. Polieuctus M. 7 85
S. Polycarpus multos hæreticos ad fidem reducit. 3 50
S. Polycarpi martyrium. 4 5
Polycratis Epistola. 4 42
S. Pontianus Papa & M. 6 8
Pontificum Judæorum illegitima successio. 2 23
Pontificum Romanorum successionis ordo. 4 33
Pontius S. Cypriani diaconus ejus vitam scribit. 6 31
Porphyrius scribit adversus Christianos. 5 62
S. Potamiæna M. 5 36
Præscriptionis argumentum adversus hæresim. 5 7
Praxeas. Ejus hæresis. 4 44
Preces & jejunia præmittenda SS. ordinationibus. 2 36
Preces publicas fieri lingua non vulgari, non prohibet D. Paulus. 2. 60. Precum publicarum utilitas. 4. 2. Preces pro mortuis, & suffragia mortuorum. 10 21
Presbyteros in variis Ecclesiis instituit D. Paulus. 2 42
Presbyter pœnitentiarius. 6. 91. Presbyteri & Diaconi lapsi a gradu excidunt, & recipiuntur tantum ad laicam communionem. 93
Primatus jurisdictionis Romano Pontifici competit jure divino. 4 42
Priscilla & Maximilla Montani prophetissæ. 4. 23. Laqueo se præfocant. 30
S. Priscus cum aliis, M. 7 26

Priva-

Privatus Lambesitanus damnatus ab Episcopis, recurrit ad Fabianum Papam, a quo rejicitur. 6 18
S. Procopius martyr. 8 22
Prodicus author sectæ Adamitarum. 4 54
Prodigia supremam Hierosolymæ cladem divinitus prænunciantia. 2 97
Propagatio fidei quomodo facta sit secundo sæculo. 4 105
Prophetæ falsi cavendi; quomodo dignoscantur? 1 16
Prophetiæ de Christo, sunt incunabula Christianæ religionis. 6. 27. Quantum præstent oraculis. 30. Claræ sunt in iis quæ spectant mores, in aliis sunt utiliter obscuræ. Ibid.
Provinciæ, quæ obtigere singulis Apostolis. 2 33
Psalmus 109. de venturo Messia scriptus. 1 48
S. Ptolomæi martyrium. 4 9
Purgatorium existit, ibique existentes animæ fidelium precibus adjuvantur. 5 26
Pythagoras & Plato pleraque de Deo dogmata ex Moyse desumpsere. 4 49
Pythonissam puellam a dæmone liberat Paulus. 2 48

Q

Quadrati Episcopi apologia pro Christianis. 4 31
Quadragesimæ jejunium observatum secundo sæculo. 4 23
S. Quirinus M. 9 9

R

Recognitionum libros scripsit Clemens, sed depravati sunt ab hæreticis. 3 69
Reconciliationis cum proximo urgens necessitas. 2. 16. Reconciliationis tempus. 6 94
Reconciliatio moribundis semper concessa. 10 2
Redemptus a Christo, aliquando perit. 2. 60 68
Regula charitatis erga proximum. 1 20
Reguli filium sanat Christus. 1 6
Religionis Christianæ mirabilis propagatio. 2. 71. Veritas ex conversione Gentium prædicta per Prophetas. 4. 8. Sanctitas. 89. Semper persecutionibus subjecta. 5 32
Reliquiarum sacrarum usus confirmatur a Deo per miracula. 1. 20. 2. 55. Earum cultus. 3. 13. 4. 17 78
Resurrectionis Christi veritas & circumstantiæ. 1 57
Resurrectio mortuorum. 1. 48. 2. 61. Resurrectio corporum qualis erit. 6 29
Rodonis cum Apelle colloquium. 4 71
Romam venit Paulus, habeturque in libera custodia. 2 83
Romæ incendium derivatur in Christianos. 2 92
Romanæ Ecclesiæ liberalitas. 4 12
Romanorum 50. millia Scotorum incursionibus pereunt. 5 51
Romana synodus in causa Cæciliani. 9 42
S. Romanus martyr. 8 22
S. Rutilius cum aliis M. 5 51

S

Sabbatho curat Christus, id non est contra Legem. 1. 22. 37. Sabbathi Dominum se probat. 22
Sabellii hæresis. 7 51
D. Sabinæ martyrium. 3 46
Sacerdotium Christi. 2 90
Sacerdotum continentia. 2. 93. 6 30
Sacramentorum ritus Apostoli præscripsere. 2 60
Sacrificium Altaris oblatum pro mortuis. 7 29
Saducæi & Scribæ, quales erant. 1. 24. Eorum errores. 48
Salus æterna rebus omnibus anteponenda. 1 25
Samaritanæ mira conversio. 1. 6. Et Samaritanorum. 2 11
D. Sanctus Martyr. 4 17
D. Sarbelli cum Barbea martyrium. 4 3
Saturnini errores. 3 37
S. Saturninus cum sociis M. 7. 78. 8 31
S. Savinus M. 8 30
Scævæ filii male mulctantur a dæmone; cur? 2 55
Scandalum quam grave malum? 1. 38. Pusillis non est danda scandali occasio. 2. 69 & 68
Schisma grave peccatum. 6. 78. 89. Schismata oriuntur, dum contemnitur Romanus Pontifex. 7. 2. Schisma Meletii. 8 46
Schismatici vitandi. 3. 87. 6. 79. Eorum falsa præsumptio. 7 2
Scillitani Martyres. 5. 10. 11 12
Scriptorum sacrorum simplicitas est probatio eorum veritatis. 6. 20. Utilis est omnibus. Ibid.
Scriptura sacra est obscura. 1. 62. Ejus interpretatio proprio spiritu fieri non debet. 4. 34. Ejus lectio pro laicis res est disciplinæ. 2. 29. Lectio pro laicis utilis, non necessaria. 3 31
Scripturæ a Judæis depravatæ. 6 9
Secreti religio circa mysteria prioribus sæculis. 1 51
Sedes primæ in cœlis quibus dentur. 1 38
Seductores se pro Messia venditantes. 1 49
Sepultura Christi. 1 55
Seranius Christianos persequitur. 6 6
D. Seraphiæ martyrium. 3 45
D. Serapionis Epistola de Evangelio Petri. 4. 37. Martyr. 6 38
S. Serenus M. 9 8
Sergius Paulus proconsul, fit Christianus. 2 40
Sermo Christi in monte. 2 16
Severus Imperator. Ejus mores. 4. 40. Christianos persequitur. 5. 8. Ejus mors. 53. Senatus Romani de eo judicium. Ibid.
Signo Crucis se frequenter signabant primi Christiani. 5. 41. Ejus antiquus usus. 8 3
Simeon cognatus Christi, secundus Hierosolymorum Episcopus. 2. 91. Ejus martyrium. 3 20
Simon Apostolus dicitur Cephas, cur? 1 4
Simon magus, qualis? 2. 11. Ejus errores. 12. Ejus statua Romæ. 98. Ex aere dejectus præceps precibus D. Petri, moritur. Ibid.
Sinuessanæ synodi acta sunt supposita. 8 15
Smyrnensium Epistola de Martyribus. 4 75
Sociniani plerosque errores suos ex Theodoto coriario desumpserunt. 4 43
Sosipater Pauli consanguineus credit in Christum. 2 48
Soter Papa, Aniceto succedit. 4. 11. Ejus mors. 16
Spectacula & comœdiæ Christianis prohibitæ. 5 38
S. Spiridion carnes suillas in Quadragesima non comedit, nec apposuit. 10. 2. Confundit philosophum. Ibid.
Spiritualis cultus non excludit exteriorem. 1 6
Spiritus S. a Patre procedit per Filium. 1. 53. 5. 50. Hunc Christus promittit Apostolis. 1. 52. 62. 2 2
Spirituum discretio. 9 5
D. Stephani martyrium. 2 9
S. Stephanus Papa. 7. 15. Errorem Cypriani reprobat. 42. 43. Approbat tantum baptisma, quod verbis Evangelicis consecratur. 43. Excommunicationem tantum comminatur Orientalibus. 47. Ejus martyrium. 49
Subdiaconorum prima mentio. 6 53
Subjectio est vinculum pacis & unitatis. 3. 12. Subjectio debita Episcopis. 4 7
Subordinatio in Ecclesia, obedientia & reverentia erga præpositos sacerdotes est vinculum pacis. 3 12
Successionis prima regula in Episcopis. 2. 28. & 71
Suffragia vivorum prosunt mortuis. 5 26
Superbis resistit Deus. 2 37
Superbia mater hæreticorum. 7 68
Sylvani mors. 2. 50. Sylvanus proditor. 8 31
Sylvester Papa. 9. 40. Ejus acta supposititia. 10. 15. Mors. 47
Symbolum Apostolorum. 2. 33. Symbolum Nicænum. 10 5
Symmachi versio. 4 45
S. Symphorosæ passio. 3 47
D. Symphorosæ & filiorum ejus martyrium. 3 47
D. Symphorianus M. 4 20
Syneroe hæresiarcha. 4 52
Synodus Cæsareensis. 4 41
Synodus prima Carthaginensis sub Cypriano. 6 85
Synodus Carthaginensis secunda de lapsis. 7 8
Synodus Carthaginensis tertia. 7 27
Synodus Cirthensis traditores absolvit. 8 45
Synodus prima rebaptizantium. 7. 38. Secunda. 40. Tertia. 44
Synodus Romana sub Cornelio. 6 90
Synodi Sinuessanæ acta subdita. 8 15

T

Tabitham Petrus suscitat a mortuis. 2 17
Tacitus Imperator. 7 104
S. Tarachus cum sociis M. 8 37
Tatianus. Ejus initia & errores. 4 24
Tempestatem sedat Christus. 1 9
Templi & urbis Hierosolym. desolationem prædicit Christus. 1 49
Templorum & imaginum quis usus. 5 59
Templi Tyriensis magnificentia, & quænam tunc esset forma templorum. 9 46
Temporalium amor arcet a regno Dei. 2 9
Teotatonum utilitas. 2 64
Tertulliani vita, ingenium, opera. 5. 2. Ejus liber de baptismo. 3. Hæreticorum baptisma rejicit. Ibid. Ejus liber de oratione. 5. De præscriptione adversus hæreses, quem scripsit adhuc Catholicus. 7. Ejus Apologeticus. 13. Liber ad Martyres. 31. Ejus Scorpiacon adversus Gnosticos. 35. Liber de spectaculis. 38. De idololatria. 39. De velandis virginibus. 40. Labitur, & scribit adversus Ecclesiam. 41. Fit schismaticus & hæreticus. 44. Ejus liber de anima. Ibid. Liber ejus adversus Marcionem. 46. Adversus Praxeam. 50. De fuga in persecutione. 51. Adversus Judæos. 52. Ad Scapulam. 55. Adversus Hermogenem, & de resurrectione carnis. 64
Tertullianus novam sectam instituit. Varia de ejus operibus judicia. Ejus mors. 6. 4. Ejus liber de jejunio. 5
Textus ille: *Tres sunt, qui dant testimonium in cælo*, est D. Joannis, & genuinus. 3 16
Thaddæus sanat Agbarum regem, qui cum populo suo credit in Christum. 2 25
SS. Thebæi milites MM. 8 4
D. Teclæ conversio, passio & mors. 2 41
S. Thelesphori Papæ martyrium. 3 40
SS. Theodora & Didymus MM. 8 39
S. Theodorus M. 8 51
S. Theodosia cum sociis M. 9 7
Theodotionis inconstantia. Ejus versio. 4 30
S. Theodotus cum sociis M. 8 28
Theodotus Montani procurator misere perit. 4 43
Theodotus Byzantinus. Ejus hæresis. 4 43
Theodotus Argentarius. Ejus hæresis. 5 44
SS. Theodulus & Julianus MM. 9 10
S. Theogenes M. 7 68
Theophilus Antiochenus. Ejus libri. 4 26 & 27
Therapeutæ erant Christiani. Eorum mores sanctissimi. 2 88
D. Thomæ incredulitas nobis profuit. 1. 60. Ejus martyrium. 2 34
Tiberius vult Christum referre inter Deos, favet Christianis, ejus mors. 2 15
Timor Dei vindicis bonus & salutaris. 1. 20. Ducit ad pœnitentiam. 4. 52. Revocat a malo. 5 46

Timo-

Timotheus a Paulo circumciditur; cur? Ordinatur in episcopum, a. 47. Ejus martyrium. 3 14
Titus expugnat Jerosolymam, 4. 5. Triumphat de Judæis. Ibid. Imperat. Ejus mors. 20
Tolerantiam sectarum credentium in Christum reprobat D. Paulus. 2 58
Tonsuræ clericalis initia. 6 3
Traditiones Apostolicæ admittendæ. 1. 61. 1. 52. Quasnam traditiones improbet Christus? 1. 23. Earum authoritas. 4 31
Traditores. 8. 33. Sceleris sui pœnam sibi mutuo remittunt. 45
Trajanus Imperator. 3. 19. Ejus rescriptum in causa Christianorum. 21. Movet persecutionem. 23. Vincit Parthis dat Regem, 32. Ejus mors. 36. Ficta ejus ab inferis liberatio. Ibid.
Transfiguratio Christi. 1 26
Transsubstantiationem in Eucharistia agnoscit Irenæus. 4 35
Tribulationes patienter sustinendæ. 1. 51. Earum utilitas. 64
SS. Trinitatis fides. 3. 55. 4. 4. Mysterium teste exponit Tertullianus. 5. 16. 50. Trinitatis & incarnationis mysterium. 8 72
S. Troadius M. 6 50
Tumultus Hierosolymis. 1 14
Tutorem vel curatorem clericum constituere canones prohibent. 7 29
Tychicus quis? 2 87
Tyranni triginta sub Gallieno, 7 103
S. Tyrannio cum sociis M. 9 31
Tyriensis synodus. 10. 33. Ejus legatorum violentia in Ægypto. 40. Deponit Athanasium. 41

V

Valentinus fit hæresiarcha; cur? Ejus errores. 3 42
Valentinianorum mores. Baptismum ad salutem inutilem putant, & corrumpunt ejus formam, 3 42
Valeriæ Augustæ pœna. 9 37
Valerianus & Gallienus Imperatores pacem reddunt Ecclesiæ. 7. 26. Recrudescit persecutio. 48. Valeriani edictum adversus Christianos. 57. Ejus captivitas & mors. 91
Verbi divini æterna generatio. 4. 28. Divinitas & incarnatio. 5. 16. 17. Verbi divini immutabilitas. 6 28
Veritates omnes fidei Apostolis revelatæ. 1 53
Veritatem in injustitia detinere, quantum scelus.] 2 67
Varitas religionis Christianæ. 6 25
Vespasianus fit Imperator. 3. 4. Ejus falsa miracula. Ibid. Res gestæ. Ibid. Multas Judæorum urbes expugnat. 5. Ejus mors. 12
Vettius Epagathus Martyr. 4 17
Via arcta sola ducit ad vitam. 1 37
Victor Papa. 4. 37. Præcipit in Oriente & Occidente celebrari concilia pro celebratione festi Paschalis. 41. Romæ celebrat concilium; præcipit Asiaticis ut sequantur morem aliarum Ecclesiarum. 42. Asiaticos sua communione privat. Ibid. Montanistæ ab eo suscipiunt literas communionis, quas statim revocat. Ibid. Ejus mors. 43
S. Victor M. 8 5
S. Victorinus M. 8 25
Viduarum virtutes propriæ. 4 21
Vigilantia & constantia in bono, necessaria saluti. 1 49
S. Vincentius M. 8 24
Vinum aqua temperatum consecravit Christus. 7 22
Virginitatis professio laudabilis. 7. 60. 71
Virginitatem laudat & consulit Ecclesia, sed non præcipit. 3 26
Virginitatis & Viduitatis statum matrimonio præfert Apostolus. 2 60
Virginum vestitus debet esse modestus. 5. 5. Virgines a Deo conservatæ. 8 39
Visiones S. Perpetuæ non redolent Montanismum. 5 30
Vita optima quænam sit? 5 72
Vitellius Imperator. 3. 3. Ejus mors. 4
Ultio divina in quosdam lapsos. 6 46
Unctionis extremæ sacramentum. 2 91
Unitas diligenter retinanda in Ecclesia. 2. 58. 3. 12. 24. 25. 27.
Vocatio ad fidem est donum Dei gratuitum. 2 67 87
Voluntas Dei circa salutem omnium. 4 54
Votum Nazaræorum quale? illud implet D. Paulus. 2 72
S. Urbanus Papa. 5. 68. Ejus mors. 79
Ursini monachi tractatus de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati sunt. 7 68
Usura jure divino prohibita. 1. 16. Prohibita clericis. 10 7
Uticenses Martyres. 7 69
Uxor adultera, nec se emendans, dimittenda. 3. 63. Pœnitens recipienda, Ibid.

X

Xerophagia. 4 23
S. Xistus Papa. 7. 40. Ejus martyrium. 58

Z

Zachæi mira conversio. 1 40
S. Zephirinus Papa. 4. 43. Damnat Praxeam. 44. Quid mœchis indulserit. 5. 42. Ejus mors. 68
SS. Zoticus & Gundenis MM. 5. 47. 8 13

Coloniensis Editionis numeri cum falsi fuerint reperti, ubi hoc deprehensum, emendatum voluimus; hinc Textuum Græcorum numeros sic corrige.

		Errata	Corrige
LIBRI	V.	Num. LXXVI.	Num. LXXII.
		LXXXIII.	LXXIX.
LIBRI	VI.	Num. LVIII.	Num. LIX.
		XCI.	XCII.
LIBRI	VII.	Num. LXXVIII.	Num. LXXIX.
		XCII.	XCIV.
		XCIII.	XCV.
		XCV.	XCVII.
		XCVII.	XCIX.
LIBRI	IX.	Num. XXXV.	Num. XXXIV.
		LXXIV.	LXXV.
LIBRI	X.	Num. XXXII.	Num. XXXIII.
		LXIII.	LXIV.

Qui & in hac nostra ex Coloniensi, plurimis scatente mendis, Editione, absentia caussa Authoris, ut suo ipse fatetur in monitu, irrepserunt; pluribus eo ex, tum multis aliis emendatis; errorum correctiones tradimus; castigatam in ceteris testantes; non immemor tamen, benevole Lector, ipsius Authoris verbis concludimus, nihil esse in rebus humanis omni ex parte perfectum.

LIBRI I.



Pag.	Num.	Col.	lin.	Errata	Corrige
1.	2.	1.	7.	præpara	præparavit
2.	5.	1.	24.	pavule	parvuli
4.	13.	1.	8.	speculatore	spiculatore
		2.	2.	sic ei aaprobrat	sic eis exprobrat
	13.	1.	2.	ut ita loqueretur	ita ut loqueretur
6.	18.	1.	6.	aut multum affert	aut multum affert fructum
8.	24.	1.	30.	quasi a vulgo saparari	quasi a vulgo separati
10.	33.	2.	30.	si Deus est Pater vester	si Deus esset Pater vester
15.	49.	1.	25.	in nomine meo	in nomine suo
19.	57.	2.	15.	vindet	vident
20.	59.	2.	2.	promissamque	promissam

LIBRI II.

Pag.	Num.	Col.	lin.	Errata	Corrige
26.	15.	2.	39.	prælextatum adhuc	adhuc prætextatum
27.	18.	2.	11.	nec sinerrtur	nec sinebatur
29.	29.	1.	15.	sorte	forte
31.	36.	2.	16.	a spiritu	a Spiritu Sancto
35.	51.	1.	53.	sui diffusior	fuit diffusior
38.	58.	2.	41.	testatur Paulus unus	testatur Paulus ne unus
47.	83.	1.	21.	non ut accusarem gentem meam	non ut accusarem, inquit, gentem meam
48.	85.	1.	16.	Utrumque enim habebant.	Utrumque nomen habebant
51.	90.	1.	5.	quæ primo sit	primo quæ sit
52.	91.	1.	23.	expectaret	spectaret.
56.	97.	1.	13. 21.	Mandimus	Manaimus.
		1.	40.	Anthedonæ	Anthedona

99 956223

Digitized by Google

Digitized by Google





